Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/dionyshpetavii0008ajbt

PETAVII

OPUS DE THEOLOGICIS DOGMATIBUS

TOMUS OCTAVUS

Cet ouvrage, par les corrections et les additions considérables qui y ont été opérées, est devenu la propriété des Editeurs, qui se réservent tous leurs droits. Toute contrefaçon ou imitation, quelle que soit la forme sous laquelle elle se présente, sera poursuivie rigoureusement, conformément aux lois.

Hoc in opere tam multa sunt aut correcta aut addita, ut id suum Editores reddiderint et, quidquid suorum jurium sit, sibi vindicent. Itaque, si quis idem aut furto ediderit aut quoquo modo erit imitatus, in crimine erit et de injuria postulabitur.

DIONYSII

PETAVII

OPUS DE THEOLOGICIS DOGMATIBUS

A. J.-B. THOMAS

Vicario Generali, in Seminario Virdunensi Theologiæ Professore

recognitum et adnotatum

TOMUS OCTAVUS

DE POTESTATE CONSECRANDI ET SACRIFICANDI DIATRIBA. — DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM LIBRI DUO. — DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA. — DE PŒNITENTIÆ VETERE IN ECCLESIA RATIONE DIATRIBA. — DE PŒNITENTIA PUBLICA ET PRÆPARATIONE AD COMMUNIONEM. — DE PŒNITENTIA ET RECONCILIATIONE DIATRIBA.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
2088
LIBRARY
P941
Alma California

BARRI-DUCIS, LUDOVICUS GUÉRIN, EDITOR

—

M DCCC LXX

39177

Property of
CUA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

MONITUM EDITORIS.

In Præfatione librorum de Incarnatione Verbi causas aperuimus, cur contraquam, in Amstœledamensi, et Venetis prioribus editionibus factum sit, ad extremum universi Petaviani Operis volumen scripta quædam rejecerimus, quæ ad episcoporum dignitatem, potestatem consecrandi, aliaque id genus pertinent argumenta. Nunc de novo horumce scriptorum ordine, deque additamentis est ratio reddenda.

In editionibus, quas memorabam, horum librorum hic ordo est, ut a libris de ecclesiastica Hierarchia *initium habeat volumen, hos* Dissertationes ecclesiasticæ, *istas vero sequatur* de Potestate consecrandi *diatriba; tum in calce voluminis* de Pœnitentia *libri collocentur. Atqui nihil hoc ordine turbatius quidquam fingi potuisset. Temporum, quibus opuscula isthæc a Petavio edita sunt, ordinem sequi oportuit, præsertim quum in posterioribus libris, quæ in prioribus dicta fuerant, sæpe ab auctore citentur, ut ridiculum omnino sit horum ordinem perturbare.*

Itaque diatribæ de Potestate consecrandi primum locum damus, proximum Dissertationibus ecclesiasticis; his libros de Hierarchia subjungimus. Libri de Pœnitentia pone sequentur. Sed quum antequam Petavius libros hosce divulgaret, de Pœnitentia disputasset in Epiphanianis Animadversionibus, dissertationem illam, quæ nunquam inter opera hujus auctoris theologica prodiit, præmittendam censuimus. Verum tertio de Pœnitentia disseruit Petavius in Synesii editione; ex hac igitur aliam de Pœnitentia disputationem excerpsimus, quæ libris illis de Pœnitentia subjiceretur. Nova hæc adcessio volumen hoc satis commendabit ipsa per se, quin ad ejus exaggerandam utilitatem plura huc conferamus.

DIONYSII PETAVII

DIATRIBA

de Potestate consecrandi, et sacrificandi Sacerdotibus a Deo concessa; deque Communione usurpanda.

Adversus novam dissertationem anonymi cujusdam[1]; *qui Christiani Sacrificii consecrandi, offerendique potestatem etiam laicis attribuit.*

[1] Is est *Hugo Grotius* cujus nomini pepercit Petavius, pro amicitia quæ inter eos fuit. (E.)

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMOQUE VIRO

PETRO SEGUIERIO

FRANCIÆ CANCELLARIO.

Vetus in Ecclesia mos fuit, Vir Illustrissime, ut episcoporum Conciliis, tractandisque fidei rebus adhiberentur laici ordinis principes viri; non qui controversiæ disceptatores, sed qui pacis inter partes conciliatores essent, ne quid indecore, ac præter ordinem ageretur. Sic in prima omnium œcumenica synodo Constantinus M. imperator; in quarta, Marcianus, et Pulcheria; in sexta, Constantinus Pogonatus, Augusti omnes; ut recentiores alias taceam: in plerisque magistratus, et comites adfuisse leguntur. Ego vero in hac, quam institui, fidei disputatione, tibi civilis juris administrationisque principi, etiam judicis, arbitrique partes, nedum moderatoris, ac pacificatoris ultro defero. Quas equidem ambas non minus iis in altercationibus, quæ stilo privatim, quam quæ voce publice exercentur, necessarias judico. Nam et apud idoneum propositæ rei æstimatorem propugnanda causa veritatis est; et ad hoc ipsum auctoritate est opus, quæ iræ, pervicaciæque modum statuat, ne ab utili ac modesta concertatione, res ad rixas et contumelias vocetur. Ac quod universe dixit apud Sallustium Cæsar[1]*:* « Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab ira, et odio vacuos esse debere; » *tum,* « haud facile animum verum providere, ubi illa officiunt; » *id in illo genere disputationum, quod ad religionem pertinet, haud paulo, quam in ceteris, est verius. Declarat hoc præclara illa B. Hilarii sententia in decimo libro de Trinitate, ubi sic scribit:* « Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia; et indeflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur; sed iis, quæ volumus, rationem conquirimus, et iis, quæ studemus, doctrinam comparamus. Jamque nominis potius, quam naturæ erit doctrina, quæ fingitur; et non jam veri manebit ratio, sed placiti, quam sibi voluntas magis ad defensionem placentium coaptavit. »

Quamobrem dum in hoc certamine nostro duas illas, quas dixi, opportunitates persequor, tu mihi ex omnibus occurristi, in quo totidem illa necessaria præsidia summe inesse videbantur. Primum dignitas, et auctoritas ea est in te, quæ impetum animi potest et ardorem vel tacita continere. Accedit ad dijudicandi solertiam præstans divinarum rerum, ac Theologiæ cognitio, quam ego fama prius acceptam, usu postea, et colloquio, quod tecum iis de rebus habui, majorem opinione mea comperi. Memini enim aliquando me privato in congressu sermoni cuidam tuo interesse, qui de abstrusissimis media ex Theologia quæstionibus cum viris doctis habebatur; ac tum ea te partim ponere in percontando, partim exponere, ac respondere, quæ nihil in iis novum esse tibi, nihil inauditum, aut ignotum ostenderent. Ac mihi sic in illa tota sermocinatione versari videbare, ut subtilitate disserendi, et acumine nihilo iis inferior esses, qui ætatem omnem his in doctrinis contriverant; explicandi vero perspicuitate, ac facilitate longe omnibus antecelleres. Quocirca meliorem susceptæ hic a me controversiæ judicem, quatenus neque intelligentiorem, neque graviorem, quam tu es, optare potui neminem. Nam æquitati, quæ haud minus in judicando, quam superiora illa, locum habet, plane confido

[1] Sallust. in Bello Catilin.

tuæ; qui supremam, hoc in regno, juris æquique dispensationem non magis officio, quam animi integritate, probitateque sustines. Quæ jam olim nota, et perspecta, antequam in summum illud dignitatis culmen ascenderes, multo postquam eo provectus es, expressioribus documentis enituit.

Superest, ut et causa ipsa digna sit, quæ ad tuam cognitionem deducatur, (non enim parvis de rebus tanta interpellanda est auctoritas,) et non injucundus ego in te adeundo, importunusque sim. Sed in alterutro cunctari, id esset prudentiæ tuæ, aut bonitati diffidere. Res primum agitatur hic omnium maxima, et gravissima; in qua non unum aliquod, et separatum fidei caput vertitur, sed tota ipsa, quanta est, Christiana pietas, ac religio, Christianum, inquam, nomen omne continetur. Non enim ambigi debet, quin, si verum illud est, quod ista, quam oppugnamus, Dissertatio tuetur, hoc est, si sacerdotali fideles omnes, etiam profani, jure, ac consecrandi potestate sunt præditi, Christiana, et catholica prorsus Ecclesia labefactata concidat. Quæ cum humano corpori simillima sit, ut non uno Apostolus in loco prædicat [1], *uti prius illud absque membrorum ac facultatum varietate, sic ista, sublata ordinum functionumque distinctione, jam non solum deformis est, ac fœda, sed nulla. Siquidem* corpus non est unum membrum, sed multa, *ait Apostolus* [2]*; et,* Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? *Missa hoc loco facio flagitia cetera Dissertationis ejusdem, que te malo in nostra confutatione legere. In qua pressius fortasse, quam pro tanto argumenti merito, atque copia, de eo sermonem feci. Sed habenda ratio fuit tum occupationum tuarum, quæ ut* sacræ *justius, quam illæ Tiberii* [3]*, appellari merentur; sic eas longiore distinere mora, contra sacra peccare est, adeoque pene esse sacrilegum: tum vero prudentiæ, ac præclaræ, ut supra memini, iis in studiis eruditionis tuæ; quæ non plura ad rem penitus intelligendam, ac ne ista quidem pauca desiderat. Jam quod alterum est, ac mea potissimum interest, quo sis animo meam hanc in appellando te fiduciam accepturus: tam verendum non est, quam nec mihi de tua in me, ac litterarum studiosos omnes humanitate, nec tibi de mea in te, cujus istud specimen exstare volui, observantia et voluntate dubitandum. Vale. Lutetiæ Parisiorum X. calend. Januarii* MDCXXXVIII.

Illustrissimæ Amplitudini T.

Addictissimus, devotissimusque,
DIONYSIUS PETAVIUS
e Societate JESU.

APPROBATIO DOCTORUM SACRÆ THEOLOGIÆ PARISIENSIS.

Nos infrascripti in sacra facultate Parisiensi doctores, testamur libellum, cui titulus est, *Dionysii Petavii Aurelianensis e Societate Jesu, de potestate consecrandi et sacrificandi*, etc. a nobis lectum attente, et omnino probatum, utpote qui nihil contineat orthodoxæ fidei, vel Christianis moribus dissonum, aut repugnans. Ita censuimus, subscripsimus.

Parisiis, Novembris 15. 1638.

P. D'HARDIVILIER.
C. PATU.

[1] Rom. 12. et 1. Cor. 12. — [2] 1. Cor. 12. — [3] Sueton. in Tib. c. 27.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE POTESTATE CONSECRANDI ET SACRIFICANDI SACERDOTIBUS A DEO CONCESSA; DEQUE COMMUNIONE USURPANDA DIATRIBA.

CAPUT PRIMUM.

Occasio disputationis ex loco quodam Tertulliani; qui Christianos omnes sacerdotes facere videtur. Præstruuntur nonnulla ad illam necessaria; quatenus oblatio sine consecratione facta est. De oblatione laicorum.

I. Proxime venit in manus meas Dissertatio cujusdam anonymi *Amstelodami* hoc anno edita [1], cujus duplex erat caput. Prius *de cœnæ administratione, ubi pastores non sunt,* inscribitur. Posterius, *an semper communicandum per symbola.*

In illo propositum hoc sibi auctor habuit, consecrandi Dominici corporis potestatem ex æquo Christianis a Christo concessam omnibus fuisse; nonnullorum vero opinione etiam fœminis: sed ita, ut laici extra necessitatem minime id usurpaverint. Ubi autem nullus esset sacerdos, impune hoc non fecisse solum, sed etiam potuisse facere. Similiter atque in baptismo usuvenit, quem, ubi nulla presbyterorum, aut virorum copia sit, fœminis administrare licet. De altero capite post agemus; nunc a priore disputandi capiemus initium.

Hujus itaque dogmatis, quod consecrandi, conficiendique Dominici sacramenti promiscuam potestatem Christianis omnibus facit, testis ac vindex ante omnes *Tertullianus* adducitur [2]. Hic enim in libro de Exhortatione castitatis, cum a secundis nuptiis non minus laicos, quam sacris addictos ministeriis absterrere vellet, « Nonne, *inquit*, et laici sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos, et sacerdotes Deo, et patri suo fecit. Differentiam inter ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tinguis, et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim sua fide vivit, etc. Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est; habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse sit habere jus sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers? etc. » Ex hoc Tertulliani loco concludit anonymus, laicos, sicubi necesse fuit, ac cum nulla copia sacerdotis esset, non minus εὐλογεῖν, et εὐχαριστεῖν, id est *consecrare*, quam baptismum impertiri potuisse. Quippe verbum *offerendi* apud Tertullianum « hoc sensu solere sumi, ubi conjungitur cum tingere, id est baptizare. » Adjungit et alios recentiores Tertulliano moris ejusdem, ac juris auctores, quos subinde proferam.

Ut in Tertulliano sistamus gradum, et universe de nova hac opinione, quod nostrum sit judicium, explicemus; primum illud defendimus, *offerendi* verbum neque apud Tertullianum, neque apud scriptores alios id semper valere, quod anonymus affirmat; et vero debet affirmare, si quid disputatione ista promovere vult: hoc est *consecrare*, *et conficere* Dominicum sacramentum. Quod solos aio non modo jure fecisse, sed etiam potuisse presbyteros;

[1] Apud Columnam An. 1638.

[2] Cap. 7.

ceteros autem, tam inferioris gradus clericos, quam laicos, si id usurparent unquam, nihil prorsus egisse.

Totus igitur in eo cardo quæstionis vertitur; utrum, quoties *offerre* apud veteres illos legitur, actionem eam significet, quæ consecratio dicitur, et εὐλογία, sive εὐχαριστία. Nam si ita res habet, non est cunctandum, quin consecrasse fateamur laicos, qui obtulisse dicuntur. Sin est, ut alia quæpiam functio, et a consecratione diversa eadem illa voce contineatur, non erit consequens, quod dissertationis auctor existimat.

Atqui *offerendi* vocabulum, et *oblatio*, etiam cum de re ad sacrificium, ac λειτουργίαν pertinente apud antiquos accipitur, non semper consecrationem aut significat, aut inclusam, et comprehensam habet, sed aliquid aliud ab illa separatum, ac diversum.

Etenim oblatio proprie, ac præcise est rei alicujus repræsentatio, quæ Deo donatur; neque necessario mutationem ullam exprimit, quæ in oblata re fiat. Hebræi *oblationem* vocant קרבן, quod nomen generale est, ac tam de inanimis, vitaque carentibus, quam animatis dicitur. Quare illa etiam δῶρα complectitur, quæ ita, ut erant, consecrata Deo manebant, ut aurum, æs, et alia donaria, quæ in templo reservabantur; atque etiam frumentum, vinum, oleum, quod ad usus sacrorum, aut sacerdotum offerebatur; necnon pecuniam, quæ in gazophylacium mittebatur, ac thesaurum sacrum, qui proprie קרבנן, græce κορβανᾶν, Matth. xxvii. 6. dicitur. Quæ omnia cum offeruntur, ac Deo dicantur, nullam mutationem patiuntur.

Sic in Christiana Ecclesia vetere, ad altare offerri varia munuscula consueverant, uti mel, lac, aves, et animalia quædam, ac legumina; quæ deinceps offerre prohibet Canon tertius apostolicus; ac novas duntaxat spicas permittit, necnon oleum, et thymiama. Quæ omnia non soli fideles offerebant, sed etiam episcopus, vel sacerdos ab illis accepta; quod verba canonis indicant. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν Κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ προσενέγκῃ ἕτερά τινα. Quæ Dionysius ita vertit: *Si quis episcopus, aut presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est aut mel, aut lac, aut pro vino siceram; et confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Ac subinde, *Offerri non liceat aliquid ad altare, præter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et thymiama, id est incensum, tempore, quo celebratur oblatio.* Hinc ergo constat, episcopum, aut sacerdotem, qui veram, et incruentam oblationem, ac sacrificium offerebat, etiam alia, præter illud, obtulisse, in quibus nulla fiebat consecratio, eamque oblationem et ad altare factam, et eo tempore, quo divina mysteria peragebantur. Simul hoc obiter notandum, *offerendi* verbum latius pateré, nec de solis usurpari symbolis Dominicæ passionis, quæ non offeruntur solum, sed etiam consecratione mutantur. Sine qua mutatione non potest sacrificii ratio constare, ut accuratius in scholis theologi disputant.

Addam et illud ex usu Judæorum, et sermonis consuetudine; cum haberent genus quoddam oblationis, in quo id, quod offerebatur Deo, ferro vel igne consumi, extingui, exterminarique deberet, quod græce ἀνάθεμα, hebraice חרם appellatum est; nihilominus hanc ipsam vocem חרם de iis interdum dici consuevisse, quæ integra, et intacta manebant, ut sunt agri, et prædia, ut ex Levitici 27. liquet.

Itaque cum ejusmodi in oblatione duplex interveniret actio: altera qua cultui, honorique divino res illa dicabatur, et offerebatur: altera, qua res eadem perimebatur, qua ex actione nomen *Cherem* proprie est impositum; accidit tamen, ut, hac posteriore dempta, sola prior communem appellationem obtineret. Ideo, quoties nominari anathema, vel *cherem*, audimus, non statim consequens est, aboleri, extinguique rem, de qua agitur; sed ex ejus natura, et conditione, quid factum sit, prudenter erit æstimandum.

Ad hunc modum et de Christiana oblatione, altarisque Sacrificio judicare convenit. Est enim, ut in antiquæ legis sacrificiis, sic in novæ unico illo pars, sive actio duplex. Una est quæ proprie oblatio, græce προσφορὰ, dicitur: qui est ritus in verbis, aut actione aliqua consistens, quibus res, quæ hactenus profana erat, Deo traditur, et in ejus quasi mancipium transfertur; cujusmodi in Mosaicæ legis sacrificiis fuit impositio manuum super hostiam; tum elevatio, et agitatio quarumdam ejus partium ad quatuor mundi partes, quam Hebræi תנופה vocant: de qua R. Selomoh ad caput 29. Exodi, ubi Scriptura ritus istos indicat, necnon Levitici 1. et sequentibus.

Altera pars erat hostiæ mactatio, et combustio. Sic in Christiano sacrificio tam προσφορὰ, sive oblatio, quam consecratio cernitur, qua panis, atque vini substantia deletur, et in

Christi corpus, et sanguinem convertitur. Totum ipsum tamen sacrificium, ab una et priori actione nomine accepto, vocatur oblatio.

At fieri potest, ut ex duabus sola tantum usurpetur oblatio; quemadmodum in ea λειτουργίᾳ usuvenit, quæ ἐκ τῶν προηγιασμένων a Græcis appellatur, qualem in Parasceve magna latinæ Ecclesiæ consuetudo retinet. Tum enim Dominicum corpus offertur sine consecratione, quæ pridie est facta. De hoc ergo λειτουργία, sive oblationis genere, si qua vel scripto, vel sermone mentio fieret; erraret profecto, qui cum λειτουργίαν, oblationemque esse factam audiret, statim huic adjunctam fuisse consecrationem diceret.

Sciendum est præterea, dupliciter ab consecratione divelli oblationem potuisse. Primum illo modo, quem dixi, cum longe ante consecratus panis vivificus offertur. Secundo cum ante consecrationem ab laicis, etiam mulieribus offerebatur. Mos enim in Ecclesia veteri fuit, ut qui communicandi jus haberent, iidem panem et vinum in Ecclesiam portarent, et ibidem offerrent; quod etiam *sacrificium* vocat Cyprianus in libro de Opere et eleemosyna: « Locuples, et dives es, *inquit*, et Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis; quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ in partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. » Augustinus sermone 215. de Tempore. « Oblationes, quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. » Hanc græci canones προσφορὰν vocant; cujus soli fideles jus habebant, qui neque abstenti, neque pœnitentes erant, sed integram dignitatem habebant. Atque hæc erat perfecta communio, ad quam pœnitentes, et a sacris extorres aspirabant, ac per longissimi cruciatum temporis, squaloremque perveniebant, uti jus haberent oblationis, quam κοινωνίαν vocant μετὰ προσφορᾶς. Itaque postremus, qui et quartus pœnitentium gradus, quam σύστασιν vocabant, in quo divinis mysteriis, sine corporis Christi participatione interesse poterant, neque sub Missam catechumenorum una cum aliis excludebantur, appellari solet κοινωνία χωρὶς προσφορᾶς, ut in Nicæno canone 11. quæ Dionysius latine sic concipit « (1). Duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent. » Et in Ancyrano canone 16. simpliciter nominatur προσφορά: τυγχανέτωσαν τῆς προσφορᾶς, *oblationem, vel communionem assequantur.*

Ilerdense concilium canone 9. « Fidelibus in oblatione Eucharistiæ communicent, » vel, ut alia lectio, et quidem melior, exhibet, *in oblatione, et Eucharistia.* Nam ex canone Nicæno 11. expressum illud est, quod habet, κόινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς. Ac ne quis existimet, προσφορὰν in istis canonibus ipsam esse Eucharistiam, sive Christi corpus, quod a sacerdote est oblatum, non autem id, quod a laicis fidelibus offertur; primum expendat locutiones illas, κοινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς, quod non potest idem esse, ac participem esse corporis Christi, vel oblationis a sacerdote consecratæ. Nemo enim dixerit, κοινωνῆσαι μετὰ σώματος Χριστοῦ, pro eo, quod est, *corporis Christi esse participem;* sed sine dubio idem illud est, ac *communicare cum oblatione*, hoc est *jus habere offerendi.* Deinde concilium Vasense 1. can. 2. statuit, ut si pœnitentes « absque communione in ipso cursu satisfactionis prævenți fuerint, eorum oblatio recipiatur. » Ubi non alia intelligi potest oblatio, quam quæ ab ipsis offertur. Sic etiam Arelatense 2. can. 12. decrevit, de eo, qui in pœnitentia positus vita excesserit, ut pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur. Eodem et Eliberitanus canon 28. meo quidem judicio spectat: « Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere. » Nam τὴν προσφορὰν, hoc est oblationem, interdicit, quæ solis permissa communionis jure præditis. Sic et canone sequenti, energumeni nomen cum oblatione recitari prohibet ad altare. Sed hæc satis sunt. Non enim pluribus opus est, ut, quod canonum ac disciplinæ veteris periti satis intelligunt, probemus, laicos offerendi jus habuisse. Neque vero tam hebes erit quispiam, ut eosdem consecrasse putet. Nam qui hoc illis concessum fuisse vult Dissertationis auctor, non passim, et ubique, sed in summa necessitate, ac penuria sacerdotum licuisse confirmat. Atqui oblationes illæ, quas laicis canones attribuunt, media in Ecclesia, summaque in pace Christiani populi, coram episcopis, ac presbyteris fiebant. Non igitur consecratio perpetua comes erat oblationis. Certe Tertullianus ipse in libro de Monogamia, cap. 10. de fideli vidua loquens, ait eam *offerre annuis diebus dormitionis* viri vita jam functi, hoc est oblationem *pro anima ejus* ad altare facere; quam nemo consecrasse dixerit Eucharistiam. Non est igitur idem semper προσφέρειν, quod εὐλογεῖν, aut εὐχαριστεῖν, hoc est consecrare, et ex pane ac vino Christi corpus facere.

(1) Nicænus canon. 11. Δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ προσευχῶν.

CAPUT SECUNDUM.

Tertulliani locus explicatur adversus anonymum ; quomodo laici obtulerint citra consecrationem ; exponitur institutio sacerdotum ex evangelistis petita.

His præmuniti, ad Tertulliani locum accedamus, quod præcipuum firmamentum Dissertationis habet auctor. Illius verba sic interpretatur, ut cum laici sine sacerdote alicubi fuerint, non minus consecrare, et offerre Christi corpus possint, quam tingere, hoc est, baptizare. Ac si id solus Tertullianus affirmaret ex suo sensu, nihil hoc magnopere curandum esset. Responderi enim facile posset, quod et Hieronymus ait, « hominem Ecclesiæ non fuisse; » vel, ut Hilarius scribit, canone 5. in Matthæum, « consequentem errorem hominis detraxisse scriptis probabilibus auctoritatem. » Quo ex genere probabilium scriptorum constat non esse librum de Exhortatione ad castitatem, quem Montani implicatus erroribus contra catholicam scripsit Ecclesiam. Verum quia Tertullianus hujus instituti, ac moris sic meminit, ut eum passim apud omnes usitatum fuisse demonstret. Alioqui « ex re non ab aliis credita, cum aliis agens, argumentum non nisi stulte duxisset, » ut ait anonymus. Probat enim omnes Christianos, etiam laicos, sacerdotali lege teneri, quæ secundas nuptias prohibet; quoniam omnes sacerdotes sunt, et quæ sacerdotum propria sunt, usurpant, si necessitas ferat, cujusmodi sunt offerre, ac tingere. Ideo non utar hac præscriptione; et hoc ultro concedam, de eo loqui Tertullianum, quod in parte catholica fiebat : ac proinde laicos, cum sacerdotum deerat copia, oblationem, ac baptismum administrasse. Verum, quod ejusmodi laicorum oblationem talem fuisse putat, qualis fuit sacerdotum, ut consecrationem annexam haberet, ac verum esset sacrificium; id vero falsum esse defendo. Neque hoc ex Tertulliani verbis fateri cogimur. Siquidem oblationem plerumque ab consecrandi actione sejunctam fuisse supra demonstravimus. Mos ille vetere in Ecclesia fuit, ut in synaxibus, ac legitimis conventibus, qui Dominicis præsertim diebus habebantur, ut ex Plinio [1], et Justino martyre [2] colligitur, Eucharistiam, id est corpus Dominicum, sive panem consecratum unusquisque fidelium acciperet, eoque pro eo ac vellet uteretur, hoc est vel statim absumeret, vel reservaret, ac domum deferret. Docet hoc Tertullianus in extremo libro de Oratione : « Accepto, *inquit*, corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. » Suadet enim, ut qui stationum jejunia celebrant, a sacrificiis non absint; quod fieri quidam oportere putabant, eo quod statio solvenda sit, hoc est jejunium, *accepto corpore Domini*. Verum ita moderandam esse rem decernit, ut et sacrificio intersint, et Christi corpus, ac quod ibi distributum acceperint, reservent, ne jejunium solvant. Quinetiam Basilius M. in epistola 239. ad Cæsariam Patriciam, eamdem consuetudinem ætate sua servatam esse confirmat in Ægypto, et Alexandria, cujus verba paulo post referam.

Cum igitur Christiani persecutionis metu in cryptis, ac latebris delitescerent, credo assensuros facile omnes, interdum usuvenisse, ut Christi corpus secum eo portarent; ac, si nullus esset sacerdos, delectus aliquis e laicorum numero illud ipsum offerret Deo, certis ad id precibus adhibitis, quas in synaxibus audire consueverant, atque in omnes distribueret. Ita enim sacrificii, ac publicæ et legitimæ λειτουργίας speciem quamdam usurpabant, quæ magno ipsis esset solatio. Hoc tum illi faciebant, cum sacerdotum nullam omnino copiam habere poterant. Nam si commode id posset fieri, ad illos sacerdos aliquis aspirabat; præsertim ad eos, qui propter Christi confessionem in carcere, ac custodia vincti detinebantur, quos confessores nominabant. Hujus rei locupletem dabo testem Cyprianum in epistola 5. ubi in adeundis, visitandisque confessoribus cautione ac prudentia uti præcipit, « ut ne glomeratim, ac per multitudinem simul junctam, ad eos accedatur, ne ex hoc ipso invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur. » Tum « ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli

[1] Plin lib. 10. ep. 97.

[2] Justin. Apol. 2.

cum singulis diaconis per vices alternent: quia et mutatio personarum, et vicissitudo convenientium minuit invidiam. »

Hic Cypriani locus ad propositum nostrum, et hoc, quod instituimus, probandum aptissimus est. Nam si laici, imo etiam, ut apud Dissertationis auctorem quidam significant, mulieres, absente sacerdote, offerre, et consecrare poterant; quid attinebat ad illos confessores, qui in carcere, et ergastulis vincti erant, tanto cum capitis periculo ventitare sacerdotes, et diaconos, ut pro illis offerrent? Nimirum expedita res erat, et facilis mandare illis, ut ipsimet sibi sacrificium celebrarent, hoc est consecrarent, et offerrent Christi corpus, ut ne presbyteri minime necessarium se in vitæ discrimen committerent, quo id illis præstarent, quod per se obire ipsi poterant. Non igitur prorsus omni sacerdotali potestate, ac functione laicos Tertullianus instruxit; neque consecrare, aut corpus Christi ore conficere, ut Hieronymus loquitur, posse illos credidit; sed offerre tantum : quod quia soli fere, ac publice, et ordinario usu sacerdotes faciebant; ideo laicos, qui idem interdum, et in necessitate agerent, sacerdotes esse dixit, non præcisa, et exacta ratione, sed similitudine quadam, et declamatoria hyperbole.

Nunc argumenta, quibus novum illud commentum suadetur, expendamus. Horum illud est primum. Lucas evangelista, cum de institutione agit Dominici corporis, c. 22. 19. refert, Christum ita jussisse, *Hoc facite in meam commemorationem*. Quod Paulus, 1. Cor. 11. 24. 25. 26. etc. ad omnes fideles, etiam laicos, pertinere significat. Nam commate 26. ex illo Christi mandato concludit sic : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, etc. Quasi commemoratio illa, quam fieri Christus præcipit, ipsis etiam laicis injuncta sit, a quibus eam fieri testatur Apostolus.

Hic longior, et perplexior, quam pro instituta brevitate, quæstio commovebitur, si de Lucæ, ac Pauli verborum sensu disputare voluero, ac docere quemadmodum Christus illis ipsis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, apostolos sacerdotes instituerit, et offerre corpus suum, ac sanguinem, hoc est sacrificare jusserit; quod Tridentinum concilium decrevit sess. 22. canone secundo, et longe ante Gaudentius Brixianus docuerat serm. 11. ad Neophytos; qui verba illa Christi declarans, « Ideo, *inquit*, discipulis fidelibus mandat, quos primos et Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis sacerdotibus per cunctas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de cœlis adveniat. » Quare missum illud hoc loco faciam; et hoc unum afferam, quod ad infringendam vim illius argumentationis satis esse possit. Christus Dominus, cum sacramentum, et sacrificium corporis, et sanguinis sui nocte illa institueret, ac traderet, duo quædam egit; alterum per sese, ac directe; alterum oblique, ac velut ex consequenti. Horum primum in eo situm erat, ut apostolis, ac sacerdotibus mandaret, ipsum ut sacramentum, et sacrificium conficerent, et offerrent, adeoque consecrarent. Hoc enim proprie ac directe verbis istis exprimitur : *Hoc facite in meam commemorationem;* quod ad eos, qui actioni illi intererant, apostolos refertur. Alterum ad omnes fideles, etiam laicos sexus utriusque pertinebat, ut et ipsi in sumenda, participandaque Eucharistia, pro suo modulo, ac statu, passionis Christi memoriam adumbrarent. Quod et Gaudentius in secundo illo, quem laudavimus, sermone meminit : cujus verba, quia præsentem ad rem valde pertinent, hic necessario describam. Nam post illa verba, quæ proxime ante posui, in quibus apostolos a Christo sacerdotes illa ipsa nocte, qua Sacramentum corporis sui, et sanguinis condidit, institutos ait, incontinenti ista subjicit : « Quo et ipsi sacerdotes, et omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi ante oculos habentes quotidie, et gerentes in manibus, ore etiam sumentes, ac pectore, redemptionis nostræ indelebili memoria teneamus. » Sed et Augustinus in tertio de doctrina Christiana, cap. 16, Christum ait, iis verbis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, etc. « præcepisse passioni Domini esse communicandum, et suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa, et vulnerata sit. » Utrique igitur, et sacerdotes, et laici quod faciunt, in Christi memoriam faciunt, ejusque passionis; sed hi sumendo duntaxat, illi consecrando, ac sumendo. Neque necesse est, ut quod in commune obeunt utrique, eodem ab singulis modo transigatur. Fingamus enim illa ipsa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad fideles omnes tam sacerdotes, quam laicos a Christo essè dicta; an ideo consequens erit, eadem omnes ratione, quod præceptum est, exequi? Non opinor. Etenim iis etiam in

mandatis, quæ universe, infiniteque omnibus edita videntur, cautione est opus, ut ratio habeatur, quid cuique generi hominum, et conditioni, ac personæ congruat. Quod prudenter animadversum est ab Augustino eodem illo in libro, capite decimo septimo : « Erit igitur etiam hoc, *inquit*, in observationibus intelligendarum Scripturarum, ut sciamus, alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum. » Idque adeo quotidiano usu contritum est. Nam cum dicimus Cæsarem, exempli causa, cum copiis suis in Pharsalicis campis adversus Pompeium certasse, atque hostium multa ipso, millia cecidisse; aliter hoc ab Imperatore aliter a militibus gestum intelligunt omnes, qui aliquid intelligunt. Aut cum Samuel Dei jussu Sauli præcepit ita[1] : *Nunc ergo vade, et percute Amalech, et demolire universa ejus*, etc. *sed interfice a viro usque ad mulierem*, etc. quamvis hoc præceptum, et ejus executio ad omnem exercitum non minus, quam ad Regem spectaret, nemo tamen adeo desipiat, ut eodem modo putet, quod injunctum erat, ab utrisque præstari debuisse, ut suapte manu, quod miles fecit, Rex ipse hostes jugularet, urbes ac domos everteret, bobus et asinis necem inferret. Quippe sic illi præcepto obtemperari voluit Propheta, ut quæ cujusque partes erant in agendo, eas quisque servaret, dux et imperator præcipiendo ac regendo, miles manum admovendo. Quod igitur communis hominum in vita sensus habet, id in illo Domini præcepto de repræsentanda passionis suæ memoria valere necesse est : ut aliter id sacerdotes, aliter laicos agere ac tractare voluerit; non promiscue omnia omnes exequi. Sane cum in veteris Testamenti libris legimus profanos homines obtulisse sacrificia, et immolasse victimas, velut 2. Paralip. 7. 4. *Rex autem*, inquit, *et omnis populus, immolabant victimas coram Domino ;* non potest eodem modo, ac sensu accipi, atque cum dicitur idem ab Aarone, ejusve posteris esse factum, quibus solis constat sacrificare, hoc est victimas immolare licuisse. Pro eorum itaque, de quibus agitur, statu, et conditione edictorum moderanda sententia est. Quare idem et de verbis illis judicium esse debet, quibus in novo Testamento offerendi, vel sacrificandi usus, atque functio etiam laicis accommodari videtur, ut non eodem modo, quo sacerdotes, id intelligantur facere.

Sequitur Tertulliani locus ex libro de Corona militis, ex quo Dissertationis auctor effici putat, ex instituto Christi promiscuam omnibus fidelibus potestatem esse factam consecrandi corporis Christi. Sic enim Tertullianus capite tertio : « Eucharistiæ sacramentum et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. » Ubi ex Tertulliani mente sic institutum existimat Eucharistiæ sacramentum, ut omnibus passim illius consecrandi potestas facta sit, nisi quod ea jure ecclesiastico, ac traditione restricta est, et solis permissa *præsidentibus*, hoc est sacerdotibus. Quod etiam et in baptismo valere, ex ejusdem sententia Tertulliani putat, qui in libro de Baptismo, cap. 17. dandi jus baptismi etiam laicis esse dicit, sed ita ut in necessitatibus duntaxat eo jure utantur, ceteris temporibus id episcopo, aut clericis relinquant, ut pax Ecclesiæ servetur. Hinc Dissertatio colligit, « morem etiam receptum a Christianis illius ætatis fuisse, ubi talis occasio se obtulerat, » non minus offerendi, id est sacrificandi consecrandique, quod ad laicos attinet, quam baptizandi.

Verum falsa est, ne quid acerbius dicam, ista ratiocinatio. Primum enim, demus hoc, quod Tertullianus ait, « Eucharistiæ sacramentum mandatum omnibus a Domino, » sic intelligendum, nihil ut de ejus consecratione, confectioneque sit expresse cautum, et institutum, sed infinite, universeque mandaverit omnibus, *Accipite*, et, *Hoc facite in meam commemorationem ;* non tamen sequetur hoc, quod Dissertatio docet, laicis, aut mulieribus a Christo permissum esse, ut consecrare, vel offerre, hoc est sacrificare possint; sed hoc solum, quod non gravate concedam : ejus, quod confuse, ac minus expresse Christus mandaverat, traditionem interpretem fuisse, quæ nos docuit, neminem consecrare posse Christi corpus, nisi qui *Sacramentum ordinationis* habet, ut appellat Augustinus libro de Bono conjugali cap. 24. quod et non minus esse Sacramentum, quam est baptismus alibi dicit, in secundo contra Parmen. capite 13. et utrobique neutrum iterari posse confirmat. Unde et Hieronymus in dialogo contra Luciferianos[2], Hilarium schismaticum ait, cum ab Ecclesia recessisset, ac non nisi diaconus esset, « Eucharistiam conficere non potuisse, episcopos et presbyteros non habentem. »

[1] 1. Reg. 15.

[2] Col. 621.

Ceterum potest et alio sensu Tertulliani locus ille accipi, ut de consecratione Eucharistiæ non loquatur, sed sumptione. Cum enim Christus *accipere* simpliciter jusserit, neque quo tradente, consecrata jam utique et confecta, sit accipienda dixerit, videbatur laicis permissum, ut undecumque, et ubicumque positam ipsi sibi caperent sic, ut in conviviis fieri assolet. Nam appositas ex mensa dapes unusquisque accipit, nec de manu invitatoris, ac domini necessario illas expectat. Hoc igitur et in sacro sancto illo epulo concessum videri poterat a Christo, ut consecratam Eucharistiam, et in altari, mensave propositam, sibi quisque fidelium tolleret, non autem ut de manu præsidentis acciperet; quod traditione sola auctore institutum, atque usu receptum Tertullianus admonet; et Justinus martyr in dialogo cum Tryphone morem hunc Ecclesiæ veteris indicat fuisse in sacris synaxibus, et sacrificiis celebrandis, ut benedictione consecratam a præsule Eucharistiam diaconi acciperent, et in populum distribuerent. Basilius in Epistola 239. sciscitanti, ut apparet, Patritiæ Cæsariæ, an suapte manu laico liceret communionem capere; quatenus id facere moris esset ætate sua, demonstrat. Cujus verba, quoniam ad id, de quo agimus, opportunissima sunt, non erit otiosum hic describere. Τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς, ait, ἐναγκάζεσθαί τινα μὴ παρόντος ἱερέως, ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, μηδαμῶς εἶναι βαρὺ, περιττόν ἐστιν ἀποδεικνῦναι, διὰ τὸ τὴν μακρὰν συνήθειαν τοῦτο δι' αὐτῶν πραγμάτων πιστώσασθαι. Πάντες γὰρ, οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες, ἔνθα μή ἐστιν ἱερεὺς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν. Ἐν Ἀλεξξανδρείᾳ δὲ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ· ἅπαξ γὰρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος, καὶ δεδωκότος, ὁ λαβὼν αὐτὴν ὡς ὅλην ὁμοῦ, καθ' ἑκάστην μεταλαμβάνων, παρὰ τοῦ δεδωκότος εἰκότως μεταλαμβάνειν, καὶ ὑποδέχεσθαι πιστεύειν ὀφείλει. Καὶ γὰρ καὶ ἐν Ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. Ταυτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξηταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. *Quod autem per tempora persecutionis cogebatur aliquis, absente sacerdote, vel ministro, communionem suapte manu capere, non iniquo animo ferendum esse, supervacaneum est ostendere, eo quod inveterata consuetudo id rebus ipsis affirmaverit. Etenim omnes, qui per solitudinem monasticam vitam instituunt, ubi non est sacerdotis copia, communionem domi habentes, de suis manibus accipiunt. Alexandriæ autem, et per Ægyptum, unusquisque, etiam laicus, ut plurimum habet domi suæ communionem. Nam cum semel sacerdos sacrificium peregit, ac distribuit, qui illam integram simul accepit, dum quotidie de ipsa capit, merito credere debet; se ab illo, qui dedit, participare, et accipere. Etenim etiam in Ecclesia sacerdos particulam porrigit, eamque retinet is, qui accepit plena cum facultate, atque ita manu sua ad os admovet. Quamobrem vim eamdem habet sive particulam unam a sacerdote quis accipiat, sive plures simul particulas.* Hæc Basilius. Unde constat mos ille, quem Tertullianus ex traditione manasse vult, ut de manu sacerdotis, aut præsidentis Eucharistia capiatur, cum primum accipitur; minime vero, quod Dissertatio puguat, ut sibi quisque conficere hoc sacramentum, et sacrificium ullo loco, vel tempore profanus homo potuerit.

CAPUT TERTIUM.

Cetera dissertationis argumenta, ac loca veterum explicantur. De historia Frumentii, in qua multum lapsa Dissertatio est. Neque fœminas, neque inferiores sacerdote clericos, consecrasse unquam. Nicænus, Laodicenus, et Ancyranus canones expositi.

Aliud hic argumentum subjicit Dissertationis auctor ex historia Frumentii, quam refert Theodoretus lib. 1. Histor. eccles. cap. 23. Sed dissertationis verba ipsa præstat audire, ut quam insincere locus ille pertractatus sit, quod subinde planum faciam, melius lector intelligat. « Cum, *inquit*, ad Indos, id est, ut interpretor, ad Æthiopas, qui ex eo semper Alexandrinum patriarcham suspexerant, venisset ab Alexandria laicus Frumentius, auctor

fuit his, quos ad Christum converterat, et paucis qui cum ipso erant, ut Theodoreti utar verbis, κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας, id est eo more, quo sub Romano imperio fieri solebat, et convenire, et sacra celebrare. At nemo ibi tunc episcopus erat, nemo presbyter; imo primus cum episcopi dignitate, qui postea presbyteros ordinavit, eo missus est post reditum suum Alexandriam, et rem renuntiatam ipse ille Frumentius ab Athanasio. » Hæc Dissertatio: in quibus partim de suo multa, præter mentem historici, partim etiam contra illam adtexuit, ut causæ suæ serviret. Hujusmodi hoc est falsum, et contra Theodoreti mentem istud est, Frumentium *eos, quos ad Christum converterat, et qui cum ipso erant*, ad id hortatum fuisse, ut sacra celebrarent. Nam Theodoretus non Indos ipsos, aut Æthiopas, sed Romanos negotiatores, qui mercaturæ gratia illuc appellebant, de ea re monitos refert a Frumentio. Theodoreti verba sunt ista, quæ ab Dissertationis auctore mutilari non debuerant; Εὐσεβείᾳ δὲ συντεθραμμένοι τοὺς αὐτόσε τῶν ἐμπόρων ἀφικνουμένους κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς θείας ἐπιτελεῖν λειτουργίας προέτρεπον. Hoc est: *Cum autem in pietate essent educati negotiatores, qui eo navigabant, Romanorum more conventus facere hortabatur, ac sacros ritus celebrare.* Camerarius Theodoreti interpres verba illa κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος, non ad sequentia retulit, sed ad præcedentia. Vertit enim, *mercatores, si qui, quemadmodum mos fert Romanorum, advenissent.* Sed præstat de sacris conventibus, et ritibus intelligere, uti Ruffinus facit; a quo historiam illam hausit Theodoretus: ut et Socrates, qui ante Theodoretum historiam scripsit, et Ruffini verba propius assecutus, nullam λειτουργίας mentionem facit, sed precum duntaxat. Παρεκάλει, inquit, τόπους καταλαμβάνειν ἰδιάζοντας ἐπὶ τῷ τὰς Χριστιανικὰς ἐκτελεῖν εὐχάς. *Hortabatur, ut propria quædam occuparent loca, ut in his Christianas preces obirent.* Quocirca, ut ex Ruffini narratione constat, necnon Socratis, ac Theodoreti, quem unum Dissertationis auctor adhibet, falsum est primum, Frumentium Indis illis, quos ad Christi fidem adduxerat, suasisse, ut synaxes ac sacros ritus Romanorum peragerent. Hoc enim Romanis ipsis negotiatoribus consilium dedit; quibuscum nullos fuisse sacerdotes magis suspicari, quam liquido affirmare potest anonymus scriptor. Imo vero credibilius est aliquos secum advexisse presbyteros, longinquæ comites navigationis, uti mos est hodieque Christianis. Ita necesse non erit, laicis neophytis sacerdotum mandare partes; quod Dissertationis commentum plenius, ac validius ex Ruffino refellitur: quem illius historiæ fundum esse dixi, a quo ceteri omnes acceperunt; sic enim rem ille narrat, libro Historiæ suæ primo, capite 9. « Idque dum agerent, et regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, Deo mentem ejus et animos instigante, requirere sollicitius cœpit, si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent; et ipsis potestatem maximam dare, ac monere, ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu orationis causa confluerent. » Perspicuum est non Indos ipsos novos Christianos ad illos conventus celebrandos instigasse Frumentium, sed Romanos negotiatores.

Præterea istud etiam ex Ruffino colligitur, non illis auctorem fuisse Frumentium, ut sacrificia celebrarent, ac sacramenta conficerent, sed tantummodo ut *orationis causa* convenirent. Theodoretus vero, aut alius potius interpres, qui in græcum Ruffini latina convertit, unde postea Theodoretus accepit, hæc verba, *orationis causa confluere*, ita reddidit, τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας. Nam λειτουργίας nomen, ut et συνάξεως, universe significat conventus publicos sacrosque Christianorum, qui vel sacramentorum participandorum, ac divini sacrificii obeundi causa celebrabantur, vel orationum duntaxat gratia, et divini audiendi verbi. Auctor enim est Socrates libro 5. capite 22. Alexandriæ certis diebus, ut feria 4. et 6. synaxes fieri solitas, in quibus Scripturæ legebantur, et ad populum conciones habebantur, δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς, *sine ulla sacrificii, ac mysteriorum celebratione.* Quod ipsum aliis scriptorum testimoniis comprobare possem, nisi aut longior esse nollem, aut id modo ageretur, aut non alii denique hoc jampridem argumentum occupassent. Ad summam negari potest, et quidem Ruffino ac rei veritate suffragante, sacras illas λειτουργίας, quas Frumentius negotiatoribus mandavit, adjunctam habuisse τὴν τῶν μυστηρίων τελετὴν, quas *orationis causa* tantum institutas fuisse Ruffinus ostendit.

Pergit Dissertationis auctor, et mulieres interdum Eucharistiam consecrasse videri nonnullis ait ex Actis S. Petronillæ, quam vetus martyrologium refert a. d. pridie cal. Jun. « celebratis Dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, spiritum emisisse. » Verum non dicit martyrologium ab ipsa S. Petronilla celebrata fuisse; estque multo probabilius ab sacerdote aliquo, qui pro

illorum consuetudine temporum, quam ex Cypriano supra demonstravimus, ad eam venerat, ea fuisse peracta. Quare αὕτη ἡ μήρινθος οὐδὲν ἔσπασε. Clericos deinde ordinis inferioris, ut subdiaconos, et diaconos interdum obtulisse, consecrasseque astruit ex canonibus antiquis conciliorum Laodiceni, Ancyrani, Arelatensis primi. Nam in Laodiceno, canone 25. decretum est, *non oportere ministrum panem dare, neque calicem benedicere* : ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτην ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν. Ubi ὑπηρέται sunt subdiaconi, ut Zonaras, et Balsamo docent, qui et ἄρτον διδόναι interpretantur distribuere Christi corpus in fideles: quod solis diaconis concessum. Iidem et calici benedixisse videntur, hoc est consecrationis verba protulisse. Quanquam nihil necesse est εὐλογίαν istam consecrationem esse putare. Licet enim aliud genus benedictionis intelligere, velut crucis signum, quod super calicem ducerent, id est vas sacrum, cum hoc diacono traderent; tamen ne conjecturæ nostræ indulgere videamur, demus alicubi per illa tempora consecrare ausos esse subdiaconos, aut etiam diaconos; quos offerre ultra prohibet Arelatensis primæ synodi canon decimus quintus: non potest ex eo deduci id, quod Dissertatio studet, vere ac reipsa consecrasse; quin potius contrarium inde colligitur, consecrandi potestate caruisse, quia id facere prohibiti sunt.

Atenim idcirco jure illo, et potestate, quam alioquin habebant, uti prohibentur, quia non temere, ac quovis tempore id illis permissum erat facere, *ob pacis, et constituti regiminis reverentiam;* sed *in necessitatibus*, ut Tertullianus loquitur, et ubi deerat sacerdotum copia. Sed hoc gratis, nulloque idoneo argumento Dissertationis auctor asserit.

Non enim ex eo quod canones illi sacerdotum munia ab iis, qui sacerdotes non erant, usurpata fuisse demonstrant, consequens est, illos si non jure, certe reipsa consecrasse, panemque in Dominicum vertisse corpus; ut Gregorius Nyssenus ait capite 38. libri Catechetici, Ἄρτος, inquit, πρὸς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου μεταποιούμενος. Ad quod etiam, verbum μεταστοιχειῶσαι ibidem accommodat, quod est *transmutare*, ut cum Cyrillus libro 2. Glaphyrorum partis secundæ, p. 219. editionis prioris, aquas in Ægypto μετεστοιχειῶσθαι dicit in sanguinem, Mosis virga percussas. Hanc ergo transmutationem, quam nos Catholici *transsubstantiationem* vocamus, nego alios unquam effecisse, adeoque sacrificasse, quam sacerdotes; tentasse præter morem, præterque fas, imo contra jus divinum, ac non sine atroci scelere, diaconos, aut inferiores ministros aliquando, non nego; neque vero ad rem, ut dixi, pertinet. Nam ex juris ac disciplinæ corruptela, et exempli pessimi facto, quod præsertim ecclesiastica auctoritate damnatum sit, non potest certa potestatis illorum fides, et auctoritas assumi.

Ac de diaconis quidem extat Nicæni concilii canon decimus octavus, qui offerendi, hoc est sacrificandi jus et potestatem negat penes diaconos fuisse. Itaque hac de causa nefas esse judicat, quod in quibusdam locis fiebat, ut Eucharistiam darent presbyteris diaconi. Verba canonis, quatenus ad rem faciunt, hic legi debent. Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν, καὶ μεγάλην σύνοδον ὅτι ἔν τισι τόποις, καὶ πόλεσι, τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν· ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Hoc est, ut Dionysius exiguus latine reddidit, *Pervenit ad sanctum, magnumque concilium, quod in quibusdam locis, et civitatibus, presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant.*

Quo ex canone liquet, quantopere hallucinatus sit auctor Dissertationis, idque dupliciter. Nam et subdiaconos existimat « ob multitudinem communicantium crescentem in dies (verba sunt illius) non tantum porrexisse panem, sed et pronuntiasse verba illa, quibus calix benedicitur, sive consecratur; et deinde in posterum id nondum diaconis, sed subdiaconis tantum interdictum; » videlicet Laodiceno illo canone. Quæ posteriora cum adjicit, illud significat, subdiaconis, antequam canone isto prohiberetur, perinde licuisse, ac diaconis, offerre; diaconis vero deinceps etiam id esse concessum, postquam subdiaconis interdictum est. Atqui huic assertioni e diametro contrarius est canon ille Nicænus, qui diaconos, (quod de subdiaconis multo magis intelligi par est,) nullo neque jure, neque consuetudine offerre potuisse confirmat, ideoque nec presbyteris Eucharistiam dare. Nam si jure aliquo, vel consuetudine unquam obtulissent, etiam id, quod obtulerant, hoc est Christi corpus, sacerdotibus impertiri potuissent; quos eo solo nomine iis, qui offerendi jus habebant, sacerdotibus dare negat posse, quia offerendi potestate carebant. Porro si, ut ex tanti auctoritate concilii constat, neque jure, neque consuetudine subdiaconi, aut diaconi

offerre, ac consecrare potuerunt; non solum perperam Dissertationis auctor ex Laodiceno concilio, sed etiam ex Ancyrano contrarium infert. Quæ duo concilia non longe absunt a Nicæni tempore. Fuit ergo παράχρησις mera, non legitima consuetudo, ac recepta, quod utrique ministri sacerdotales alicubi partes attigerunt.

Verum quod ad diaconos attinet, majus in Ancyrani concilii canone firmamentum novæ suæ opinionis habere se putat Dissertatio. Nam ibi decernitur, ut *diaconi, qui sacrificarunt* (in persecutione) *ac postea resipuerunt, et denuo certarunt, reliquum quidem honorem habeant; cessent autem ab omni sacro ministerio panem vel calicem offerendi, aut prædicandi.* Διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας, τῆς τε τοῦ ἄρτου, ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν. Duo sunt in hoc canone, quæ Dissertationi favere videntur : alterum, quod diaconos vetat ultra sacerdotali munere fungi, quam ἱερατικὴν λειτουργίαν vocat; Dionysius enim *sacerdotale ministerium* vertit : alterum quod offerre panem et calicem prohibet. Id autem est sacrificare. Porro si illius ordinis solos eos, qui ob culpam plectuntur, ab sacerdotalibus ministeriis excludit; ergo tam ipsi, antequam peccarent, quam ceteri, qui non peccarant, integrum jus idem retinuerunt, adeoque sacerdotum partes expleverunt.

Atqui cassa ista sunt et inania. Imprimis quod offerendi verbum eadem notione sumit, qua cum de sacerdotibus agitur, ut sit idem ac sacrificium offerre, multum fallitur. Nihil enim hic aliud significat, quam repræsentare, ac porrigere panem, et calicem; idque dupliciter : aut sacerdoti sacrificaturo : aut populo, post utriusque consecrationem. Nam utrumque diaconi fuit officium. Justinus martyr in Apologia secunda, veteris Ecclesiæ morem fuisse testatur, ut consecratam a sacerdote, vel, ut Tertullianus post illum loquitur, a *præsidente*, Eucharistiam, diaconi dent singulis, qui illic assistunt. Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ πρεσβύτου, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν Διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. *Postquam benedictione consecravit præsidens, et universus populus fausta precatione acclamavit, tum qui vocantur diaconi apud nos, dant cuilibet adstantium participare panem et vinum cum aqua, quæ benedictione consecrata sunt, et ad absentes deferunt.* Cyprianus in libro de Lapsis, *offerendi* verbo usus est in illa diaconorum significanda functione, qua Eucharistiam populo exhibent. *Ubi vero solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus ceteris locus ejus advenit*, etc. Itaque *offerre calicem* non semper idem est, ac mysticam oblationem repræsentare Deo; sed, cum de iis, qui sacerdotes non sunt, dicitur, est præbere populo, et propinare. Nam quod ἱερατικὴ λειτουργία in Ancyrano eodem canone vocatur, tantumdem est atque ἱερά, hoc est *sacra :* quæ vox in quibusdam codicibus occurrit, eamque Dissertationis ipse auctor expressit. Denique adversus omnia illa dissertationis argumenta, interpretationesque canonum, unum illud objicimus Nicæni concilii testimonium, tanquam validum, impenetrabilem clypeum, quo istud definitum est; nunquam in Ecclesia jus, aut usum habuisse diaconos, nedum aut inferioris gradus clericos, aut laicos, et, quod etiam abominamur, fœminas, consecrandi, ac sacrificandi.

Sequitur Trullanæ synodi canon octavus et quinquagesimus, ex quo Dissertatio colligi putat, non primis tantum Ecclesiæ temporibus, sed recentioribus etiam, observatum fuisse, ut laici, ubi presbyteri non erant, sacra mysteria per se ipsi perciperent, et videlicet consecrarent, offerrentque Deo. Hoc enim agitur; et in eo sita est nova illa conjectura, opinioque dissertationis, non in sola sumptione, et admotione jam consecratæ Eucharistiæ : quam nemo nescit, id quod ex Basilio supra demonstravimus, acceptam à diaconis, et reservatam, si vellent, usurpasse pro arbitrio laicos, et suis sibi manibus admovisse. Atqui Trullanus iste canon neutiquam de consecratione, ac sacrificatione loquitur, sed de sola sumptione. Verba Canonis : Μηδεὶς τῶν ἐν λαϊκοῖς τεταγμένων ἑαυτῷ τῶν θείων μυστηρίων μεταδιδότω, παρόντος ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου. *Nemo eorum, qui sunt in ordine laicorum, divina sibi mysteria impertiat, præsente episcopo, vel presbytero, vel diacono.* Vetat, inquam, hoc solum, ne laici corpus Christi per se ipsi capiant, uti sacerdotes faciunt, sed ut ab iis, aut diaconis accipiant; de consecratione, ac sacrificio nulla mentio.

Addit postremo Dissertatio quædam exempla moris illius, quo laicos, cum deesset sacerdos, consecrasse, et sacrificium celebrasse putat. Sed quæ affert, nihil prorsus ad rem attinent; sunt enim monimenta duntaxat adumbratæ ad veræ Eucharistiæ speciem, et imitationem, cæremoniæ cujusdam ludicræ, et ab imperitis hominibus ascitæ, non Ecclesiæ autoritate constitutæ. Ut cum in vitæ periculo, et in procinctu, milites, quibus communicare non li-

cebat, panis, quo ad jentaculum utebantur, particulam ad similitudinem Dominici corporis religiosius assumebant; quemadmodum et eulogiæ, seu benedicti panis frustula ab iis, qui non communicant, in parœciis manducari solent per dominicos dies. Sed quid hoc commune habet cum vera consecratione corporis, et sanguinis Christi, et oblatione, vel sacrificio, quod in necessitate laicos obtulisse Dissertationis auctor affirmat? Tantumdem, hoc est, nihil hanc conjecturam adjuvat, quod ex Erasmi epistola refert, quam ad Cutbertum Tonstallum scripsit libro Epistolarum 26. Ibi enim Erasmus synaxim quamdam a laicis apostolorum tempore celebrari solitam ait, adhibita precatione, et benedictione; et quem ibi panem sumebant, appellatum ab iis esse Christi corpus. Sed ibidem Erasmus hanc qualemcumque benedictionem secernit a *consecratione sacerdotali*, quam et *veram* nominat. Quare longe ab isto commento Dissertationis Erasmus abfuit; quæ privatim, ubi necessitas ferret, veram, et sacerdotalem consecrationem laicos usurpasse confirmat.

CAPUT QUARTUM.

De altera quæstione, quam Dissertatio continet : An semper communicandum per symbola. Ubi de communione, et usu Sacramentorum agitur. Non licere cuiquam ab Ecclesiæ communione discedere. Expenduntur causæ, propter quas interdum fas illud esse Dissertationis auctor existimat.

Capite in altero Dissertationis haud minoris offensionis, ac periculi quæstio disceptatur; sed in ea pertractanda breviores erimus, quam pro rei magnitudine : quod utique nobis per auctorem illius licet, qui in eo, quod probandum, definiendumque sumpserat, verborum satis, rerum, et argumentorum adhibuit omnino nihil. Est autem illius capitis inscriptio, *An semper communicandum per symbola;* cujus quæstionis hæc sententia est, an Sacramentorum, quæ in vera Ecclesia sunt, participatio usurpari necessario debeat ita, ut nemo salutem consequi possit, qui non reipsa externis Sacramentorum ritibus initietur; an certis de causis abstinere fas sit interdum a communione reliquorum fidelium, ut, cum in Ecclesia schismata sunt, et dissidia, nulli sè parti quispiam addicat, sed privatim res agat suas, ac sine ullo Sacramentorum usu permaneat.

Posterius hoc Dissertationis asseverat auctor, et Joannis Chrysostomi exemplo, et auctoritate comprobat, quem refert Socrates in libro sexto, capite tertio, cum a Meletio Antiochiæ episcopo ordinatus esset diaconus, eo Constantinopoli mortuo, ab Meletianis pariter, et Paulini parte segregasse se, quamvis utique essent catholici; ac triennio toto ab utriusque commercio partis abstinuisse. « Cujus, *ait*, exemplum secuti sunt, manente post synodum Chalcedonensem gravi per Ægyptum, Orientemque dissidio, multi, qui ob id nomen sibi διακρινομένων dedere, latini *hæsitantes* vocabant. »

Atque ut illud recte ac prudenter agi nonnunquam persuadeat, docere contendit, nec in veteri lege, nec in nova, symbolorum, quibus Sacramenta constant, usum præcepti necessitate constrictum fuisse. Nam et omissa circumcisio est annis fere quadraginta [1], quibus in deserto circumducti sunt Hebræi; et æneus serpens, quem ad populi salutem Moses erexerat, ab Ezechia rege confractus est [2]. Tum in Christiana lege causæ incidunt aliquæ, propter quas intermitti communio potest; eæque sunt præcipuæ tres. Prima, « si qui præpositi sunt Ecclesiis aut expresse, aut tacite professiones exigunt quarumdam assertionum, quibus alterius conscientia non adsentit. » Secunda, « si communio symbolica non modo usum, ad quem nata est, non habeat, fovendæ, ac testandæ communionis cum omnibus pie Christianis; verum insuper tendat ad testandam partis duntaxat alicujus fœderationem, rejectionemque aliorum non minus pie, ac Christiane viventium, et ad salutem necessaria,

[1] Josue 5.

[2] 4. Reg. 18. 4.

quæ non ita sunt multa, credentium . » Tertia, cum putat is, « qui a communione partium abstinet, liberius solutiusque exercere posse Christianæ dilectionis officia adversus dissidentes : » quod postremum spectasse Chrysostomus videtur. His igitur de causis abstinere ab communione fas est, et illud Augustini usurpare : *Crede, et manducasti.* Hactenus Dissertationis auctor.

Equidem de proposita ab illo quæstione sic statuo, quod et Catholici omnes profitentur, incidere nonnunquam ea posse tempora, ut in publicis de fide controversiis, scissa concordia, et in partes divisa duas pluresve Christianorum multitudine, tamdiu se privatus quispiam ab omnium communione suspendere debeat, donec liquido constet, penes quos catholicæ sit veritatis, Ecclesiæque possessio ; quod ipsum neque diu, nec ubique terrarum dubium et obscurum esse potest. Ut si quis Romanæ, et veræ particeps Ecclesiæ in ignota , et longinqua urbe peregrinetur, in qua hæreticorum plura conventicula, et oratoria sint, nec uspiam catholici cœtus copia sit ; potest, debetque privatim illic religioni servire suæ, ac sine ulla communione manere. Interim tamen danda illi opera est, ut sciat, ecquid alicubi vel conveniendi cum Catholicis, vel Sacramentorum adhibendorum facultas detur. De quo aurea est illa Cyrilli Hierosolymitani sententia Catechesi 18. Διὰ τοῦτό σοι νῦν ἠσφαλισμένως παρέδωκεν ἡ πίστις τὸ, καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν· ἵνα ἐκείνων μὲν τὰ μιαρὰ συστήματα φεύγῃς, παραμένῃς δὲ τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ διὰ παντὸς, ἐν ᾗ καὶ ἀνεγεννήθης. Κἂν ποτε ἐπιδημῇς ἐν πόλεσι, μὴ ἁπλῶς ἐξέταζε ποῦ τὸ κυριακόν ἐστι· τὸ γὰρ αἱ λοιπαὶ τῶν ἀσεβῶν αἱρέσεις κυριακὰ τὰ ἑαυτῶν σπήλαια καλεῖν ἐπιχειροῦσιν· μηδὲ, ποῦ ἐστιν ἁπλῶς ἡ ἐκκλησία· ἀλλὰ ποῦ ἐστιν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. Τοῦτο γὰρ ἰδικὸν ὄνομα τυγχάνει τῆς ἁγίας ταύτης, καὶ μητρὸς ἡμῶν ἁπάντων. *Propterea nunc tibi summa hoc cautione fides tradidit : et in unam sanctam catholicam Ecclesiam, ut illorum quidem* (hæreticorum) *detestandos cœtus fugias, maneas autem perpetuo in Ecclesia catholica, in qua et regeneratus es. Ac si quando peregrineris in urbibus, ne simpliciter inquirito, ubi est Dominicum. Nam et ceteræ impiorum hæreses Dominica vocare speluncas suas audent ; neque ubi est simpliciter Ecclesia, sed ubi est catholica Ecclesia. Hoc enim proprium est nomen sanctæ hujus, et matris omnium nostrum.*

Sic Hieronymus, cum in Syria degeret, et in Antiochena diœcesi, quæ tum varias in factiones divisa erat, non modo Catholicis et hæreticis, sed etiam illis inter se discordantibus, ab omnium communione se continuit. Erant autem Antiochiæ tum episcopi, præter Arianum, tres : Meletius Catholicus, sed ab Arianis primum ordinatus ; Paulinus, et ipse Catholicus, et Romanæ Sedis communionem habens ; (fallitur enim Marianus Victorius, qui in scholiis ad epistolam Hieronymi 57. hæreticum hunc fuisse scribit ;) et Vitalis ex Apollinarii secta. Cum igitur ab illis sollicitaretur Hieronymus, uti tres hypostases in sacrosancta Trinitate profiteretur, et ad se quisque illum conaretur allicere, nemini est obsecutus : Sed « Cathedram Petri, et fidem apostolico ore commendatam censuit consulendam ; inde animæ suæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta susceperat. » Sic enim ad Damasum Romanum pontificem scripsit. Tum addit ista : « Ego nullum primum, nisi Christum, sequens , beatitudini tuæ , id est cathedræ Petri communione consocior ; super illam ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » Postremo in fine epistolæ rogat, ut significet, quicum apud Antiochiam communicare debeat. Itaque tanti viri exemplum documento esse potest, quid in simili causa catholicus homo facere debeat.

Idem et de Chrysostomi facto judicium est, qui post Meletii obitum, quocum communicarat, adeo ut diaconus ab illo etiam ordinaretur ; ab ejus successore Flaviano se subtraxit, multorum in eo pontificum auctoritatem secutus, velut Gregorii Nazianzeni, et, quod caput est, ipsius Romani Pontificis : qui omnes Flaviani communionem abdicarunt ; quem constabat, præter fas, et datæ fidei religionem, Antiochenam ad cathedram pervenisse. Ita enim Meletium inter, et Paulinum convenerat, ut simul alterutrum mors occupasset, ne altero superstite secundus ordinaretur antistes. Tandem opera Theophili Flavianus Romano Pontifici reconciliatus est, ut refert Socrates lib. 5. cap. 15. Meminit et Ambrosius epistola nona. Non est itaque mirandum, si Chrysostomus, qui Meletii partes hactenus fovebat, post ejus obitum , neque cum ejus successore, quod per nefas sedem illam obtineret, communicare voluerit ; neque cum Paulino, cui nunquam adhæserat. Quod non eo consilio fecit, ut Dissertatio putat, quod magni momenti esse non crederet externam, ac symbolicam communionem, sed quod te-

mere alterutri se parti nollet addicere. Pessime autem et impie *Hæsitantes* illi, quos Chrysostomi secutos exemplum haud recte Dissertationis auctor existimat; qui cum de vera, et sola catholica Ecclesia facile constaret, tam ab ea, quam ab hæresi Eutychianorum divulsi, novam sectam, vel monstrum potius instituerunt; Zenonis Henoticon amplexi: quorum ex grege fuit Anastasius imperator, homo illaudatus; quem nemo sanus, et salutis amans suæ, sibi in exemplum debet assumere. Nam quemadmodum Chalcedonensis concilii auctoritas apud pios omnes et catholicos nunquam in controversiam vocata est; sic damnata ab illo Eutychianorum factio pro execranda hæresi omnium est habita judicio; adeoque portio hujus quæ fuit, ἡ τῶν διακρινομένων secta, quæ alias omnes a quibus dissidebat, impietate superabat.

Non potest igitur facile dubitari, qua sit in parte vera, et catholica Ecclesia, ut ab omni se omnium communione jure aliquis posse putet abstrahere. Est enim sole ipso clarior, et manifestior, atque in propatulo posita, neminem ut latere diu possit, si quis ad eam suis notis agnoscendam, ac discernendam paululum operæ, et candoris adhibeat. Quod adversus Donatistas omnibus fere paginis, quas contra illos elucubravit, occinit Augustinus. Insignis est inter alia locus ille ex epistola 58. « Quomodo autem, *inquit*, confidimus, ex divinis litteris accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus Ecclesiam manifestam? Quaslibet quisque ansas, vel uncos adversus simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat; sicut anathema erit, qui annuntiaverit Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse, quoniam in veritate evangelica accepimus, Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die; sic erit anathema quisquis anuntiaverit Ecclesiam præter communionem omnium gentium: » ac cetera deinceps, in quibus eam esse veram, cognituque haud difficilem Ecclesiam docet, quæ per totum orbem diffusa est, quæque, ut ait Boetius in libro de Trinitate, « quod ejus cultus per omnes pene mundi terminos emanavit, catholica, vel universalis vocatur. » Quo *catholicæ* vocabulo ab ceteris conventiculis, quæ falso sibi Ecclesiæ nomen assumunt, vera Christi Ecclesia distinguitur, ut Pacianus epistola 1, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi jam citata 18. Boetius, et Augustinus, libro de vera Religione, cap. 6. et 7. et libro contra epist. Fundamenti cap. 4. aliique complures asserunt. Quemadmodum et *Romanæ* vox eamdem discernit ab reliquis, ut tantumdem sit dicere *Romanum*, quod Catholicum. Itaque Gregorius Turonensis testis est in libro de gloria Martyrum, cap. 30. 35. et 79. *Romanos* ab hæreticis appellari consuevisse *homines nostræ*, ut ille loquitur, hoc est catholicæ *Religionis*, quoniam cathedra illic est Petri, *Ecclesiæ catholicæ matrix et radix*, ut Cyprianus ait epistola 45. Cyrillus vero Alexandrinus *Pontificatus arcem* vocat, ut testatur Arnobius in disputatione contra Serapionem. Nec omittere possum pulcherrimum de eadem elogium Gregorii Nazianzeni, quo et fidei quæ in ea tempore suo prædicabatur, integritatem, et ejusdem principatum illustri præconio commendat; cum e contrario altera et nova Roma, cui quondam præfuerat, ab catholica defecisset fide. Sic igitur ille cecinit in carmine de vita sua:

Τούτων δὲ πίστις, ἡ μὲν ἦν ἐκ πλείονος,
Καὶ νῦν ἔτ' ἐστιν εὔδρομος, τὴν ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ,
Καθὼς δίκαιον τὴν προέδρον τῶν ὅλων,
Ὅλην σέβουσαν τὴν Θεοῦ συμφωνίαν.
Ἡ δ' ἦν τὸ πρόσθεν ὀρθόπους, νῦν δὲ οὐκέτι.
Ταύτην λέγω δὴ τὴν ἐμὴν, εἶτ' οὐκ ἐμήν.

Harum vero fides, ista quidem jampridem,
Et nunc adhuc prospero cursu progreditur, Occidentem
Totum adstringens salutari doctrina:
Uti par est eam facere, quæ universis præsidet,
Totam colentem Dei concordiam.
At illa recto quidem pede incedebat antea; nunc vero non item.
Hanc dico, quæ mea quondam erat, nunc non est mea.

Sed et Augustinus epistola 105. affirmat, eamdem ætate sua fidem Romana in Ecclesia perseverasse, cui Paulus testimonium præbet. Merito igitur Optatus Milevitanus adversus Donatistas veram sibi vindicantes Ecclesiam in secundo libro disputans, cum alias notas verioris affert Ecclesiæ, quæ in nullam aliam hodie, nisi Romanam competunt; tum eam, quæ ex Petri cathedra, et Romanorum successione Pontificum ducitur: quod et Irenæus tanto ante fecit in tertio libro, capite tertio. Sed hæc obiter; quæ eo spectant, ut hoc ostenderem, quod paulo ante posui, perfacile esse suis notis veram Ecclesiam dignoscere; nec eam latere posse, quæ, ut ex Cypriano, libro de simplicitate Prælatorum, refert Augustinus lib. 2. contra Gaudentium, cap. 2. « Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit. »

Jam si et ubique diffusa, et palam omnibus

cognita vera et catholica est Ecclesia, (quod toties prædicat Augustinus in libris contra Donatistas,) nunquam deest fidelibus, qui cum Sacramentorum, ac rituum communione jungantur; neque porro causam ullam potest habere quisquam, propter quam ab illa sese, quam solam esse veram, et catholicam ignorare non potest, societate distrahat. Hoc enim nihil aliud est, quam sibi viam salutis omnem intercludere. Siquidem extra Ecclesiam, et Ecclesiæ communionem salus est nulla. « Quisquis enim (ait Augustinus epistola 153.) ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum. » Et Gregorius papa lib. 14. Moral. capit. 11. « Sancta, *inquit*, universalis Ecclesia prædicat, salvari veraciter nisi intra se non posse, asserens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minime salvabuntur. » Quocirca « nihil sic debet formidare Christianus, (ut verbis utar Augustini tract. 27. in Joannem,) quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus. Si non est membrum, non vegetatur spiritu ejus. »

Frustra ergo Dissertationis auctor *justissimas* quasdam *causas intermittendæ Communionis* esse dicit; maxime tertiam, ut « a partium communione abstinens liberius, solutiusque exercere possit Christianæ dilectionis officia adversus dissidentes. » Nam cum de vera et catholica Ecclesia sermo est, (de qua sola hic a nobis agitur,) ejus sic amplectenda, ac retinenda communio est, ut ab reliquis omnibus, quæ illi adversantur, penitus abhorreamus, neque commune cum istis habeamus quippiam. Quocirca neque Sacramentorum, ac symbolorum omittenda participatio est; quoniam obtineri aliter communio non potest. Quippe, ut Augustinus scribit libro 19. contra Faustum cap. 11. « In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur; quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. » Potest quidem interdum fieri, ut ab usu Sacramentorum, et communione Ecclesiæ homo catholicus abstineat; velut persecutionis tempore, si in cryptis ac latebris delitescat, aut alioqui sine periculo capitis ad Ecclesiam adire nequeat. Sed quas causas Dissertationis affert auctor, eæ sunt nullæ. Quod enim ad primam pertinet, quam ejusmodi fingit, « Si qui præpositi sunt Ecclesiis, professiones exigant quarumdam assertionum, quibus alterius conscientia non assentitur; » si hæc legitima est, hæretici omnes extra culpam erunt, qui se ideo ab Ecclesiæ unitate sciderunt, quod *earum assertionum professiones exigerentur*, quibus ipsorum conscientia refragabatur. Sic Ariani, sic Nestoriani, sic Eutychiani, et nostro tempore Lutherani, Calvinianique omnes justissime fecisse putandi sunt, qui solam (ut vocant) *conscientiæ libertatem* discessioni suæ, ac schismati prætendunt. De assertionum itaque genere isto clarius, ac liquidius Dissertatio loqueretur. Nam si falsæ sunt, et Scripturis Conciliorumque contrariæ decretis, non possunt ab Ecclesia probari, nec earum extorqueri professio; siquidem vera est Ecclesia illa, et catholica,[1] *quæ fundata supra petram, columna est, et firmamentum veritatis.* Quanto ergo justius conscientia ipsa corrigeretur, ut assertionibus istis ab Ecclesia sibi propositis assentiri auderet, « etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissime ostenderet. » Quod Augustinus libro contra epistolam Fundamenti, capite 4. præcipit. Nam de horum, quæ sibi proponerentur, æquitate, ac veritate, etsi nondum intelligeret, merito dubitare non posset, si, quod gravis auctor scribit Epiphanius in Alogorum hæresi, quæ est 51. recordari vellet, catholicam Ecclesiam ἔχειν τῆς ἀσφάλτου τὴν δύναμιν, τὴν ἀποδιώκουσαν τὰ δεινὰ, καὶ ὀλετήρια ἑρπετώδη διδάγματα; *habere vim bitumini similem, quæ mala et perniciosa, serpentinaque dogmata, doctrinasque propulsat.* Sed enim præclare S. Hilarius in octavo libro, « Multi sunt, *inquit*, qui simulantes fidem, non sunt subditi fidei; sibique fidem ipsi potius constituunt, dum, quæ volunt, sapiunt, et nolunt sapere, quæ vera sunt; cum sapientiæ hæc veritas sit, eā interdum sapere quæ nolis. »

Sic altera illa causa *communionis intermittendæ* subdole, parumque sincere concipitur ita; « Cum symbolica communio tendit ad testandam partis duntaxat alicujus fœderationem, rejectionemque aliorum non minus pie, ac christiane viventium, et ad salutem necessaria credentium. » Etenim vera Ecclesia, quæ, ut dixi, sola hic agitur, et a disser-

[1] Matt. 16. 18. 1. Tim. 3. 15.

tationis auctore debet intelligi, uti catholica est, id est universalis, sic universos amplectitur, ac neminem respuit, qui pie christianeque vivat, hoc est fidelis qui sit, et fidem integram præstet, quæ fundamentum est pietatis. Nam quod satis esse putat homini Christiano quæ sunt ad salutem necessaria credere, captiose et ambigue loquitur. Si enim id eatenus interpretatur, ut ea scire, et explicate ac distincte nosse sufficiat, quæ ad salutem sunt necessaria; vere istud dicitur, si quidem de idiota, et imperito homine sermo sit. (Nam plerisque ipsa gradus ordinisque conditio notitiæ cujusdam exquisitioris affert necessitatem.) Sin illud intelligit sic, ut in iis tantummodo, quæ ad salutem sunt necessaria, Ecclesiæ auctoritatem sequi oporteat, in ceteris etiam contra illam sentire, eique adversari liceat; vehementer errat. Perinde enim est, ac si quis dicat, in iis, quæ ad salutem pertinent Scripturæ adhibendam esse fidem, in aliis dissentire fas esse. Velut in præteritarum rerum narrationibus, et historiis, quæ nostra nihil interest, hoc modo, an secus evenerint. Quod falsum et impium esse dictu, Christianus nemo dubitat. Quamobrem multa, quæ in Scriptura, vel in ecclesiasticis dogmatibus continentur, ignorare salva pietate et catholica communione possumus. Quippe, ut recte Prosper adversus Ingratos capite 35. cecinit,

> Multa etenim bene tecta latent, nescitaque prosunt,
> Dum mansueta fides quædam dilata modeste
> Sustinet, et nullo ignorat non edita damno.

Verum contradicere, ac pro falsis habere quæ utrobique traduntur, sine grandi scelere, ac fidei salutisque jactura non possumus. « Cum enim principium verborum Dei veritas sit, (ait Ambrosius in Psalmum 118. octon. 21.) veritas utique fidei firmamentum est. Primum etenim oportet, ut credamus, vera esse Dei summi, quæ in divinis Scripturis legimus oracula. » Nec minus vera sunt, et ab iis credenda, qui doceri ab Ecclesia norunt, quæcumque illa prædicat : cujus auctoritate, ut Evangelio Scripturisque adeo credere omnibus, commoveri se fatetur Augustinus in libro contra epistolam Fundamenti capite 5.

Tertia denique causa, cur ab communione partium, si quando dissidia nata sunt, abstinere aliquis possit; uti dissidentibus charitatis officia præstet; absurda est, si partium illarum una sit vera et catholica Ecclesia, cujusmodi ab auctore Dissertationis intelligi par est, nisi frustra conflictari tota illa disputatione velit. Quis enim, nisi demens, aut atheus, studio commodandi alienatis ab Ecclesia catholica, vel hæreticis, vel schismaticis, licere sibi putet ab illius communione recedere; et quo nihil formidandum magis esse dicit Augustinus tractatu in Joannem 27. id sibi sponte voluntateque arcessere, ut se ab Christi corpore sejungat? Quis aut Petro apostolo sapientior, aut majoris spe utilitatis induci potest, quam præ se ferebat ille, dum tantisper non ab Ecclesiæ catholicæ, sed ejus partis cujuspiam communione, hoc est ab gentibus Christianis [1] *subtrahebat, et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant?* At is ob eam simulationem merito est a Paulo reprehensus ; qui se illi *in faciem restitisse* ait ad Galatas scribens, cap. 11. *quia reprehensibilis erat.* Si reprehensione dignus est, qui ab alicujus partis Ecclesiæ communione abstinet, ut alteri ejusdem Ecclesiæ parti consulat; credo, reprehensionem is effugiet, qui ut adversariis Ecclesiæ commodet, ab totius se hujus communione divellit. Non erit, opinor; neque sub illa specie quisquam ab communione Sacramentorum, ac symbolorum abstinens, sola interiori, et occulta fide potest Catholicus esse contentus. Quoniam et [2] *qui mecum non est*, ait Christus, *contra me est;* et, ut Apostolus dicit [3], *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* et, [4] *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Quibus locis, aliisque sexcentis externæ fidei professionis necessitas imponitur, quæ in usu Sacramentorum majori ex parte ; in externa autem cum Ecclesia catholica communione tota consistit.

[1] Gal. 2. 12. — [2] Luc. 11. 23.

[3] Rom. 10. 10. — [4] Matt. 10. 33.

CAPUT QUINTUM.

De duplici Scripturæ loco : altero Joannis sexto, in quo usus Eucharistiæ præcipitur : altero Joannis tertio, ex quo baptismi necessitas adstruitur. Uterque falso ab Dissertationis auctore acceptus. Sine baptismo parvulos in æternum perire.

Duo sunt ex tota Dissertatione Scripturæ loca reliqua, quibus, quoniam externa illa, quam dixi, professio communioque Sacramentorum, tanquam necessaria, præscribitur ; ideo Dissertationis hæc auctor ab vero, et germano sensu detorquere conatus est.

Primus est Joannis 6. 53. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ;* quibus verbis præceptum dedit fidelibus vescendi corpore suo, ac bibendi sanguinis sui. Ita veteres omnes hunc locum interpretati sunt, et Catholici recentiores, paucissimis exceptis. Porro Lutherus, deinde Calvinus ex hæreticorum grege ab communi, et antiqua, et verissima illa sententia deflexere, ut de fide, ac spirituali alimonia potius intelligerent, quam tum consequimur, cum in Christum, ejusque passionem, ac resurrectionem credimus. Plerique tamen ex amborum discipulis, qua scientes, qua imprudentes in communem errorem incidunt, dum ex hoc eodem loco Catholicos urgere se putant ad usum calicis promiscue omnibus permittendum. Neque enim locus alius est, ex quo illius necessitas tam perspicue suaderi possit.

Non ero longior in hac re disputanda, quæ alterius et otii est, et instituti. Complures eam tractavere cum interpretes, tum propriis scriptis theologi; interque ceteros Maldonatus erudite in hoc argumento versatus est in commentariis ad illum locum. Nec dissentit Augustinus; quod Dissertatio putat. Sed in hujus, aliorumque Patrum explicandis locis immorari piget : quod illi, in quos digitum intendi, plenis commentariis occuparunt.

Nam quod Dissertationis objicit scriptor, ex illo loco antiquos perperam colligere solitos usum Eucharistiæ etiam infantibus esse necessarium, primum in eo ipso pugnantia loquitur. Non enim ita concluderent veteres ; nisi de *symbolorum Eucharisticorum,* ut ipse vocat, usu, ac *reali* manducatione Christi verba illa caperent. Atqui Augustinum auctorem allegat idem contrariæ interpretationis, quæ de sola fide istic agi censet; cum tamen ejus opinionis, quæ parvulis necessariam esse Eucharistiam constituit, acerrimus contra Pelagianos patronus ille fuerit, ut in libro 1. de Peccat. mer. et remis. cap. 20. et Epistola 107. et aliis in locis. Deinde vel iste ipse conflictus antiquorum arguit, quam non cujusvis sit Scripturarum interpretari sensum, ac fidei illius ex verbis dogma concludere ; ac si τὸ ῥητὸν præcise spectemus, neque in ejus pronuntianda sententia ex Ecclesiæ auctoritate pendeamus, quam proclivis in errorum præcipitia sit lapsus. Uno verbo ; neque nos illis Christi verbis præceptum putamus editum fuisse dandæ parvulis Eucharistiæ ; non magis, quam amentibus, ac furiosis ; et tamen de *reali* Sacramenti (ut vocant) usu illa eadem interpretamur : qui usus ex Ecclesiæ more, ac judicio, non pro cujusque arbitrio, ac libidine moderandus est. Neque enim si nihil expresse Christus de tempore participandæ Eucharistiæ, ac modo præcepit, ideo cuilibet fas est sibi, quam velit, illius usurpandæ regulam præscribere. Imo vero communis omnium matris Ecclesiæ pro lege amplectenda est auctoritas, uti censet Augustinus in epistola 86. « In his, *inquit*, rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, et instituta majorum pro lege tenenda sunt ; » ac tantum abest ab eo, ut ecclesiasticas sanctiones, ac scita majorum inter ἀδιάφορα referri sinat, quæ cuivis observare aut omittere pro libito fas sit, ut « sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendos esse » sentiat. Cui et Basilius adstipulatur in epistola ad Amphilochium. Et in libro de Spiritu S. capite 27. ubi pleraque dogmata Ecclesiæ, sine scripto, traditione sola constare dicit, maxime illa, quæ ad usum Sacramentorum attinent, quæ majores nostri minus litteris commendarunt. Καλῶς δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι· ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασι. *Recte*, inquit, *edocti, religiosa Sacramentorum arcana silentio conservari. Nam quæ ne aspicere quidem nondum*

initiatis licet, qui tandem consentaneum erat eorum disciplinam litteris publice traducere? Egregius omnino locus, et ad Dissertationis confutandam rationem aptissimus, quæ pro eo quod de usu symbolorum Eucharisticorum nihil expresse Christus edixerit, aut in Scripturis proditum extet, Christianos ad simplicem illam, rudemque disciplinæ formam revocat, et pro cujusque arbitrio ab communione totius Ecclesiæ, communionisque tessera, hoc est participatione Sacramentorum abstinere permittit. Quid enim aliud facit, cum justissimam esse causam hanc intermittendæ communionis cum Ecclesia catholica demonstrat, « ut liberius exerceri possint Christianæ dilectionis officia adversus dissidentes? » Utique enim nunquam *justissima* illa causa deerit, quia perpetuo qui ab Ecclesia dissideant, futuri sunt hæretici ac schismatici; quorum salus et conciliatio tanti esse debeat, auctore dissertatione, ut communionis cum Ecclesia, ac salutis adeo propriæ jactura recuperanda sit. Sic non optare solum cum apostolo Paulo, si fieri posset, εἰ ἐνεχώρει, εἰ ἐνεδέχετο, ut Photius, aliique græci interpretes exponunt, sed reipsa se anathema facere, et ab Christo, ejusque corpore sejungi, non *pro fratribus*, sed pro extraneis, et hostibus, *justissimum* esse Dissertationi videtur; pro iis, inquam, quos idem apostolus αὐτοκατακρίτους, *proprio judicio condemnatos*, appellat in ea, quæ est ad Titum, capite 3. 11. quosque *post unam et secundam correptionem devitandos* admonet. Quanto tutius est in illa ipsa manere, si in ea est adhuc, Ecclesia; si non est, ad eam adjungere sese; ab illius communione ne punctum quidem temporis recedere: illam denique magistram, et Scripturarum et traditionum custodem, et interpretem auscultare; cui condendarum legum, et, ut iis obtemperent, cogendorum fidelium potestas divinitus est facta? Nisi forte illud nobis excidit, quod Apostolus ad Romanos scribit cap. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Neque enim adeo quemquam insanire puto, ut quod Apostolus de observandis gentilium principum legibus, et edictis, velut Neronum, ac ceterorum Christiani populi carnificum, sanxit, quibus non metu solum, sed etiam *propter conscientiam* parendum esse decernit; idipsum non ad spirituales, ecclesiasticasque potestates multo magis accommodandum censeat, quæ et potestates sunt, et ex eodem divinæ auctoritatis fonte manarunt. Nam, *Qui vos audit, me audit*, (ait Christus Lucæ, 10. 16.) *et qui vos spernit, me spernit.* Et, *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. 18. 17.

Habet autem vim legis præscriptique fidei, non expressa tantum imperantis Ecclesiæ auctoritas, sed usu, ac voluntate illius corroborata consuetudo, ac traditio: ut iidem paulo a me ante citati Patres asserunt, Basilius, et Augustinus, tum Eusebius Cæsariensis lib. 1. de Demonstratione pag. 20. Gregorius Nyssenus libro 3. cap. 4. Porro in eo, de quo modo agitur, usu Sacramentorum, et communione, necnon in Christi verborum apud Joannem interpretatione, utrumque convenit, et traditio consuetudoque, et viva Ecclesiæ vox, Conciliorumque decreta, « quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, » ait Augustinus Epistola 118. quibus quidem *qui resistit, Dei ordinationi resistit*; tantum abest, ut injussu Ecclesiæ, imo renitente, ac vetante illa, κατ' οἰκονομίαν, καὶ συγκατάβασιν, aut cujuscumque spe lucri, atque commodi, ejusmodi aliquid usurpare liceat. Quid enim absurdius est, quam istud ipsum, quod pœnæ loco adversus delinquentes Ecclesiæ, conciliorumque decreta constituunt, ut aliquanto tempore a communione fidelium, et participatione Sacramentorum abstineant, sibi hoc quemque sponte sua, ac citra ullum crimen imponere? Sed de hac re plus satis.

Superest locus alter ex Joannis capite 3. 5. ex quo baptismi necessitas ostenditur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quem locum de baptismi sacramento Catholici omnes accipiunt, ut et veteres omnes, præsertim qui adversus Pelagianos scripserunt: qui, quod isti negabant, cum originali peccato nasci parvulos, et, nisi gratia mediatoris per baptismi sacramentum reipsa susceptum succurreret, ituros in æternam damnationem, iisdem ex illis verbis docuerunt. Quod in omnibus libris accuratissime testatur Augustinus, quibus illam oppugnavit hæresim. Idem et Prosper, et Fulgentius, aliique tradunt, quos commemorare longius sit, et, quod caput est, plenaria concilia, ac tota deinceps Ecclesia constantissime hactenus tenuit. At Dissertatio *errorem* hunc vocat, putare vel in illo Joannis loco

agi de baptismi sacramento, quod in aqua confertur, vel parvulos sine eo æternis pœnis obnoxios esse. Quasi Christianus ullus ab Augustini præsertim seculo, ac post auditum Pelagianæ nomen hæresis, aliter senserit, aut scripserit, aut de eo vel levissimam dubitationem habuerit.

Quin etiam longe ante Augustinum, ac Pelagiana tempora, idem tradidit Cyprianus, quem contra Pelagianos testem citat Augustinus libro tertio de Peccat. merit. et remiss. cap. 5. Sic enim ille in epistola ad Fidum, quæ est 59. interrogatus, utrum baptismus parvulis ante octavum diem dandus esset, minime differri oportere respondet, ne illorum anima pereat. « Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat : Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare; quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est. » Perituræ igitur infantium animæ sunt, nisi baptismi illis unda succurrerit. Unde vero pernicies animis hæc incidat, postea declarat, et originalis peccati labem detegit his verbis : « Porro autem si etiam gravissimis delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo, atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? » Idem et in plenario totius Africæ concilio sancitum est canone 2. ex iis, qui Milevitanæ secundæ synodo perperam inscribuntur, cum sint Carthaginensis, ut ex Cœlestini papæ epistola ad episcopos Galliæ constat. Et ante hoc concilium, duo alia provincialia istud ipsum decreverant; Carthaginense, cujus extat synodica, quæ in Augustini epistolis est 91. ubi inter cetera Patres, « Parvulos etiam, *inquiunt*, propter salutem, quæ per salvatorem Christum datur, baptizandos negant : ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant, promittentes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam æternam. » Et Milevitanum ; cujus item synodica, quæ apud Augustinum est 92. sic habet : Pueros quoque parvulos, si nullis innoventur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt. » Nec illustre cum primis ejusdem Augustini testimonium ex infinitis, ut constat, omiserim; qui in sermone 33. de Diversis, miraculum insigne refert infantis nondum baptizati, sed adhuc catechumeni, sancti Stephani meritis ad vitam excitati; itaque scribit: « Mulier quædam amisit in gremio ægrotantem filium catechumenum infantem lactentem. Quæ cum vidisset amissum, et irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quam mater. Non enim filii sui desiderabat vitam, nisi in futuro seculo; et hanc sibi ablatam, et periisse plangebat, etc. » Vides ut infantem nulla sua culpa irretitum, atque etiam parentum fide, ac pietate, si quid ea sine baptismo posset, adjuvandum utique, hoc est catechumenum, quia baptismo carebat, *amissum*, *et irreparabiliter perditum* affirmat Augustinus. Unde autem hæc baptismi necessitas ad parvulorum salutem, nisi ex illo Joannis loco, de quo agimus, ab illis colligitur? Declarat id Augustinus idem cum aliis in locis, tum in epistola 105. sub finem : « Sicut ergo audiunt Dominum dicentem, Qui non renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum; propter quod eos baptizandos esse, concedunt, etc. » Tum libro 1. de Peccat. mer. et remiss. capite 20. Eadem est et ceterorum Patrum, consentiensque doctrina. Itaque Molinæi ministri notanda hoc loco est inscitia, qui in Clypeo fidei, parte 2. sect. 19. pro magno absurdo catholicis Romanis hoc objicit; quod ita doceant, absque baptismi remedio, in æternum perituros esse parvulos. Quod profecto nunquam exprobraret, neque in tam trita, et usitata re peregrinaretur, si quid Augustinus, quid ecclesiastica antiquitas, et historia, quid Theologia denique sit, vel minima ex parte cognosceret. Sed de hac re plenius alias; quam hic obiter, et, ut Dissertationis auctori satisfieret, paucis perstringendam habuimus.

FINIS DIATRIBÆ DE POTESTATE CONSECRANDI ET SACRIFICANDI.

DIONYSII PETAVII

DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM

LIBRI DUO

In quibus de Episcoporum dignitate, ac potestate; deque aliis Ecclesiasticis dogmatibus disputatur.

ARMANDO JOANNI

EMINENTISSIMO S. R. E. PRINCIPI

CARDINALI, DUCI DE RICHELIEU

FRANCIÆ PARI.

Dum tu regni totius administrandis negotiis : ac tum bello perdomandis hostibus ; tum proferendis imperii finibus, Christianissimo Regi, Gallicoque nomini necessariam, et gloriosam navas operam, Eminentissime Cardinalis, *erunt forte, quibus ego te alieno tempore, ac nimis parca de re interpellare videar. Sed illi solum ita suspicabuntur, qui te nondum perspectum satis habent ; aut hujus, quod a me tibi offertur, æstimatores boni propter inscitiam esse nequeunt. Nam imprimis quibus usu aliquo cognitus es, cum cetera, quæ in te rara vident, et eximia, mirantur ; tum illam vero incredibilem, ac per omnia pertinentem ingenii vim : quam nulla quantacumque vel rerum magnitudo superat, vel multitudo confundit ; sed sic infra se, et in potestate habet universas, uti singulis sufficiat quamlibet minutis, neque majorum procuratio, minorum curam cogitationemque restinguat.*

Laus est ista magnarum mentium, ac virorum propria principum, quos hominibus regendis, imperiisque moderandis divina ex æterno sapientia destinavit : quorum in animis imitationem illam sui, ac similitudinem expressit. Omnes enim (*ut in primo de Providentia recte dictum est a Salviano,*) etiam religionis expertes, et quadam necessitate compulsi, et sentiri omnia a Deo, et moveri, et regi dixerunt ; qui et sentiat omnia per subtilitatem, et moveat per fortitudinem, et regat per potestatem, et custodiat per benignitatem. *Hæc quanta sit in te omnium capacis, ac per cuncta diffusi virtus animi, tot illa, tantaque per te publice ac privatim et solerter excogitata, et sapienter provisa, et consilio explicata, et feliciter confecta testantur. Quæ quidem nos dum quotidie cernimus, facile oculis ipsis fidem habemus : posteri autem cum in annalibus legent, multorum opera, et industria integro seculo geri potuisse, vix ; ab uno vero paucis annis designata perfectaque esse, profecto non credent. Quamobrem nihil est, quod eo nomine cunctari me oporteat, aut cujusquam reprehensionem vereri, tanquam hæc mea compellatio publicis ab negotiis, et cogitatis te tuis avocarit.*

Illud porro alterum, ne adeundi tui causa sit levior, minimeque te digna, multo etiam formidandum est minus : nec nisi ab imperitis, ut dixi, judicari sic potest. Etenim vel hoc ipsum conciliandæ bonitati tuæ fuerat satis, quod universe de litteris, ac doctrinis tecum ageretur ; quarum ad singularem usum, ac scientiam, incredibilem etiam amorem adjunxisti, adeoque constantem, ut in assiduis gravissimisque tuis occupationibus, illarum interponas studia. Nunc illud præterea versatur in medio disciplinarum genus, cui tu præ ceteris addictus es, divinarum et sacrarum : quas nemo indignas excellenti tua amplitudine, nisi ejus ipsius odio dignissimus, putet. Plura de hoc, disputando prosequi, ac meam adeo causam perorare vehementius licebat ; si id necesse foret, aut non ejus, quem nomini inscripsi tuo, brevitas libri, longiore uti præfatione prohiberet.

Quod igitur summatim, ac paucis de hoc argumento complecti possum, id sic est. Mihi dum tu, Cardinalis Eminentissime, *contra regni hujus hostes fortiter bellum geris, adversus hostem Catholici oppugnatoremque nominis certamen isto in libro suscipitur. In quo primum episcoporum tuenda potestas, ac dignitas fuit; quam ille scripto pestilente, ac novo et inaudito commento violavit. Tum varia Ecclesiæ propugnanda dogmata, quorum elevare fidem, ac labefactare calumniis suis idem est ille conatus. Hujus itaque te mei communem in causam officii, operæque fautorem, ac controversiæ arbitrum delegi. Non enim digniorem, aut idoneum magis optare potui. Primum qui et episcopus ipse sis, et hujus ordinis princeps; deinde qui ejus, unde lis ista nascitur, hoc est theologicarum, catholicarumque rerum apprime sis peritus: ac demum is hodie vivas, cujus in tutela et auctoritate tum ille ipse amplissimorum ordo prœsulum, tum Ecclesiæ hoc in regno catholicæ salus, ac splendor acquiescit.*

Quocirca spero equidem, quæ mihi nuncupandi tibi hujus operis causæ justissimæ, ac necessariæ fuerunt, easdem ad hoc apud te valituras esse, ut et audaciæ ignoscas meæ, et illud delatum tibi patrocinium non æquo solum, sed etiam prolixo, ac benevolo animo recipias.

Emin. A. T.

Deditissimus Dionysius Petavius
Societatis Jesu.

AD CATHOLICUM

ET ERUDITUM LECTOREM.

PROŒMIUM.

Superiore anno, cum priorem ad Timotheum Pauli epistolam auditoribus enarrarem meis, ac de episcopis, et presbyteris nescio quid commentarer; cujus inde pertractandæ quæstionis occasio esse solet: allata est in hanc urbem Lugduni edita Batavorum *Dissertatio de fœnore Trapezitico* comprehensa libris tribus. Hanc cum in manus sumpsissem, reperiebam μεῖζον illic ἔργου esse τὸ πάρεργον: ac plurima interspersa rerum ecclesiasticarum, ac divinarum capita, quæ passim alieno tum loco, tum instituto, operis illius auctor inferserat. Inter hæc vero mihi in oculos incurrit de eodem illo, quod meditabar, argumento satis longa disputatio, qua id probare satagit, nullum ab origine prima, vetustisque, et apostolicis Ecclesiæ temporibus, ac deinceps diu fuisse discrimen episcopos inter et presbyteros. Accedunt et alia ejusdemmodi complura, quæ partim ad minuendam, et labefactandam amplissim iillius Ordinis dignitatem, auctoritatemque spectant; partim adversus alia comparantur catholicæ religionis, ac fidei dogmata. Non enim tecte, ac dissimulanter scriptor iste grassari, et catholico nomini bellum instituit facere; sed palam et aperte se Romanæ communionis inimicum professus, multa et in summum Pontificem, et in ordines ceteros impie jactat, ac nefarie. Hujus adeo (ut, quocum mihi suscepta dimicatio est, specimen aliquod hic extet) verba sunt ista in præfatione operis: « Hoc restabat scilicet (inquit contra theologum nescio quem ex eodem genere disputans) ut etiam fermentum hic Papisticum mihi objiceretur ab illo, qui scire potuit, ac debuit, me longissime abesse ab ista ζύμῃ. » Et alibi[1]: « At Romani Pontifices, ubi contempta, ac spreta paupertate, et humilitate apostolica, non solum supra collegas suos ambitiosum caput extulerunt, sed etiam supra ipsa concilia auctoritatem, ac potestatem suam evexerunt. » Item illud[2]: « Pontifices Romani imperio Occidentis potiti, τὸ βαρὺ illud φορτίον injeccerunt humeris miserorum Christianorum, pietatis ac sanctitatis prætextu; sed cui vera causa fuit, potentiæ suæ promovendæ cupido, et jurisdictionis civilis usurpandæ. » Mitto alia contra eumdem Romanum Pontificem, et episcopos, ac minores clericos dicta, eodem veneno ac felle oblita: quæ non modo alienum ab catholicis castris hominem demonstrant, sed hostem etiam illorum acerrimum, et quoquomodo vexare illa, et oppugnare gestientem. Sed nihil peræque ejus animum, et sectæ institutum detegit, ac dispersa illa, uti jam dixi, per totum opus dogmata, ut catholicis contraria decretis, ita Calvinianæ hæresi, ac sectæ consentanea.

Quæ me res adduxit, ut contra novum hunc dogmatisten, sed theologicarum, ecclesiasticarumque rerum haud satis peritum, ejus, cui obtrectabat ille, patrocinium causæ caperem; ac selectas ex istius libro quæstiones aliquot mandarem huic lucubratiunculæ: præsertim vero illam ipsam, cujus in meditatione commodum hærenti mihi Trapeziticum illud opus oblatum esse dixi.

Ab hac igitur de episcopis et presbyteris inquisitione disputandi sumam initium. Et primum, quid de illa privatim ipse sentiam, exponam; tum contra Trapezitici fœnoris patronum (appelletur enim deinceps a nobis hoc nomine, ab eo titulo, quod in fronte operis inscripsit) stilum, et orationem convertam. Hujus porro mihi operæ, ac studii, si nullus erit alius, certe ille constabit fructus, ut tam iste, quam similes alii scriptores, qui de quaque re quidvis eloqui, et in lucem proferre fas esse sibi putant, id non semper impune haberi sentiant; sed ad scribendum ita parati, ac meditati esse meminerint, tanquam qui sciant de iis, quæ scripserint, ac de πολυλογίᾳ sua, vicissim ἀειλογίαν, hoc est perpetuum reddendæ rationis onus, a se esse susceptum.

[1] Pag. 424.

[2] Pag. 315.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM

LIBER PRIMUS.

QUI EST DE EPISCOPIS, ET EORUM JURISDICTIONE, AC DIGNITATE.

—

CAPUT PRIMUM.

In quo status quæstionis exponitur. Pauli apostoli loca quædam, ex quibus inter episcopos et presbyteros nullum fuisse discrimen videtur. Variæ antiquorum in illis interpretandis sententiæ, Chrysostomi, Theodoreti, Epiphanii expenduntur : ac præsertim Hieronymi; qui omnium difficillimam habet rationem.

I. Fueritne temporibus apostolorum distinctus ab episcopo presbyter, cum antiquissima est, tum non omni ex parte hactenus explicata quæstio. Difficultatem arguit opinionum de ea conflictus, necnon hominum alioqui doctissimorum, etiam veterum, parum secum, et cum rei veritate congruens assertio; ut in intregro propemodum adhuc posita res, locum ingeniorum exercitationi, et industriæ reliquerit. De hac controversia visum hic nobis est agere; quod idem confido fore, atque et illorum, qui in divinas artes incumbunt, prodesse studiis; et catholicæ causæ, pro virili parte, opis aliquid, ac lucis afferre. In quo primum omnium disputationis totius, quod caput sit, et quod Græci τὸ κρινόμενον, vocant, exponendum videtur.

Præcipuam dubitandi causam continent apostolica scripta, quæ ita de episcopis, ac presbyteris loquuntur, ut utrosque eodem habere loco, ac nihil inter illos discriminis statuere videantur. In Actis apostolorum, capite 20. 17. Paulus *a Mileto mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ*, μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, hoc est *presbyteros ecclesiæ*; primum numero plures in uniuscivitatis ecclesia; deinde eosdem episcopos. Nam commate 28. sic eos appellat : Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Rursus in priore ad Timotheum, capite 4. 14. *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. Atqui, ut argumentatur Theodoretus, presbyteri simplices manus non imponebant. Itaque hic episcopi cum hoc et Chrysostomo intelligendi sunt. Ad hæc Paulus idem epistolam ad Philippenses, episcopis, et diaconis inscribit, nullo inter ambos interposito ordine. Item in priore ad Timotheum, capite tertio, postquam episcopis præ-

cepta dedit a commate 2. ad 8. deinceps diaconis officium præscribit, nulla interjecti gradus mentione facta.

II. His de causis Theodoretus in caput secundum epistolæ ad Philippenses, et in caput tertium prioris ad Timotheum existimat, Paulum appellasse presbyterum eum, qui episcopus esset. Ἀλλ' ὅπερ ἔφην, (ait in commentariis ad epist. 1. ad Timotheum) τοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν ποτὲ πρεσβυτέρους, καὶ ἐπισκόπους. Τοὺς δὲ νῦν καλουμένους ἐπισκόπους, ἀποστόλους ὠνόμαζον. Τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος, τὸ μὲν τῆς ἀποστολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς ἀποστόλοις κατέλιπον· τὴν δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις ἀποστόλοις ἐπέθεσαν. « Verum, quod jam dixi, eosdem olim presbyteros appellabant, et episcopos. Quos autem episcopos hodie nominant, apostolos vocabant. Procedente deinde tempore, apostolatus nomen iis, qui vere apostoli dicti sunt, reliquerunt; episcopatus autem appellationem iis imposuerunt, qui quondam apostoli nominabantur.» In hac Theodoreti oratione nonnulla sunt parum scripta probabiliter, et quæ secum ipsa manifeste repugnant. Olim, inquit, iidem vocati sunt episcopi, et presbyteri; qui autem nunc dicuntur episcopi, eos nominabant apostolos, etc. Hæc vox *olim*, tempus illud indicat, quo apostoli Christi, et eorum unus vivebat, atque ista scribebat apostolus Paulus. Quæro igitur, cum ita Theodoretus ait, eosdem tunc appellatos esse episcopos, et presbyteros, quæ sit utrique nomini, *episcopi*, ac *presbyteri* subjecta notio; hoc est, an episcopum intelligi oporteat, qui hanc ipsam, quæ sic hodie nominatur in Ecclesia, dignitatem tenuerit, ut idem et presbyter vocatus sit; an duo ista vocabula, episcopus et presbyter, unius illius appellationes fuerint, qui *antistes erat ordine in secundo*, ut loquitur Sidonius: id est sacerdotis simplicis, ac presbyteri, qui secundas post episcopum obtinet. Horum alterutrum existimasse Theodoretum necesse est; et tamen neutrum sibi ad respondendum integrum reliquit. Fac enim respondeat, quod primum posui: episcopos, et presbyteros appellatos esse, qui nunc episcopi sunt, omnium ordinum primates; quid apostolis faciet, quos eosdem fuisse vult cum hodiernis episcopis? An iidem et apostoli, et episcopi, et presbyteri fuerunt? Id quidem consequens est, si primum istud dixerit, hoc est si presbyteri et nomine, et re iidem erant cum episcopis, quos proprie nominamus. Sed eo jam erit sibi ipse contrarius, qui ab episcopis apostolos disjunxit; tum isto ipso, quod attulit, testimonio refelletur. Nam Actorum 15. 25. scribunt ex Hierosolymitano concilio οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι. Non iidem ergo erant apostoli, quos tunc episcopos fuisse putat, et presbyteri. Sin quod est posterius eligat, ut apostolos episcopali gradu fuisse præditos affirmet; episcopos vero, et, quod idem erat, presbyteros pro sacerdotibus secundi ordinis habitos; non minus ipse secum, et cum Apostolo pugnabit. Hic enim episcopi nomen, et episcopatus, in capite tertio prioris ad Timotheum, pro summo gradu posuit; idque ipse Theodoretus agnoscit. Atqui non episcopi, vel episcopatus nomina, sed apostoli, et apostolatus adhiberet, si nondum episcopi summæ dignitatis antistites vocati erant, sed apostoli. Quid quod Actorum 20. 17. Paulus convocasse legitur τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας; quos eosdem commate 28. ἐπισκόπους vocat, et pastores a Deo constitutos? Non alios ergo fuisse consentaneum est, quam primi ordinis; adeoque quos tum apostolos appellari solitos existimat.

Prorsus itaque inextricabilis illa est Theodoreti sententia: qui sic verius dicere potuit, episcopos et presbyteros summæ dignitatis, hoc est episcopalis, nomina fuisse; apostolos autem non omnes episcopos esse dictos, sed eos tantum, qui aut veri erant apostoli, et episcopatu majorem, et ampliorem potestatem habebant; aut qui prædicandi ubique Evangelii functione veros imitabantur, qualis Epaphroditus, et si quis alius, fuisse putandus est: falsum est autem apostolorum nomen episcopis omnibus fuisse commune.

III. Chrysostomus homilia prima in epistolam ad Philippenses rationem reddit, cur Paulus ad Philippenses scribens, epistolam suam inscribit συνεπισκόποις, καὶ διακόνοις, omisso interjecto presbyterorum ordine: Τί τοῦτο; inquit, μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; « Quid hoc rei est? An unius civitatis plures erant episcopi? » Mox respondet: Οὐδαμῶς. Ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε. Τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι· καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. « Nullo modo, *inquit*, verum presbyteros vocavit sic. Tunc enim nomina invicem communicabant, et diaconus dicebatur episcopus. » Negat plures ejusdem episcopos urbis fuisse; ac dicit episcopos nominatos fuisse presbyteros, imo etiam diaconos. Quare videtur existimasse Chrysostomus, συνεπισκόπους non esse episcopos proprie dictos, sed simplices presbyteros, quos tunc episcopos appellare mos fuit. Ideo paulo post concludit ita: Ὅπερ οὖν ἔφην, καὶ οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν, ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τοῦ Χριστοῦ, καὶ οἱ ἐπίσκοποι πρεσβύτεροι. Ὅθεν καὶ νῦν πολλοὶ συμπρεσβυτέρῳ

ἐπίσκοποι γράφουσι, καὶ συνδιακόνῳ. « Quod igitur jam dixi, etiam presbyteri olim appellabantur episcopi, et diaconi Christi, et episcopi presbyteri. Unde nunc etiam multi compresbytero, et condiacono scribunt episcopi. » Eadem fere OEcumenius, et Theophylactus in commentariis expresserunt; quorum summa sit : Episcopos ibi vocari simplices presbyteros, quod tunc promiscua, et utrisque communia essent nomina, ut et episcopi vocarentur presbyteri, et diaconi episcopi. Atque iis suffragatur commentarius, qui vulgo inscribitur Hieronymo, in epistolam ad Philippenses. Hic enim sic ad illum locum epistolæ istius adnotat : « Hic episcopos, presbyteros intelligimus. Non enim in una urbe plures episcopi esse potuissent. » Et ad caput 3. epistolæ prioris ad Timotheum, cur post episcopos non meminit presbyterorum, causam hanc affert : « Eos in episcoporum nomine comprehendit, quia secundus, imo pene unus est gradus. » Quæ totidem verbis in Primasii commentario leguntur.

IV. Atque idem Chrysostomus homilia 11. in priorem ad Timotheum quærit, cur post episcopis data præcepta, Paulus, nulla mentione facta presbyterorum, statim ad diaconos transeat : ac respondet, presbyteros idcirco præteriri, quod eadem fere sit horum, atque episcoporum ratio : Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι καὶ τούτῳ μόνῳ δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. « Sola, *inquit*, impositione manuum superant, et hoc uno videntur excellere presbyteros. » Quem et more suo OEcumenius, ac Theophylactus assectantur. Horum itaque consensus omnium est, episcoporum, ac presbyterorum distinctos in ecclesia fuisse ordines ; et qui a Paulo presbyteri nominantur, eos revera sacerdotes fuisse simplices, qui et episcopi vocabantur. Chrysostomo ita sentiendi, interpretandique causam dedit vetus Ecclesiæ mos, ac disciplina canonum sancita decretis, quæ unicum in quaque civitate constitui episcopum jubebant, ut est in canone octavo Nicæni concilii.

Verum huic sententiæ obstat ille Actorum vicesimi capitis locus, ex quo efficitur, in Ephesina Ecclesia plures fuisse episcopos. Nam Miletum cum pervenisset, mittens Ephesum μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. Atqui presbyteri illi vere erant episcopi, ut eos vocat commate 28. tum inde patet, quod si meri sacerdotes fuissent, summi antistitis, hoc est, episcopi inter ipsos utique meminisset, eique potissimum commendasset Ecclesiam. Ad hæc in epistola ad Titum, capite 1. 5. ait, se Titum in Creta reliquisse, ut constituat per civitatem quamque presbyteros, quos quidem commate 7. vocat episcopos, et 9. sane proprie dictos; ut ex eo colligas, quod ejusdem plane sunt generis, cujus illi, de quibus capite tertio prioris ad Timotheum meminit. Siquidem eadem formula, et iisdem propemodum verbis de illorum institutione præcipit. Igitur presbyteri nonnunquam episcopi veri dicti sunt, et in eadem civitate plures extiterunt.

V. Epiphanius in hæresi 75. quæ est Arianorum, num. 5. nodum illum, qui ex Apostoli locis oritur, ita dissolvit : Cum adhuc recens esset, inquit, Christiani dogmatis prædicatio, non ubique presbyteri simul, et episcopi creabantur ; sed alibi soli presbyteri, alibi episcopus duntaxat. Ubi enim nemo dignus episcopatu reperiebatur, presbyteri constituebantur, per quos et diaconos Ecclesiæ regerentur : quæ sine duplici hoc ordine constare nequeunt. At ubi unus tantummodo ad episcopatum idoneus occurrebat, neque plurium erat copia, quibus presbyteratus mandaretur ; tum solus adhibebatur episcopus. Quare Apostolus, pro re nata, et ut status erat earum civitatum et Ecclesiarum, ad quas scribebat, ita loquebatur : Νέου ὄντος τοῦ κηρύγματος, πρὸς τὰ ὑποπίπτοντα ἔγραφεν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος. Ὅπου μὲν ἦσαν ἐπίσκοποι ἤδη καταστηθέντες, ἔγραφεν ἐπισκόποις, καὶ διακόνοις. Οὐ γὰρ πάντα εὐθὺς ἠδυνήθησαν οἱ ἀπόστολοι καταστῆσαι. Πρεσβυτέρων γὰρ ἐγίνετο χρεία, καὶ διακόνων. Διὰ γὰρ τῶν δύο τούτων τὰ ἐκκλησιαστικὰ δύναται πληροῦσθαι. Ὅπου δὲ οὐκ εὑρέθη τις ἄξιος ἐπισκοπῆς, ἔμεινεν ὁ τόπος χωρὶς ἐπισκόπου. Ὅπου δὲ γέγονε χρεία, καὶ ἦσαν ἄξιοι ἐπισκοπῆς, κατεστάθησαν ἐπίσκοποι. Πλήθους δὲ μὴ ὄντος, οὐκ εὑρέθησαν ἐν αὐτοῖς πρεσβύτεροι καταστηθῆναι, καὶ ἠρκέσθησαν ἐπὶ τῷ κατὰ τόπον μόνῳ ἐπισκόπῳ. Hæc Epiphanii narratio vera est ipsa quidem ; (credo enim, pro multitudine populi plures, paucioresve sacrorum institutos ministros, ac nonnunquam solum impositum episcopum ibi, ubi grex pusillus erat ; atque aucto numero, præter episcopum, complures adjunctos esse presbyteros ;) sed loca illa, quæ adduximus, Pauli nobis aliud persuadent. Etenim in clarissimis et frequentissimis Asiæ civitatibus, in quibus Christianorum erat maxima multitudo, non est verisimile, tantam eorum fuisse penuriam, qui vel episcopatum gerere, vel presbyteri fieri possent. Tum si quis accurate verba ipsa perpendat, cognoscet aliam facti illius et instituti rationem esse quærendam.

VI. Sed præcipuum quæstionis momentum, ac disputationis totius facit Hieronymus ; qui imprimis epistola 85. ad Evagrium cujus-

dam vecordiam arguens, qui diaconos presbyteris auderet anteferre, multa de presbyterorum dignitate disserit, ac pares illos, et eosdem facit cum episcopis; idque iisdem, quibus nos usi sumus, testimoniis confirmat, adjuncto quoque Petri loco primæ epistolæ capite 5. ubi et se presbyterum appellat, et quos alloquitur, presbyteros primi ordinis esse demonstrat. Tum ista subjicit Hieronymus: « Quod autem postea unus electus est, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam et Alexandriæ a Marco evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant; quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » Hoc loco S. Hieronymus, episcopos pari esse dignitate ac presbyteros affirmat; nisi quod communi consensu unus aliquis e numero presbyterorum electus est, qui majori in gradu collocaretur. Tribuit tamen episcopo ordinandi facultatem, quam presbyteris adimit. Quin etiam quod Paulus in epistolis ad Timotheum, et Titum, postquam de episcopis egit, statim ad diaconos labitur, omissis presbyteris; id eodem modo explicat Hieronymus, ac Chrysostomus fecit: « Presbyter, *inquit*, et episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Unde ad Titum, et Timotheum de ordinatione episcopi et diaconi dicitur, de presbyteris omnino reticetur; quia in episcopo et presbyter continetur. » Quare eadem, quæ supra objecimus, contra Hieronymi interpretationem valent, quominus ad Apostoli mentem faciant.

VII. Idem in commentariis ad primum caput epistolæ ad Titum, etiam disertius sententiam suam aperit, verba illa declarans, *Hujus gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deerant, corrigeres: et constituas per civitates presbyteros*, etc. « Idem est ergo presbyter, *ait*, qui et episcopus. Et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ; communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. » Mox probat episcopum et presbyterum unum esse; et aliud ætatis, aliud esse nomen officii, ex epistola Pauli ad Philippenses, ubi Apostolus scribit ad episcopos et diaconos. « Philippi una est urbs, *ait*, Macedoniæ; et certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant, proterea indifferenter de episcopis, quasi de presbyteris est locutus. » Addit et locum alium ex Actorum capite 20. ubi Apostolus convocasse legitur presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ, quos statim vocat episcopos. Tum quod Petrus epistolæ Canonicæ primæ capite 5. 1. vocat se *compresbyterum presbyterorum;* tum, *Pascite*, inquit, *eum, qui in vobis est, gregem Domini*, etc. « Hæc propterea, ait Hieronymus, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos et episcopos: paulatim vero, ut dissensionum semina evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores. » Denique in epistola 83. ad Oceanum, « Apud veteres, *ait*, iidem episcopi, et presbyteri fuerunt; quia illud nomen dignitatis est, hoc honoris. »

VIII. Hieronymo suffragari videtur Ambrosius, sive quis alius auctor commentariorum in epistolam ad Ephesios, qui Ambrosii temporum æqualis fuit. « Nam et Timotheum (ait ad caput 4. 11.) presbyterum a se creatum, episcopum vocat; quia primum presbyteri episcopi appellabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum, multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, et esset multis scandalum. »

Hactenus igitur ex antiquorum auctoritate conficitur, primis temporibus, presbyterorum et episcoporum non tantum appellationes, sed etiam ordines, in easdem concurrisse personas; iidem ut essent utrique: postea vero nomine tenus idem fuisse; ut etsi promiscua episcoporum, ac presbyterorum interdum es-

sent nomina, aliquis tamen ex ordine illo, ac numero deligeretur, qui dignitate antecelleret omnes, iisque præesset, et episcopus proprie diceretur. Quod autem ex eo concludunt aliqui, nullum ergo vel esse discrimen inter ordines amborum, vel Apostoli saltem fuisse tempore; id falsum esse, tum intelligi poterit, cum Apostoli sententiam exposuero, et alia quædam eodem spectantia, quibus error iste redarguetur. De Apostolo itaque, unde fons quæstionis oritur, primo loco disputemus.

CAPUT SECUNDUM.

Explicantur loca illa antecedenti proposita capite. Presbyteros initio eosdem episcopali dignitate præditos fuisse; sed perbrevi tempore; idque cur factum sit. Episcopos eodem intervallo, itidem ut deinceps, in singulis civitatibus singulos præfuisse.

I. Si quis omnia illa Scripturæ loca diligenter expendat, quæ superiori capite proposita sunt, id necessario consequens ex illis esse statuet, eos ipsos, qui ibi presbyteri vocantur, plus aliquid, quam simplices fuisse presbyteros, cujusmodi hodieque sunt; nec dubitabit, quin episcopi fuerint iidem, non vocabulo tantum, sed re etiam, ac potestate. Hoc vero qua ratione contigerit, potest hunc, nisi fallor, in modum probabiliter explicari.

Igitur primis illis Ecclesiæ temporibus, quæ, quod ad formam et disciplinam attinet, quædam illius infantia dici queunt, existimo, presbyteros vel omnes, vel eorum plerosque, sic ordinatos esse, ut episcopi pariter, ac presbyteri gradum obtinerent. Id eo fieri solitum esse verisimile est, quod, cum religio Christiana progressionem in dies faceret, perque civitates, et populos propagaretur, increbrescente multitudine, opus fuit, paratam esse copiam episcoporum; qui ad urbes et provincias Christiano partas nomini cum potestate mitterentur, ut ea, quæ ab solis episcopis administrabantur, præstare possent: cujusmodi sunt clericorum ordinatio per manuum impositionem, Confirmationis sacramentum, et alia quædam, quæ simplices presbyteri non attingebant. Hac de causa videntur plures in eadem Ecclesia, velut Ephesina, episcopi fuisse, qui apostolis, tanquam majoris gradus pontificibus, adeoque summis, obsequebantur. Hoc tum simplices recens ortæ mores Ecclesiæ ferebant: nondum ambitione, et honorum cupiditate, malisque ceteris artibus, depravatis Christianorum animis. Posteaquam vero pristina illa charitas, et imitandi Christi, amplectendæque modestiæ, et humilitatis refrixit amor; tum, quod Hieronymus scribit, ad tollendas simultates, et *in schismatis remedium*, unum aliquem e turba presbyterorum eligi placuit, qui præesset reliquis: atque ita desiere pari non solum dignitate, sed etiam ordine, ac potestate plures creari, translata in unum tam honoris, quam functionis prærogativa. Quocirca nunquam non fuit in Ecclesia potestatum, graduumque discrimen, hoc est episcopatus, et presbyteratus simplicis, sed in eadem capita passim ambo conferebantur.

II. Hæc nostra de gravi, ac perdifficili quæstione sententia eo plausibilior esse debet, quod et dubitationem, ac controversiam præcidit omnem; et ab ipsamet Scriptura, illisque testimoniis, quæ ansam nobis disputandi præbuerunt, pene in manus, atque ob oculos injici videtur. Etenim presbyteros appellatos eosdem et episcopos fuisse ab apostolis Petro, atque Paulo, illorum ex verbis efficitur: nec minus etiam istud; quos presbyteros vocant, iis episcoporum quæ sunt propria, convenire, imprimis autem ordinationem per impositionem manuum, et Ecclesiæ gubernationem, quæ est principum, pastorumque præcipua, quos episcopos dici omnes intelligunt. Hoc si est ita, quid aliud restat, nisi ut penes eosdem (nam plures una in Ecclesia fuisse tales, iisdem ex locis argumentum ducitur) tam nomen illud duplex, quam conveniens nomini potestas et auctoritas utraque fuisse dicatur? Quo constituto, jam illa vacant omnia, quæ et nobis ipsis, et adversus quorumdam interpretationes Pauli locorum illorum, objiciebamus

antecedenti capite. Neque, qui præcipuus debet esse fructus disputationis hujus, perturbatio illa sequitur amborum in Ecclesia ordinum, quæ πολυαρχίαν, imo ἀναρχίαν illam peperit, quam Calvinianorum, ac Puritanorum factio jampridem ascivit, et invebere porro eo, ubi non est, omni arte ac contentione molitur.

III. Atque, ut ejusmodi prima administrationis ecclesiasticæ rudimenta fuisse, planum est ex iis, quæ dixi : ita neque perpetua, neque diuturna fuerunt, sed subinde ad eam, quæ deinceps obtinuit, translata formam ; ut unus in quaque civitatis ecclesia esset episcopus, qui et presbyter interdum appellabatur ; presbyteri vero sub uno illo complures, qui nominari episcopi desiissent. Quod ut certissimum est, paulo post apostolorum Petri ac Pauli obitum, ubique per totum Christianum orbem usu esse receptum ; ita illis ipsis superstitibus, adeoque non multo post Christi ascensionem, observari cœpisse quibusdam in Ecclesiis, haud vanis documentis colligitur. Utriusque, sed prioris maxime, fidem faciunt tam Scriptura ipsa, quam vetustissimorum Patrum, qui apostolorum seculo vixerunt, aut non multo post extiterunt, præclara testimonia.

Joannes apostolus in Apocalypsi, capite secundo, jussu Domini ad episcopos septem totidem Ecclesiarum, ac civitatum in Asia scribit sub angelorum nomine, ut vulgo interpretes consentiunt ; nempe Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatirorum, Sardium, Philadelphiæ, Laodiceæ. Ergo episcopi tunc erant in Ecclesiis singuli. Hoc ipsum testantur perpetuæ successiones episcoporum in plerisque civitatibus, memoriæ ab antiquis et fide dignissimis auctoribus proditæ, quarum exordium ab ipso Christianæ religionis initio deducitur. Egesippus apud Eusebium lib. 2. Historiæ, capite 23. ex eoque Hieronymus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, capite 4. referunt, Jacobum fratrem Domini, statim post passionem Christi, ab apostolis ordinatum fuisse Hierosolymorum episcopum. Marcus item Alexandriæ episcopus fuisse perhibetur, eique Neronis octavo anno mortuo successit Anianus, ut iidem Eusebius, et Hieronymus affirmant. In eorumdem Chronico et in illius Historiæ ecclesiasticæ libro præcipue tertio, quarto, et quinto, episcoporum catalogus descriptus legitur, qui inde ab apostolicis temporibus, diversis in Eccclesiis propagatus est. Velut Antiochiæ post Petrum Evodius, post hunc Ignatius : qui et ipse passim in epistolis suum cuique civitati episcopum præfuisse demonstrat ; ac totus in id incumbit, ut presbyteros, diaconos, ceterosque clericos, et laicos hortetur, uti episcopum suum ament, et observent, eique tanquam Christo pareant, ac nihil illius injussu faciant. De quo rursus agemus postea. Est apud Eusebium libro tertio, capite 23. memorabilis historia, ex Clemente Alexandrino petita, de Joanne evangelista ; qui ad urbem quamdam Asiæ veniens ejus episcopo commendavit adolescentem illum, qui depravatis postea moribus grassatorum dux factus, ab eodem apostolo non sine admirabili charitatis exemplo recuperatus est.

IV. Quid quod Hieronymus ipse, qui presbyteros cum episcopis exæquare maxime videtur, in illis ipsis, quæ supra posui, verbis ostendit, institutum illud unius per singulas Ecclesias creandi episcopi apostolorum ætate cœpisse ? Tunc enim susceptum id esse scribit, cum per populos audiri cœptum est, *Ego sum Pauli*, *Ego Apollo*, etc. quod ad Corinthios scribens Apostolus, per id tempus apud illos jactatum fuisse queritur. Addit etiam Alexandriæ deinceps ab Marco evangelista unum post alterum episcopos Ecclesiam illam administrasse. Quamobrem non est dubium, quin presbyterorum illa multitudo, quæ pro episcopo se gessit, et, ut res ipsa docet, episcopalem ordinem, ac potestatem habuit, brevi postea in simplicis sacerdotii gradum, ac dignitatem, et functionem redacta, uni per singulas civitates episcopo locum dederit. Ac verisimile est, non ubique, sed certis duntaxat in locis, pro eo atque opportunum erat, plures illos esse collocatos episcopos. Nec minus tamen eosdem singulares, ac ceterorum principes episcopos, presbyteros appellatos fuisse, ex antiquis patet ; velut ex Irenæo, cujus fragmentum citat Eusebius libro Historiæ 5. capite 25. ubi Romanos Pontifices presbyteros nominat. Omnino ad id, de quo agimus, in promptu est habendum, quod prudenter animadvertit Epiphanius in eo loco, quem superiori capite commemoravimus, ex Hæresi 75. num. 5. Non omnia, prout cupiebant, per hæc tempora apostolos ordinare potuisse ; neque ritus omnes ecclesiasticos, et administrationis legitimæ modum explicare : quod brevi postea præstiterunt.

CAPUT TERTIUM.

Conciliatur Hieronymi sententia cum catholico dogmate. Multum ab Aerianis, et hæreticis aliis illum abfuisse. Michaelis Medinæ falsa opinio tam ipsum, quam plerosque alios veteres fœdissimi erroris insimulantis.

I. Ex hac, quam caput antecedens exposuit, interpretatione locorum apostolicorum, conciliari cum vera et catholica professione potest Hieronymi sententia, quæ omnium impeditissima videtur. Jam enim intelligimus, presbyteros illos antiquiores nihilo fuisse inferiores episcopis ; atque ex suo corpore unum aliquem elegisse, qui præesset omnibus, ut schismati obviam iretur. Porro inter utrumque ordinem, presbyterii et episcopatus, multum interesse non ignoravit Hieronymus, sed palam asseruit, dum *ordinationem*, id est ordinandorum jus clericorum, solis assignavit episcopis. *Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus,* inquit, *quod presbyter non faciat ?* Ubi verbum, faciat, δυνητικῶς accipiendum est, ut sit idem atque, quod facere non possit. Nam alioqui multa erant alia, quæ soli faciebant episcopi, presbyteris vero jure ordinario erant interdicta, cum extra ordinem interdum ea facerent ; neque, quominus facere possent, si ita necessitas ferret, præsertim ex episcopi mandato, prohiberentur. E quibus unum illud referam, quod notissimum fuit Hieronymo, Confirmationis sacramentum. Hoc enim ab solis episcopis administratum fuisse demonstrat in libro contra Luciferianos : « Non quidem abnuo, *inquit*, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat. » Item : « Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum, etc. »

II. Atqui ignorare non potuit Hieronymus, quibusdam in locis, absente episcopo, presbyteros idem illud sacramentum Confirmationis dedisse ; quod de Ægypto testatur commentarius, qui Ambrosio tribuitur, in epistolam ad Ephesios, cujus ante meminimus. Quin etiam constat, olim solos episcopos ordinario jure tam baptismum, quam pœnitentium reconciliationem administrasse ; quod utrumque tamen episcopi jussu presbyteri, imo et, quod ad baptismum attinet, diaconi faciebant. Sed et Hieronymus ibidem, « Inde venit, *inquit*, ut sine chrismate, et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi. » Cum igitur solam Hieronymus ordinationem, id est χειροθεσίαν, excipit, cujus episcopi duntaxat jus habeant, cum cetera communia iis sint cum presbyteris ; de eo jure loquitur, quod ne extra ordinem quidem usurpare possint presbyteri. Alioqui si de eo, quod ordinarie tantum geritur, loqui vellet, non solam ordinationem attribueret episcopo, sed alias multas functiones, quas extra necessitatem, et ordinario jure presbyteri nunquam attingerent. Quocirca sensit Hieronymus, ab solis episcopis ordinationes fieri, adeoque latum inter ambos ordines discrimen agnovit ; nec aliud, quam quod Epiphanius hæresim illam, quæ istos confundebat, oppugnans, in medium attulit. Fuit iste Aerius hæreticus, qui episcopum nihilo pluris esse, quam presbyterum, asserebat. Cujus *amentiam* (ita enim loquitur) redarguens Epiphanius non alio utitur argumento, quam quod ex Hieronymo retuli. Ὅτι μὲν ἀφρυσύνης ἐστὶ τὸ πᾶν ἔμπλεον, τοῖς συνέσιν κεκτημένοις τοῦτο δῆλον τὸ λέγειν αὐτὸν ἐπίσκοπον, καὶ πρεσβύτερον ἴσον εἶναι. Καὶ πῶς ἔσται τοῦτο δυνατόν ; ἡ μὲν γάρ ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις. Πατέρας γὰρ γεννᾷ ἡ ἐκκλησία· ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ· οὐ μὴν πατέρας, ἢ διδασκάλους. Καὶ πῶς οἷόν τε, ἦν τὸν πρεσβύτερον κατιστᾷν μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν ; Hoc est : « Esse vero plenum istud amentiæ, prudens quisque cognoscit, quod nimirum ait, eumdem esse episcopum cum presbytero, et æqualem utrumque. Verum quinam id fieri poterit ? Siquidem episcopatus ordo est, qui patres gignit ; quippe patres Ecclesia generat : ac presbyter, cum patres non possit gignere, filios generat per lavacrum regenerationis, non tamen patres, aut magistros. Quomodo ergo fieri posset, ut is presbyterum ordinaret, qui manus impositione careat, qua possit ordinare ? » Quæ Epiphanii verba Hieronymi locum illum explicant ; multumque præterea ad id conferunt, ut ab nefariæ suspicione hæresis tantus vir eximatur, qua nonnullorum judicio laboravit.

III. Etenim Michael Medina in libro primo *de sacrorum hominum origine, et eorum continentia,* capite 5 Hieronymum, necnon Theodoretum, imo Ambrosium, et Augustinum, Chrysostomum etiam, Primasium, ac Sedulium, in Aerii, et Waldensium hæresim, ac damnationem includit. Nam postquam illos citavit, loquitur sic : « Atque ista isti viri alioqui sanctissimi, et sanctarum Scripturarum consultissimi. Quorum tamen sententiam prius in Aerio, deinde in Waldensibus, postremo Joanne Wicleffo damnavit Ecclesia. » Tum eos irridet, « qui inter horum hæreticorum, et veterum illorum Patrum sententiam in hac parte ullum esse discrimen putant ».

Sed hæc mera calumnia est, ac temerarium præcepsque de re haud illi satis percepta comprehensaque judicium. Nam illorum omnium Patrum longe ab Aerio, ac recentioribus aliis hæreticis causa secernitur. Ac Chrysostomus quidem, et Theodoretus, et qui Chrysostomum secuti sunt, OEcumenius et Theophylactus, solum commune fuisse vocabulum utrisque statuunt; reipsa vero discrepasse. Et Chrysostomus nominatim idem, quod Epiphanius et Hieronymus, tradidit, τῇ χειροτονίᾳ, id est ordinandi jure, ac potestate differre a presbyteris episcopos. Reliquorum verba vel ad eamdem nominis communitatem accommodari possunt, accedente nonnulla, ut assolet, superjectione, et hyperbole ; vel interpretatione illa, quam supra proposui, tractanda, emolliendaque sunt. Quod sane posterius, commentarii illius, qui Ambrosio inscribitur, in epistolam priorem ad Timotheum, locus indicat, dum ait, *Primum presbyteros episcopos appellatos esse, ut recedente uno, sequens ei succederet.* Nisi hoc malis, ex collegio presbyterorum assumptum episcopum fuisse, non sine μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ, ut Græci loquuntur, qua ordinandi potestas solis episcopis concessa, negata presbyteris, ut ostendimus, illi tribueretur. Quid autem meruit Augustinus, ut in suspicionem vocaretur erroris istius ? Nempe quod in epistola quadam ad Hieronymum scripsit ita : « Quanquam secundum honorum vocabula, quæ jam usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit, multis tamen in rebus Hieronymus Augustino major est. » Quid iniquius, quam propter illa verba, atrocissimam hanc infamiam inurere homini ab ista labe alienissimo ? Nihil enim istic aliud significat, nisi quod esse verissimum ostendimus, cum hactenus eadem utrique appellatione censerentur, ac συμπρεσβύτεροι, et συνδιάκονοι etiam aliquando dicerentur ; postea nominum intercessisse discrimen ? In Hieronymum totus invidiæ impetus convertitur, qui paulo minus, quam ceteri, commode est locutus. Sed quanto intervallo ab Aerii, ac Waldensium hæresi distet, facile est cognoscere.

IV. Aerii fuit hæc opinio, ut ex Epiphanio scimus, nullum plane discrimen episcopi a presbytero fuisse, non ordinis, non honoris, non dignitatis, non functionis. Τί ἐστιν, aiebat ille, ἐπίσκοπος πρὸς πρεσβύτερον ; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου. Μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία, φησὶ, τιμὴ, καὶ ἓν ἀξίωμα. Χειροθετεῖ, φησὶν, ἐπίσκοπος, ἀλλὰ καὶ ὁ πρεσβύτερος. Λουτρὸν δίδωσιν ὁ ἐπίσκοπος, ὁμοίως καὶ ὁ πρεσβύτερος. Τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας ποιεῖ ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ὁ πρεσβύτερος ὡσαύτως· καθέζεται ὁ ἐπίσκοπος ἐπὶ τοῦ θρόνου· καθέζεται καὶ ὁ πρεσβύτερος. « Quid est episcopus præ presbytero ? Nihil hic ab illo differt. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor, ac dignitas. Manus imponit episcopus, imponit et presbyter ; baptizat episcopus, idem facit et presbyter. Sacrificii administratione fungitur episcopus, itidem et presbyter. Episcopus in throno sedet, sedet et presbyter. » Manifestum est, Aerium prorsus omnem sustulisse differentiam inter presbyterum et episcopum ; ac neque divino jure ullam introductam putasse, nec humano introduci debere. Hinc Augustinus in libro de Hæresibus, cap. 46. de eodem : « Dicebat etiam presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. » Ab hoc vero dogmate longe abest Hieronymus, qui et episcopo a presbyteris, clericisque ceteris summum honorem habendum esse perpetuo censuit. Verba ejus sunt in epistola tertia ad Nepotianum : « Esto subjectus pontifici tuo, et quasi animæ parentem suscipe. Amare filiorum, timere servorum est. Si pater sum, *inquit*, ubi est timor meus ? etc. Quod Aaron et filios ejus, hoc episcopum et presbyteros ejus esse noverimus. » Tum ampliorem in episcopis potestatem agnovit, quam in presbyteris, dum illis ordinandi, ut jam dixi, jus attribuit, quod istis negavit.

V. Nam quod consuetudine potius Ecclesiæ, et humano quodam jure, quam divino, utriusque constare differentiam significat ; primum salva ordinandi potestate penes solos episcopos, integra manet ordinum distinctio, et quidem divinitus constituta, non sola consuetudine, ut paulo ante demonstravimus. Deinde si presbyteros olim itidem, ut nos statuimus, episcopos una fuisse volumus, nihil jam scrupuli offensionisque restabit in verbis Hieronymi. Etenim solo consensu ho-

minum, et vitandi schismatis gratia, unus e numero multorum episcoporum, eorumdemque presbyterorum electus est, qui præesset ceteris. Quod nemo dici prohibet. Nam etsi episcopalis ordo jure divino in Ecclesiam introductus est, non eodem tamen illo jure decretum est, ut unus in singulis civitatibus et ecclesiis esset episcopus, sed Ecclesiæ auctoritate, Conciliorumque sanctionibus, quarum ex apostolica traditione origo descendit. Ad hunc modum Hieronymi et Ambrosii exigenda est sententia. Sed sive hoc, sive alio sensu intelligantur utriusque verba, perspicuum est, plurimum illos abhorruisse ab Aerianorum, et Waldensium hæresi, necnon Wicleffi, qui omnes in eamdem conspirarunt opinionis perfidiam. Ac de Aerio quidem ex Epiphanio liquet, quod ejus dogma fuerit.

VI. De Waldensibus habes apud Bernardum abbatem Fontis calidi in libro adversus illos edito capite primo, et sequentibus; necnon apud Guidonem Carmelitam, Antoninum, et alios. Wicleffi meminit Thomas Waldensis libro secundo Doctrinalis fidei, articulo tertio, capite sexagesimo. Atque omnes isti nihil penitus inter episcopum et presbyterum distare putabant; ac « nonnisi duos ordines in primitiva Ecclesia fuisse » Wicleffus affirmabat, « sacerdotem, atque diaconum. » Waldenses ne sacerdotium quidem retinebant, ut qui laicos omnes justos consecrare, et absolvere posse crederent. Quibus assensus est Lutherus in libro de captivitate Babylonica [1]; quo in libro laicos omnes sacerdotes esse docet, probatque Petri testimonio, qui epist. 1. cap. 2. Christianos appellat *regale sacerdotium;* tum solo prædicandi verbi Dei ministerio sacerdotium definit: ut et Calviniani omnes, quorum dogma Trapezitici fœnoris patronus amplexus, nihil episcopos veros, proprieque dictos aliud censet fuisse, præterquam verbi divini prædicatores, ut paulo post ostendam. Ab iis vero pestibus, quam longe absit Hieronymus, nemo non videt. Quare mira est vel oscitantia Hispani illius scriptoris, vel temeritas, qui infandæ ac nefariæ hæresis tam Hieronymum, quam alios complures fautores, ac defensores fuisse prodidit.

Sed ista cum catholicis doctoribus controversia seposita, Trapeziticam dissertationem deinceps aggrediar; qua in refutanda, multa de eodem argumento necesse erit exequi, ex quibus certissime constabit, magnum, ab antiquis usque Ecclesiæ temporibus, discrimen intercessisse episcopos inter et presbyteros; nec indoctius quidquam, absurdiusque ista esse fabula, quam cum veteribus illis, et hodiernis hæreseon architectis Trapezitici operis scriptor est amplexus, eosdem olim cum appellatione ipsa, tum re atque ordine, presbyteros et episcopos fuisse.

CAPUT QUARTUM.

Refellitur Trapezitica dissertatio, quatenus episcopum olim existimat nomen dignitatis non fuisse, sed curationis. Quid sit dignitas, et quemadmodum semper episcopatui convenerit. Hieronymi locus perperam acceptus a Trapezita. Nova illius de episcoporum duplici genere opinio confutatur. Cujus ex Clemente irritum argumentum diluitur. Episcopos prædicandi munus obiisse semper, necnon jus rerum ecclesiasticarum administrandarum habuisse.

In libro de Trapezitico fœnore multa de episcoporum ordine, et antiqua eorum institutione scripta sunt absurda, falsaque, de quibus hoc loco propositum est agere. Verba illius [2]: « Veteribus, *inquit*, episcopatus in Ecclesia non fuit nomen dignitatis, aut potestatis, id est ἐξουσίας, καὶ αὐθεντίας, sed curationis, et administrationis, βοηθείας, sive προστασίας, quæ est ἐπισκοπή. Et non solum in ecclesiasticis, sed etiam in civilibus curatio, et potestas diversa fuit. Nam quædam officia curationem habebant, non potestatem. Talis in Ecclesia fuit episcopatus; quod nomen, teste Hieronymo, non meriti fuit, sed officii, οὐκ ἀξίας, ἀλλὰ ἔργου. » Censet igitur primis Ecclesiæ temporibus episcopi nomen, curatio-

[1] Tom. 2. oper. Luther. anni 1546. fol. 89.

[2] Trapez. pag. 412.

nis et administrationis cujusdam, sine honore ac dignitate, nomen fuisse. Nam « curare, ex etymo vocis, ait idem [1], nihil aliud est, quam providere, atque ἐπισκοπεῖν. Velut medicus ἐπισκοπεῖν νοσοῦντα dicitur, dum eum curat. » Igitur si hunc audimus, episcopum ex prima institutione sui nihil putabimus aliud fuisse, quam curatorem, nullo magisterio, nulla auctoritate præditum, quasi opificem quemdam, aut ministrum. Qui enim aliter possumus, si nulla in eo dignitas fuit? « Dignitas, ait liber ad Herennium secundus, est alicujus honesta, et cultu, et honore, et verecundia digna auctoritas. » Quare qui dignitate caret, is auctoritatem non habet, neque cultu et honore dignus est, ob hoc ipsum, quod munus illud, et curationem gerit, quæ dignitas non est.

Hoc autem de episcopo dicere non est, opinor, ejus, qui quid dicat intelligit. An esse potest absurdius quidquam, atque ab usu Christianæ antiquitatis alienius, aut Scripturis ipsis magis adversum, quam episcopis auctoritatem, ac dignitatem eripere? Dignitas quid esset, dictum est ex Cicerone. Auctoritas eodem teste idem est, ac potestas. Nam quod fœminas sine auctore nullam rem agere licere dixit Livius [2], hoc Cicero in oratione pro Muræna *potestatem* appellat : et *auctores* jurisconsulti [3] vocant eos, *a quibus jus in nos transiit.* Est autem episcopus magistratus quidam ecclesiasticus. Magistratus porro sine potestate, ac jurisdictione ne intelligi quidem potest, cum hæc sit magistratus definitio, ut sit [4] *qui juri dicundo, et assidua jurisdictione servando præest.* Cujus functio, qui et magistratus dicitur, ab eodem jurisconsulto definitur, qua ad Romanos pertinebat, *Potestas populi Romani ordinaria.* Universe autem Aristoteles ita definit, libro 4. Polit. cap. 15. Μάλιστα δὲ, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο. Τὸ γὰρ ἐπιτάττειν, ἀρχικώτερόν ἐστι. « Imprimis autem, ut simpliciter dicamus, magistratus illi nominandi sunt, quibus datum est deliberare de quibusdam, et decernere, et jubere; atque hoc præcipue. Nam jubere magistratuum magis proprium est. »

Jam vero præcipiendi, sive jubendi jus, ac potestatem penes episcopos nunquam non fuisse, tum pleraque Scripturæ testimonia persuadent, tum antiqui canones omnes, et Concilia, tum denique usus Ecclesiæ perpetuus, monimentis veterum, et illius actorum testimoniis ad posteritatis memoriam proditus. Quod ad novi Testamenti litteras spectat, Actorum capite 20. 28. Paulus apostolus presbyteros alloquens, *Attendite vobis*, ait, *et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Græce est ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *pascere Ecclesiam Dei.* Quæ vox non nudam sine potestate atque imperio curationem significat, sed jus, et auctoritatem non solum jubendi, sed etiam coercendi. οἱ δὲ ποιμαίνοντες (ait Philo in libro De eo quod deterior potiori insidiatur) ἀρχόντων καὶ ἡγεμόνων ἔχοντες δύναμιν, etc. « Qui pascere dicuntur, principum, ac ducum vim habent. »

Sic epistolæ ad Hebræos capite 13. 17. *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε. Quos autem ἡγουμένους, id est *præpositos*, appellet, intelligimus ex commate 7. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Nimirum ἡγούμενοι Christiani, ac fideles sunt magistratus, hoc est episcopi, quibus a Spiritu sancto commissum est regimen animarum, ut Actorum 20. dixit. Habebant igitur imperandi jus ac potestatem; adeoque non sola penes illos curatio fuit sine dignitate.

Rursus magistratus ab celebri jurisconsulto [5] definitur, *publica persona, quæ jurisdictioni præest; vel qui pro tribunali cognoscit : cui publice judicium jurisque dictio data est.* Quis porro negare audebit, episcopos non ex antiquo jurisdictionem habuisse, cujusmodi mandavit illis Dominus, hoc est ad animum pertinentem, ac spiritum? An non perinde canonicum jus est, ac civile? aut non illud ab episcopis exercetur, quemadmodum alterum ab civili potestate? Communione mulctare aliquem, aut jus dare communionis, nempe jus est, cujus dictio, et administratio non aliis credita, quam pastoribus et episcopis, idque jam tum apostolorum ætate. Quare tribunal et illi suum habent, e quo sententiam dicunt, multo et potestate, et dignitate majus, ac præstantius, quam cathedra Mosis illa, super quam sedentibus Judæorum magistris obtemperari Christus voluit.

Nam quod Hieronymum testem citat, miror, quid illi in mentem venerit, ut hoc faceret. Scripsit Hieronymus, *episcopatum non*

[1] Trapez. p. 531. — [2] Dec. 4. lib. 4. — [3] 136. in fin. D. de diver. reg.

[4] Cujac. ad lib. 2. de Orig. juris. — [5] Cujac in Paratit.

meriti fuisse, sed officii, quod græce Trapezita reddit sic, οὐκ ἀξίας, ἀλλ' ἔργου. Sed vide lepidam rem. Græca vox ἀξία duo significat notione diversa : *meritum*, quo mereri aliquid dicimur, et *dignitatem*, id est *honorem ;* ne sic accipias, quomodo *dignus* ille dicitur, qui meretur. Porro *meriti* nomen prius illud tantummodo significat ; eoque sensu recte scripsit Hieronymus, non omnes, qui fiunt episcopi, vitæ id merito consequi ; nec propterea, quia sunt episcopi, meritis ac probitate præstare ceteris. Trapezita quod in meriti vocabulo non poterat, in græco ἀξίας illusit. Atqui, ut ἀξίαν interpreteris, non honorem debes intelligere. Id enim falsum esset, episcopatum honoris non fuisse. Sed eo modo, quo Menander dixit :

Ἀρχῆς τετευχὼς ἴσθι ταύτης ἄξιος.

Imperium adeptus, dignus hoc fieri stude.

Quemadmodum autem meriti vox ab Hieronymo usurpata sit, indicat Augustinus in libro de Pastoribus, capite 1. « Nos enim, *ait*, quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundum dignationem suam, non secundum meritum constituit, etc. » At Hieronymus ipse dignitatem alibi episcopis attribuit, in cap. 60. Esaiæ, ubi versum septimum ita legi apud Septuaginta adnotat : *Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam*, vel *et episcopos tuos justitiam ;* tum ita scribit : « Quorum omnis visitatio in pace est, et vocabulum dignitatis in justitia. » Ergo *episcopi* nomen vocabulum dignitatis appellat Hieronymus, et Trapezitæ παρερμηνείαν summovet. Sane episcopos *speculatores* esse ait Augustinus in 1. de civit. Dei, cap. 11. « hoc est populorum præpositos constitutos in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata ; » tametsi hoc etiam faciant, qui præpositi non sunt ; et Clemens Romanus libro Constitutionum secundo, cap. 27. episcopatum vocat ἀξίωμα, quod idem valet, atque ἀξία, quam Trapezita detrahit. Tum cap. 28. appellat ἄρχοντα, quæ vox principem, vel præsidem significat.

Pergit Trapezitici fœnoris patronus [1], et, « Hoc, *inquit*, nomen ἐπισκοπῆς peculiariter competiit illi generi presbyterorum, sive seniorum, qui administrationem rerum ecclesiasticarum suæ curæ commissam habebant, et distinguebantur a doctoribus, qui in doctrina et oratione operam ponebant. Sed et διδασκάλοις presbyteris datum est. »

Atque ut illius mentem, ac sententiam plenius intelligas, hoc primum ab eo fundamenti loco scito poni : episcopos olim eosdem fuisse cum presbyteris [2]. Eos vero « duum generum sub apostolis fuisse : » alios orationi et prædicationi operam dedisse : alios sacerdotale ministerium populo præstitisse ; « Id est, dispensationem, et administrationem Sacramentorum habuisse. » Prioris generis, ex Petri institutione, fuisse Clementem ; posterioris Cletum et Linum, ut in Clementis vita Damasus prodidit.

De utrisque porro loqui Apostolum existimat [3], in epistola priore ad Corinthios, c. 12. « ubi varia charismata recenset, quæ in Ecclesia sua Deus constituerat. » Nam ibi « enumerat primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, donationes sanitatum, adjutoria, gubernationes, genera linguarum. » Ex his διδασκάλους ait esse genus illud presbyterorum, quod de duobus primum constituit, et orationi, et prædicationi operam dabat ; adjutoria autem et gubernationes, id est ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις, « de illis presbyteris, sive episcopis intelligi, qui Ecclesiæ res procurabant, et dispensabant, atque etiam Sacramenta populo administrabant. » « In hos posteriores ἐπισκοπῆς nomen ex merito magis competere » asserit [4], « quæ est inspectio, procuratio, administratio. »

Hæc summa novæ opinionis, nec tantum novæ, sed etiam falsæ, minimeque cohærentis. Enimvero aliud esse populum docere, vel orationi operam dare, aliud Sacramenta populo administrare, aut quamlibet aliam curationem exercere, nemo non videt. Sed, ut actiones diversæ sunt, sic diversis personis mandatas esse, ut episcoporum, sive presbyterorum alii istud, alii illud obierint, id vero est falsum. Non enim generibus, et quasi statibus hominum distinguenda ista sunt, sed facultatibus, quæ in eodem genere possunt esse non eædem.

Sane apostolis duplex a Christo mandata est functio : una Sacramentorum administrandorum, velut baptismi : altera docendi Evangelii. Quæ duo Matthæi ultimo capite præscribuntur a Christo : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos*

[1] Pag. 413. — [2] Idem pag. 407. et seq.

[3] Pag. 409. — [4] Pag. 410.

servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Hæ sunt functiones duæ, propter quas episcoporum, sive presbyterorum gradum in duo scindit genera Trapezita; nimirum Sacramentorum administratio, quam proprie ad ἐπισκοπὴν pertinere vult, et divini verbi prædicatio.

Utramque tamen non omnes exercebant apostoli. Paulus enim in priore ad Corinthios, capite primo, com. 17. paucos se baptizasse dicit: *Non enim misit me Christus*, inquit, *baptizare, sed evangelizare.* Quis autem propterea dicere audeat, duplex apostolorum genus fuisse, alterum baptizantium, alterum minime baptizantium, sed tantummodo prædicantium Evangelium? Hoc si quis asserat, ridicule idcirco sentiat, quod jure ac potestate, non actione, vel usu potestatis discernendi sunt ordines, ac gradus ecclesiastici. Non minus ergo falso absurdeque duo episcoporum velut genera, ordinesque ponit, quod alios nihil nisi orasse, ac prædicasse putat; alios Sacramenta duntaxat administrasse, curasseve cetera.

Etsi enim vera ista non est ejus opinio, ut postea dicam; tamen ad id probandum, quod inde concludit, certum genus presbyterorum, hoc est episcoporum fuisse, « [1] qui administrationem rerum ecclesiasticarum suæ curæ commissam habebant, et distinguebantur a doctoribus, qui in doctrina, et oratione operam ponebant: » non sufficeret, utcumque falsa non esset, illa ratio, quod non eædem ab omnibus presbyteris functiones exercerentur; nisi hoc præterea demonstraret jure alterius obeundæ caruisse, qui alterutram ipsi sibi sumpsissent, vel mandatam ab aliis gererent. Etenim nonnullos fuisse constat episcopos eo tempore, quo utrumque munus et curandarum ecclesiasticarum rerum, et prædicandi passim usurpabant ceteri; qui vel impediti morbo, vel ob linguæ tarditatem, vel ob sermonis inscitiam, quod essent peregrini, ad concionem verba facere non poterant: ut de Valerio Hipponensi, cui successit Augustinus, refert in hujus vita Possidius. Neque ob id, quod uniusmodi tantum functionem obibant, alterius generis episcopi censebantur, et ab iis diversi, qui utramque sustinebant. Quod igitur de his episcopis si quis dicat, risum non tenebimus, cum non minus absurde de antiquioribus illis affirmet Trapezita, cur non idem faciamus?

Sed ut in arcem opinionis illius invadam; nego id, quod ille pro comperto habet, qua tempestate presbyteri iidem erant et episcopi, sic descriptas, ac divisas operas inter illos fuisse, ut non ambas, qui possent, susciperent, tum orandi, ac prædicandi, tum curandi res ecclesiasticas, et Sacramenta populis administrandi. Jus, inquam, et potestatem utriusque præstandi omnes illos habuisse defendo, qui presbyteri pariter essent et episcopi, quamvis certis de causis uniusmodi tantum functionem attingerent. Etenim Actorum 20. 28. presbyteros, et eosdem episcopos alloquens Paulus, ait illos a Spiritu sancto positos esse, *ut pascant Ecclesiam Dei,* ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Et Petrus [2] presbyteros alloquens συμπρεσβύτερον se illorum vocat, ut appareat, eosdem episcopos fuisse. Hos vero deinceps hortatur, (1) *ut pascant commissum sibi gregem Dei,* ἐπισκοποῦντες (quasi dicas *episcopantes*, latinus interpres *providentes*) *non coacte.* Cujusmodi pastio utrumque illud munus amplectitur, docendi, et Sacramenta ministrandi; quemadmodum et cum Christus oves suas Petro commisit, *Pasce*, inquit, *oves meas.* Nam episcopi quilibet hoc in totius gregis portione sibi tradita præstant, quod in toto ipso facere jussus est Petrus, ut suum quisque divini verbi, et Sacramentorum pabulo reficiat. Quin etiam ad Titum scribens Paulus apostolus, postquam ei præcipit, ut *presbyteros per civitates constitueret,* hoc est, ut statim declarat, episcopos; mox quæ sint eorum partes explicans, inter alia, quæ in primæ ad Timotheum tertio capite iisdem fere verbis scripserat, episcopum censet oportere esse, *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit et exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* Igitur episcoporum omnium sine ullo discrimine munus officiumque est, prædicare verbum Dei, docere, cohortarique populum, hæreticos et Christianæ fidei oppugnatores disputando refellere. Certe neminem illius ordinis excipit Apostolus, sed in commune presbyteris, hoc est episcopis omnibus ista præscribit. Quænam igitur his et similibus in mandatis latebra est episcopis nescio quibus ex officina τοῦ ἀδοκίμου τραπεζίτου nuper emersis? Quod novum et inauditum hucusque commentum, etsi ille verisimillimum probando faceret, ægre tamen persuadere posset; nunc sine ullis argumentis affirmanti

(1) 1. Pet. 5. 2. Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς.

[1] Pag. 413. — [2] 1. Petr. 5.

sibi credere nos jubet : ego vero ne juranti quidem. Sed unde tandem novitatis istius suspicione sit afflatus, operæ pretium sit inspicere.

Duo sunt omnino, quæ hoc illi somnium injecerunt, effusum ea porta,

Qua falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

Primum Damasi locus in vita Clementis [1], ubi Petrus Clementi præcipit, « ut ordinet dispositores diversarum causarum, per quos actus ecclesiasticus profligetur. » « Et tu, *inquit*, minime in curis seculi deditus reperiaris, sed solummodo ad orationem, et prædicationem populi vacare stude. Ipse etiam Petrus in ea vita dicitur ad orationem, et prædicationem populum erudiens vacasse. » « Cum autem Cletus et Linus ab eodem Petro ordinati sint episcopi, ut idem testatur Damasus, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in urbe Roma populo supervenienti exhiberent : » concludit ex eo, « alterius generis et ordinis fuisse » Cletum et Linum ; quoniam ministerium illud sacerdotale, quo eorum cura definita est, *dispensationem et administrationem Sacramentorum* interpretatur : quas fuisse putat secundas episcopi partes, ac minus, quam priores illas prædicandi et orandi, dignitatis habuisse. Sed quid argumentatione ista futilius ? Imprimis Damasus ille non est Damasus, et pro adulterino ac supposititio jampridem doctorum judicio damnatus est. Deinde nihil iste, qualiscumque est, ad causam pertinet. Quis enim Trapezitam docuit, Petrum apostolum ita Clementi commendasse prædicandi, vel orandi munus, uti curatione reliqua, maxime impertiendis Sacramentis, interdixerit ? *Curis* quidem *seculi* vetat esse *deditum*, totumque se orationi ac prædicationi dare præcipit ; de Sacramentorum administratione verbum nullum facit. Quid quod administratio ista Sacramentorum oratione continetur ? Imo, ut eorum fert opinio, quorum partes Trapezita sequitur, sine prædicatione non potest fieri ? Ita enim censent catholicæ, ac Romanæ communionis hostes, inter quos ille profitetur. Quare non possunt a se mutuo divelli oratio ac prædicatio, et Sacramentorum tributio ; neque diversos episcoporum gradus efficere. Ad hæc, si Clemens idcirco plenam episcopi functionem non habuit ; sed in uno tantum gradu orantium ac prædicantium substitit : ab altero vero, in quo Linus, Cletusque censentur, segregatus est ob idipsum, « quod ad orationem et prædicationem populum erudiens vacaret ; » plenum ac perfectum non habuit, sed mutilum ac dimidiatum episcopatum. Caruit enim parte hujus altera, quæ « in dispensatione sita est, et administratione Sacramentorum. » Nam « ipse Petrus in ea vita dicitur, » idem, quod Clementi mandabat, egisse. Aut si ex toto episcopus fuit, quia sic una se actione circumscripserat, ut alterius si minus usum, jus certe ac potestatem haberet ; etiam iste ipse Clemens, quem ad exemplum sui episcopum instituit, ut ibidem profitetur, non unius generis, quod credit Trapezita, episcopatum tenuit, sed reliquas insuper functiones aut exercuit, aut, si vellet ac vacaret, exercere potuit. Quod idem de Lino, Cletoque, si episcopi sunt a Petro facti, per illum nobis Damasum affirmare licet ; atque hujus qualiscumque auctoritatis præsidium novo illi commento subtrahere.

CAPUT QUINTUM.

Alia Trapezitæ argumenta de duplici episcoporum genere discussa. Pauli apostoli declaratus locus. Quid sint apud illum *opitulationes* et *curationes*.

I. Alterum argumentum fœneratorum patronus ducit ex Apostolo, ejusque loco duplici [2]. « Presbyterorum, *inquit*, sive episcoporum duo genera tum fuisse, locus Pauli in epistola ad

[1] Trapez. pag. 407.

[2] Trapez. pag. 408.

Timotheum 1. capite 5. ostendit his verbis: (1) *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina.* » Hic enim episcopos, sive presbyteros illos significari putat, qui in orando, prædicandoque toti erant occupati; quibus videlicet oppositi sunt ii, « qui Sacramenta administrabant, et exhibebant plebi. » Atqui locus iste Apostoli nihil divinationem illam adjuvat; nec ab ea fingi quidquam potest alienius. Nam unde tandem alterum illud efficit, gradu ac genere distinctos episcopos alios fuisse, qui Sacramenta populo repræsentabant, et in verbum ac doctrinam nullo modo essent intenti? Non illa repeto, quæ antecedenti capite dixi, et sunt verissima: verbi prædicandi, ac docendi functionem cum Sacramentorum administratione conjunctam fuisse, tum ex usu veterum, quem tot catechetici sermones ab iisdem episcopis habiti testantur, qui baptismo, vel sacramento Dominici corporis initiabant; tum alio sensu, ex Trapezitæ, et Calvinistarum ceterorum dogmate. Itaque non potuit ambo illa episcopalis ordinis munera a se mutuo disjungere. Sed hoc omisso, unum duntaxat proferam, idque perbreve, paucis ut hominem absolvam. Apostolus eos presbyteros, vel episcopos duplici honorario, ac mercede prosequendos ait, qui sine reprehensione partes suas obeunt, pascendi scilicet gregis, qui illorum curæ commissus est, ut loquitur Petrus epistola 1. cap. 5. sed eos maxime remunerandos, honorandosque decernit, non qui soli inter omnes, sed qui plus ceteris laborant in prædicando Dei verbo, et erudiendo populo : οἱ κοπιῶντες, inquit, hoc est, insignem operam navantes, nec vulgari labore contenti. Minime vero inde consequens est, quod Trapezita concludit: ergo alios fuisse episcopos, qui pro generis ac status sui conditione alia omnia curabant.

II. Equidem non gravate concesserim, inveniri quosdam e presbyterorum, episcoporumve numero potuisse, qui uni certæ functioni magis erant addicti, et in ea frequentius, ac libentius occupabantur, sive natura magis ad illam facti comparatique erant, quam ad alteram, sive divino instinctu, et peculiari aliquo charismate præditi eo propensiore animo ferebantur; quod postea dicemus. Sed non ideo diverso in gradu, et ordine, atque episcopatus alio genere collocandi sunt. Nam et alias quoque præstabant actiones pro virili parte, et ut res ferebat; certe nullo interdicto unde vi, episcopalis muneris possessione dejectos esse, probat Trapezita. Ecce idem Apostolus prioris ad Corinthios cap. 15. 10. de se ita profitetur, *Abundantius illis omnibus*, hoc est apostolis, *laboravi;* græce, περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα : ubi idem vocabulum est κοπιᾷν. Quoniam ergo vehementius se laborasse ceteris apostolis Paulus affirmat, num idcirco vel non eumdem docendi, ac disseminandi verbi divini laborem sumpsisse putamus reliquos; vel diversi ab iis generis apostolatum nescio quem Paulo decernimus? Quis hoc nisi quid dicat nesciens audebit dicere? Atqui nulla re differt illa Trapezitæ ratiocinatio ab hac, cui nemo prudens assentitur. Age vero num illud dubium est, inter septem primos diaconos Stephanum vi majore, atque conatu in prædicandi negotium incubuisse? Ita quidem de illo Actorum historia testatur[1]. An vero propterea gradu et ordine distabat ab reliquis diaconis; aut novum aliquod diaconi fabricandum est genus? Qui autem minus id licebit, quam Trapezitæ novum episcopi ordinem instituere, pro eo quod alii aliis majore in prædicando labore, industriaque versati sunt? Frustra igitur illo ex loco prioris ad Timotheum epistolæ commentum suum fulcire conatus est.

III. Videamus, an in altero felicius illi res cesserit: « Eamdem, *inquit* [2], inter episcopos, sive presbyteros differentiam licet etiam confirmare altero Pauli loco ex epistola 1. ad Corinthios, cap. 12. ubi varia charismata recenset, quæ in Ecclesia sua Deus constituerat. Primum in ea gradum dignitatis habuisse dicit apostolos, secundum prophetas, tertium doctores, deinde virtutes, donationes sanitatum, adjutoria, gubernationes, genera linguarum. Per διδασκάλους, quibus tertium locum assignat, non est dubium ab eo intelligi illud genus πρεσβυτέρων, quos ad Timotheum κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, et quos Damasus in Clemente scribit prædicatione populum erudisse, atque orationi tantum vacasse. At cum idem apostolus inter ea χαρίσματα Ecclesiæ nominat ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις, adjutoria et gubernationes, de illis presbyteris, sive episcopis intellexit, qui Ecclesiæ res procurabant, et dispensabant, atque etiam Sacramenta populo administrabant. » Hæc Trapezita, quorum hæc summa est : duo hic episcoporum genera describi ab Apostolo;

(1) 1. Tim. 5. Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ, καὶ διδασκαλίᾳ.

[1] Act. 7. — [2] Trapez. pag. 409.

ac prius quidem, et præstantius, quod in orationem, et prædicationem incumbebat, διδασκάλων nomine significari; posterius vero, quod et inferius est, et ἐπισκοπῆς nomine proprie censetur, quodque inspectionem tantum, et curationem habuit sine dignitate, ac potestate, iis vocibus contineri, ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις. Hic si humani sensus ac judicii paululum adhibeatur, si illa ipsa, quæ scripta sunt, verba considerentur, inter seque conferantur, nemo est hebes adeo, quin sententiarum absurditatem, conflictumque statim videat.

IV. Primum quis illum docuit, per διδασκάλους nominatim episcopos prioris gradus intelligi; posterioris autem per duo ista ἀντιλήψεις, et κυβερνήσεις? Qui enim potius distinctos ambo ista gradus episcoporum significant, quam qui secundo loco ponuntur, prophetæ; aut quæ deinceps post tertium enumerantur, virtutes, donationes sanitatum, ac genera linguarum? Cur non ex istis, totidem episcoporum ordines, aut aliorum graduum comminisci fas erit, si episcoporum, ex duobus illis conceditur? Enimvero πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, et quod quisque amat, de eo sibi somnia fingit. Nihilo ergo magis episcopi in illis vocabulis continentur, quam aut diaconi, aut etiam laici. Nam et Stephanus, et Philippus diaconi fuerunt, et iidem διδασκαλίας χάρισμα excellenter habuerunt. Habuit et Stephanus, quod quidem e Scripturis constat, τῆς ἀντιλήψεως et κυβερνήσεως donum. Viduis enim, atque egentibus opitulabatur, eosque fovebat tum ex officio, tum quod ad ista pietatis opera suus illum incitabat animus, sancto instinctus Spiritu, et charitatis ardore flagrans. Præterea Paulus in illo prioris ad Corinthios loco, χαρίσματα, id est dona quædam recenset Spiritus sancti, quæ tum extra ordinem largiebatur, quibus vellet, et quocumque tempore libitum illi esset: quod et Trapezita agnoscit, dum *Ecclesiæ* χαρίσματα *nominari* illic asserit. Non igitur ordinaria Ecclesiæ munera, et officia, quæ humano judicio, ac suffragio mandantur, ibi Apostolus designat, cum διδασκαλίαν, ἀντίληψιν, et κυβέρνησιν nominat. Siquidem διδάσκαλοι non ii sunt, qui docendi populi jus, ac potestatem habent ex ordinis prærogativa, ut episcopi; qui sive prædicandi divini verbi facultate prædíti sint, sive ea careant, tamen magisterium obtinent: sed sunt οἱ ὑπὸ τῆς θείας ἐμπνεόμενοι χάριτος, *qui divina inspirati gratia* divina explicabant dogmata, ut scribit Theodoretus, necnon Chrysostomus, ac ceteri. Non erat autem illigatum hoc donum, et charisma Spiritus sancti Ecclesiæ primoribus, id est episcopis, sed inferioribus etiam aspirabat, ut de diaconis superius ostendimus. Certe Stephanus et Philippus, quod sciam, episcopi non fuerunt; quos tamen διδασκάλους ex eo genere, quod Paulus ibi commemorat, fuisse nemo dubitat.

CAPUT SEXTUM.

Trapeziticæ dissertationis incondita ratio ad certa capita revocatur, et exutitur. Ejus repugnantia, et absurditas. Refelluntur varii ab illo temere constituti gradus episcoporum. Ostenditur ex antiquorum testimonio episcopos plenum jus semper in ecclesiasticas res habuisse; ac tam in prædicationem incubuisse, quam ecclesiasticis bonis præfuisse. Summa illorum potestas adversus Trapeziticas nænias defenditur.

I. Sed ut pressius cum isto opinionis, errorisque portento pedem conferamus, age, quæ de episcoporum generibus, et officiis confuse, et quasi per saturam scripsit Trapezita, articulatim, ac distincte consideremus. Ita dictorum repugnantia et falsitas, quæ in incondita illa congerie, velut in tumultu ac turba latet, deprehensa, atque convicta, in ipsos lectoris oculos incurret. «(1) Solent enim, ut recte scripsit Æschines, qui mentiri volunt, obscura quædam, et incerta, nec satis explicata proferre, ne coargui, convincique possint.» Hic verus germanusque character est Trapezitici illius operis, in ea maxime parte, in quam modo nos inquirimus. Adeo enim perplexa, et indigesta, et inextricabilia illic omnia sunt, ut quid sibi velit, ac quid longa, et verbosa

(1) ÆSCHIN. Οἱ ἀλαζόνες, ὅταν τι ψεύδονται, ἀόριστα, καὶ ἀσάφη πειρῶνται λέγειν, φοβούμενοι τὸν ἔλεγχον.

disputatione probare, ac definire conetur, nemo mortalium assequi possit. Quantum quidem humano more ac sensu dictum ibi est, quod intelligi queat, exponam breviter; tametsi ne ista quidem cohærent secum, sed evertunt se, et invicem pugnant. Tria sunt, inquam, vel quatuor capita opinionis illius, quæ ad pugnam, et contradictionem implicata sunt.

II. Primum docet[1], antiquis temporibus, cum presbyterorum et episcoporum promiscua esset appellatio, et par communisque gradus, ac dignitas; nonnihil tamen fuisse discriminis, quod illorum aliqui[2] « curam animarum proprie habuere, quas erudiebant, » nempe qui orationi ac prædicationi totos se addixerant. « Alii curam corporum, quæ ab injuria defensabant, et bonorum, quæ dispensabant. » Addit tamen mox : « Imo etiam et animarum, quia Sacramentorum administrationem, quibus animæ quasi pascuntur, quæque alimenta spiritualia sunt. » Tales fuisse censet, qui episcopi proprie dicebantur ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς, id est *a curatione*, *quasi* προστάται *defensores*, *ac curatores Ecclesiæ*, non ἄρχοντες.

Deinde ista subjicit[3], « Postea unus idemque curam animarum gessit, et pecuniarum, id est bonorum ecclesiasticorum. At olim, cum presbyteri dicerentur ab ætate, duorum, ut dixi, generum fuere, sed unius ordinis; alii ad ἐπισκοπὴν Ecclesiæ destinati, alii ad διδαχὴν, quæ et ipsa ἐπισκοπὴ animarum, etc. »

Tertio in eadem pagina ita Trapezita[4]: « Idcirco cum presbyterorum, et episcoporum ordo distingui cœptus est, et superior gradus dignitatis episcopis dari, hoc proprium eorum munus est factum, docere, ac populum prædicatione erudire, orationique tantum vacare, et nullis se aliis ecclesiasticis negotiis immiscere. Ergo tum presbyteri cetera curabant, tam quæ spectarent Sacramentorum administrationem, quam quæ aliorum ecclesiasticorum actuum procurationem. »

Quarto scribit hæc Trapezita[5]: « Ubi docendi munus abjecerunt episcopi, quod olim proprium et peculiare habebant, infra dignitatem suam id esse rati; tum exortum est in Ecclesia doctorum genus, qui episcopi non erant, etc. » Mox, « Abjecto igitur munere docendi, ne nomen ac species sine re maneret episcopatus dignitas, ex muniis presbyterorum quædam præcipua sibi sumere cœperunt, quæ non[6] liceret presbyteris attingere, sed episcopi soli agere possent; ut erat pœnitentium reconciliatio, et chrismæ confectio, et puellarum consecratio, et alia quædam : episcopo etiam dispensandi res ecclesiasticas potestas data est, sed cum notitia presbyterorum, et diaconorum; ut scirent nimirum, quæ bona essent episcopi propria, quæ ad Ecclesiam pertinerent, canone ultimo Antiochenæ synodi. Quod olim presbyterorum fuit-qui non docebant. »

III. In hac tota disputatione tres, ut dixi, quatuorve status episcopalis ordinis continentur. Quorum primus est, quando bifariam tributus fuit in eos, qui oratione divinique verbi prædicatione censebantur, et eos, qui res externas curabant, ac Sacramenta præbebant. Secundus est, in quo curam utriusque gesserunt. Tertius in quo sola docendi populi, citra rerum ecclesiasticarum procurationem, illis est mandata provincia. Quartus denique, in quo, omissa prædicatione, docendique populi munere, externa duntaxat, attigerunt. Quam hæc vana, et commentitia sint, nondum disputo; fiet hoc post paulo, ubi hæc ludicra, et somniorum esse simillima constabit. Illud quæro, quam consentanea sint, quæ de secundo, ac tertio statu prodidit. Nam post priora illa de duplici episcoporum genere, mox ista subjicit[7] : « Postea unus idemque curam animarum gessit, et pecuniarum, etc. » quibus significat, post illud tempus, quo presbyteri exæquari episcopis desierunt, penes unum ceteris præpositum episcopum, duo fuisse munera, quæ hactenus ambo illa in genera dividebantur ita, ut idem et orationi prædicationique daret operam, et ecclesiastica bona, adeoque Sacramenta curaret. Atqui subinde pagina eadem contrarium docet; nempe « cum presbyterorum, et episcoporum ordo distingui cœptus est, » episcopo solum docendi, erudiendique populi, et orationis munus injunctum fuisse, ceterorum vacationem habuisse, quæ presbyteri curanda susceperunt. Hæc duo vera simul esse non possunt. Exponat igitur, quodnam secundo illi statui tempus assignet, in quo duplici munere ornati sunt episcopi : quod sane nunquam non in eorum jure fuit, ac potestate, ut partim ex iis liquet, quæ superius probata sunt, partim in sequentibus ostendam. Itaque, dempto illo secundo, quem evertit in tertio, tres non amplius episcoporum status a Trapezita constituti sunt : primus, in quo episcopi cum presbyteris

[1] Trapez p. 407. 408. 409. 410. et seq. — [2] Trapez. 416. [3] P. 417. — [4] Ibid. — [5] P. 418. — [6] P. 419. — [7] P. 418.

promiscue habiti, functionis genere bifariam partiti erant: secundus, in quo episcopi jam a presbyteris distincti, et supra eos evecti, nihil præter orationem, et populi institutionem ecclesiastici muneris usurpabant, Sacramentorum ac bonorum Ecclesiæ curatione presbyteris commissa: tertius, in quo vice versa, prædicationis onere in alios translato, toti in rerum ecclesiasticarum administrationem intenti erant. Hæc summa est Trapeziticæ disputationis, in qua tantum est falsitatis, et inscitiæ, quantum vix quisquam, nisi oculis ipsis fidem faciat, persuadere sibi poterit. Dabimus operam, ut quæ sola lectione mediocriter saltem eruditi iis in rebus animadvertent, etiam tardissimi quique rationibus adjuti nostris incredibilia paucarum paginarum errata cognoscant.

IV. Imprimis autem recolenda illa sunt, quæ in superioribus capitibus exposui de antiquo episcoporum statu, cujusmodi temporibus apostolorum fuit, deque communi cum presbyteris illorum appellatione; ita tamen, ut inter episcopum, ac simplicem sacerdotem salva esset functionis, ordinisque distinctio, etsi in eamdem personam ambo concurrerent. Intellectum porro est ibidem, perbrevi tempore, ac sub Ecclesiæ duntaxat initia servatum id fuisse, ut iidem et presbyteri, hoc est communi sacerdotio præditi essent, et episcopi; sive, ut cum Sidonio loquar, in primo et secundo ordine iidem ut essent antistites. Nam subinde unus ex omnibus, qui episcopi tum nomine, tum dignitate, jure, atque ordine, toti Ecclesiæ præesset, electus est; id quod superstitibus adhuc apostolis in usum receptum esse monstravimus. Neque vero, quod indidem constat, sic unquam presbyteri et episcopi simul iidem constituti sunt, ut non distincti per sese ambo essent ordines, qui et diversis postea personis attributi sint; et tum etiam, cum in plerisque conjungerentur, in nonnullis separati fuerint. Ex quibus Trapezitici fœneratoris, ut et reliquorum sectæ ejusdem, hoc est Calvinistarum omnium error arguitur; qui nihil ab episcopo interesse presbyterum, id est ordinem ab ordine differre putant. Explosa est etiam ista presbyterorum, qui iidem essent et episcopi, Trapezitica partitio; ut eorum aliqui hoc unum munus gererent, ut orarent, prædicarentve, et animas tantummodo curarent; alii nihil præter corpora spectarent, et quæ ad ista pertinent, ecclesiasticas pecunias. Quanquam et curandarum animarum particula mox eos aspergit, Sacramentorumque concedit administrationem. Quæ quam falsa, et sine ulla ratione conficta sint, non hic repetam, ne in eadem sæpius incurrat; ac longius, quam volo, tendatur ista disputatio. Nam et alia supresunt haud pauca dicenda contra status episcoporum reliquos duos; etsi, primo illo profligato, majori etiam isti ex parte corruunt. Sed sunt propria quædam flagitia insequentis orationis, de quibus Trapezita noster admonendus est.

V. Proximus a primo, et antiquissimo, status episcoporum fingitur ejusmodi, postquam a presbyterorum ordine segregati sunt, in quo oratione, ac prædicatione divini verbi circumscriptum munus illorum fuit: adeo ut neque bonorum ecclesiasticorum procurationem, neque Sacramentorum præstationem susciperent, sed utrumque administrarent presbyteri. Locum ac verba Trapezitæ [1], quibus hoc explicat, paulo ante descripsimus. Quod initium partitionis illius inter episcopum ac presbyteros muneris, officiique, necesse sit ab illo constitui, jam e superioribus liquet. Tum enim id esse factum existimat [2], « cum presbyterorum et episcoporum ordo distingui cœptus est, et superior gradus dignitatis episcopis dari. » Hoc autem Joannis apostoli, Clementis item Romani pontificis, adeoque Ignatii martyris temporibus, hoc est paulo post ortum Christianismi contigit, quod ex illorum scriptis, et illius ætatis historia omni teste, capite illo tertio probavimus. Quare a postrema saltem apostolorum ætate mutationem illam esse cœptam affirmare debet, si sibi consentaneus esse vult; quod tamen minime omnium curare consuevit. Jam quod ad tempus perducta sit episcopatus illa forma, et ratio; idem sibi Trapezita præscribit, dum eam desiisse tunc asserit [3], « cum episcopo dispensandi res ecclesiasticas potestas data est, sed cum notitia presbyterorum, et diaconorum, ut scirent nimirum, quæ bona essent episcopi propria, quæ ad Ecclesiam pertinerent, canone ultimo Antiochenæ synodi. » Cum igitur in Antiochena synodo decretum hoc fuerit, ut episcopus, consciis presbyteris et diaconis, res ecclesiasticas administraret [4], « cum hactenus hoc proprium munus haberet docere, ac populum prædicatione erudire, orationique tantum vacare, et nullis se aliis ecclesiasticis negotiis immiscere; » nimirum consequens id est, ad annum circiter Christi trecentesimum qua-

[1] Trapez. pag. 417. — [2] Ibidem.

[3] Trapez. pag. 419. — [4] Trapez. pag. 417.

dragesimum primum, quo Antiochena illa synodus canonem istum edidit, episcopos in illo statu et functione perseverasse.

VI. Quamobrem unica et certissima via hæc est indoctæ, atque falsæ refellendæ opinionis, si hoc demonstrari, obtinerique potest, toto illo interjecto tempore, episcopos non solum in orationem, prædicationemque divini incubuisse verbi ; sed cum maxime in rerum ac pecuniarum ecclesiasticarum administrationem, ac Sacramentorum præstationem : quæ duo ministeriorum genera ab illo statu secundo Trapezita abjudicare est ausus. Ac si mihi cum homine vel pudenti, vel antiquitatum ecclesiasticarum, historiæque non imperito res sit, verbo amplius opus non erit. Nam cum infinitis argumentis, et exemplis obrui tam apertum mendacium potest ; tum horum pleraque vulgaria, nec in recondita lectione posita sunt. Sed ne tergiversari conjectores, ac *lucifugæ* ulli queant, *ipsius solis radio scribenda* erunt omnia, ut Tertullianeum hoc usurpem [1] ; ac manifestis antiquorum testimoniis, quasi fidiculis, tum inscitiæ ab illis suæ, tum catholicæ veritatis exprimenda confessio. Hoc igitur agamus. Primus antiquorum testis adversus Trapezitam pro nobis citabitur Justinus martyr apostolicorum suppar temporum. Qui in Apologia secunda, Ecclesiæ Christianæ instituta, moresque describens, præsertim qui in sacris synaxibus, ac Sacramentis celebrandis usurpari tum solebant, omnia per unum ecclesiæ præsidem, id est episcopum, gesta et administrata esse confirmat ; eumdemque tum docendi populi, tum Sacramentorum impertiendorum, ac pecuniæ ecclesiasticæ curatorem, et moderatorem fuisse docet. Primum enim refert, post baptizatum illum, qui Christianus fieri voluit, statim illi, qui fratribus præest, offerri panem et vinum, quæ ab illo consecrata, et corpus ac sanguis effecta Christi, distribuuntur in populum. Ἔπειτα προσφέρεται, inquit, τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος, καὶ κράματος, etc. Nemini dubium est, quin singularis ille præses, ὁ προεστὼς τῶν ἀδελφῶν, sit episcopus toti Ecclesiæ, id est fraternitati, præpositus. Hic igitur tunc Sacramenta conficiebat, eaque per diaconos populo ministrabat, cum jam e numero presbyterorum exemptus dignitate anteibat omnes. Idem etiam, ut paulo post Justinus narrat, Dominica quaque die, postquam lectæ erant Scripturæ sacræ, ad populum verba faciebat. Εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν, καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. « Deinde postquam lector desiit, præses orationem habet, qua instruit, et ad præclara illa imitanda cohortatur. »

VII. Nec minus ille pecuniarum ecclesiasticarum curam gerebat, et eas asservabat ; quod statim Justinus commemorat. Οἱ εὐποροῦντες δὲ, καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται δίδωσι. Καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε, καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσιν ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Hoc est : « Qui locupletes sunt et volunt, pro arbitrio quisque suo, quod libitum est, contribuit ; et quod collectum est, apud præsidem deponitur, atque iis inde opitulatur orphanis, et viduis, iisque, qui vel morbo, vel alia de causa egent, tum iis, qui vincti sunt, et peregre advenientibus hospitibus ; et, ut uno verbo dicam, omnium indigentium curator est. » Hæc Justinus : quæ Trapezitam foro cedere cogunt, ac vadimonium deserere. Vides enim, ut idem ὁ προεστὼς, id est *Ecclesiæ præpositus et episcopus* populum ex officio docuerit, Sacramenta peregerit, res ac pecunias ecclesiasticas administrarit : ex quibus primum duntaxat episcopo mandavit ille ; reliqua duo, presbyteris.

Ceterum quem προεστῶτα vocat Justinus, hunc *præsidentem* Tertullianus nominat in libro de Corona militis, capite tertio, ubi « Eucharistiæ sacramentum Christianos *ait*, non de aliorum manu sumere, quam præsidentium. » Etenim per illa tempora episcopi ipsi fere sacris operabantur, et Eucharistiam iis, qui aderant, præbebant. Neque hoc tantum Sacramentum, sed etiam baptismum præcipuo jure administrabant ; ceteri, ubi major erat numerus, nonnisi ex episcopi auctoritate. Ita docet Tertullianus ipse in libro de Baptismo, capite 17. « Dandi quidem habet jus, *inquit*, summus sacerdos, qui est episcopus. Dehinc presbyteri, et diaconi ; non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem ; quo salvo, salva pax est. » Ergo penes episcopum proprie jus fuit Sacramentorum impertiendorum, baptismi et Eucharistiæ ; tantum abest, ut solis presbyteris commissum hoc munus fuerit, episcopis negatum, ut illi, cum eo fungerentur, nonnisi accepto ab istis jure, auctoritateque facerent. Atque hæc sola Sacramenta sunt, quæ Trapezita, ejusque symmystæ, Romanæ communionis hostes pro veris et Christianis asciscunt. Ita nihil est causæ, quin

[1] Tertull. lib de Resur. carn. cap. 46.

gravissimi convictum se erroris ipse fateatur, qui Sacramentorum curationem episcopis ademerit; penes quos præcipuum jus illorum fuisse, tam firmis testimoniis ostendimus.

VIII. Sequitur Ignatius martyr, qui Justino paulo etiam antiquior est. Hujus epistolæ septem e duodecim, quæ hodie extant, ab Hieronymo recensentur, ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallenses, ad Romanos, ad Philadelphos, ad Smyrnæos, ad Polycarpum. Ex quibus, ceterisque colligas, episcopum toti ecclesiæ, ac clericis omnibus præfuisse, uti nulla pars ecclesiasticæ rei sine illius auctoritate tractaretur. Ac sæpe illud, diligenterque commendat, et in singulis epistolis repetit, ut episcopo pareant universi, præsertim presbyteri, et diaconi; neque quidquam nisi ex ejus arbitrio, ac voluntate faciant. Τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ait ad Trallenses scribens, ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν. « Quid est episcopus, nisi supra omnem principatum, et potestatem omnibus imperans; quatenus homo imperare potest? » In epistola vero tertia ad Magnesios, fieri quidquam prohibet absque episcopo, sicut Christus nihil absque Patre gerit. Οὕτω καὶ ὑμεῖς, inquit, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου, μηδὲ πρεσβύτερος, μὴ διάκονος, μὴ λαϊκός· μηδέ τι φαινέτω ὑμῖν εὔλογον παρὰ τὴν ἐκείνου γνώμην. Τὸ γὰρ τοιοῦτον παράνομον, καὶ Θεοῦ ἐχθρόν. « Ita et vos sine episcopo nihil agite, non presbyter, non diaconus, non laicus; neque res ulla vobis consentanea rationi videatur, præter illius sententiam. Id enim pravum est, et invisum Deo. » Sic in aliis, ut diximus, epistolis, nominatim autem in septima ad Smyrnæos vehementius id inculcat. Μηδεὶς χωρὶς ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. « Nemo, *inquit*, sine episcopo quidquam agat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant. Illa rata habeatur Eucharistia, quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. » Ac subinde disertius; Οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν. Ἀλλ' ὃ ἂν ἐκείνῳ δοκῇ κατ' εὐαρέστησιν Θεοῦ, ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ, καὶ βέβαιον πᾶν ὃ ἂν πράσσητε. « Non, *inquit*, absque episcopo neque baptizare, nec offerre, neque sacrificium celebrare, neque convivium instituere; sed quidquid illi visum fuerit, secundum beneplacitum Dei, ut sit tutum, et stabile, quidquid agetis. » In his Sacramentorum administrationem, et rerum omnium ecclesiasticarum curationem, episcopi auctoritati ac potestati commissam esse demonstrat.

Rursus in octava epistola, quam scripsit ad Polycarpum, viduarum illi curam commendat; et ut nihil nisi ex ejus sententia geratur. Αἱ χῆραι μὴ ἀμελείσθωσαν. Μετὰ τὸν Κύριον σὺ αὐτῶν φροντιστὴς ἔσο. Μηδὲν ἄνευ τῆς γνώμης σου γινέσθω. Tum ut populum hortando, admonendoque doceat: et ne Christiani matrimonia nisi ex episcopi auctoritate copulent. Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι, καὶ ταῖς γαμούσαις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ Κύριον, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν.

IX. Eadem veteris Ecclesiæ disciplina ex antiquis canonibus Conciliorumque decretis adstruitur; quæ episcopi unius judicio, ac potestati summam ecclesiasticarum rerum omnium permittunt. Imprimis apostolici canones, qui etsi in dubium vocantur, nemo tamen dissentit quin antiquissimi fuerint, præsertim priores, quos ad quinquaginta latine vertit Dionysius. Horum tricesimus nonus ita constituit: « Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt, condonare. Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædentur. » Canone deinde 40. « Presbyteri, et diaconi præter episcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus ipsi commissus est, etc. » Item canone 41. « Præcipimus, ut in potestate sua episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet, eum curam pecuniarum gerere ita, ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per presbyteros, et diaconos; et cum timore, omnique sollicitudine ministrentur, etc. » Quin etiam in canonibus 47. 49. 50. episcopis præscribit quædam in dando baptismo ab illis observanda. Non igitur ab reliquis curationis ecclesiasticæ partibus exclusi solum docendi munus exercebant, ut falso credidit Trapezita. Quem ne ipsum quidem cunctaturum arbitror, quin pluris istos esse qualescumque canones fateatur, quam supposititium illum Damasum, e quo lepidam illam ἐπίστασιν de episcoporum officio concinnavit. Pluris item eodem illo pseudo Damaso Constitutiones apostolicas Clementis faciat; in quibus episcopo mandatur omnium cura rerum ecclesiasticarum.

X. Nam lib. 2. cap. 11. episcopum ait præesse omnibus hominibus. Διὰ τοῦτο οὖν, Ἐπίσκοπε, σπούδαζε καθαρὸς εἶναι, τοῖς ἔργοις γνωρίζων τὸν τρόπον σου, καὶ τὴν ἀξίαν, ὡς Θεὸν τύπον ἔχων ἐν ἀνθρώποις τῶν πάντων ἀρ-

χειν ἀνθρώπων, ἱερέων, βασιλέων, ἀρχόντων, υἱῶν, διδασκάλων, καὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ὑπηκόων. Καὶ οὕτως ἐν ἐκκλησίᾳ καθέζου τὸν λόγον ποιούμενος, ὡς ἐξουσίαν ἔχων κρίνειν τοὺς ἡμαρτηκότας. Ὅτι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις εἴρηται, ὃ ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὃ ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τῷ οὐρανῷ. « Quocirca stude, *inquit*, o episcope, purus esse, factis ipsis mores tuos indicans ac dignitatem, utpote qui inter homines exemplar habes Deum, hoc ipso, quod omnibus imperas hominibus, sacerdotibus, regibus, magistratibus, patribus, filiis, magistris, atque omnibus simul subjectis. Ita porro in Ecclesiæ sede sermonem faciens, ut qui potestatem habeas judicandi eos, qui peccaverunt; quoniam vobis episcopis dictum est: Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in cœlis. » Non hæc, opinor, in eos quadrare possunt, qui, præterquam prædicandi verbi divini, nullum aliud in Ecclesia munus sustinent, quales episcopos ætate illa fuisse Trapezita commentus est: sed summum, absolutumque magistratum indicant, qui sacris rebus, et ecclesiasticis nulla præsit excepta; præsertim vero Sacramentis, quorum dispensatio ad ligandi, atque solvendi potestatem refertur. De qua vide, si lubet, caput ejusdem libri 16. 18. 20. et 21. in quibus plenam tum in peccatores pœnitentiæ subjectos, tum in ceteras ecclesiasticæ rei partes, potestatem permittit episcopis. Nominatim vero pecuniarum sacrarum, quæ ex decumis, et ultro tributis, atque oblationibus fidelium, Ecclesiæ proveniunt, administrationem concedit c. 25. earumque distributioni præesse jubet. Et cap. 27. Πρόσκειται οὖν καὶ ὑμᾶς, ἀδελφοί, τὰς θυσίας ὑμῶν, ἤτοι προσφορὰς, τῷ ἐπισκόπῳ προσφέρειν, ὡς ἀρχιερεῖ, ἢ δι' ἑαυτῶν, ἢ διὰ τῶν διακόνων. Οὐ μὲν δὴ ἀλλὰ καὶ τὰς ἀπαρχὰς, καὶ τὰς δεκάτας, καὶ τὰ ἑκούσια αὐτῷ προσάγετε. Αὐτὸς γὰρ γινώσκει τοὺς θλιβομένους, καὶ ἑκάστῳ δίδωσι πρὸς τὸ ἁρμόζον. « Oportet igitur et vos, fratres, sacrificia vestra, id est oblationes offerre episcopo, tanquam pontifici, sive per vos, sive per diaconos. Sed et primitias, et decumas, et quæ sponte offeruntur. Is enim probe novit afflictos; et unicuique, prout congruum est, tribuit. » Vide insuper caput 31. et 32. Capite vero 34. episcopum ornat amplissima potestate, ac jurisdictione; quam in eo sitam agnoscit, *quod eos ligare potest, aut solvere, qui pœna digni sunt, aut venia*. Ideo episcopum, *inquit*, amare debetis ut patrem, ut regem metuere, honorare ut dominum; eique fructus vestros, et manuum opera vestrarum ad benedictionem promerendam offerre; primitias vestras, decumas, et oblationes, ac dona dantes, tanquam sacerdoti Dei. » Δεσμεύει γὰρ αὐτὴ, καὶ λύει τοὺς τιμωρίας, ἢ ἀφέσεως ἀξίους. Διὸ τὸν ἐπίσκοπον στέργειν ὀφείλετε ὡς πατέρα, φοβεῖσθαι ὡς βασιλέα, τιμᾷν ὡς κύριον· τοὺς καρποὺς ὑμῶν, καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν ὑμῶν εἰς εὐλογίαν ὑμῶν προσφέροντες αὐτῷ, τὰς ἀπαρχὰς ὑμῶν, καὶ τὰς δεκάτας ὑμῶν, καὶ τὰ ἀφαιρέματα ὑμῶν, δῶρα ὑμῶν διδόντες αὐτῷ, ὡς ἱερεῖ Θεοῦ. Plura non addam scriptoris hujus, quæ sunt innumera, et apud ipsum utilius legentur.

XI. Jam canones veterum Conciliorum, et usus Ecclesiæ per idem tempus, ac tota Christianæ series historiæ vera esse demonstrant, quæ adversus Trapezitarum patronum contendimus. Etenim disciplina omnis ecclesiastica, clericorum et ordinum omnium gubernatio, pœnarum itidem modus, et pœnitentiæ functio, ac jus denique ad Sacramenta percipienda, et eorum administratio, decretorum synodicorum auctoritate passim in episcopos confertur. Consulantur canones Nicænæ synodi, 5. 11. 12. in quibus repræsentandæ communionis potestas episcopo tribuitur, ut pro arbitrio legitimum tempus vel contrahat, vel proroget iis qui pœnitentiam obeunt. Episcopo, inquam, ejusmodi, quem et unum tantum in civitate qualibet canone 8. esse jubet, et in ejus voluntate situm esse, ut episcopis ad catholicam partem ab hæresi transeuntibus, episcopalis duntaxat nominis dignitatem permittat. Sic Laodicenum canone 19, pœnitentium curam episcopo mandat; et canon 57. presbyteris præcipit, ut nihil sine consensu episcopi gerant: Τοὺς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τοῦ ἐπισκόπου.

Ancyrana quoque synodus canone secundo, et quinto, vel quarto, ut a Dionysio exiguo numerantur, episcopi judicio relinquit pœnitentiæ modum; quo uno in cardine Sacramentorum, et communionis ecclesiasticæ summa vertitur. Canone vero 15. bonorum Ecclesiæ curam ac potestatem eidem committit episcopo. Περὶ δὲ τῶν διαφερόντων τῷ κυριακῷ, ὅσα ἐπισκόπου μὴ ὄντος πρεσβύτεροι ἐπώλησαν, ἀνακαλεῖσθαι τὸ κυριακόν· ἐν δὲ τῇ κρίσει τοῦ ἐπισκόπου εἶναι, εἴπερ προσήκει ἀπολαβεῖν τὴν τιμὴν, εἴτε καὶ μὴ, etc. Hoc est, ut Dionysius interpretatur, « De his, quæ pertinent ad Ecclesiam, quæcumque, cum non esset episcopus, presbyteri vendiderunt; placuit, rescisso contractu, ad jura ecclesiastica revocari. In judicio autem erit episcopi, si pretium debeat recipi. »

Gangrensis item synodus, quæ Nicænam antecessisse creditur, canone septimo, et octavo, anathema dicit iis, qui oblationes Eccle-

siæ, citra consensum episcopi, dare aut accipere ausi fuerint, aut ejus certe, quem illis colligendis et administrandis episcopus præfecerit. Quare penes episcopum fuit non solum institutio populi, ac prædicatio divini verbi, sed etiam Sacramentorum, ac bonorum ecclesiasticorum tractatio, quod Trapezita præfracte negat.

XII. Adde nunc, si lubet, exempla plurimorum episcoporum, quæ in historiis occurrunt illorum temporum : ex quibus eosdem liquido constat, et divini verbi, et ecclesiasticarum omnium functionum jus habuisse; non autem presbyteros, quibus episcopi Sacramentorum impertiendorum potestatem facerent, eamque pro arbitrio relaxarent, aut restringerent. Scribit apud Eusebium Cæsariensem Dionysius Alexandrinus episcopus [1], se presbyteris præcepisse, uti lapsis sub exitum vitæ communionem darent. Multa porro ejusdemmodi apud Cyprianum, tam ab ipso constituta, quam ab aliis episcopis, memoriæ prodita sunt ; quæ vel nunquam legit Trapezita : vel si legit, doceat nos, qua fronte tantum paginarum in re falsissima contra illius auctoritatem asseveranda perdiderit. *Episcopum* ille *judicem a Deo datum* nominat, *et Ecclesiæ gubernatorem*, epistola 69. Idem « schismata et hæreses inde obortas esse, et oriri » dicit, « dum episcopus, qui unus est, et Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur. » Non igitur simplex curatio sine jurisdictione, ac potestate fuit, id est ἐξουσία, ut putat Trapezita. Idem porro Cyprianus episcopalis partem muneris fuisse demonstrat Sacramentorum administrandorum jus auctoritatemque; dum Puppianum schismaticum, qui ipsum negabat episcopum esse verum, ac legitimum, sic irridens refellit : « Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantiæ animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam præpositos, et sacerdotes vocare ; ac nisi apud te purgati fuerimus, et sententia tua absoluti, ecce jam sex annis nec fraternitas habuerit episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem, nec Deus sacerdotem ? Subveniat Puppianus, et sententiam dicat, et judicium Dei et Christi in acceptum referat; ne tantus fidelium numerus, qui sub nobis accersitus est, sine spe salutis et pacis exisse videatur ; ne novus credentium populus nullam per nos consecutus esse baptismi, et Spiritus sancti gratiam judicetur ; ne tot lapsis, et pœnitentibus pax data, et communicatio nostra examinatione concessa, judicii tui auctoritate solvatur. Annue aliquando, et dignare pronuntiare de nobis, et episcopatum nostrum cognitionis tuæ auctoritate firmare, ut Deus et Christus ejus agere tibi gratias possint, quod per te sit antistes et rector altari eorum pariter et plebi restitutus. »

XIII. Hinc episcopos apparet Sacramenta dispensasse, ac jure suo et proprio illorum administrationi præfuisse. Nam baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, et altaris Sacrificium in eorum fuisse potestate significat. Quod ipse passim, et in plerisque illius epistolis ac libris exstat : in quibus de lapsis ad pœnitentiam admittendis, ac reconciliandis, id est communione ecclesiastica, et Sacramento altaris impertiendis, aut contra rejiciendis, ac differendis præcepta dat ; et quid in eo genere observari velit a clericis, edicit. Nec minus pauperum curam gerit, ut viduarum, et eorum, qui pro Christi nomine multa perpessi, ad inopiam redacti erant ; necnon clericorum, quibus ex Ecclesiæ bonis prospici jubet, et eisdem ampliorem dignitatis gradum decernit. An vero pars est ulla ecclesiasticæ rei, cujus non curam ac sollicitudinem præ se ferat, non, ut alienam, aut ad alios pertinentem, sed tanquam pastoralis et episcopalis officii propriam ? cum interim alteram in partem nihilo secius intentus esset, quæ in docendo populo, ac verbo Dei prædicando posita est. « Quid enim aliud in Ecclesia Domini, ait in libro de Bono pudicitiæ, utilius geri, quid accommodatius officio episcopi potest inveniri, quam ut doctrina divinorum per ipsum insinuata, collataque verborum, possint credentes ad repromissum regnum pervenire cœlorum ? »

XIV. Rursus actus omnes Ecclesiæ ab episcopis gubernari, idem diserte in libro de Lapsis ait : « Inde per temporum, et successionum vices, *inquit*, episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem episcopos gubernetur. » Sic in epistola 38. in Felicissimum schismaticum invehitur, « qui a pastore oves, et filios a parente separare, et Christi membra dissipare tentaverat. »

In eadem epistola, quam ad episcopos sibi subjectos, et presbyteros scribit, affirmat se illos *pro se vicarios misisse*, « Ut expungere-

[1] Euseb. lib. 6. c. 34.

tis, *inquit*, necessitates fratrum nostrorum sumptibus, etc. » Ut appareat, pecuniarum ecclesiasticarum dispensationem per id tempus in episcopi cum maxime fuisse potestate. Tum de eodem Felicissimo, « Cumque post hæc omnia nec loci mei honore motus, *inquit*, nec vestra auctoritate, et præsentia fractus, etc. » Ubi ἀξίαν, id est *dignitatem*, sive *honorem*, episcopatui suo vindicat, non minus contra Trapezitam, quam contra Felicissimum schismaticum. Utitur et eadem *honoris* voce, addita etiam et altera non minus splendida *potestatis*, idem Cyprianus in epistola 65. ad Rogatianum episcopum de diacono quodam re et nomine Superbo, de quo ita præcipit, « Quod si ultra te contumeliis suis exacerbaverit, et provocaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas, vel abstineas. » Quibus in verbis et episcopalis ordinis dignitas, atque honor, et honori adjuncta potestas apparet, ac jurisdictio ; quod utrumque Trapezita, non sine sacrilegio, episcopis audet eripere. Atqui ambo ista, una cum episcopatu ipso, ab hujus auctore, et institutore Christo ei indita fuisse, non usu consequentium temporum invecta, passim et Cyprianus, et alii omnes antiqui docent. Chrysostomus certe homilia tertia in epistolam ad Colossenses, eam vocat πνευματικὴν ἀρχὴν, *spiritalem principatum*, vel *magistratum*, cui θρόνον et προεδρίαν assignat ex institutione Christi. Ἕως δ' ἂν ἐπὶ τοῦ θρόνου τούτου καθήμεθα, inquit, ἕως ἂν τὴν προεδρίαν ἔχωμεν, ἔχομεν καὶ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν ἰσχὺν, εἰ καὶ ἀνάξιοί ἐσμεν. Εἰ ὁ Μωϋσέως θρόνος οὕτως ἦν αἰδέσιμος, ὡς δι' ἐκεῖνον ἀκούεσθαι· πολλῷ μᾶλλον ὁ τοῦ Χριστοῦ θρόνος· ἐκεῖνον ἡμεῖς διεδεξάμεθα· ἀπὸ τούτου φθεγγόμεθα, ἀφ' οὗ καὶ ὁ Χριστὸς ἔθετο ἐν ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς. « Quandiu vero in throno isto sedemus ; quandiu præsidendi jus habemus ; et dignitatem habemus, et vim, tametsi indigni sumus. Si Mosis thronus tanta in veneratione fuit, ut ejus gratia illi auscultaretur ; multo in majore debet esse thronus Christi. In eum nos successimus ; ex eo verba facimus, a quo Christus posuit in nobis ministerium reconciliationis. » Habet igitur episcopatus Christianus, ex auctoritate conditoris sui Christi, illa omnia, quæ Trapezita detrahit, ἀξίαν, id est *dignitatem* ; προεδρίαν, *præsidentiam*, ut ita dicam ; *thronum*, summæ insigne potestatis ; ἰσχὺν, id est *vim* et *auctoritatem*, qua ad coercendum, et cogendum utantur interdum ; ac cetera denique magistratus, ac principatus propria, quæ in nudam curationem cadere omnino nequeunt.

CAPUT SEPTIMUM.

Pergitur in refellenda Trapezitæ sententia ; quæ episcopatum negat dignitatem fuisse, sed solam facit curationem. Ostenditur e contrario episcopos potestatem, ac jurisdictionem habuisse ; tum longe Judaicis sacerdotibus ampliorem. Quid sit potestas clavium, de qua Trapezitæ falsa opinio notatur.

I. Qui strictim a nobis antecedenti capite, summatimque libata veterum testimonia de episcoporum officio legerit, multoque magis qui illorum ex libris pleniorem hujus rei notitiam hauserit, satis admirari poterit, fuisse quemquam hoc tempore tanta confidentia præditum, ut de episcopis tam illis contraria, tam ad hunc diem inaudita proferret, ut hoc dicere auderet [1] : fuisse munus episcoporum non dignitatem aliquam, ac magistratum ecclesiasticum, sed nudam sine potestate curationem, ac jurisdictione vacuam ; tum quæ pagina 532. præter omnem modum absurda, commentitiaque scripsit, quæ quidem verbis illius referam : « Presbyteri, *inquit*, in synagoga Judaica etiam judicandi potestatem habuerunt ; at in Christiano presbyterio, episcopi curationem tantum. Unde et ἐπίσκοποι sunt appellati, id est curatores. Provisione quippe animi, et corporalis laboris intentione, partim in docendo populo, partim in dispensandis rebus ecclesiasticis, et Sacramentis administrandis erant occupati. Ubi vero dignitas esse cœpit, et honos, quod olim curatio tantum

[1] Trap. p. 412. 423. et 530.

fuerat, id est ἐπισκοπὴ; tum ea officia, quæ curationis erant, certis personis attributa sunt, quæ non crearentur per manuum impositionem, sed per promotionem, id est προβολὴν, ut œconomi Ecclesiæ, et defensores, qui Græcis ἔκδικοι. » Hæc infinite dicta, neque distincta satis, sed incondita, atque perplexa, nullam certam ac liquidam notionem lectoribus offerunt. Nihil est in illis tamen, quod, utcumque perceptum extricatumque sit, non ad summam vel inscitiam vel hæresim implicatum appareat.

II. Primum inter synagogæ Judaicæ presbyteros, et episcopos discrimen illud posuit, quod illi judicandi potestatem habuerint; episcopi ea caruerint, sola curatione circumscripti. Etsi non diserte significat, de qua jurisdictione loquatur, civili vel externa, an spirituali; tamen de spirituali, perspicuum est, ab illo ista dici. Nam episcopatus spiritualis est præfectura, quæ per se ad animam refertur, et sempiternam salutem; ad corpus autem, et externarum rerum procurationem ex accidenti. Itaque qui judicandi potestatem detrahit episcopis, spiritualem iis jurisdictionem adimit. Et ubi illa est [1], *ligandi potestas* atque *solvendi*, quam apostolis, et per apostolos eorum successoribus épiscopis, mandatam a Christo, Concilia omnia, omnia veterum Patrum monumenta testantur? Quid enim *ligare* atque *solvere* aliud est, quam judicare, ac vel damnare, vel absolvere: quæ est duplex judicum functio?

Judiciariam certe potestatem verbis illis a Christo datam esse Petro apostolorum principi, credidit Cyprianus Epistola 27. adeoque apostolis proportione ceteris, et eorum successoribus episcopis. « Ut Ecclesia, *inquit*, super episcopos constituatur; et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. » Quod quidem, salvo Petri ac successorum ejus principatu, catholica pietas intelligit. Agnoscit item Hilarius canone 16. in Matthæum, dum « ejus arbitrio claves æterni aditus illi traditas » scribit, « cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo. » Credidit et Hieronymus; qui in epistola ad Heliodorum apostolos omnes, in quos iisdem verbis non dissimilem potestatem contulit, « claves regni cœlorum habentes » asserit, « quodammodo ante diem judicii judicare. » Nec aliter omnes antiqui Patres, qui eamdem potestatem mortalibus a Deo concessam infinitis laudibus, et cum ingenti admiratione prædicant.

III. Præcipue vero Chrysostomus in libro tertio de Sacerdotio, hoc est episcopatu; in quo mirifica quædam de amplissima illa potestate ac jurisdictione scribit, quibus Trapeziticæ, ac fœnebris rei patrono os occludit. Expendantur primum ista, et cum pusillæ mentis ac judicii illius angustiis conferantur: qui solam sine potestate curationem episcopis attribuit. [2] Οἱ γὰρ τὴν γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβὴν, τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν, καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις, οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ Θεὸς. Οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται· ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· ἔχουσι μεν γὰρ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον· οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς· καὶ ἅπερ ἂν ἐργάσωνται κάτω οἱ ἱερεῖς, ταῦτα ὁ Θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ. Καὶ τί γάρ, ἀλλ' ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τὴν οὐράνιον ἔδωκεν ἐξουσίαν; « Nam qui terram incolunt, *ait*, et in ea commorantur, iis commissa est cœlestium administratio; ac potestatem acceperunt, cujusmodi nec angelis, nec archangelis tribuit Deus. Non enim dictum est his: Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in cœlo. Habent enim et ii, qui in terra dominantur, vinciendi potestatem; sed in corpora duntaxat. Illud autem vinculum animam attingit ipsam, et cœlos ipsos penetrat. Et quæcumque infra sacerdotes egerint, hæc supra Deus rata facit, ac servorum suorum sententiam confirmat. Et quid aliud, quam cœlestem illis omnem tradidit potestatem? » Mox vero regis affert exemplum, qui, quos velit, in carcerem detrudendi potestatem alicui dederit; et quos velit, a vinculis liberandi. Sacerdotes vero longe isto potestatem ampliorem a Deo consecutos asserit, et infinite majori dignitate esse præditos. Quam eamdem similitudinem accommodat et homilia 6. in Joannem, ad illa Christi verba: *Quorum remiseritis peccata*, etc. Quænam ergo dignitas, ac potestas esse potest, quæve jurisdictio, si hæc non est?

IV. Quod autem Judæorum presbyteris judicandi functionem Trapezita dat; Christianorum presbyteris, id est episcopis, adimit; quantum opinione sit falsus, paulo post idem demonstrat Chrysostomus, dum ambos invicem confert, et Judaicos lepræ non curandæ, ac tollendæ, sed probandæ duntaxat, an sanata jam esset, potestatem habuisse dicit; episcopos vero non corporum, sed animorum

[1] Matt. 16. 18. et cap. 18. 18.

[2] Chrysost. lib. de Sacerd p. 61. tom. 6. Sav.

lepram, et impuritatem non sanatam probandi jus habere, sed sanandi penitus, et ab ea liberandi : Οὗτοι δὲ οὐ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν ψυχῆς οὐκ ἀπαλλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν.

Ita Cassianus libro tertio de Incarnatione, capite 14. apostolum ait « potestatem quodammodo divinitatis accepisse, ut quæ ligasset vel solvisset in terris, vel ligata essent in cœlestibus vel soluta. »

Ex iis hæreticorum, et inter hos Trapezitæ, μικρολογία constringitur; qui non isto tantum in libro, qui de Trapezitico fœnore inscribitur, sed alio in loco, episcoporum dignitatem adeo in arctum cogit, ut ligandi solvendique potestatem non aliter definiat, quam eo munere, quo ostiarii fungebantur; quod in eo situm erat, ut in permittendo aditu ecclesiæ « bonos a malis discernerent, » ait Ivo Carnotensis sermone 2. de rebus Eccl. Ita ille ligare nihil aliud esse putat, quam ecclesia interdicere; solvere, liberum in ecclesiam aditum dare. Nam et cœlorum regnum, cujus claves Petro datæ sunt a Christo, ecclesiam interpretatur, non falso tantum, sed etiam inepte, ut alibi demonstravimus [1].

V. Hoc hæreticum fermentum damnant pene omnes græci, latinique Patres, qui de potestate illa episcopis, ac sacerdotibus pro cujusque munere concessa aliter judicant, ut ex paucis, quæ attuli, testimoniis constat : quibus unum, alterumve libet addere. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 14. Eliam cum Petro comparans, Ἠλίας μὲν, inquit, ἀνελήφθη εἰς οὐρανόν· ἀλλὰ Πέτρος ἔχει τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. « Elias in cœlum assumptus est : at Petrus claves habet regni cœlorum. » Antiochus Homilia 122 [2]. Οὐκ εἶπεν, inquit, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐπὶ τῆς γῆς· ἀλλ' ὅσα ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ἵνα καὶ ποιῶν ἀκοινώνητον, ἢ κωλύων, ἢ καθαιρῶν, φοβερὸν ἔχοις τὸ πρᾶγμα, ὡς σύμψηφον καλῶν τὸν Θεὸν, ὡς ὑπὸ μάρτυρι τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τοῦτο ποιῶν. Καὶ ὁ κωλυόμενος, ἢ καθαιρούμενος φρίττῃ, ὡς ἔξω βαλλόμενος οὐρανῶν βασιλείας. Ὅρα, φησὶν, ὃ πράττεις, ἱερεῦ. Ἃ κάτω δεσμεῖς, ἄνω λογοθετεῖσθαι προσδόκησον. « Non dixit, Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata in terra, sed quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata in cœlo; ut quando a communione repelles, vel interdices, vel depones, formidolosam rem esse ducas; utpote qui sententiæ adstipulatorem adhibeas Deum, tanquam illo teste, qui in cœlo est, id agens. Et ut vicissim is, cui interdicitur, aut qui deponitur, perhorrescat, velut extra regnum cœlorum ejectus. Vide, inquit, o sacerdos, quid agas! Quæ infra alligas, horum in supernis rationem habendam existima. » Manifestum est ex illis omnibus Patrum decretis, regnum cœleste non esse hujus temporis Ecclesiam, ut pessime interpretabatur Trapezita noster, sed cœlum ipsum, cujus claves Petro tradidit Christus; ac potestatem illam ligandi, solvendique, jus esse, non ab ecclesia solum ejiciendi, vel in eam introducendi, sed ad cœlum usque pertingere.

VI. Hanc vero judiciariam esse functionem, nemo non agnoscit, nisi qui plane desipit. « Jus enim hoc solis permissum est sacerdotibus, » ait Ambrosius libro 1. de Pœnitentia, capite 2. et Pacianus epistola 1. Itaque sacerdotalibus officiis continetur. Et quidem Calvinus solo jure prædicandi jurisdictionem definit istam, dum *clavium vocem, et ligandi modum* sic explicat [3] : « Quoniam Evangelii doctrina nobis, *inquit*, cœli aperiuntur. Porro non alio modo ligantur et solvuntur homines, nisi dum fides alios reconciliat Deo, alios sua incredulitas magis obstringit. » Et in commentario ad Harmoniam evangelicam, locum enarrans illum Matthæi 16. *Dabo tibi claves*, etc. « Clavium, *inquit*, similitudo concinne ad docendi munus aptatur. » Hinc apparet, quibus ex fontibus suum illum rivulum duxerit Trapezita, qui episcopatum, ejusque summum ac præcipuum munus sola docendi, ac prædicandi functione metitur. Quanquam turpius in eo, quam Calvinus ipse, peccat; quod *regnum cœlorum*, ut jam diximus, militantem in terris Ecclesiam esse putat, cum cœlum ipsum proprie dictum Calvinus intellexerit. Sed de potestate ligandi et solvendi, deque clavibus Petro traditis, longe diversa ab indoctis istis Scripturarum mangonibus vetustas omnis ecclesiastica docuit. Nam Sacramentorum administratione, et sententia contineri judicavit, qua ab usu sacrorum arcentur, aut ad ea fideles admittuntur. Ita Cyprianus in epistola ad Lapsos 27. Et in epistola 73. ad Jubaianum, de iis Christi verbis agens, quibus Joannis 20. remittendi potestatem aut retinendi peccati tribuit apostolis, ad baptismi, et remissæ peccatorum, id est pœnitentiæ dandæ, jus illa refert. Idem et Hieronymus censet Epistola 150. quæstione 9. Chrysostomus item libro tertio de Sacerdo-

[1] In Miscel. Exercit. ad Jul. c. 16. — [2] Tom. 1. Bibl. Græc. pag. 1215.

[3] Calv. lib. 4. Inst. c. 6. § 4.

tio [1], ubi ad baptismum Eucharistiam addit.

VII. Cyrillus etiam Alexandrinus libro 12. in Joannem, postquam illud ab Christo derivatum in apostolos remittendorum jus peccatorum, non ad falsarii Trapezitæ judicium, sed ad veritatis regulam exactum amplissimo præconio celebravit; ut divinam esse potestatem illam, et dignitatem assereret: Τὸ μόνῃ, inquit, πρέπον ἀξίωμα τῇ θείᾳ φύσει τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς περιέθηκεν ὁ σωτήρ. « Soli divinæ naturæ congruentem dignitatem, discipulis suis Salvator attribuit. » Id autem, qua ratione ab illorum successoribus exerceri in Ecclesia soleat, postea sic explicat: Ἀφιᾶσι γε μὴν ἁμαρτίας, ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι κατὰ δύο τρόπους, κατά γε διάνοιαν ἐμήν. Ἢ γὰρ καλούσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα τοὺς, οἷς ἂν ἤδη τούτου τυχεῖν ὠφέλετο διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα, καὶ τὸ δεδοκίμασμένον εἰς πίστιν· ἢ διακωλύουσί τινας, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσιν ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους. Ἢ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσί τε, καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες. Hoc est: « Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis. Vel enim ad baptismum vocant eos, quibus illius copia fieri debet, propter vitæ honestatem, et probatam fidem. Vel prohibent aliquos, et a divina gratia rejiciunt, quod nondum ea se dignos præbuerint. Vel alio modo remittunt, retinentve peccata, dum Ecclesiæ filios vel peccantes castigant, vel pœnitentibus ignoscunt. »

VIII. Quapropter non in prædicatione divini verbi, usus potestatis clavium situs est, sed in Sacramentis administrandis, baptismi præsertim, Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, quorum jus omne penes episcopos erat; nempe ut aut per se illa fidelibus impertirent, aut presbyteros ac diaconos, pro suo quemque munere, vicarios illius gerendæ functionis adhiberent. Notum enim est moris ecclesiastici peritis probandorum catechumenorum, et ad baptismum et Eucharistiam admittendorum jus, et officium, proprium episcoporum fuisse; necnon ad communionem, et Sacramentorum usum recipiendorum pœnitentium. Quam ob causam sanctissimi illi, quos testes adduxi, et quos, ne essem longior, omisi, Patres, ligandi atque solvendi, sive remittendi aut retinendi peccata, sive denique clavium potestatem datam episcopis per apostolos fuisse testantur. Quæ res, non oneris tantummodo sine dignitate functionem, non docendi ac prædicandi munus, non aliud denique, quam jus, potestatem, magistratum, jurisdictionem, ut in rebus ecclesiasticis, amplissimam ostendit; ac multo præstantiorem, quam quæ Judaicis presbyteris tributa fuit in antiqua lege.

CAPUT OCTAVUM.

Prædicandi jus ac functionem penes episcopos fuisse demonstratur adversus indoctum Trapezitæ commentum; idque variis Patrum, ac Conciliorum testimoniis asseritur.

I. Reliquus ex Trapezitæ partitione [2] tertius est episcoporum status, in quo « docendi munere abjecto, ex muniis presbyterorum quædam sibi præcipua sumere cœperunt, quæ non liceret presbyteris attingere, sed episcopi soli agere possent; ut erat pœnitentium reconciliatio, et chrismæ confectio, et puellarum consecratio, et alia quædam. » Addit insuper [3], « Per idem tempus episcopo dispensandi res ecclesiasticas potestatem datam esse, sed cum notitia presbyterorum, et diaconorum, canone ultimo Antiochenæ synodi. » Ex quibus liquet, circa Antiocheni concilii tempus mutationem hanc episcopalis ordinis institutam fuisse, ac deinceps « docendi munus episcopos abjecisse. » Hunc enim postremum statum recenset τῆς ἐπισκοπῆς Trapezita. Jam hoc inusitatum et immane portentum est erroris, affirmare, quarto Christianæ Ecclesiæ seculo, ac deinceps, episcopos ab docendo, et prædicando Dei verbo destitisse. Atqui evidens est, tum maxime ei rei dedisse operam

[1] Pag. 16 edit. Savil.

[2] Trapez. pag. 418. — [3] Id. pag. 419.

episcopos ; idque passim synodicis decretis et canonibus illis injunctum fuisse. Nulla est ad usum Ecclesiæ, ac mores investigandos, et quod cujusque jus ordinis ecclesiastici sit, officiumque discernendum alia ratio, quam conciliorum et canonum decreta, quibus omnis Ecclesiæ disciplina continetur; Patrum, et Ecclesiæ doctorum, qui eadem ætate florebant, testimoniis approbata. At id persæpe, graviterque scimus episcopis esse mandatum, ut divini verbi pabulo commissum sibi gregem reficerent. Carthaginense quartum, canone 20. sanxit, « Ut episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed ut lectioni, et orationi, et verbi Dei prædicationi tantummodo vacet. » Canone item 24. « Sacerdote (is est episcopus) verbum faciente in ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommuni- cetur. »

II. Hilarius in octavo libro de Trinitate, « Non statim boni, atque utilis pastoris est, *ait*, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare, cum et innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit; et doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit, etc. Sed perfectum Ecclesiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit (Apostolus), ut et vita ejus ornetur docendo, et doctrina vivendo. »

Prosper libro de vita Contemplativa, capite 20. qualem esse deceat episcopum, docens, inter alia, quod Ezechiel speculatorem illum esse dicit, id velle asserit, « Oportere sacerdotem propositi sublimitate celsiorem esse cunctis, et majoris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viventes instruere. »

Isidorus Pelusiota libro 2. epistola 208. ad Hermogenem episcopum scribens, episcopalis esse muneris docet non solum verbo docere, quod plerosque tum unum instituisse queritur, sed virtuti insuper studere. οὐ τοσοῦτον γὰρ ὁ λόγος, ὅσον ὁ τρόπος τῶν διδασκόντων παραθήγειν πέφυκεν. Οἱ δ', ὥσπερ τὸ λέγειν μόνον ἐμπιστευθέντες, τοῦ πράττειν ἀπέχονται. οὓς καὶ στηλιτεύων ὁ μὲν θεῖος Ἀπόστολος ἔφη· ὁ κηρύττων μὴ κλέπτειν, κλέπτεις. « Non oratio docentium perinde animos acuere solet, ut vita et mores. At isti non secus ac si ipsis dicendi duntaxat munus commissum fuisset, ab actione abstinent. Quos etiam proinde incessens, ac proscindens divinus Apostolus his verbis usus est : Qui prædicas non esse furandum, furaris, etc. » Vide et epistolam 235.

III. Sed quo vehementius prodigium illud erroris elidatur, conciliorum aliquot canones in medium afferam, qui longe post illud tempus editi sunt, quo tempore Trapezita prædicandi munus ejurare cœpisse putat episcopos. Nam si id unquam in Ecclesia factum est, postremis maxime seculis est factum : quæ quo longius ab incorrupta illa et apostolica ætate distant; eo disciplina solutior fuit, ac tum clerici reliqui, tum episcopi præsertim, in otium ac licentiam incubuerunt. Idque prædicandi officium laboriosum utique ac molestum detrectasse tunc istos, et in presbyteros trajecisse, verisimile esset; si hoc unquam gestum esse constaret. Sed est falsissimum; imo contrarium omnes synodi, omnes canones, omnium seculorum decreta prædicant : id perpetuo episcopalis officii, munerisque proprium habitum in Ecclesia fuisse, docere populum, et ad eum divinis de rebus, ac mysteriis verba facere; cujus in partem officii ita vocati sunt presbyteri, et alii, si forte, clerici, ut vel interim episcopi pro virili parte idem facere non destiterint; vel facultatis inopia, aut negotiorum implicati molestiis potius, quam quod eorum muneris id non esset, omiserint; ac denique nonnisi concessu illorum et auctoritate potestas sit prædicandi divini verbi tributa ceteris.

IV. Sed jam canones paucos ex infinita copia proferamus. Arelatense sextum, quod anno 823, Carolo M. imperante, factum est, canone tertio, episcopis præcipit, ut sacris litteris, et divinarum rerum studio dediti sint : « Ut unusquisque illorum in propria parochia perfecte studioseque presbyteros, et universum populum docere, et instruere non negligat; quia ignorantia mater cunctorum est errorum, et maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, QUI DOCENDI OFFICIUM IN POPULIS SUSCEPERUNT, etc. Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, et canones, ut omne opus eorum in prædicatione, et doctrina consistat. » Turonense tertium eodem anno celebratum canone 4. « Sollicite studeat, *inquit*, unusquisque episcopus gregem sibi commissum sacra prædicatione, quid agere, quidve vitare debeat, informare. » Sic Rhemense secundum ejusdem anni, canone 14. decrevit, « Ut episcopi diligentius operam dent, lectionique divinæ incumbant, id est canonicis libris, et opusculis Patrum, ET VERBUM DEI OMNIBUS PRÆDICENT. « Cabilonense tertium eodem anno, canone 1. « Ut episcopi assidui sint in lectione, et scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, et verborum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent. » Parisiense sextum anno 829. canone 4. et 5. ex Prospero ;

et canone 12. ex Pastorali Gregorii M. docendi officium episcopalis esse muneris admonet; necnon canone 23. ex Fulgentio. Idem præcepit et Aquisgranense secundum canone 2. 5. ac 6. Ad hæc Meldense anno 845. sub Carolo calvo, canone 29. episcopis præcipit, « ut subditos sibi studiosissime docere contendant. » Valentinum vero eodem rege, anno 855. canone 16. « Ut unusquisque nostrum, ait episcopos alloquens, sive per se, sive per aliquem, vel aliquos ex ministris Ecclesiæ fideliter doctos, ita verbum prædicationis tam in urbe, quam foris in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio et exhortatio salutaris deesse non possit. »

V. In Capitulari Ludovici pii imperatoris Aquisgrani anno 816. edito, canone 19. cautum est, « Ne episcopi occasione prædicandi, aut confirmandi, oneri sint populis. » Et canone 28. « Episcopos monemus, ut sive per se, sive per vicarios, pabulum verbi divini sedulo populis adnuntient, quia, ut ait beatus Gregorius, iram contra se occulti judicis excitat sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit. »

Quin etiam in formula Præcepti, quo Francorum reges episcopatum alicui concedebant [1], inter alia, quæ illi præscribuntur, officia, istud ipsum est, « Ut juxta canonicam institutionem plebem vobis commissam assiduis prædicationum sermonibus expolire studeatis. » Et in alia formula [2] talis episcopus ordinandus proponitur, « Qui sciat commissa sibi talenta assiduæ prædicationis sermonibus expolire. »

Et ne gallicanæ tantum Ecclesiæ instituta percenseam, certe Græcorum sexta synodus in Trullo, quæ, anno 707, Constantinopoli est habita, in idem conspirat de episcopatu judicium. Ait enim canone 19. Ὅτι δεῖ τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας ἐν πάσῃ μὲν ἡμέρᾳ, ἐξαιρέτως δὲ ταῖς κυριακαῖς πάντα τὸν κλῆρον, καὶ τὸν λαὸν ἐκδιδάσκειν τοὺς τῆς εὐσεβείας λόγους, ἐκ τῆς θείας γραφῆς ἀναλεγομένους τὰ τῆς ἀληθείας νοήματά τε, καὶ κρίματα. « Oportere Ecclesiæ præsides cum omni die, tum præsertim Dominico, clerum omnem, et populum docere, quæ ad pietatem spectant, ex divina Scriptura colligentes veritatis sententias, et judicia. » Erant ergo tum διδάσκαλοι τῆς ἐκκλησίας οἱ ἐπίσκοποι, *doctores Ecclesiæ episcopi*, ut interpretes loquuntur; nec a se munus illud excusserant. Eadem et anno Christi 675, Toletanæ, adeoque totius Hispaniensis Ecclesiæ mens fuit. Nam generale ex omnibus regni illius episcopis concilium Toleti habitum est, ordine undecimum. Cujus memorabilis est ad Trapezitæ veternum excitandum secundus canon. « Quantum quis præcelsi culminis, *inquit*, obtinet locum, tantum necesse est præcedat ceteros gratia meritorum, ut in eo, quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis; habens semper et in ore gladium veritatis, et in opere efficaciam luminis; ut juxta Paulum, potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere. Nos proinde nostri ordinis gradum, vel suscepti regiminis modum magnopere cogitare debemus, ut qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis a divina lectione privemur, etc. »

VI. Lateranensis quoque synodus Innocentio tertio pontifice, anno 1215. ex totius collecta Christiani orbis episcopis, et ejusdem universalis Ecclesiæ sententiam complexa, canone 10. sanxit, « Ut quoniam episcopi propter occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per seipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, viros idoneos ad id munus assumant, tanquam coadjutores, et cooperatores. » Atque hoc ipsum est, quod supra dixi, episcopos nonnullos magis voluntate sua, aut occupationum magnitudine, aut facultatis inopia, a prædicandi functione cessasse, quam quod jure, ac potestate ista carerent. Tum id universe, et ubique nunquam esse factum, quod tacite Trapezita innuit. Quid quod Pelagius secundus in epistola secunda episcopos peculiari vocabulo prædicatores nominat? Atque hoc firmissimo comprobare argumenti genere possumus, usu, et exemplis episcoporum : qui per totum orbem seculis omnibus extiterunt, qui prædicandi docendique populi partes strenue sunt executi, quamvis eodem tempore publice nonnunquam presbyteri et ipsi verba facerent; quod Alexandriæ institutum esse scimus, ut erudiendo populo, et explicandis Christiani dogmatis mysteriis illius ordinis præponeretur aliquis : quo munere Pantænum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Heraclam, presbyteros omnes, non episcopos, singillatim perfunctos esse, historiæ ecclesiasticæ testantur. Ut vel ex eo Trapezitæ longe falsissima convincatur opinio [3], qui tum demum, « ubi docendi munus abjecerunt episcopi (quod paulo post Nicænam synodum accidisse

[1] Tom. 2. Concil. Gall. pag. 636.

[2] Pag. 637. — [3] Pag. 418.

ex ejus verbis colligitur) exortum esse » scribit « in Ecclesia doctorum genus, qui episcopi non erant; qui hoc operis habuerunt, populum erudire prædicationibus, et Scripturas eis exponere. » Atqui si Eusebium, si Hieronymum, si ceteros legisset, qui illorum, quos dixi, et consuetudinis istius Alexandrinæ Ecclesiæ mentionem faciunt, aliter profecto iis de rebus existimasset.

VII. Meminit Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, capite 46. quod est de Pantæno, « veteris in Alexandria consuetudinis istius, quæ a Marco evangelista obtinuerit, ut semper ecclesiastici doctores ibidem publice populum erudirent: » cui muneri Pantænus præpositus est. Idem de Clemente Alexandrino [1], « Clemens, *inquit*, Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Pantæni, de quo supra retulimus, auditor, post ejus mortem, Alexandriæ ecclesiasticam scholam tenuit, et κατηχήσεων magister fuit. » Eusebius vero in libro sexto Historiæ tum κατηχήσεως istius a presbyteris susceptæ meminit; tum præter illos [2], Heraclæ, qui Origeni successit, et Dionysii, qui Heraclæ ad episcopatum provecto. Extant Origenis homiliæ complures; extant et aliorum, qui presbyteri cum essent, non episcopi, populum publice docebant; cum interea, pro virili parte, idem in officium prædicandi divini verbi incumberetur ab episcopo. Ita, Flaviano Antiochiæ præsidente, conciones habebat Chrysostomus; Hippone regio, cui Valerius episcopus præerat, Augustinus. Atque ille quidem, quod tardioris erat linguæ, et latino sermone minus promptus Valerius, injunctum hoc sibi munus accepit, ut scribit Possidius. Cujus illud etiam est insigne adversus Trapeziticum dogma πονηροῦ κόμματος, quod in capite 5. prodidit, Valerium ob eas, quas dixi, causas, « Augustino presbytero potestatem dedisse coram se in ecclesia Evangelium prædicandi, ac frequentissime tractandi, contra usum quidem, et consuetudinem Africanarum Ecclesiarum. Unde etiam ei nonnulli episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis, ac providus, in orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciens, utilitati Ecclesiæ consulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo factitaretur a presbytero, quod a se episcopo impleri minime posse cernebat. » Igitur episcopi per id tempus in Africanis Ecclesiis concionabantur ipsi, non id munus presbyteris attribuebant.

VIII. Sed nec in orientalibus ita presbyteri illi, quibus coram episcopis permissum erat loqui, prædicationi operam dabant, id ut soli facerent, ac non etiam episcopi. Hoc qui universe, infiniteque dicit Trapezita, et falso dicit, et tota ipsa antiquitatis memoria teste convincitur. Quid enim? Non episcopus prædicavit, ac populum docuit Augustinus in Africa? Non in Oriente Chrysostomus? De quo quidem mirabile istud, ac plane singulare in ejus vita proditum est [3], usque adeo prædicationi verbi divini deditum fuisse, ut inambulans etiam, et in solemnibus processionibus per viam incedens, perpetuo ad populum, qui eum magno numero, et incredibili audiendi cupiditate comitabatur, orationes haberet. Quid eodem tempore Basilius? quid Gregorii ambo, Nyssenus, et Nazianzenus? quid Amphilochius? quid Asterius? quid Proclus deinde Constantinopolitanus? quid Alexandriæ Cyrillus? quid in Italia Ambrosius, Gaudentius, Petrus Chrysologus, Maximus, Taurinensis? In Galliis Eucherius, Cæsarius, Eligius? quid ubique terrarum innumerabiles alii episcopi? Quorum partim extant in hodiernum usque diem homiliæ ad populum dictæ; partim eos constat multum, accurateque partem illam pastoralis muneris explevisse? Res est (ut dixi, et sæpius cogor dicere) notissima, et obscura nemini, nihil tam episcopos omnibus seculis factitasse, quam ut populo verbum Dei prædicarent.

IX. Quis igitur satis, et pro eo, ac tam abnormis, et barbara meretur opinio, castigare illam queat? Quis talia scribere audentem [4] ferat? « Olim episcopos proprium hoc munus habuisse, docere, ac populum prædicatione erudire, orationique tantum vacare, et NULLIS SE ALIIS ECCLESIASTICIS NEGOTIIS IMMISCERE; cetera tum curasse presbyteros, præsertim Sacramentorum administrationem. » Item [5], « Abjecto munere docendi, ex muniis presbyterorum quædam præcipua sibi sumere cœpisse, quæ non liceret presbyteris attingere, sed episcopi soli agere possent, ut erat pœnitentium reconciliatio, et chrismæ confectio, et puellarum consecratio. » Quæ Trapezitæ verba iterum repræsentamus, ut lectores intelligant, quem terminum illi ipsi mutationi præfixerit episcopalis status; et cum iisdem verbis comparata omnia illa testimonia veterum et exempla, quæ contrarium ostendunt, nihil ad respondendum illi reliqui faciant.

[1] Hieron. c. 48. — [2] Euseb. lib. 6. c. 26. — [3] Anon. in vita Chrys. cap. 36. tom. 8. edit. Savil. — [4] Trapez. p. 417. — [5] Id. p. 418.

Tum igitur episcopi muti esse cœperunt, et ex ambone vox illorum audiri desiit, cum quæ solis antea presbyteris erant attributa, in se ipsi solos transtulerunt, chrismatis consecrationem, pœnitentium reconciliationem, virginum consecrationem. Atqui posteaquam tria hæc canonum auctoritate solis episcopis nominatim concessa sunt non minus, quam antea, constat episcopos prædicandi verbi partes obiisse. De chrismate scriptum est a Damaso in vita Silvestri, (cui scriptori tantum tribuit Trapezita, ut ei admodum uni de re nova, inusitata, et ecclesiasticæ antiquitatis usu tritis auribus inaudita, episcopalis status mutatione, ac discrimine fidem habuerit,) scribit igitur gravis ille, et laudatus scriptor de Silvestro sic : « Constituit et chrisma ab episcopo confici. »

X. Quamobrem Nicæni circiter concilii tempus, quo Silvester præsedit Ecclesiæ, innovatum illud est in episcopali ordine, ut a prædicandi officio cessarent. Certe post annos a Nicæna synodo 16. hoc est in Antiocheno concilio, decretum illud est, quod nonnisi post dejectum ex ambone episcopalem gradum contigisse vult Trapezita, ut ecclesiasticorum bonorum administratio penes episcopos esset, adhibitis tamen presbyteris et diaconis. Ex quo videlicet sequi demonstravimus, καινοτομίαν illam Trapeziticam episcopali in gradu sub Nicæna incidisse tempora. Illud vero extra controversiam est, in secundo Carthaginensi concilio, quod anno Christi 390. celebratum esse viri docti asserunt, tria illa episcoporum excepta esse juri, quæ commemorata sunt a Trapezita. Nam canone tertio sancitum est ita : « Chrismatis confectio, et puellarum consecratio, a presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica Missa presbytero non licere. » Ac sequenti canone de *reconciliandis pœnitentibus* itidem agitur, idque auctoritate episcopi fieri præcipitur. Et in Carthaginensi tertio, anno Christi 397. canone 36. « Ut presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat. » De eodem chrismate in Valensi prima synodo, sub Leone papa canon editus est primus ; necnon in aliis plerisque synodis decreta itidem facta. Quocirca, si vera est Trapezitæ opinio, episcopos oportet *abjecisse tum docendi munus*. Quod aperte falsum esse, tot illa, quæ supra commemorata sunt, argumenta et exempla demonstrant. Sed in tam luculentum, et apertum mendacium diligentius inquirere, abuti est otio, et lectoris ingenio diffidere. Profecto enim valde imperitum oportet esse, cui primo statim intuitu non illius commenti falsitas suboleat.

LIBER SECUNDUS.

IN QUO CERTÆ FIDEI, VEL RERUM ECCLESIASTICARUM QUÆSTIONES DISPUTANTUR.

CAPUT PRIMUM.

De diaconis, quos profanos mensarum administros fuisse, Trapezita contendit : quæ opinio refutatur ; ac docetur tum septem illos primos diaconos Actorum 6. tum ceteros deinceps sacrum, et hierarchicum gradum habuisse ; idemque locus Actorum illustratur. Trullana pseudosynodus notata.

Quod erat præcipuum libri hujus, et institutæ disputationis argumentum, de episcoporum ordine, ac functione egimus hactenus. Quædam nunc supersunt aliis de rebus, sed tamen ecclesiasticis, a fœneratorum patrono obiter injecta, quæ animadversionem merentur. Ea nos paucis complectemur.

Ac principio considerandum id est, quod non ille dubitando, ut cordati, minimeque præcipites solent, sed præfracte asseverando pronuntiat[1] : « Diaconos nullam habuisse κυβέρνησιν, aut προστασίαν in Ecclesia, aut alium ecclesiasticum actum ; nisi pauperum tantum, mensarumque ministerium : unde et διάκονοι appellati. » Atqui falso ista dici, tum Scriptura ipsa, tum auctoritas veterum, et Ecclesiæ mos, atque usus ostendit. Lucas evangelista, a quo diaconorum origo traditur, tametsi instituendorum septem illius ordinis principum captam occasionem refert ex quotidianis in viduas, egenosque curandis sumptibus, et mensarum præfectura ; non solum munus injunctum illis esse, sed alia præterea gessisse demonstrat.

II. Primum divini verbi prædicatio *ecclesiasticus actus* est, adeo quidem, ut unicum hoc pensum Ecclesiæ principibus, id est episcopis, Trapezita mandaverit ; qui etiam inter presbyteros, sive episcopos præstantiorem iis gradum assignat, qui id unum agerent. At illud usurparunt diaconi, et inter hos Stephanus unus e septem primis [2], necnon Philippus ex eodem ordine [3]. Ecclesiasticus item actus est, Dominici corporis, et sanguinis administratio. Hanc etiam diaconi ex officio susceperunt. Testis est apostolicorum æqualis temporum Ignatius martyr in epistola ad Trallianos, qui diaconos ait *ministros esse mysteriorum Jesu Christi :* διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ. Tum profanum id ministerium fuisse docentem cum Calvino, et hæreticis aliis Trapezitam hac sententia jugulat, οὐ γὰρ βρωτῶν, καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι· ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται. « Non enim ciborum ac potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei. » Deinde scribit diaconos episcopis functionem exhibere, qualem angeli Deo præstant ; cujusmodi Stephanus Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro præstiterunt.

III. Brevi postea tempore Justinus martyr extitit. Qui in Apologetico posteriore docet, diaconos in Ecclesia, postquam ab sacerdote consecratio facta est panis et vini, hoc est Eucharistiæ, hanc ipsam in fideles distribuere solitos. οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. « Qui apud nos diaconi vocantur, unicuique adstantium distribuunt ex illo pane, et vino, et aqua benedictione consecratis, et ad absentes deferunt. » Quem quidem panem, vinumque pro communibus haberi vetat ; οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. Atque hoc perdiu postea observatum in Ecclesia fuisse, ut diaconi corpus et sanguinem Domini populo ministrarent, veteres canones, et historiæ testantur. In actis sancti Laurentii martyris fide dignissimis, ita magnus hic levita Xystum pontificem alloquitur, ut ex iisdem refert Ambrosius [4] : « Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas ? Nunquam

[1] Trapez. p. 410. — [2] Act. 6. — [3] Act. 8.

[4] Lib. 1. de Off. c. 41.

sacrificium sine ministro offerre consueveras, etc. Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? » Cyprianus quoque non semel diaconos ostendit Sacramentorum administros fuisse : ut in libro de Lapsis, ubi illos « calicem Domini præsentibus offerre » dixit. Ancyrana synodus canone 2. duo genera functionum ecclesiasticarum diaconis adscribit : hoc est ἱερατικῆς λειτουργίας, nempe τοῦ ἄρτον, καὶ ποτήριον ἀναφέρειν, quod est offerre communicantibus corpus, et sanguinem Domini : et κηρύσσειν, hoc est *prædicare*. Arator elegantissimus poeta, libro 1. in Acta apostolorum, septem illorum institutionem versibus illis declarans, minime profanum fuisse munus ostendit.

> Jura ministerii sacris altaribus apti
> In septem statuere viris : quos undique lectos
> Levitas vocitare placet. Quam splendida cœpit
> Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
> Misceat, et latices cum sanguine porrigat agni.

IV. Et quoniam Clementis auctoritati tantum, ut superius ostendit, Trapezita defert, eumque dignum habet, cui novis de rebus et inauditis fidem adhibeat; legat, quæ de diaconis ille scripsit in constitutionibus apostolicis; præsertim libro secundo, capite 44. ubi diaconum in omnibus, quoad potest, sublevare jubet episcopum, à quo potestatem debet accipere; ita ut majoris duntaxat momenti res illis reservet, sitque diaconus episcopi oculus, et auris. Et capite 54. diaconi esse dicit in sacris synaxibus apparere præsuli, et de pace ac mutua concordia populum admonere. Cujus officii passim in veteribus liturgiis, et antiquorum scriptis exempla leguntur. Quæ qui nesciat, is sit omnium rudis; qui autem utcumque norit, quinam, obsecro, constabit sibi, si idem diaconorum munus profanæ, haud amplius, mensæ ministerio, ac pauperum cura circumscribat? Nam et baptismum a diaconis ordinario jure administratum esse, episcopi tamen auctoritate, iisdem ex antiquitatis monimentis accepimus. Et Tertullianus in libro de Baptismo, capite 17. « Dandi quidem, *inquit*, habet jus summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri, et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem. » Ergo penes diaconos fuit Sacramentorum, et divini verbi ministerium. In quo Calvini et Lutheri discipuli, quorum pars magna Trapezita, notissimæ rei inscitia labuntur, dum ex Actorum capite illo sexto, ubi ex mensarum occasione, ut jam docui, constituti narrantur diaconi, nihil aliud istos, præterquam *mensales structores*, id est τραπεζοποιοὺς, fuisse putant.

V. Quanquam nonnulli sic Lucam interpretati sunt, ut aliud diaconorum genus, et ab vulgari, notoque inter clericos ordine diversum, illic significari crederent; quod quidem Chrysostomus ad eum locum docere videtur, cujus hæc sunt verba [1] : Ὁποῖον δὲ ἄρα ἀξίωμα εἶχον οὗτοι, καὶ ποίαν ἐδέξαντο χειροτονίαν, ἀναγκαῖον μαθεῖν. Ἆρα τὴν τῶν διακόνων; καὶ μὴν τοῦτο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις οὐκ ἔστιν· ἀλλὰ τῶν πρεσβυτέρων ἐστὶν ἡ οἰκονομία. Καίτοι οὐδέπω ἐπίσκοπος ἦν, ἀλλ' οἱ Ἀπόστολοι μόνον. Ὅθεν οὔτε διακόνων, οὔτε πρεσβυτέρων εἶναι τὸ ὄνομα εἶναι δῆλον, καὶ φανερόν· ἀλλὰ τέως εἰς τοῦτο ἐχειροτονήθησαν. « Cujusmodi autem dignitatem habuerint ipsi, et qualem manuum impositionem acceperint, necesse est intelligere. An igitur diaconorum propriam? Atqui hoc in Ecclesiis non est usu receptum; sed presbyterorum est ista dispensatio. Quanquam nondum ullus tunc episcopus erat, sed apostoli tantum. Unde neque diaconorum, neque presbyterorum puto nomen illic esse certum ac definitum. Sed interim ad hoc munus ordinati sunt. » Duo ex his Chrysostomi verbis colligimus. Alterum, οἰκονομίαν illam, id est functionem et dispensationem, cui præstandæ electi sunt septemviri illi, quæ in viduis, et pauperibus curandis sita erat, non gessisse tum diaconos, sed presbyteros, illo tempore et loco, quo ista commentabatur Chrysostomus. Scripsit autem Constantinopoli jam episcopus, ut ex homilia octava et nona in Acta colligitur. Alterum, fuisse in hac opinione Chrysostomum, septem illos, qui Actorum sexto ad mensarum ministeria electi sunt, neque diaconos, neque presbyteros diserte, expresseque nominari. Non enim absolute negat diaconos fuisse; sed tantummodo non satis constare, quo nomine, ordineque censendi sint. Quominus autem diaconi vocandi sint, id unum affert, quod illa viduarum, et egenorum procuratio non ab diaconis geri consueverit, sed a presbyteris.

VI. Quis tum Constantinopoli mos fuerit, ex hoc loco intelligitur. Constat tamen, alibi diaconorum id munus fuisse proprium, et ob eam causam adversus presbyteros nonnunquam insolentius sese gessisse; ut propterea synodalibus decretis coercendi fuerint. Quod si in illa Ecclesia, ubi declamabat ista Chrysostomus, idem mos fuisset, ut ab diaconis οἰκονομία ejus-

[1] Hom. 14. pag. 690. edit. Savil.

modi curaretur : nihil jam causæ superesset, quin de apostolorum voluntate delectos septem illos diaconos fuisse concederet Chrysostomus ; quemadmodum tota fere antiquitas Christiana persuasum habuit, et ut alios omittam, Neocæsariensis synodus canone 15. et Hieronymus epistola 85. Quocirca non est illorum probabilis sententia, qui septemviros illos Actorum 6. non diaconici ordinis putant fuisse, sed diversi cujusdam, et profani. Nec illi Chrysostomi auctoritate tueri se possunt. Non enim diaconos fuisse negat, sed quominus id asseveret, quid obstare videatur, affert ; tum de solo nomine præscribit, aitque, non liquido, aperteque diaconi, aut presbyteri nomine illos affectos videri ; præsertim cum nulli adhuc essent episcopi ab apostolis distincti, adeoque nec presbyteri, vel diaconi.

VII. Hinc apparet, quantum judicii ad illum Actorum locum, et Chrysostomi sententiam interpretandam adhibuerit pseudosynodus Trullana, quæ, canone 16. Neocæsariensem illum canonem redarguit ; in quo decernunt Patres, septem esse diaconos oportere, quod ita sub apostolis institutum sit, ut ex Actorum libro constat. At Trullani isti cornicum oculos configunt ; « et cum ad apostolica illa verba Patrum sententiam accommodassent, animadvertisse se dicunt, non de Sacramentorum administris sermonem illic esse, sed ministeriis mensarum. » Ἡμεῖς τῷ Ἀποστολικῷ ῥητῷ τὸν νοῦν ἐφαρμόσαντες τῶν πατέρων, εὕρομεν ὡς ὁ λόγος αὐτοῖς οὐ περὶ τῶν τοῖς μυστηρίοις διακονουμένων ἀνδρῶν ἦν, ἀλλὰ περὶ (τῆς) ταῖς χρείαις τῶν τραπεζῶν ὑπουργίας. Mox ad eamdem mentem Chrysostomi verba referunt. Verum si quis, ut nos paulo ante fecimus, locum Chrysostomi accuratius legat, animadvertet, neutiquam illum negare diaconos illos reipsa fuisse, hoc est ad ordinem ejusmodi pertinuisse.

VIII. Ceterum Theophylactus in commentariis ad sextum Actorum caput, aliter Chrysostomum intellexit ; cujus verba more suo descripsit. Sic enim interpretatus est, tanquam diceret ille, septemviros istos non diaconos fuisse, sed presbyteros. Ποίαν δὲ χειροτονίαν, inquit, ἐδέξαντο οὗτοι οἱ ἑπτά ; ἆρα τῶν διακόνων ; ἀλλὰ τῶν πρεσβυτέρων, οἶμαι, τὸ ὄνομα εἶναι, καὶ τὸ ἀξίωμα αὐτῶν. Ἀλλὰ τέως εἰς τοῦτο διακονεῖν τοῖς πιστοῖς τὰ πρὸς τὴν χρείαν ἐχειροτονήθησαν. « Ecquam vero manuum impositionem acceperunt septem isti ? An diaconorum ? Verum presbyterorum arbitror esse nomen, ac dignitatem ipsorum. Sed interim ad hoc ipsum, ut fidelibus, quæ erant ad usum necessaria, ministrarent, manuum impositione constituti sunt. » Postrema Theophylacti verba consideranda sunt ; ait enim ad hoc illos interim ordinatos fuisse, ut mensis ministrarent : hoc est, quamvis impositione manuum consecrati essent, ut non profanis tantum mensis, sed multo magis ut sacris ministrarent, quod ex Ignatio supra commemoravimus ; tamen interim illud præcipue profanarum curandarum munus exercuisse, cum nondum distincti, et, ut Græci dicunt, διηρθρωμένοι, id est *articulati* essent ecclesiastici ordines, et ordinum functiones ; ac nullus adhuc episcopus, et presbyter, adeoque diaconus ministerio sacro, et appellatione distinctus esset, sed omnes isti gradus penes apostolos essent : quod modo narrantem Chrysostomum audiebamus ; et OEcumenius in commentariis significat.

IX. Ac tametsi catholici quidam et eruditi viri ac theologi putent, eos, qui in Actorum illo loco constituti feruntur, non habuisse sacram ordinationem, nec ex sacro diaconorum ordine fuisse ; multum tamen ab eorum causa Trapezitarum abest patronus, qui diaconos non illos, qui Actuum sexto capite describuntur, sed universe negat « ullum alium ecclesiasticum habuisse, præter pauperum tantum, mensarumque ministerium ; » ac de diaconis potissimum ejusmodi sic judicat, qui tum erant, cum Paulus ad Corinthios scribebat. Nam illorum refellit sententiam, qui προστασίας et κυβερνήσεις, id est *adjutoria*, et *gubernationes*, de quibus 1. Cor. 12. loquitur Apostolus, ad diaconos pertinere volebant ; quos argumento illo redarguit, quoniam diaconi nullum ecclesiasticum actum habuerunt, præter mensarum, pauperumque ministerium. Quocirca non tantum prioris illius generis diaconos, de quibus Lucas meminit, ab omni ecclesiastico actu summovet ; sed etiam illos, qui constitutis jam rebus, et episcopis ordinatis, in Ecclesia fuerunt, et ab apostolo Paulo sæpe commemorantur, ac cum episcopis et presbyteris copulantur. Quo vel unico argumento Trapezitæ falsa opinio revincitur. Nam nisi sacer ordo ille tum fuisset, hoc est hierarchicus gradus, non illum Apostolus cum iis, qui extra controversiam pro sacris habentur, et quidem solos, nominatim appellasset : ut in epist. ad Philippenses, *episcopos et diaconos* jungit statim initio ; necnon 1. Tim. 3.

CAPUT SECUNDUM.

Socratis locus ab Trapezitæ falsa interpretatione vindicatur super pœnitentiario presbytero ; κανόνα ibi legem esse, non corpus clericorum. De canone Nicæno 12. accurata disquisitio ; cujus absurda interpretatio ab Trapezita conficta discutitur. Militiam universe Christianis interdictam non fuisse illo canone ; uti nec a Lactantio, cujus illustratur locus : ὑπόπτωσις pœnitentiæ gradus omnium laboriosissimus.

I. Sequuntur alia veteris ad Ecclesiæ ritus spectantia, maxime Pœnitentiæ, ab fœneratorum patrono adnotata perperam, et dissertationi intexta ; quæ in hoc caput conjecimus.

Primum illud esto, in quo Epiphanii nuperum interpretem redarguit super vocabulo τοῦ κανόνος. Socrates in libro 5. capite 19. ubi memorabilem illam refert historiam pœnitentiarii presbyteri ab Nectario Constantinopoli sublati ; de hujus ipsius pœnitentiarii origine scribit, institutum illum esse per id tempus, quo Novatiani ab Ecclesia recesserunt. Οἱ ἐπίσκοποι, inquit, τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι τὸν πρεσβύτερον τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας προσέθεσαν. « Episcopi Ecclesiarum, canone (vel *ad canonem*) pœnitentiarum adjecere presbyterum. » Nos in Epiphanianis Animadversionibus [1], κανόνι προσθεῖναι docuimus idem esse, ac *decreto canonis adjungere* potius, quam *canoni adjicere ;* siquidem *canon* pro corpore, et ordine corporatorum sumitur. Displicet hoc Trapezitico fœneratori, cujus hæc sunt verba [2]. « Apud Sozomenum, *inquit*, pœnitentiarius dicitur τῷ κανόνι προστεθεῖσθαι, id est adjunctus esse clero, sive ἐκκλησιαστικῷ τάγματι. Interpres novitius Epiphanii ridicule canonem esse novum factum dicit, de instituendo pœnitentiario. » Quo in loco Trapezita antiquum suum obtinet, et quidem palmare, quod in eo sæpe notatum est ; cujusmodi in Claudio (is fuit Cæsar) « inter cetera miratos esse homines » auctor est Suetonius [3], « oblivionem et inconsiderantiam, vel, ut græce dicam, μετεωρίαν, καὶ ἀβληψίαν. » Ita ille præceps, inconsideratusque fertur in reprehendendo, minimeque quid scribat cogitans. Etenim quod ridicule scriptum a nobis esse dejerat, id non modo non est ridiculum, sed plane verum, imo necessarium.

II. Quid enim ? Non illum animadvertisse, cum nostra carpendi studio legeret, quod ibidem adnotavimus ex eodem Socrate, non ut ille dormitans scripsit, Sozomeno ; ex quo intelligere posset, κανόνα ibi non posse esse τάγμα corporatorum ? Nam post illa, quæ de instituto pœnitentiario, et κανόνι προστεθέντι, refert Socrates, subinde loquitur sic : Οὗτος ὁ κανὼν κρατεῖ μέχρι νῦν ἐν ταῖς ἄλλαις αἱρέσεσι. « Iste canon (nempe ᾧ προσετέθη ὁ ἐπὶ μετανοίας πρεσβύτερος, et de quo paulo ante locutus est) ad hanc usque diem in ceteris Ecclesiis obtinet, excepta Novatianorum. » Quid ineptius fingi potest hac sententia, si ad mentem Trapezitæ τὸν κανόνα pro collegio, et corpore usurpatum volumus ? quale est canonicorum corpus, qui ita dicti videntur, quod in eodem canone, id est collegio corporati, et in matriculam relati erant. Quomodo Constantinopolitanæ urbis collegium, et clericorum corpus illi Ecclesiæ attributum, ad alias etiam sectas translatum, interpretari Trapezita poterit ? Ergo κανὼν ibi necessario est *regula*, vel *decretum ;* nec aliter Socratem intellexit Epiphanius scholasticus auctor Tripartitæ, necnon Nicephorus Callixti lib. 12. capit. 28. Ex quibus nonnihil proferam, quod ad illustrandum Socratem valde pertinet. Auctor ergo Tripartitæ libro 9. capite 35, Socratis superiora illa verba sic reddit : « Ex illo episcopi pro ecclesiastica regula presbyterum super pœnitentes esse constituerunt. » Videtur græca Socratis sic intellexisse, ut, τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι, sit *ecclesiastico canone*, vel vi et *auctoritate canonis ecclesiastici*, sive *regulæ ecclesiasticæ*. In veteri codice Socratis legebatur, τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι, quod in suo fortasse habuit Epiphanius scholasticus. Nicephorus eamdem historiam referens e Socrate : Τὸν ἐπὶ τῶν μετανοούντων, inquit, πρεσβύτερον ἐφ' ἑκάστῃ ἐκκλησίᾳ κατέστησαν, τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι ἑπόμενοι. « Super pœnitentes presbyterum in quaque Ecclesia constituerunt, ecclesiasticum canonem secuti. » Hoc modo ecclesiasticus ille canon de pœnitentia post baptismum danda jampridem institutus fuerat, nec a Novatiani schismatis tempore invectus in Ecclesiam ;

[1] Hær. 59. pag. 242. — [2] Trapez. pag. 63.

[3] Sueton. Claud. cap. 39.

contraquam Novatiani sentiebant, et qui vel unus horum, vel in eos certe propensus fuisse videtur Socrates.

III. Nos alterutro sensu Socratem loqui putamus. Aut enim scripsit, episcopos Ecclesiarum, canone, ac decreto adjecisse *presbyterum* illum *superpœnitentiarum*, ut οἱ ἐπίσκοποι τῶν ἐκκλησιῶν conjunctim dicantur; aut hoc voluit: ad ecclesiasticum canonem, id est regulam, et jus ac leges ecclesiasticas, episcopos addidisse novum istud, ut deinceps certus esset presbyter, qui pœnitentibus præesset; ac tum pro ἐκκλησιῶν κανόνι legendum erit, ut in vetere quodam reperiri diximus, τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι. Sed anteponenda videtur prior, et in vulgatis recepta lectio; quoniam et nomen ἐκκλησιῶν absolute, tam ante illa verba, quam post, usurpavit Socrates, catholicas intelligens. Antea quidem περιελεῖν τῶν ἐκκλησιῶν πρεσβύτερον, *detraxisse de Ecclesiis presbyterum* illum per Novatiana tempora constitutum; postea vero οἱ νῦν κρατοῦντες τῶν ἐκκλησιῶν, *qui nunc potiuntur Ecclesiis*. Quare illic etiam, οἱ ἐπίσκοποι τῶν ἐκκλησιῶν, qui iidem sunt ac κρατοῦντες, scripserit Socrates. Utrolibet autem modo locus ille concipiatur, perspicuum est, non aliud significare posse vocabulum τοῦ κανόνος, quam quod Tripartitæ auctor, et Nicephorus, et nos in Epiphanianis Animadversionibus ostendimus, et Socratis ille ipse locus evincit. Nec dubito, quin egregiam suam χρηστομάθειαν criticam compressurus fuerit Trapezita noster, si vel Socratem ipsum, vel integrum Animadversionum nostrarum locum dignatus esset legere, antequam de ridiculo in nos, imo per nos in se præcipitaret sententiam. Sed hoc vocabuli missum faciamus erratum; alterum de re ipsa multo gravius, ac minus ignoscendum videamus.

IV. Canon est Nicæni concilii duodecimus, in quo ecclesiasticæ pœnæ subjiciuntur, « Quicumque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiæ cingulum; postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi; ita ut quidam et pecunias tribuerent, et beneficiis militiam repeterent. Hi decem annis post triennii tempus (quo inter audientes erunt) in afflictione erunt. » Ita latine Dionysius. Græca sic habent: οἱ δὲ προσκληθέντες μὲν ἀπὸ τῆς χάριτος, καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δε ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἐμετὸν ἀναδραμόντες ὡς κύνες, ὡς τιμὰς, καὶ ἀργύρια πρόσθαι, καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύσασθαι. Οὗτοι δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν, μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον. Posteriora verba ita clarius verti possunt: *Hi decem annis inter prosternentes se versentur, postquam inter audientes triennium peregerint*. Apparet hanc esse gravissimam mulctam, in qua quindecim anni præscribuntur (ut postea constabit) antequam in pristinum gradum restituti communionis fiant participes.

« De hujus canonis mente, ait Trapezita[1], multi multa dixere, et nemo eam adhuc assecutus est. » Cum enim hactenus de iis intellectus sit canon iste, qui persecutionis tempore, postquam Christianam fidem magna cum gloria confessi sunt, ob eamque discincti et exauctorati, militia ceciderunt; postea mutata sententia, ad vomitum redeuntes, eamdem resumpsere militiam: contra ille[2], « Nec probo, *inquit*, de his accipi, qui persecutionis tempore, propter fidem, militiæ cingulum abjecerant, et postea fidem ejurantes, pecuniis, ac donis, pristinum militiæ honorem recipiebant, rursumque ad Ecclesiam redierant. Nihil enim hic canon dicit de fidei abjuratione, aut regressu in Ecclesiam. Simpliciter quippe conceptus est, ac statutus in eos, qui gratia inspirante divina, cingulo militiæ deposito, quo melius, et perfectius vitæ institutum, magisque Christianum capesserent, postmodum illud resumerent, et denuo se militiæ sacramento obligarent. »

V. Hæc nova, et ad hoc tempus inaudita canonis interpretatio. Quæ, ut simpliciter, ac sine ambage loquar, falsissima est. Nihil verius, quam quod Zonaras, et Balsamo, aliique de isto canone sentiunt: damnari eos, qui nuper, in Licinii persecutione, honesta et gloriosa confessione functi, adeo ut propter nomen Christi militaribus zonis discincti, et militia privati fuissent; postea ad vomitum redierant, id est ad infamem illam militiam, et cum Christi negatione conjunctam; cum, ut eam recuperarent, Imperatoris mandato paruissent. De hoc genere lapsorum illic agere Patres, ex antecedenti canone liquet, quocum iste continuandus est, ut particula δὲ, id est *autem*, docere potest. Canon igitur undecimus sic habet: Περὶ τῶν παραβάντων χωρὶς ἀνάγκης, ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων, ἢ χωρὶς κινδύνου, ἢ τινὸς τοιούτου· ὃ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου· ἔδοξε τῇ συνόδῳ, εἰ καὶ ἀνάξιοι ἦσαν φιλανθρωπίας, ὅμως χρηστεύσασθαι εἰς αὐτοῦς. Ὅσοι οὖν γνησίως μεταμελῶνται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσι οἱ πιστοὶ, καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται· δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν. « De his, qui citra necessitatem, vel citra

[1] Trapez. lib. 3. pag. 782.

[2] Trapez. pag. 783.

facultatum ablationem, vel sine ullo periculo transgressi sunt, aut alio ejusmodi; quod per Licinii tyrannidem contigit; visum est Synodo, etsi humanitate indigni sunt, clementia tamen et benignitate in eos uti. Quicumque ergo germane, et vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores fideles exigent, et septem annis prosternentur: duobus autem annis absque oblatione, erunt orationum cum populo participes.» Conferatur sequens canon supra descriptus a nobis cum isto; jam intelliges ad eamdem utrumque persecutionem referri.

VI. Sane militiæ nomen dare, ac stipendia mereri, et in justo bello humanum sanguinem fundere, neque crimen est, nec eo nomine pœnis ullis ecclesiasticis milites sunt affecti. Quamvis enim a Basilio in epistola ad Amphilochium, sola iis per triennium abstinentia Dominici corporis ostendatur canone 13. nullum hoc habet sceleris argumentum; sed minime decere visum est, ut ei, qui justa etiam, et licita cæde manus imbuisset, sine aliquo piaculo, ad tam sancta mysteria permitteretur aditus. Quemadmodum Davidi legimus [1], quod hostilis sanguinis plurimum fudisset, non concessisse Dominum, ut sibi templum extrueret. Tum digamos in Ecclesia vetere constat non absque pœnitentia ad communionem admissos, tametsi secundæ nuptiæ neutiquam illicitæ censerentur; de qua re alibi. Sed Basilii canonem præstat hic describere; est enim ad institutam disputationem non inutilis. Τοὺς ἐν πολέμοις φόνους οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τοῖς φόνοις οὐκ ἐλογίσαντο· ἐμοὶ δοκεῖν συγγνώμην δόντες τοῖς ὑπὲρ σωφροσύνης, καὶ εὐσεβείας ἀμυνομένοις. Τάχα δὲ καλῶς ἔχει συμβουλεύειν, ὡς τὰς χεῖρας μὴ καθαροὺς, τριῶν ἐτῶν τῆς κοινωνίας μόνης ἀπέχεσθαι. « Cædes in bellis factas majores nostri non numerant in cædibus, ignoscentes, ut opinor, iis, qui pro temperantia, et pietate decertant; fortasse vero recte se habuerit, consilium dare, ut qui puras manus non habent, triennio sola communione sint abstenti.» Quo ex canone liquet, primum nullam legitime, et pro honesta causa pugnantibus, irrogatam ex antiquo pœnam fuisse; deinde ne legis quidem, ac præcepti vim habere, sed consilii, sanctionem illam Basilii. Ex quo consequens est, ne ab Nicænis quidem patribus contra milites decretum illud editum fuisse. Nam cujus judicii est, tantam in illos pœnam constitutam putare, qui militiæ nomen dedissent?

VII. Atenim canon ille, ait Trapezita, non ad omne pertinet militum genus, sed ad eos solos, qui, cum legitimo functi essent tempore, sponte ad militiam redibant. « [2] De his enim sancitus est, qui militiæ deposito cingulo, ut meliori vitæ vacarent, et Christiano homini convenientiori, postea mutata sententia, ut in eam cum honore aliquo iterum adscriberentur, vel largitione, vel beneficio ducum et præsidum laborarunt.» Et paulo post [3]: « Propter solam, *inquit*, hominum trucidationem fugienda illis visa est secunda militia; quia de prima non poterant interpellare, utpote ex imperii legibus necessaria, et necessario obeunda.» Ut hæc non vana sit conjectura de sensu canonis, illud constare est opus, Nicæni concilii Patres hoc de cæde qualibet hominum fecisse judicium, ut eam nefariam, et illicitam putarent. At qui tandem persuasum id illis probat fuisse? Scimus quidem, nonnullos veterum ita sensisse, Christianis militare omnino non licere. Nam et Tertullianus in libro de Idololatria, cap. 19. universe pronuntiat, « Non convenire sacramento divino et humano.» Deinde, « Quomodo autem bellabit, *inquit*, imo quomodo etiam in pace militabit sine gladio, quem Dominus abstulit? Nam etsi adierant milites ad Joannem, et formam observationis acceperant, si etiam Centurio crediderat, omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit.» Hunc igitur militandi *actum illicitum* dixit. Idem et in libro de Corona militis capite undecimo apertissime scripsit. Nec eam tantum militiam interdictam Christianis existimavit, quæ sine idololatria obiri non potuit, ut putat Pamelius; sed simpliciter, et in totum ab usu et commercio Christiani nominis exclusit. Itaque inter paradoxa Tertulliani jure illud referri debuit, cujusmodi illo in auctore sunt multa. Quin etiam Titum Bostrensem, auctorem ceteroqui gravem et eruditum, eadem perstrictum opinionis falsitate video. Nam in libro secundo contra Manichæos [4], « Justum, *inquit*, bellare non decet.» Et in sequentibus addit alia, quæ ad eamdem opinionem implicata videntur.

VIII. Trapezitarum advocatus vindicem conjecturæ suæ unum citat Lactantium. Sed nec hujus mentem est assecutus; et nihil ad propositum omnino pertinet: ut non vana divinatio sit, non ipsum legisse apud Lactantium, quæ ex eo retulit, sed aliena, uti solet, reci-

[1] 1. Par. 22 8. — [2] Trap. p. 783. — [3] Id. p. 785.

[4] Titus Bostr. tom. 4. Bibl. PP. col. 908. Vide et col. 909.

tasse, vel negligenter admodum, et tumultuarie legisse. Tria sunt auctoris illius loca, quæ attulit, quæ si quis singillatim examinare velit, et capita ipsa, unde ea sumpta sunt, ac totam disputationis seriem non oscitanter expendere, verum id esse quod dico sentiet, nihil minus ex iis effici, quam quod Trapezita putavit.

Primus est locus ex capite quarto, vel, ut Trapezita citat [1], sexto Epitomes divinarum institutionum : « Quid tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? ait Lactantius, ideo bella execrabilia sunt. » Disputat in illo loco Lactantius de spectaculis, ac muneribus gladiatoriis, quibus homicidia fiunt; quæ cum per se detestabilia sunt, tametsi legitime committantur, ut in bello quamlibet justo; multo execranda sunt magis, cum sine bello, ac sine legibus fiunt. « Inventa tamen consuetudo, ait idem, quatenus homicidium sine bello, ac sine legibus faciant, et hoc sit voluptas, quod ut scelus vindicent. Quod si interesse homicidio, sceleris conscientia est, et eodem facinore spectator obstrictus est, quo et admissor; ergo et his gladiatorum sceleribus non minus cruore perfunditur qui spectat, quam ille qui facit. » Trucidare hominem odiosa per sese res est, quam merito viri boni, etiam cum secundum leges imperant, execrantur. Ac solebant Romæ magistratus capitis in reum sententiam dicturi, prætextam ponere, ac perversam induere vestem, ut mœrentes et invitos id se agere monstrarent, quod Seneca libro primo de Ira, cap. 16. et Valerius Maximus libro 9. cap. 12. docent. Neque propterea consequens est, nefas hoc et illicitum apud Romanos habitum, capitali supplicio reos afficere. Quare neque propterea, quod execrabilia bella Lactantius esse dixit, in quibus humanus cruor funditur, non permitti Christianis putavit.

IX. Locus alter est Lactantii, quem ex septimo capite citat Trapezita, nos quarto legimus Epitomes. « Vetus præceptum est, *ait*, non occidere; quod sic accipi debet, non tanquam jubeamur ab homicidio tantum, quod etiam legibus publicis jubetur, manus abstinere; sed nec jussione interposita, nec verbo licebit periculum mortis inferre, nec infantem necare, aut exponere, nec seipsum voluntaria morte damnare. » Manifestum est, Lactantium hoc in loco divinæ legis præceptum illud exponere, quod vetat occidere. Atque hoc præcepto non tantum prohiberi actionem illam docet, qua quis manu sua hominem occidit; sed etiam qualemcumque rationem vitæ alteri per nefas eripiendæ, ut cum sicarius submittitur, qui jussione alterius hominem interficit. Ad eumdem ergo pertinet illa jussio, qua quis alterum necat, ad quem et lex ipsa : nempe ad privatum, qui nulla publica potestate, nec legitime cædem facit. Hanc solam illicitam ac nefariam esse Lactantius affirmat; non eam, quam publica auctoritas præcipit. Ut in justo bello publica est principis potestas, quæ gladium militi porrigit, et in hostem jubet distringere. Quocirca nihil ad Trapezitæ divinationem fulciendam adhiberi potuit alienius illo Lactantii testimonio.

X. Tertius ejusdem locus paulo quidem magis ad rem facere videtur. Is autem ex capite 5. ab Trapezita describitur; nos ex 17. libri de Justitia petimus, qui est Institutionum quintus. Verum neque nova inde opinio satis probatur, ut paulo post dicam, neque universe bello interdictum esse Christianis ex eo concluditur. Carneadis enim ibi dictum refellit, asserentis, id, quod juste fit, plerumque stulte fieri. Etenim, « Justus, *inquit*, si aut equum saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, ut ipse animam suam liberet, stultus est. » Huic Lactantius respondet primum exceptione, sive παραγραφῇ, negans vere justum hominem in eos casus venturum, ut vel equum adimere saucio, vel tabulam naufrago necesse habeat, ut vitam suam conservet; quia neque bellis, neque navigationibus immiscebit se, in quibus ista solent evenire. « Cur enim naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua? Cur autem belligeret, ac se alienis furoribus immisceat, in cujus animo pax cum hominibus perpetua versetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur, qui nec lucrum sciat appetere, cui sufficit victus; et non modo ipse cædem facere, sed interesse facientibus, ac spectare ducat nefas. Sed omitto ista, quoniam fieri potest, ut vel invitus ad hæc subeunda cogatur. » Hinc Trapezita concludit [2], Lactantium ab cædis piaculo eos excusare, qui militare coguntur, nimirum « qui, cum delectus tironum ageretur, quia militari ætate ac statura erant, ejusque conditionis, uti militiæ vacationem non haberent, ad militare sacramentum adigebantur, nec illud defugere poterant. »

[1] Trapez. pag. 785.

[2] Trapez. pag. 786.

XI. Atqui non de sola militia Lactantius loquitur, sed etiam de negotiatione, qua quis navigare cogitur. *Ut vel invitus*, inquit, *ad hæc subeunda cogatur*. Quænam ? Quæ in eadem sententia complexus est, negotiationem et belligerationem. Ergo et mercaturam facere, ac trans mare negotiandi gratia proficisci nefas esse duxit Lactantius? Cur non igitur etiam de hac re canonem fecerunt Nicæni Patres, aut alii temporis illius? Deinde ut de sola militia tam hic quam in ceteris Lactantius intelligat, nihil hoc Trapezitæ causam sublevat. Non enim hanc, aut illam militiam, sed omnem penitus ab Christiano homine repudiandam esse judicat ; neque solis iis, quibus nulla militandi necessitas est, belligerandi, vel faciendæ cædis potestatem adimit, sed universe Christianis omnibus, qui quidem justi esse velint. Quis autem Christianus justus esse non debet? Itaque tirones etiam, et militia obligatos lex eadem tenet cædis evitandæ ; quia in commune præceptum omnibus positum est, *Non occides*. Tum jussione etiam interposita, nefas erit occidere ; quod ab Lactantio de ea cæde, quæ in bello fit, dici putat Trapezita. Atqui non minus jubentur tirones, et ad sacramentum obligati, quam aut emeriti, aut nulla coacti necessitate, hostes cædere. Neutros ergo Lactantius excusat. Vides quam absurda sit tota ista Trapezitæ ratiocinatio, utque se inextricabilibus laqueis involvat.

XII. Enimvero in postremo illo loco (nam de prioribus satis multa) hoc solum Lactantius voluit, Christianum hominem sponte, ac vel lucri quæstusve minime necessarii, vel ambitionis gratia, negotiationem, et navigationem nunquam esse suscepturum, aut nomen daturum in militiam ; fieri tamen interdum posse, ut honestis de causis, sive quia vitam aliter, quam iis artibus, tolerare nequeat, sive quia principis mandato cogitur, invitus ad ista descendat. Tum, quod ad cædem perpetrandam attinet, propria quædam necessitas usuvenit, ut vitæ conservandæ gratia latronem, vel grassatorem cogatur occidere. Sed quoniam gentiles ad transmarinas negotiationes, et rem bellicam non aliis fere de causis animum adjiciebant, quam accumulandarum opum, vel honorum ac præfecturarum illecebra deliniti ; quæ causæ procul abesse debent a perfecto Christiano ; idcirco Lactantius oratoria quadam αὐξήσει, quod raro aliter fit, quia non ita futurum est, nec esse debet, negat omnino futurum.

Ad summam nego bellum gerere, et hostibus in eo necem inferre, ab Ecclesia unquam vetitum ; aut ullo canone damnatos eos, tanquam sceleratos et criminis reos, qui justo bello cædem fecissent : quod diserte testatur Basilius in canone illo ad Amphilochium, quem supra citavimus. Nego canonem Nicænum duodecimum de iis interpretari ullo modo posse, qui in justa et legitima militia sponte nomen dedissent, ac sacramentum repetissent, a quo vacationem, aut missionem impetrassent. Sed de iis duntaxat, qui, cum ob Christi fidem exauctorati essent, ne idololatria polluerentur, postea rediissent ad vomitum, et ea, quam ante detrectaverant, conditione, sacramentum militare resumpsissent. Quod statim confitebitur, qui et ambos illos canones Nicænæ synodi, undecimum et duodecimum, legerit, inter seque contulerit; et paululum judicii ad eorum lectionem attulerit.

XIII. Etenim si quis interrogetur, uter gravius peccet, is, qui sponte, ac citra vim ullam et necessitatem, nullum vel corporis cruciatum, vel damnum rerum suarum adhuc expertus, Christianam ejuret fidem, et idolis sacrificet ; an qui citra crimen aliquod, et idolorum cultum, salva Christiani professione nominis, militiæ nomen dederit : num, si sanus est, dubitabit, quin longe atrocius peccet ille, qui utcumque Christum negaverit, quam qui etiam pro illo tormenta sustinuit? Quid igitur iniquius, imo quid alienius a communi hominum censu, et ratione fingi potest, quam quod Nicæni illi fecere Patres, si vera Trapezitæ est de canonibus illorum opinio? In undecimo canone, priores illos desertores fidei, et sacrificiis idolorumque cultu contaminatos, nulla, ut ipsi profitentur, venia, et humanitate dignos, annorum duodecim pœnitentia macerari jubent : quam etiam ita describunt, ut triennium inter audientes exigant, septem annos in ὑποπτώσει, biennium in eo gradu, qui σύστασις dicebatur. At in posteriores istos, qui, si vera Trapezita somniat, unum hoc admisere facinus, quod honestam licitamque militiam, quam sponte deposuerant, nullo cogente repetiverunt : in hos, inquam, longe graviores pœnas constituunt, nimirum ut decem totos annos in ὑποπτώσει versentur, post triennium in ἀκροάσει transactum ; ac scilicet, uti græci interpretes observant, etiam biennium illud τῆς συστάσεως addunt, quod ex priori canone repetendum illis merito videtur. Fiunt igitur anni pœnitentiæ quindecim, propter aut nullum, aut levissimum certe, ac veniale crimen inflicti.

XIV. In quo illud insuper ecclesiasticæ peritos antiquitatis non potest fallere, quod ad posterioris hujus severitatem sententiæ intelligendam attinet, decem annos hic præscribi in ὑποπτώσει decurrendos; illic tantummodo septem. Fuit autem ἡ ὑπόπτωσις tertius e quatuor pœnitentiæ gradibus longe ceteris molestior, et ærumnosior; in quem pœnarum genera omnia confluebant, ob quas pœnitentiam defugere, ac tergiversari maxime solebant, qui ab communione rejecti fuerant. Hinc *pœnitentiæ* sola plerumque nomen ex communi sibi proprium facit, ut in Animadversionibus ad Epiphanium nos olim adnotabamus [1]. Quin etiam Dionysius exiguus, illorum canonum interpres, ὑποπτώσεως vocabulum latine ita vertit, ut significet, præcipuam illius gradus acerbitatem fuisse. Nam in undecimo ὑποπτωσιν ita circumscribit : « Et sex annis omni se contritione dejiciant. » Ubi *sex* pro *septem*, qui sunt in græco, ponit annos, eoque tolerabiliorem priorum conditionem facit. In duodecimo vero sic : « Hi decem annis in afflictione permaneant. » Quam ergo simpliciter nominat *omnem contritionem*, vel *afflictionem*, cum posset, *prostrationem*, aut ejusmodi aliquid; profecto demonstrat, caput illam disciplinæ severioris, ac pœnæ totius fuisse. Quo est Trapezitæ interpretatio repudianda magis, quæ aut nulli, aut certe leviori peccato, tanto pœnas atrociores, intolerabilioresque decretas a sanctissimis, gravissimisque præsulibus ostendit.

CAPUT TERTIUM.

De Epiphanii loco falsa Trapezitæ conjectura refellitur, idemque declaratur. Negotiatores haud recte dici ab eodem damnatos ab Ecclesia. Βίος *matrimonium* interdum significat, contra quam Trapezita credidit. Ejusdem impudens calumnia in Romanam et catholicam Ecclesiam conjecta. Tum alius error aientis minima peccata pœnitentia publica olim mulctata fuisse.

I. Ad eumdem pœnitentiæ ritum in Ecclesia vetere referenda sunt alia quædam errata Trapezitæ nostri. In Præfatione ad lectorem, p. 57. Epiphanii locum quemdam attigit, et dum nimis argutus esse studet, pessime illum accepit. In calce magni operis, quod de Hæresibus scripsit Epiphanius, catholicæ fidei summam, ac morum et institutorum Ecclesiæ brevi disputatione complexus est; ut iis velut notis germanam Christi sponsam ab hæreticis conventiculis, quæ concubinarum habet loco, discernat. Ac sub finem præcipua quædam criminum capita colligit, quæ ejusdem Ecclesiæ catholicæ moribus usuque damnantur. Ἀπέχεται κοινωνίας, inquit, ἁπάντων αἱρεσέων, (forte αἱρετικῶν) ἀποκηρύττει πορνείαν, καὶ μοιχείαν, καὶ ἀσέλγειαν, καὶ εἰδωλολατρείαν, καὶ φόνον, καὶ πᾶσαν παρανομίαν, etc. Mox : Καὶ πλεονεξίαν, καὶ τοκοληψίαν. Πραγματευτὰς οὐκ ἀποδέχεται, ἀλλ' ὑποδεεστέρους πάντων ὑγιεῖται. Προσφορὰς λαμβάνει παρὰ τῶν ἀδικούντων, οὐδὲ παρανομούντων, ἀλλὰ δικαίως βιούντων. Hoc est : « Ab omnium communione hæreticorum abstinet; abdicat fornicationem, adulterium, petulantiam, idololatriam, homicidium, et iniquitatem omnem, etc. » Tum : « Improbam cupiditatem, et avaritiam, atque usuram. Negotiatores non admodum probat, sed omnium infimos habet. Oblationes accipit ab iis, qui injuriam aliis non faciunt, neque scelus aliquod admittunt, sed juste vivunt. » Hic Epiphanius præcipua, ut dixi, scelera, et flagitia percenset, ab quibus abhorret Ecclesia, et quæ auctoritate sua condemnat. Ubi vox ἀποκηρύττει, non hoc præcise significat, *excommunicare*, vel *a communione arcere*, *ac segregare;* tanquam omnes, qui in ea, quæ ibidem enumerat, inciderint, ab ecclesiastica communione rejiciat : ut arbitratur Trapezita. Qui et indidem colligit, « Non solum qui usuram accipiunt, abdicatione ab Ecclesia punitos, scribere ibi Epiphanium, sed etiam omnes negotiatores, πραγματευτάς. » Sed minime audiendus est. Nam ἀποκηρύττειν non tam illorum, qui ejusmodi crimina perpetrarint, quam criminum ipsorum abdicationem, damnationemque designat. Alioqui nemo non excommunicandus fuisset, et ab Ecclesia proscribendus. Quis est enim, qui non incurrat aliquando in maledicentiam, detractionem, contentionem,

[1] Pag. 250.

avaritiam? Ad hæc, *theatra*, *equorum certamina*, *venationes*, *musica spectacula condemnat.* Ἀποκηρύσσει θέατρα, καὶ ἱππικοὺς, καὶ κυνήγια, μουσικούς τε, καὶ πᾶσαν κακολογίαν, καὶ καταλαλιὰν, καὶ πᾶσαν μάχην, καὶ βλασφημίαν. « Damnat, *inquit*, theatra, equestres agones, venationes, musica spectacula, et omnem maledicentiam, et obtrectationem, omnemque contentionem, et maledictum. » An qui theatralibus spectaculis, aut circensibus, aut venationibus interfuerat, statim excommunicatione plectebatur? Hoc si in usu fuisset, tum profecto Christianus nemo plerisque in civitatibus in ecclesiam, et ad usum Sacramentorum fuisset admissus, aut pauci admodum. Crebræ sunt apud Joannem Chrysostomum querelæ, cum Antiochiæ adhuc presbyter populum doceret, de paucitate commeantium ad ecclesiam, ac sacras synaxes obeuntium, quibus maxime diebus ludi, ac spectacula præbebantur. Quam sæpe populum in eas res intemperanter effusum cum ab illis deterrere studet, tum ad ecclesiam, et fidelium conventus celebrandos allicere? Cum etiam auditores hortatur suos, ut quam poterunt plurimos ab illis spectaculis secum ad ecclesiam adducant. Non igitur ob ista communione ecclesiæ privatos fideles verisimile est, præsertim cum ab imperatoribus Christianis, et magistratibus solemnes illi apparatus ac ludi velut ex officio præstarentur populo. Ad hæc, propter levia et venialia peccata nemo communione mulctatus est. Possunt autem ex iis, quæ Epiphanius recensuit, nonnulla esse levia; velut maledictum aliquod temere ac facile prolatum. Nam Augustinus sermone 41. de Sanctis [1], ubi gravia peccata distinguit a levibus, inter levia numerat, « quando cum omni facilitate, ac temeritate maledicimus. » Ejusmodi et alia commemorari possunt, quæ Tertullianus *delicta* vocat *quotidianæ incursionis;* quæ tamen inter ea continentur, quæ ab Epiphanio nominata sunt. Non enim sola illa, quæ lethalia et atrocia sunt in eodem genere, sed etiam levia comprehendit ille, quando exempli causa πᾶσαν κακολογίαν, et καταλαλιὰν, πᾶσαν μάχην, καὶ πλεονεξίαν ἀποκηρύττεσθαι dixit ab ecclesia. Unde si ἀποκηρύττεσθαι sit *excommunicari*, ut Trapezitæ placet, non autem *improbari*, et *abjudicari* tantum, ut res ipsa docet; necesse est, ob levia quæque crimina excommunicatos fuisse, id est ab ecclesiæ communione abdicatos fideles; quod dictu sit absurdum. Atqui longe ab omni sensu et ratione magis abhorrent ea, quæ ad eumdem Epiphanii locum observavit in illa præfatione sua. Nam Epiphanium ait dicere, omnes πραγματευτὰς, id est *negotiatores* ab ecclesiæ communione rejici. Ubi et joculariter ordini huic illudit. Ita enim scribit: « Quo loco, ut gratum faciam mercatoribus, non libet cum interpretibus, infimos eos omnium exponere, qui ibi ab ecclesiæ communione prohibentur, sed e contrario minoris peccati reos, et minus noxios. Sic enim placet, et melius est interpretari ὑποδειστέρους in his verbis: τοὺς πραγματευτὰς οὐκ ἀποδέχεται ἡ ἐκκλησία, ἀλλ' ὑποδεεστέρους πάντων ἡγεῖται. Negotiatores non admittit quidem Ecclesia, ad communionem scilicet; sed tamen minus noxios, quam reliquos, qui excommunicantur, eos censet. » Hoc vero est in causa prævaricari, et quorum patrocinium susceperat, eos turpiter prodere; dum magis infames, et criminosiores illos facit, quam ab iis fiunt, quos iste redarguit. Nam interpretes Epiphanii de mercatoribus hoc unum significant, non illos quidem damnandos esse, neque pœna dignos ulla, sed in statu et ordine esse omnium, qui in Ecclesia censentur, infimo; quod paulo post exponam. At Trapezita, quod culpa vacat, et turpitudine, hoc illis eripit; tribuit quod sine scelere, ac peccato esse non potest, quamvis aliorum comparatione levius esse videtur: abdicationem ab ecclesiæ communione, quæ atrox et horribilis est pœna, nec unquam, uti dixi, ab reatu culpæ aliquo sejuncta. Illud porro græci sermonis non fert proprietas, ὑποδεεστέρους dici ab Epiphanio *minus noxios;* nam *inferiores* omnino ista vox significat. Cum enim paulo ante certos in Ecclesia fidelium status, et instituta vitæ commemorasset, quæ omnia, recepta moribus et probata, suum in Christiana republica locum tuerentur: principatum omnium assignavit sacerdotio, quod ex virginibus, aut continentibus eligitur; a quo proximas tenent clerici ceteri, tum virgines, inde viduæ, ac postremo qui in matrimonio degunt, quos βιωτικοὺς appellant. Unde et βίος idem significat ac γάμος, quæ sunt *nuptiæ.* Βίος, inquam, *nuptias* interdum significat, et βιῶσαι dixit Epiphanius Hæresi 59. numer. 4. pro eo, quod est in matrimonio degere. Quod adversus Trapezitam, a quo immerito reprehendebamur, alibi demonstravimus. Et ut in vellicandis aliis minus temerarius ac præceps esse condiscat, luculentum addemus ad idem probandum græci cujusdam scriptoris locum, qui haud scio an adhuc lucem viderit. Is est Theophilus philosophus, qui commentarios scri-

[1] August. tom. 10. pag. 421.

psit ad Hippocratis aphorismos, quem penes nos habemus. Hic igitur ad illa primi aphorismi verba, ὁ βίος βραχὺς, varias τοῦ βίου significationes recensens, inter alias hanc affert: βίος καὶ ἡ ζεῦξις τοῦ γάμου. « Est, *inquit*, βίος et matrimonii societas. » Sed hæc obiter. Inter βιωτικοὺς et communis vitæ fideles, infimo loco numerat Ephiphanius τοὺς πραγματευτὰς, id est *negotiatores* : non quod vetitus et illicitus sit ille in Ecclesia status, aut cum peccato implicatus, ac pœna ulla et animadversione notatus; sed quod ab evangelica perfectione longissime abest omnium. Hæc vera, et germana mens est Epiphanii; quam vero ὁ τραπεζίτης commentus est, ἀδόκιμος est, et repudianda.

II. Cujusmodi est et impudens illa calumnia, quam contra *Pontificios*, hoc est Romanæ communionis Catholicos, majori haud scio temeritate, an stoliditate conjicit; quæ quidem ad idem pœnitentiæ negotium pertinet. « Meretricibus, *ait*[1], apud Pontificios non interdicitur communione, non sepultura prohibentur mortuæ. » Tanti ergo habuit homo iste, *quam longissime a fermento*, ut vocat, *Papistico abesse* videri, ac se suis pro hæretico venditare, ut catholicam causam falsis etiam et confictis criminibus oneraret. Quis enim vel levissime usu canonum imbutus, quibus hodiernæ Ecclesiæ disciplina constat, ignorare potest, nulli ad communionem aditum permitti, qui publici alicujus sceleris infamia notatus sit, nisi pœnitentia Deo prius, Ecclesiæque satisfecerit? Ubinam vero legit, aut unde tandem novum illud inusitatumque didicit, meretrices in catholica Ecclesia a communione non arceri? Sane hoc mendacium est; cum nemini etiam minoris et occulti criminis sibi conscio, aliter ad usurpanda Sacramenta liceat accedere, quam confessione delicti illius, ac pœnitentia reconciliatus ante fuerit : quod Tridentina synodus novissime decrevit.

III. Et quoniam de pœnitentia, maxime autem publica, sermo nobis ortus est, scire velim, quid in animo habuerit fœneratorum patronus[2], ut in veteri Ecclesia « vel minima peccata severissime vindicta per pœnitentiam publicam » auderet scribere. Quid hoc potest absurdius dici? Itane peccata minima erant illa, quæ pœnitentia publica mulctabantur? Atqui vel gravissima fuisse constat : nec alia, quam illa ipsa, propter quæ a regno Dei excluduntur homines, de quibus Apostolus, interpretante Augustino[3], scripsit ad Galatas, cap. 5. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Revolvantur monimenta antiquitatis omnia, omnes canones, quibus publica pœnitentia certa peccata notata sunt; ac vetustissimi quique Patrum consulantur: nulla occurrent alia, nisi atrocia, certe lethifera crimina, publicæ illi animadversioni subjecta. Longum est ea percensere hoc loco, quæ apud Tertullianum, Cyprianum, Basilium, aliosque veteres, tum in canonum Collectaneis leguntur. Trita res est, quam nemo, nisi antiquitatis rudis omnis, ignorat. Unius Augustini, quoniam in ejus mentionem incidi, testimonium satis superque nobis erit. Dicat ille, cujusmodi peccatis publica pœnitentia sit inflicta. Verba illius ex capite eodem quarto homiliæ postremæ de Quinquaginta : « Ut si peccatum ejus, (inquit de pœnitentibus ex antistitum arbitrio satisfacientibus loquens) non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti; in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali, et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. » Et in ep. 118. c. 3. « Imo, *inquit*, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam, et eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Ceterum si peccata tanta non sint, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare. » Quæ postrema verba Isidorus Hispalensis transtulit in caput 18. libri primi de Officiis ecclesiasticis. Et ista etiam ejusdemmodi adjicit : « Ceterum si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum removeant ab altario, prius agenda pœnitentia est; ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. » Gennadius in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 53. eamdem quæstionem de frequenti communione dissolvens, « Quem, *inquit*, mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, et ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium, et condemnationem sui Eucharistiam percipere. » Quocirca falsissime dictum est, *vel minima*

[1] Trapez. pag. 471. — [2] Trapez. pag. 472.

[3] August. tom. 10. lib. 50. Hom. hom. 50. cap. 4.

peccata pœnitentia publica vindicata fuisse. Nam minima ista oratione, et eleemosynis, aliisque piis officiis deleri, passim Augustinus prædicat; maxime autem Dominica oratione, cum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra.* De quo illud Prosperi non pigebit adscribere ex libro secundo de Vita contemplativa, cap. 7. « Exceptis enim peccatis, quæ tam parva sunt, ut caveri non possint; pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; illa crimina caveantur, quæ publicata suos auctores humano faciunt damnari judicio. »

In collectione canonum Martini Dumiensis, quæ ad Bracarensem secundam synodum adtexitur, canone 23. declaratur, quis sit pœnitens publica illa functus pœnitentia, et a sacris ideo rejectus ordinibus. « Ex pœnitente, *inquit*, dicimus eum, qui post baptismum pro homicidio, aut pro diversis criminibus, aut gravissimis peccatis publicam pœnitentiam sub cilicio gerens, divino fuerit reconciliatus altario. » Non utique ob minima peccata, sed ob gravissima, et capitalia summa illa pœna decernebatur.

CAPUT QUARTUM.

Trapezitæ in fidei, aut Theologiæ tractandis quæstionibus temeritas. Bonorum operum ab eo negata merita; quæ et omnium universe aliqua, et majorum præstantiora esse monstratur. De duplici vitæ instituto, communi, atque perfecto. Hujus sublatum ab Trapezita meritum defenditur.

I. Hoc etiam fœneratorum patrono restabat ad infelicitatis cumulum, ut se gravissimis de fide, ac Theologia controversiis interponeret, iisque Trapeziticam illam farraginem referciret. Hic ille nimirum morbus est, qui plerosque mortales tenet, ut quod quisque minime omnium novit, quodque alienum habet ab usu, professioneque sua, id præ se maxime ferre, deque eo crebro, ac multum loqui studeat. Quod dum in profanis, et communibus litteris usuvenit, quia nunquam sine errore fit, stolide id quidem, sed aut nullo, aut non magno periculo geritur. Idem cum divinas ad res transfertur, eo flagitiosius est, quod ad errati turpitudinem impietatis et hæresis quoque crimen accedit. Pervetus est de eo sanctorum querela Patrum, imprimisque Gregorii Nazianzeni, qui quibus potuit frænis hanc licentiam, temeritatemque constrinxit Oratione tertia et tricesima. In qua leves et indoctos homines, atque in divinarum rerum tractationem intemperanter effusos, tum aliis plurimis, tum hac sententia castigat.

Οὐ παντὸς, ὦ οὗτοι, τὸ περὶ Θεοῦ φιλοσοφεῖν, οὐ παντὸς, οὐχ οὕτω τὸ πρᾶγμα εὔτιμον, καὶ τῶν χαμαὶ ἐρχομένων· προσθήσω δὲ, οὐδὲ πάντοτε, οὐδὲ πᾶσιν, οὐδὲ πάντα· ἀλλ' ἔστιν ὅτε, καὶ οἷς, καὶ ἐφ' ὅσον. Οὐ πάντων μὲν, ὅτι τῶν ἐξητασμένων, καὶ διαβεβηκότων ἐν θεωρίᾳ, etc. τίσι δέ; οἷς τὸ πρᾶγμα διὰ σπουδῆς, καὶ οὐχ ὡς ἕν τι τῶν ἄλλων καὶ τοῦτο φλυαρεῖται ἡδέως. « Non est cujusvis de Deo disputare; non cujusvis, inquam. Non adeo vilis, ac protrita ea res est, nec eorum, qui adhuc humi serpunt. Addam etiam, non cujusvis temporis, nec apud quosvis, nec de quibusvis, sed certo tempore, et apud certos homines, et aliquousque faciendum istud est. Non cujuslibet id quidem est, quoniam hoc eorum munus est, qui accurate explorati sunt, ac contemplando longe processerunt, etc. Apud quos porro? Nempe apud eos, qui rem hujusmodi studiose, ac serio amplectuntur, quique non ut quippiam aliud, ita hoc quoque inepta nugacitate persequuntur. »

II. Scitum et illud, nec ad rem nostram minus est aptum, Synesii in Dione: Ὁ μὲν οὖν Κάδμου σπόρος αὐθημερὸν ὁπλίτας, φησὶν, ἀνεδίδου σπαρτούς· σπαρτοὺς δὲ θεολόγους οὐδείς πω μύθος ἐτερατεύσατο. « Cadmi quidem semen sativos, ut aiunt, eadem die milites protulit. Sativos autem theologos nulla ad hanc diem fabularum portenta finxerunt. »

At Trapezita de grammatico repente factus theologus, non pauca, eaque præcipua, et perdifficilia fidei capita delegit, quæ tanquam ἐπεισόδια, vel ἐμβλήματα in alieni prorsus argumenti commentarium intexeret. Qua ex re id, quod erat consentaneum, est assecutus, ut

in illis, quorum rudis et ignarus erat, explicandis, turpissimos ubique in errores incurreret; a seque ipso non minus, quam ab omni Christiana antiquitate, et catholicæ fidei regula discreparet. Quæ nos illius flagitia neque dissimulare omnino debemus, neque tamen longiores in illis confutandis esse possumus. Sed strictim notata capitibus aliquot exagitabimus: ut ne deinceps impune licere sibi putet, tantis de rebus, quas neque scit, neque didicit unquam, temerariam ac falsam sententiam dicere.

III. Horum primum illud esto, quod a pagina 288. disputare est orsus: duo in Ecclesia esse instituta vitæ, quas sectas, et πολιτείας vocat; alterum perfectum, quod remotum a procurandis corporis commodis, totum se ad virtutis ac cœlestium rerum studium applicat; alterum, quod in communi vita permanet. De utraque vita deinde scribit sic: « Prior illa ita quidem perfecta præ ista habenda, et vocanda, si tamen nihil sanctitatis meritoriæ in tali proposito reponat, καὶ ὡς ἂν ἐκ τούτου δικαιοσύνην ἔχουσα, tanquam per hoc se justitiam habere credens; sed eam viam hac mente, et consilio calcans, ut declinet εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, et omnem occasionem delinquendi devitet. » His paucis versibus incredibile est, quantum veneni ac pestis incluserit. Negat illius capessendæ vitæ propositum *sanctitatis* aliquid *habere meritoriæ,* aut ex eo uberiorem constare justitiam. In quo primum interrogandus est, credatne bonorum operum ulla esse merita, eo videlicet sensu, quem antiqui Patres omnes, et præ ceteris Augustinus, cumque iis consentiens Romana et catholica pietas agnoscit. Nimirum ut neque Dei gratiam ulla antecedant merita; et hæc ipsa tum ex gratia, tum ex gratuita Dei pollicitatione, Christique meritis tota pendeant.

IV. Quæ est Augustini sententia passim ab eo contra Pelagianos exposita. Ut cum in epistola 105. ita scribit: « Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt. » Ac postea: « Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia; et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam munera sua? » Quamobrem, ut recte Prosper in responsione ad capitula Gallorum, capite 6. « Justificatus homo, id est ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio adquirat et meritum; ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii. » Ejusmodi operum merita bonorum, nemo nisi profanus, ac vecors, Christianis audet eripere. Nihil enim tanta consensione traditum ab veteribus Ecclesiæ magistris ac Patribus accepimus, nulla ut eorum propemodum pagina sit, quæ non insignem aliquam mentionem habeat dogmatis illius. Tertullianus, ut ex innumeris testimoniis pauca delibem, libro de Pœnitentia capite secundo: « Bonum factum, *inquit,* Deum habet debitorem; quia judex omnis remunerator est causæ. » Cyprianus in libro de unitate Ecclesiæ, « Præceptis ejus, *inquit,* et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem. » Hilarius canone 4. in Matthæum, « Cujus, inquit de divina bonitate, præmium, atque honos præsentis vitæ operibus sit merendus. »

V. Chrysostomus homilia 16. in Matthæum, Εἰ γὰρ τὸν βασιλέα ἔχων τις ὀφειλέτην, ἀρκοῦσαν εἰς πάντα νομίζει τὸν βίον ἀσφάλειαν ἔχειν· ἐννόησον ἡλίκος ἐστὶν ὁ τὸν φιλάνθρωπον, καὶ ἀεὶ ζῶντα Θεὸν καὶ μικρῶν, καὶ μεγάλων κατορθωμάτων χρεώστην ἑαυτῷ καταστήσας. « Si enim ille, qui debitorem habet Imperatorem, sufficientem in omne vitæ tempus habere se securitatem existimat; cogita, quantus ille sit, qui benignum, et immortalem Deum bonorum omnium operum tam parvorum, quam magnorum debitorem sibi constituit. » Sic homilia 19. in idem Evangelium, verba illa perpendens capitis sexti, *Et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*: Οὐκ εἶπε, χαριεῖταί σοι inquit, ἀλλ' ἀποδώσει σοι. Καὶ γὰρ χρεώστην ἑαυτόν σοι κατέστησε: « Non dixit, gratis tibi largietur, sed reddet tibi. Siquidem debitorem tibi seipsum constituit. » Ubi idem χρεώστου vocabulum usurpavit, quo et Tertullianus est usus. Etenim, « Promissorum suorum (ait Augustinus sermone 31. de verbis Domini capite 4.) nobis chirographum fecit. Non debendo enim, sed promittendo debitorem se Deus fecit, id est non mutuo accipiendo. Non possumus ergo ei dicere, Redde quod accepisti; quoniam quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Non possumus dicere ei, Redde quod accepisti; sed plane dicimus, Redde quod promisisti. » Idem etiam in homilia 14. de quinquaginta ex Apostoli verbis idipsum confirmat. « Non enim opere, *inquit,* inspecto potest negare mercedem, qui opus inspicit. Bonum certamen certavi; opus est. Cursum consummavi; opus est: fidem servavi; opus est. Superest mihi corona justitiæ; merces est. »

VI. Atque hic Apostoli locus, ex 2. Tim. 4.

7. ad idem institutum expressissimus est; isque sæpius ab Augustino, aliisque commemoratur, ut ex eo bonorum operum merita commendent, atque illud ostendant, quod Isidorus Pelusiota egregie scripsit in libro primo epistola 387. non solum χάριτι, id est *gratuito* nos salutem assequi, sed etiam ἀμοιβῇ, καὶ ὀφλήματι, id est *compensatione quadam justitiæ, ac debito*. Ecquis vero sic occæcatos habet oculos ut non viderit, aut ita stolide pervicax est ut fateri nolit, quod in sacris omnibus utriusque Testamenti libris legit, si vel levissime eos unquam attigit: bonis operibus et promissam, et rependendam esse mercedem? eleemosynis, inquam, sive *beneficentiæ, et communioni, quibus hostiis promeretur Deus*, ait Apostolus ad Hebr. 13. 16. tum ceteris misericordiæ propriis, propter quæ novissimo in judicio æterna salus electis, tanquam præmium ac merces tribuenda dicitur Matthæi 35. Sed in re adeo vulgari et protrita diutius immorari piget. In qua tamen peregrinari ille ipse, qui occasionem nobis disputationis illius dedit, Trapezita videtur; qui nihil *sanctitatis meritoriæ* in opere omnium præstantissimo, maximeque difficili et arduo collocandum putat, nempe in vitæ perfectæ proposito: quod non uniusmodi virtutum officiorumque, sive κατορθωμάτων genus amplectitur; sed universa in unum collecta continet, nec illa quidem mediocria, verum absoluta numeris omnibus, utpote perfecto vitæ statu digna.

VII. Quæ est igitur ista ratiocinandi pravitas: cum minimarum actionum, quæ ex fide ac gratia proficiscuntur, nulla sine merito ac præmio sit; excellentis ac perfectæ, cujusmodi propositum illud est, nullum esse meritum credere? An qui sitienti aquæ frigidæ calicem dederit, mercedem habebit, ut Matthæi 10. 42. Christus significat; non habebit, qui minima, maximaque virtutum omnium officia proposito ac voluntate conceperit? Quid autem meritum est, nisi honestum quoddam et laudabile factum, cui merces et compensatio aliqua debetur? Quæ quidem si est justa, magnis officiis, major; parvis autem, minor proponitur. « Nam pro actibus hominis remunerationis est qualitas, » ait Ambrosius libro 8. in Lucam. Et Petrus Chrysologus Sermone 22. « Præmia statuuntur his semper, quibus certamina dura proponuntur: ac pro magnitudine certaminis præmii proponitur magnitudo. » Tertullianus item in quarto contra Marcionem, capite 17. illud Lucæ 6. declarans, *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum*, ita scribit: « Ut opinor, hæc retributionem pro meritis provocatam sonant. » Et Augustinus sexcentis in locis illam meritorum, præmiorumque disparem, et inæqualem conditionem prædicat; eaque quomodo cum uno illo denario, qui operariis Matth. 20. persolutus est, concordet, diligenter explicat. Velut tractatu in Joan. 67. et lib. de sancta Virginitate cap. 26. Quod et ex illis Apostoli verbis affirmat 1. Cor. 15. *Stella a stella differt in gloria*. « Aliter ibi lucebit virginitas, ait serm. 46. de verbis Domini, aliter ibi lucebit castitas conjugalis; aliter ibi lucebit sancta viduitas. Diverse lucebunt, sed omnes ibi erunt. Splendor dispar, cœlum commune. » Quid quod ipsemet Trapezita [1] et meritum perfectæ illius sanctiorisque vitæ, et majus, quam in communi, ex Athanasio demonstrat? Δύο εἰσὶν ὁδοὶ scribit Athanasius, ἐν τῷ βίῳ, καὶ δύο πολιτεῖαι. Ἡ μὲν μετριωτέρα, καὶ βιωτικὴ, φέρουσα καρπὸν ἐν λ', ἡ δὲ ἀγγελικὴ, καὶ ἀποκόσμιος, φέρουσα καρπὸν τὸν τέλειον ἐν ρ. Quæ sic Trapezita reddidit: « Duæ sunt viæ, sive sectæ in vita, et duæ conversationes. Una meriti mediocris, et secularis, quæ trigesimæ frugis fœnus reddit; altera angelica, et mundo abdicata, quæ fert fructum centesimi fœnoris perfectum. » Habet ergo meritum perfecta illa vitæ ratio, et majus, quam communis altera; ac tantum illa hanc excedit, quantum centesimum fœnus trigesimum superat. Falsissimum est proinde, quod paulo post idem Trapezita nectit, nullam in illo perfectiori proposito *sanctitatem* inesse *meritoriam*. Etenim neque perfectior potest esse, nisi sit sanctior; neque sanctior esse, quin majoris sit meriti: quia sementi bonorum operum messis respondet; et [2] *qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus* (hoc est large, et abundanter) *de benedictionibus et metet*. Joviniani hæresis illa est, « Omnium, qui suum baptisma servaverint, unam in regno cœlorum remunerationem esse, » ut in primo contra illum scribit Hieronymus. Tum, « Virgines, viduas, et maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent ceteris operibus, ejusdem esse meriti. » Quam hæresim multis in libris confodit Augustinus; ut in libro de Hæresibus ad Quodvultdeum, cap. 82. et in libro de Bono conjugali contra eumdem, et in libro de sancta Virginitate. Quo est

[1] Pag. 296.

[2] 1. Cor. 15.

Trapezitæ audacia detestabilior, qui hanc ipsam opinionis impietatem toto illo in opere secutus est: ut ex iis, quæ diximus, et quæ dicentur postea, constabit.

VIII. Nam quod idem statim explicat [1], quo fine ac scopo perfectæ illud vitæ propositum adhiberi debeat, nempe «ut eam viam hac mente et consilio calcet, ut declinet εὐπερίστατον ἁπαρτίαν, et omnem occasionem delinquendi devitet; non ut aliquid sanctitatis meritoriæ in illo proposito reponat:» in eo sibi ipse contradicit, et quam evertit *propositi sanctitatem meritoriam*, adstruit. Nam declinare peccatum velle, et quidvis declinandi causa reipsa facere, magna virtus est; siquidem, *Virtus est vitium fugere.* Et [2], *Initium sapientiæ timor Domini.* Porro [3], *In timore Domini declinatur a malo.* Non potest igitur vel sanctitate carere, vel sanctitatis merito, qui propositum illud adeo sublimis excellentisque vitæ suscipit, ut [4] *declinet a malo, et faciat bonum:* in quo Christianæ, ac perfectæ vitæ summa consistit.

CAPUT QUINTUM.

De Christi præceptis ac monitis in monte editis; deque iis absurda, et secum repugnans Trapezitæ sententia. Consilia de rebus esse difficilioribus; falso ab eodem putari, omnia, quæ illic præscripta sunt a Christo, esse præcepta, ita ut nullum sit consilium. Gravis ejusdem error asserentis, solis apostolis data illa esse, non Christianis ceteris; tum inconstans opinio, solos perfectæ vitæ professores illis obligari. Consilia funditus ab eodem tolli. Ostenditur demum Christum in monte partim præcepta, partim consilia dedisse.

I. Magnam deinde, ac sane difficilem quæstionem ingreditur Trapezita [5] de Christi mandatis, quæ Matthæi præsertim quinto capite proponit ita, ut ea velut opponat antiquæ ac Mosaicæ legi; ut cum sic loquitur, *Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides*, etc. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, ac reliqua generis ejusdem. Itaque «qualia illa Dominica præcepta fuerint, et quibus præcipue data,» declarandum sibi Trapezita constituit. Ac primum «toto illos errare cœlo» dicit, «qui inter illa præcepta Christi, et mandata legis priscæ distinguunt, ut inter consilia, et præcepta.» Jure id quidem refellit, si universe ita pronuntietur. Non enim mandata illa Christi omnia pro consiliis habenda sunt. Sed in hac qualicumque impugnanda sententia incredibilis est Trapezitæ veternus, ac stupor. «Nulla, *inquit*, ratio est, ut præcepta, quæ creduntur obligare sub peccato contra jus naturale, ac divinum, facilioris sint observationis, quam consilia, ab eodem præsertim auctore manantia.»

II. Hæc plane cum scriberet, vigilans stertebat. Quid enim? Non est consiliorum, quam præceptorum observatio difficilior? Præcepta, quod sciam, omnibus in commune proposita sunt, etiam βιωτικοῖς, ac plebeiis, qui in illa molliore, et indulgentiore secta censentur, et perfectioris ac sanctioris alterius nexibus expediti sunt. At consilia multo et perfectiora sunt, et, quod consequens est, difficiliora factu. Non enim nisi arduis de rebus, et vulgi captum superantibus edita sunt a Christo. Velut Matthæi 19. de continentia ab uxore, et vita cælibe. *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Et, *Qui potest capere capiat.* Et Apostolus prioris ad Corinthios, cap. 7. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Hanc sane virginitatem, et ἀγαμίαν, propter difficultatem, nulla præcepti legisque necessitate conclusam ab Christo, sancti Patres intelligunt. Chrysostomus inter alios homilia in Matthæum 62. Christum censet verbis illis, *Qui potest capere capiat*, «promptiores apostolos suos facere voluisse, dum arduum ac perdifficile id egregium facinus esse monstraret, nec rem eam necessitate legis includi pateretur, pro sua ineffabili benignitate.» Προθυμοτέρους τε ποιῶν τῷ δεῖξαι ὑπέρογκον ὂντὸ κατόρθωμα, καὶ οὐκ ἀφιεὶς εἰς ἀνάγκην νόμου τὸ πρᾶγμα κλεισθῆναι διὰ τὴν ἄφατον αὐτοῦ ἡμερότητα.

[1] Trapez. pag. 299. — [2] Ps. 100. 10. — [3] Prov. 16. 6. — [4] Psal. 33. — [5] Trapez. pag. 302.

III. Relegat Trapezita, quæ de utroque instituto vivendi, perfecto, et communi, seu βιωτικῷ, paginis aliquot exposuit [1]; ubi πολιτείαν illam perfectorum, « sublimiorem, ac mere spiritualibus convenientem, necnon apostolicam, angelicam, a mundi rebus alienam, excellentem, et eminentem » ab antiquis Patribus appellari scribit, hoc est Ἀποστολικὴν, Ἀγγελικὴν, et ἀποκόσμιον, et ὑπερφυῆ, et ὑπερβεβηκυῖαν. At βιωτικοὺς [2], « in mediocribus, *ait*, subsistere; quibus difficile est, imo impossibile secundum humanam rationem ad eam laudem spiritualium adspirare. » Faciliora sunt igitur præcepta, quibus et βιωτικοὶ tenentur, quam consilia, quæ solos *perfectos*, et *spirituales*, non autem βιωτικοὺς respiciunt. Et tamen subinde pagina 303. « Quis ergo dicat, *inquit*, in magis arduis consilia locum habere, in factis facilioribus præcepta? » Quis hoc dicat, quærit. Profecto quicumque vel mediocriter sapit, etc. qui τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροτάφοις, καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις κατα-πεπατημένον φορεῖ [3].

IV. Verum, ut Trapeziticæ doctrinæ mysterium omne prodatur, quod perplexo, et inextricabili, atque incondito genere sermonis occultat; sciendum est, sic illum de proposita quæstione sentire: quæcumque Matthæi quinto illo capite tradita sunt a Christo, ac Mosaicæ legi velut opposita, ea non consilii vim habere, sed præcepti. « Hæc dicta, *inquit* [4], edicta sunt, et cum pari auctoritate, ac potestate pronuntiantur a novo legislatore, ac sua ab antiquo. » Et pagina antecedente : « Non enim, *inquit*, tanquam παραινέσεις, et ὑποθῆκαι tantum haberi debent, quibus obedire, aut non obedire integrum sit ei, qui decretis solis contentus esse queat. » Quare omnia illa Matthæi 5. edita, præcepta putat esse, quibus non minus, quam legis antiquis tabulis obligentur homines. Ex quo id sibi, quod opinioni adversari suæ videtur, objicit : « Cur igitur leges hodie Christianorum publicæ puniunt mœchum, non puniunt concupiscentem? » Stulta percontatio. Non enim occulta, et interiora crimina publicis legibus plectuntur. Nam qui alienam uxorem concupiscit; peccat ille quidem, et adulterii scelere, ac pœna tenetur apud æterni tribunal judicis, ad quem occultorum cognitio pertinet: hominum vero publica lege damnari, aut puniri qui potest, cum sit illius crimen ignotum?

V. Quare melius in sequentibus procedit quæstio. « Cur judex, *inquit*, conquerenti se pulsatum, non opponit Christi præceptum, quo jubetur, ut percussus in una mala, alteram præbeat percutiendam? Quæ causa denique est, ut in judicio se fraudatum monstranti minime objiciatur ab adversario, noluisse Christum, ut qui circumscriptus esset, litem eo nomine intenderet? Cur etiam dica non scribitur iracundo, ut homicidæ? » His et aliis ejusmodi demum ita respondet [5] : « Illa Domini præcepta, quibus legalia mandata Christus ad majorem deduxit observationis rigorem, non omnibus per illum tradita esse, sed solis discipulis. Non tantum quia debuerunt perfecta præcepta perfectioribus tradi; sed etiam quia oportuit severiore imbui disciplina, per quos nova ac severa doctrina mundo innotesceret. » Ergo apostolis solis nova illa præcepta Christus in monte tradidit. Hinc vero quot et quanta portenta sequuntur! Primum irasci licebit impune Christiano cuilibet, neque propterea divino judicio erit obnoxius. Concupiscere item fas erit alienam conjugem sine adulterii nota; quoniam quæ lex id fieri vetat, ad solos apostolos pertinet. Odisse quoque licebit inimicos, et hujus generis præcepta cessabunt cetera. Quo constituto, jam Christiana tota sanctitas, ac religio funditus corruet.

VI. Atenim in sequentibus præceptorum istorum vim, et obligationem latius porrigit. Nam eadem illa novæ legis mandata non solis apostolis data fuisse vult; sed etiam omnibus, qui perfecti esse studeant. « Enimvero, *inquit* [6], ut ad rem redeam, ita voluntaria hæc Christi omnia perfecta præcepta videri debent, ut iis secundum ea vitam suam componere statuentibus, decreta sint ac scita, legis instar, ac vim obtinentia, non consilia. » Et alibi [7], « Omnia illa ἐπιταττικὰ præcepta Domini, *inquit*, quamvis pro causis, ac temporibus apostolis solis competant; omnibus tamen videntur data, qui contentione, et æmulatione meliorum, ea pro virili sectari tenentur. » Jam ergo præter apostolos, etiam illi præceptis tenentur istis, qui ad meliora, et perfectiora niti statuerint; quales sunt perfectæ ac sublimis illius vitæ cupidi, de qua antecedenti capite dixi. Ceteri, quos βιωτικοὺς appellant, communis vitæ cultores, et a perfectionis alieni studio, nullo modo præceptis his parere coguntur. Quocirca, si quis animum in-

[1] Pag. 340. et seq. — [2] Pag. 24[2]. — [3] Demosth. in Orat. de Halon.

[4] Trapez. pag. 306. — [5] Pag. 308. — [6] Trapez. pag. 319. — [7] Pag. 344.

duxerit ad illa exquisitiora servanda Christi monita, non jam illa ut consilia, sed ut leges, ac præcepta reputare debet.

VII. Neque vero cum iis legum instar esse dicit illa mónita, qui ea sibi observanda esse decreverint, de eo proposito loquitur, quod cum voto conjunctum, privatæ legis necessitatem induit. Id si ita definiret, verum diceret. Sed non dicit; at propositum quodlibet, et deliberati animi voluntatem satis esse cuique vult, ut obligationem afferant illa præcepti, et esse consilia desinant. Etenim « ὁ βιωτικὸς, *inquit*[1], hoc est qui institutum commune vitæ sectatur, qui moralia tantum exequitur, facit tantum quod debet, imo etiam minus, si, cum possit ulteriora conari, sibi ipsi deest, etc. » Deesse porro sibi illum putat, cum charisma, quo id possit, divinitus accepit. Quia « conatus ille ipse, quo tendimus ad meliora ac majora charismata, etiam Dei charisma est. » Quare qui summa illa, et perfecta potest exequi, nisi id agat, minus facit, quam debet. Itaque peccat. Est enim peccatum ἔλλειψις, id est *detractio* de eo, quod ex lege debetur. Non est igitur amplius res consilii, sed præcepti. Sic alibi[2]: « Si bene valenti, *inquit*, medicus auctor esset, vinum potius aqua dilutum bibere, quam purum, loco consilii magis haberetur, ad sanitatis cautelam, quam præcepti. Et tamen certum est, qui illo consilio uteretur, præceptum hoc illi futurum pro consilio. Effectus quippe ipse, et eventus, dum paretur ab eo cui consilium datur, mutat consilium in præceptum. Minoris quippe fit lex cui non obtemperatur, quam consilium cui paretur. »

VIII. Hæc Trapeziticæ opinionis est summa, in qua si quis rationem, aut humanum judicium requirat, frustra sit. Nihil enim, ut multum laboret, communis in illa sensus inveniet. Atque ut consilii, ac præcepti discrimen seponamus modo, de quo sequenti capite dicetur; quis risum teneat, cum hoc audiat, consilia, cum iis paretur, vim legis accipere? Aut cum medicus valenti et sano consilium dat, ut aqua dilutum vinum bibat, id tamdiu consilium esse, dum non obtemperatur; si consilium placeat, tum in legis, ac præcepti vim obligationemque transire? Itane quidquid ab aliquo consilii datum tibi sit, id si probes, tum demum lex erit, ut sine culpa secus facere nequeas? Quis hoc sanus dicere, vel sanos persuadere possit? Hoc modo nihil jam erit, quod consilium vocari debeat, nisi cum ei non auscultatur.

Nam quod de βιωτικοῖς, et communis vitæ sectatoribus ait, non eos præceptis illis in monte datis a Christo teneri, sed solos illos, quos perfectioris amor vitæ ceperit[3]; ac nihilominus salutem adipisci: eodem incommodo premitur, quod supra memoravimus. Sequitur enim, licere ipsis irasci fratribus suis, et *in corde mœchari*, hoc est videre alienam conjugem ad eam concupiscendam, inimicos itidem odio prosequi; quandoquidem præcepta illa, quibus hæc vetantur, ad solos perfectos, non ad communes Christianos spectant. Non solum ridicula et absurba ista sunt, sed etiam nefaria et impia.

IX. Enimvero, quod postremo ac paucis explicandum est, omnia illa, quæ apostolis ab Christo proposita sunt in eo sermone, quem in monte habuit, cum ad universos Christianos pertinent, tum neque consilia sunt omnia, neque præcepta, sed ad utrumque genus referuntur. Ex his præcepta et mandata sunt illa, quæ dixi, de non concupiscenda uxore proximi; de diligendis inimicis; de non irascendo; et ejusdemmodi alia: cetera consilii sunt, non præcepti. Quale est percutienti maxillam tuam, præbere alteram; aut, *Si quis te angariaverit mille passus, vadere cum illo et alia duo.* Item, *Si quis vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimittere ei et pallium.* Hæc quisquis observat, optime facit; qui secus facit, nihil eo nomine peccat, quod ista non servat, sive perfectum, sive commune vitæ genus profitetur. At illa superiora Christianos omnes obligant, neque sine peccato negligi possunt. Hæc vera, sana, catholica est Ecclesiæ doctrina, omnium usu seculorum, ac sanctorum Patrum auctoritate recepta; Trapezitica vero partim falsa, et hæretica, partim a seipso dissentiens.

[1] Trapez. pag. 344. — [2] Pag. 304.

[3] Trapez. pag. 341.

CAPUT SEXTUM.

De consiliis evangelicis, et operibus supererogationis; quæ vox primum ab Trapezitæ obtrectatione, tum res ipsa vindicatur. Demonstratur e Scriptura, et antiquis Patribus, opera quædam esse, quæ lege nulla jubentur, et sponte præstita supererogari dicuntur.

I. Consilii ac præcepti nomina, et utriusque discrimen merito antiqui Patres, ac theologi ex Apostolo colligunt; qui in priore ad Corinthios, cap. 7. 25. *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, etc. Tum quid inter se ista differant, tota illa narratione demonstrat. Ex qua id esse præceptum intelligimus, quod parendi necessitatem, et obligationem affert, ut absque culpa, pœnaque prætermitti nequeat. Consilium vero suasio est melioris cujusdam, ac præstantioris operis, cujus exequendi nulla necessitas imponitur; sed ejus, cui datur, voluntati arbitrioque permittitur. Cujusmodi libera et voluntaria pietatis officia, *supererogationis opera* nominari solent. At Trapezita noster subito factus dogmatistes, ut ille Melchisedecianorum pater Theodotus[1], « nulla opera supererogationis admittenda esse » decernit: « quæ non magis, *inquit*[2], peccant verbo contra latinitatem, quam re ipsa contra fidem. » Non fero delicias istas. Nam quid adeo ista vox offendit?

II. Hac vetus interpres latinus utitur Lucæ 10. 35. ubi Samaritani a latronibus confossi, et humi jacentis parabola describitur. *Curam*, inquit, *illius habe, et quodcumque supererogaveris, reddam tibi.* Καὶ ὅ, τι ἂν προσδαπανήσῃς. An veteris et eruditi interpretis vocabulum usurpare theologis in re sacra et dogmatica non licebit?

Non tam morosi fuerunt veteres Patres, iidemque latinæ proprietatis retinentes. Ambrosius in commentariis ad illum Lucæ locum, tam in latino contextu, quam in expositione sua vocem istam posuit. Augustinus item in libro de sancta Virginitate, capite 30. cujus verba postea referam. Adhibuit et Fulgentius scriptor elegans in epistola septima, quæ est ad Venantium, capite 8. « Nunquam duobus denariis datis, *inquit*, redditurum se, quidquid supererogaret, stabulario spopondisset, si supererogationem illam non plenæ sanitati prænosceret profuturam. » Auctor etiam Hypognostici in tertio libro, capite 8. ut postea dicam. His ergo præeuntibus nec indoctis, et latine disertis, quis tanti litteratores nescio quos faciat, ut illo verbo uti vereatur?

III. Sed omitto verbi contentionem: de re ipsa modo constet; non ero pertinax. *Opera supererogationis*, vel quæ *supererogari* dicuntur, ea nos vocamus, quæ præter debitum, ac sine ulla legis obligatione, sponte quispiam præstat; vel quæ consilii tantummodo sunt, non præcepti. Debet aliquis privato homini, vel publico centum aureos nummos. Is, si centenos solvat, nihil supra debitum reddit. Sin præter centum, vicenos gratis et liberaliter erogat, is demum supererogare dicetur, Hesiodei illius memor:

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος· εὖ δ' ἀποδοῦναι
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνῃαι.

Recta quidem mensura ab vicino mutuum accipe, ac fideliter redde Eadem mensura, et amplius, si quidem possis.

Est enim supererogatio, τὸ ἐπίμετρον, id est *auctarium*.

IV. Utrum igitur in Christianismo, et religioso Dei cultu locum habeat operum talium meritum, quæ supra legis obligationem excurrant, nec debita sint, sed sponte, et gratuita liberalitate præstentur, inter nos quæritur. Negat hoc Trapezita, ut ex antecedenti capite constat; qui quidem ea, quæ consilia nominantur, cum iis reipsa, vel voluntate, animique proposito paretur, in præcepta transire asserit. Tum etiam cum perfectæ vitæ genus, institutumque suscipit aliquis, etiam citra voti religionem, privatamque legem, eo ipso, quod ad perfectionem aspirat, non amplius esse consilium, sed præceptum id, quod hactenus integrum erat; nimirum cum ad excellentem illam vitæ sectam instituendam charisma divinitus accepit. Hæc si recte ab illo posita sunt, sublatum jam erit omne consilii discrimen, ac præcepti. Nullum enim consilium erit

[1] De Theodoto Trapezita Euseb. 6. Hist. c. 7. Theodoret. lib. 2. de Hær.

[2] Trapez. pag 344.

amplius, sed erunt omnia præcepta : quia quidquid illud erit, quod sponte, ac voluntate libera capesset aliquis ; id statim atque facere proposuerit, in præceptum mutabitur.

V. Enimvero magnam novus iste theologus ab Juliano apostata gratiam inisset, si ejus vixisset temporibus, et Christianum illud dogma vulgasset. Nam cum ille Christianos per vim opprimeret ; ac cum magnis per sese injuriis eos afficeret, tum ab aliis vexari impune permitteret ; expostulantibus apud se ita respondere solebat, ut Gregorius Nazianzenus prima in illum Invectiva refert[1] : « Christianis lege sua præceptum esse, ut neque injurias ulciscerentur, neque litigarent, nec haberent omnino proprium quidquam, sed ut alibi viverent, et præsentia pro nihilo ducerent ; tum ut nemini malum pro malo referrent ; neque genam percutienti subtraherent, sed alteram præberent : ac præter tunicam, etiam pallium exuerent. » Εἶναι γὰρ τοῦ ἡμετέρου νόμου, μήτε ἀμύνεσθαι, μήτε δικάζεσθαι, μήτε κεκτῆσθαι τι τὴν ἀρχήν, μήτε νομίζειν ἴδιον. Ἀλλὰ ζῆν ἑτέρωθι, καὶ τῶν παρόντων καταφρονεῖν ὡς οὐκ ὄντων. Κακοῦ δὲ μὴ ἀντιδιδόναι μηδὲ ἕξεῖναι κακὸν, μήτε τὴν παρειὰν παιομένους φείδεσθαι ταύτης, ἀλλὰ καὶ τὴν ἑτέραν ἐμπαρέχειν τῷ παίοντι, καὶ τὸν χιτῶνα τῷ ἱματίῳ προσαποδύεσθαι. Quid aliud Trapezita nos docet, quam quod apostata iste jactabat, legis instar, ac præcepti illa esse omnia, quæ pro consiliis habentur a Catholicis : ut qui sponte hæc faciat, nihil, nisi quod legibus debet, quod omittere sine delicto non posset, exsolvat ?

VI. At multo secus judicavit Gregorius idem Nazianzenus, qui Trapezitæ pariter atque apostatæ calumniam non dissimili, ac nos Catholici, modo refellit, Ἔπειτα πῶς ἐκεῖν' οὐ λογίζῃ, ὦ σοφώτατε πάντων, καὶ συνετώτατε, ὁ πρὸς τῆς ἀρετῆς ἄκρον συγκλείων χριστιανοὺς, ὅτι τῆς ἡμετέρας νομοθεσίας τὰ μὲν ἀνάγκην ἔχει τοῖς ἐπιταττομένοις, ἃ καὶ μὴ φυλάττουσι κίνδυνος· τὰ δὲ οὐκ ἀνάγκην, αἵρεσιν δέ. Ἃ φυλάττουσι μὲν, τιμὴν, καὶ ἀντίδοσιν, μὴ φυλάττουσι δὲ, οὐδ' ὁντιν' οὖν κίνδυνον. « Deinde quomodo non illud animadvertis, o sapientissime et solertissime mortalium ! qui ad virtutis fastigium Christianos per vim compellis ; in lege nostra, quædam esse, quæ parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt ; alia non necessitate constringunt, sed in arbitrio et voluntate posita sunt : ac proinde rationem hanc habent, ut qui custodierint, honore et præmiis afficiantur ; qui autem minus eo expleverint, nihil periculi pertimescant ? »

Non igitur omnia, quæ ad perfectum voluntate sua nitentibus evangelica doctrina præscribit, legis obligationem afferunt, etiam illis ipsis, qui illam profitentur, vel, ut Trapezitæ verbis utar, qui χάρισμα illud acceperunt. Neque enim χάρισμα, id est impulsus et afflatus ille interior, quo ad ardua et singularia ista consectanda invitantur homines, legis ac præcepti necessitatem injicere solet, nisi voti religio ac privata quædam lex accesserit. Quamobrem integrum est cuique, et in ejus arbitrio situm, ut illa vel agat, vel omittat, quantum ad Christi institutionem attinet : quod luculento illo Gregorii testimonio constat.

VII. Licebat apostolo Paulo, quod ceteri usurpabant ordinis ejusdem, alieno sumptu in Evangelii prædicationem incumbere. *Nam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt,* ait ille 1. Cor. 9. 13. *qui altari deserviunt cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* At ille jure isto uti noluit, sed in eo mercedem sibi constituit[2], *ut sine sumptu poneret Evangelium ;* quod et ipse Actorum 20. 25. de se prædicat. Num quis inficiari potest, aliter, quam instituerat, et ut ceteri faciebant, Paulum, si vellet, potuisse facere ? Licuisse id quidem sibi alienis impendiis vivere, ac manibus et labori parcere, testis est ipsemet eodem illo nono capite : Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν φαγεῖν, καὶ πιεῖν ; μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου, καὶ ὁ Κηφᾶς. *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi ?* (nempe alienis sumptibus, ut Chrysostomus, aliique interpretes docent.) *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas ?* Solebant enim reliqui apostoli, ac prædicatores Evangelii matronas quasdam honestas circumagere secum, εἰς τὰς ἀναγκαίας αὐτῶν χρείας χορηγούσας, ὡς αὐτοὺς λοιπὸν ὄντας περὶ τούτου ἀμερίμνους, μόνῳ τῷ κηρύγματι ἀπασχολεῖσθαι : « Quæ necessarias ad vitam impensas suppeditarent ; ut ea cura soluti totos se in Evangelii propagationem impenderent, » aiunt græca Scholia.

VIII. Atqui χάρισμα Paulus, opinor, habuit ad id, quod erat perfectius, quodque ipse factitabat, exequendum. Et idem tamen potestatem habuisse se dicit aliter vivendi, ut nullo labore suo res ad victum necessarias subministrantibus aliis caperet. Nemo contra id, quod lege

[1] Pag. 94.

[2] 1. Cor. 9. 18.

præcipitur, faciendi potestatem habet, præsertim si lex divina sit, cujusmodi fuit instinctus ille sancti Spiritus, sive χάρισμα, quo ad perfectiora provehimur; si, ut Trapezitæ visum est, non consilii vim habuit, sed legis, ac præcepti. Quamobrem, cum integrum id sibi esse Paulus ipse testetur, agere secus ac charisma suadebat, non se ulla constringi lege credidit, ut ei obtemperaret. Nam quod ad prædicandi Evangelii munus, et functionem attinet, ejus sibi præcepto ac lege necessitatem impositam esse demonstrat; nec se omittendi illius potestatem habere dicit [1]. Ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται· οὐαὶ δέ μοί ἐστιν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι. *Necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non evangelizavero.* Plurimum igitur intererat inter illa duo; evangelizare, quod erat præcepti; et gratis id agere, quod fuit consilii: et quia supra legem erat, supra eam erogatum est ab Apostolo.

IX. Chrysostomus ad illa ipsa verba rem perspicue definit: Ὅτι τὸ μὲν ἔστιν ἐπίταγμα. Τὸ δὲ τῆς ἐμῆς προαιρέσεως κατόρθωμα. Ἃ μὲν γὰρ ὑπὲρ τὴν ἐντολὴν γίνεται, πολὺν ἔχει τὸν μισθὸν κατὰ τοῦτο. Ἃ δὲ ἐν ἐντολῆς τάξει, οὐ τοσοῦτον, etc. Ἀλλ' ὅμως ἐπειδὴ τὸ μὲν ἐπίταγμά ἐστι, καὶ ὀφειλή. Τὸ δὲ προαιρέσεως φιλοτιμία, κατὰ τοῦτο ἐκείνου πλέον. « Quoniam, *inquit*, illud est mandatum; hoc vero liberæ meæ voluntatis officium. Nam quæ supra præceptum fiunt, magnam habent mercedem; quæ vero præcepti rationem habent, non tantam obtinent; » et, « Verumtamen, addit paulo post, quoniam illud præceptum est, et debitum; hoc vero liberæ voluntatis largitio, ideo hoc illo præstantius est. » Sunt igitur opera quædam bona et laudabilia, quæ non intra legem sunt, sed supra legem. Sic Ambrosius epistola 25. Pauli verba illa perpendens 1. Cor. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do:* « Non enim præcipitur, *inquit*, quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio. » Et postea, « Consilium invitat voluntarios; præceptum adstringit invitos. » Prosper libro primo de Vita contemplativa: « Justus præcepta facit; perfectus autem præcepta transcendit. » Et libro secundo, capite 10. « Quoniam quidem multo attentius debent præcepta servare, qui ea parati sunt perfectionis opere transcendere. »

Nec omittendum illud Chrysostomi ex homilia 8. tomi quinti Savillianæ editionis; ubi de Adamo loquens, Πῶς οὖν ὠλίσθησεν ἐκεῖνος; (ait) παρὰ τὴν ἑαυτοῦ ῥᾳθυμίαν. Καὶ δηλοῦσιν ὅσοι νόμον ἔλαβον, καὶ οὐκ ὤλισθον· ἀλλὰ καὶ πλείω τῶν ἐπιτεταγμένων ἐποίησαν. « Quomodo ergo lapsus est ille? Suapte negligentia. Quod demonstrant illi, qui legem acceperunt, neque lapsi sunt, sed et plura fecerunt, quam quæ lege præcepta fuerunt. » Hoc græci Patres appellant ὑπὲρ νόμον φιλοσοφεῖν, *præclaris factis, ac vitæ institutis legis debitum supergredi.* Sic idem Chrysostomus homilia secunda in Matthæum de S. Josepho loquens beatæ Mariæ conjuge: Ὁ γὰρ ὑπὲρ νόμον φιλοσοφήσας, πῶς ἂν παράνομον ἔπραξέ τι; « Qui legis obligationem præclaris factis supergressus erat; quinam adversus legem egisset aliquid? »

X. Augustinus in primo libro de adulterinis conjugiis ad Pollentium, capite 14. « Multa sunt, *ait*, facienda, non jubente lege, sed libera charitate; et ea sunt in nostris officiis graviora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. » Quod fuse deinceps variis exemplis approbat; velut Christi Domini, qui tributum, « quod non debere se monstraverat, solvit tamen, ne scandalizaret eos, quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat. » Deinde apostoli Pauli, qui plurima sponte, ac nulla lege coactus in Dei obsequium impendit: eadem fere, quæ nos paulo antea commemoravimus. Ac demum ita concludit: « Hæc sunt, quæ amplius erogantur saucio, qui curandus ad stabulum Samaritani illius miseratione perductus est. Et ideo dicuntur non a Domino præcipi, quamvis a Domino moneantur offerri; ut tanto intelligantur esse gratiora, quanto magis ostenduntur indebita. »

Idem in sermone 51. de Tempore: « Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, ut a vino, et a carnibus abstineatur, ut vendantur omnia, et pauperibus erogentur. Præceptum vero datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat a malo, et faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, Qui potest capere, capiat; de justitia vero non dicitur, Qui potest facere, faciat; sed, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Consilium qui libenter audierit, et fecerit, majorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleverit, nisi pœnitentia subvenerit, evadere pœnam non poterit. » Et in libro de sancta Virginitate cap. 14. eadem commendat. In 30. vero capite etiam supererogandi voce utitur. « Neque enim, sicut non mœchaberis, non occides; ita dici potest, non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur; nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus

[1] 1. Cor. 9. 18.

debitum imperat vobis; in his autem, si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet vobis. » Vide ejusdem sermonem 18. de verbis Apostoli, cap. 11. et 12. et auctorem Hypognostici, cap. 63. Gregorius M. lib. 15. Moral. cap. 11. « Sicut enim exercitati in bonis operibus electi nonnunquam plus student agere, quam eis dignatus est Dominus jubere. » Salonius in parabolas Salomonis, « Quæ est lex sapientiæ? S. Lex sapientiæ est, quæ dicit: Si vis ingredi ad vitam, serva mandata; id est, Non occides, non mœchaberis, non furtum facies. 5. Quod est consilium sapientiæ? Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. »

XI. Sed insignis est locus Fulgentii libro secundo ad Monimum, cap. 13. ubi trium sanctorum Patrum eadem de re auctoritatibus adjunctis firmiorem suam facit. Nam de illis Apostoli verbis agens, *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do;* ita scribit: « Est quidem verum, quia sanctus Augustinus hoc dixit ab Apostolo supererogatum: quod cum secundum præceptum posset, si vellet, de Evangelio vivere, maluit tamen non solum sibi, sed et his, qui cum illo erant, propriis manibus laborare, etc. Cum ergo hoc sanctus Augustinus competenter, et congrue posuisset, non tamen incompetens videri aut incongruum debet, quod S. Ambrosius [1] beati Pauli supererogationem vel in sermonibus, atque epistolis ejus, vel in nimio labore mentis, et corporis collocavit. Sanctus autem Optatus Milevitanus in sexto adversus Parmenianum libro, consilium de virginibus Paulum supererogasse testatur his verbis: Virginitas enim voluntatis res est, non necessitatis, etc. » « Non præcepta (verba sunt Optati) sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est volentibus, nec nolentes impellit, aut cogit. » Tantæ igitur auctoritatis pondere, ac tot veterum Patrum cum Scriptura concordantibus sententiis fracta, et obruta vincatur necesse est Trapezitica hæresis: quæ nihil a præcepto distare consilium asserit, neque opus ullum esse Christiani, quod supra legem erogare possit.

CAPUT SEPTIMUM.

Trapezitæ impia quædam et hæretica dogmata. Divinum charisma etiam reprobis tribui in hac vita, adeoque Spiritus S. gratiam. De parabola operariorum Matthæi 20. quam perperam explicat Trapezita. Nullum esse peccatum nisi voluntarium, etiam in reprobis, contra eumdem asseritur.

I. Proferantur jam alia novi theologi decreta, sacræ ac catholicæ doctrinæ contraria, quæ in libro illo Trapezitico digessit. Imprimis cum duos in Ecclesia gradus constituisset, perfectorum, et τῶν βιωτικῶν, qui mercantur, aut artes quæstuarias colunt; mox [2], « infra hanc classem esse *ait*, qui παρὰ φύσιν vivunt: omnes impios, et improbos, quos vere carnales dixeris. » « Hos Dei, *inquit*, Spiritus non regit, nec dirigit; nec quisquam possit dicere, aliquo Dei χαρίσματι posse tales gloriari, vel minimo. » Imprudens dictum, et Scripturæ contrarium. Paulus in epistola priore ad Corinthios χαρίσματα complura percenset, quæ Spiritus S. pro voluntate distribuit [3]: Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσί· τὸ δὲ αὐτὸ Πνεῦμα. *Divisiones vero gratiarum sunt; idem autem Spiritus.* Cujusmodi sunt, *fides, qua montes transferuntur, gratia sanitatum, prophetia, genera linguarum,* et alia quædam. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Ejusmodi porro charismata etiam *in impiis et improbis*, adeoque reprobis inesse, eadem ex Scriptura certissimum est.

II. Demonstrat hoc idem Apostolus capite sequenti; ubi a charitate, sine qua nemo non improbus est, separari posse charismata illa demonstrat. Et Matthæi 7. 7. reprobos ac damnatos in extremo judicio haud falso prædicantes Christus induxit, se in nomine Christi

[1] Ambros. lib. 7. in 4. Luc.

[2] Trapez. pag. 241. — [3] 1. Cor. 12. 4.

prophetasse, ejecisse dæmonia, ac multa miracula fecisse. Quid quod Judas ipse traditor ac reprobus multa habuit charismata ; et Caiphas ipse prophetavit? Nimis igitur temere scriptum est, *impium neminem aliquo Dei* χαρίσματι *posse gloriari vel minimo ;* atque idcirco *vere carnales* dici, tanquam omnis efficientiæ Spiritus sancti penitus expertes. Non enim alio sensu Trapezitæ verba interpretari licet, ut tale χάρισμα intelligat, quo grati Deo, et amici ejus efficimur. Nam qui *aliquo Dei* χαρίσματι *vel minimo gloriari posse* negat illos, nullum excipit ; tum minimum appellari non potest χάρισμα charitas, quæ nos Deo sola commendat, cum sit χαρισμάτων omnium maximum. Sed neque tergiversari potest, ut dicat, ideo non posse gloriari, quia si quod habent χάρισμα, non a seipsis habent, quemadmodum Apostolus 1. Cor. 4. 7. scribit: *Quid autem habes, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ?* Verum futilis hæc esset excusatio ; quia ne electis quidem ita gloriari licet. At de reprobis sermo illic est, et Spiritus sancti dono carentibus : quos cum aliquo vel minimo χαρίσματι gloriari posse negat, tantumdem dicit, ac nullum omnino iis inesse.

III. Sed ut Trapezitæ ulceri scalpro altius impresso, purulentiam omnem, ac saniem extraham, quæ proxime in eodem loco subjecit, capitaliora, et Calvinismum olentia magis in lucem proferam. « Spiritales non sunt, nec esse possunt, ait ille[1], nisi qui Dei Spiritum acceperunt. » Nihil verius. « Atqui non ille eum omnibus dat, sed quibus vult. » Etiam hoc certissimum. « Vult autem tantum electis. Electi non intelliguntur, nisi ad discrimen repudiatorum. Qui enim electi alii, nisi ex numero plurium segregati, et exempti ad salutem, quæ negata est repudiatis, id est non electis ? » Ergo electis solis ad æternam salutem, Deus Spiritum suum dare vult ; ac soli electi spirituales esse possunt, reprobi ne ad tempus quidem possunt ? Hæc illa Calviniana scabies, hoc *fermentum*, non *Papisticum* quidem, a quo *longissime abesse* videri voluit, sed Pharisaicum, quo lex divina corrumpitur. Erit aliquando tempus, quo adversus hanc hæresim plenius, Deo bene juvante, disputabimus. Nunc paucis in eam velitabimur, atque imprimis Augustinum opponemus, cujus in secundo de dono Perseverantiæ, cap. 8. observatione digna sunt ista : « Ex duobus autem piis, *inquit*, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait unus prædestinatorum, mansissent utique nobiscum, etc. Nonne postremo utrique vocati fuerunt, et vocantem secuti ? utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati ? »

IV. De iisdem reprobis agit et in libro de Correptione et gratia capite 8. « Hic si a me quæratur, *inquit*, cur eis Deus perseverantiam non dederit, qui eam, qua christiane viverent, dilectionem dedit, nescire me fateor. » Et paulo post : « Mirandum est quidem multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam, cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertita gratia sua, faciat filios suos. » Et in capite 13. « Propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est, *inquit*, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, et aliquandiu fideliter, ac juste vivere, et postea cadere ; neque de hac vita, priusquam hoc eis contingat, auferri. » Rursus idem in epistola 107. « Sed de hac re, *inquit*, cur quidam non permansuri in fide, et sanctitate Christiana, tamen accipiant ad tempus hanc gratiam, et dimittantur hic vivere, donec cadant, cum possint rapi de hac vita, ne malitia mutet intellectum eorum ; quod de sancto immatura morte defuncto scriptum est in libro Sapientiæ ; quærat quisque, ut potuerit. »

V. Ambrosius quoque in Psalm. 118. octonario 16. « Ponet, *inquit*, super sidera (thronum suum) quando electum decipit, quando justum circumvenit, cujus opera elucent, sicut stellæ in cœlo. Nonne et Judas proditor inter ceteros audiebat : Vos estis lux mundi ? Nonne diabolus lumen ejus extinxit ? » Cyprianus item libro de unitate Ecclesiæ idem probat ex Apocalypsis capite tertio, ubi ita Christus hortatur, *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* « Quod utique Dominus, *ait*, non minaretur, auferri posse coronam justitiæ, nisi quia, recedente justitia, recedat necesse est et corona. » Nec minus Cyrillus Alexandrinus[2] idipsum ex illis Pauli verbis adstruit, *Qui stat, videat, ne cadat.* Ἀεὶ

[1] Trapez. pag. 342.

[2] Cyril. lib. 11. in Joan. pag. 983.

γὰρ ἐν σάλῳ τὰ ἡμέτερα, καὶ ποικίλως δονεῖται τὰ καθ' ἡμᾶς. «Fluctuant assidue res nostræ, ac variis modis, quæ ad nos attinent, quatiuntur.» Possunt et infinita alia Patrum accumulari loca; sed in præsens pauca ista sufficiunt, quibus Trapeziticum illud dogma redarguitur.

VI. Etenim non solis electis ad æternam salutem, sive prædestinatis, Spiritum dari sanctum, sed etiam reprobis ad tempus, indicant; ita ut spiritales et sancti sint, ac boni, et charitatem ac dilectionem habeant; et ejusmodi sint denique, ut si in eo statu perseverarent, æternæ vitæ ac salutis compotes fierent. Nam et diabolus ipse, ac dæmones illius angeli, sancti ac spiritales aliquando fuerunt, « qui simul ut facti sunt (ait Augustinus 12. de Civit. cap. 9.) ei, a quo facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhæserunt; eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt; mala scilicet voluntate, hoc ipso, quod a bono defecerunt.» Et paulo post: « Et istam (bonam voluntatem) quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam?» Atque hoc Christus ipse demonstrat Joannis 8. 43. dum ait, diabolum *in veritate non stetisse*, ut idem exponit Augustinus libro 11. de civitate Dei capite 14. et 15. Non igitur gratia, vel fides, vel sanctitas, vel Spiritus sanctus solis inest electis, sed soli perseverantiam obtinent.

Quamobrem inconsiderata vox est illa Trapezitico in opere[1]: «Sed quomodo pœna mortis æternæ jure plecti possunt, qui spiritales esse non possunt, id est, quos Deus in electorum suorum numerum adlegere noluerit? Hoc altioris indaginis, et alterius loci.» Quasi nemo spiritualis esse, id est divinam gratiam accipere, ac Spiritum S. habere queat, nisi sit electus. Aut non suapte culpa spiritualis non sit, ac non, si velit, esse possit; cum nulli, ut id velit, gratiæ desit auxilium. Itaque si, ut Trapezita putat, non possunt esse spirituales reprobi, sed hoc soli possunt electi; nullo suo merito damnantur: quia nemo ob id, quod facere omnino non potest, si non faciat, jure damnatur.

VII. Non minus castiganda est ἐπίστασις illa Trapezitæ in eadem pagina, ubi de electione ad salutem agens, «Ex operum, *inquit*, ratione ac mensura, non esse eligendos, ipse Dominus declaravit parabola operariorum[2], cum illi, qui undecima hora venerant, parem mercedem acceperunt, atque illi, qui a summo mane ad vesperam in agro laboraverant.» Verum est id quidem, non ex operum ratione, ac discrimine eligi ad gloriam prædestinatos, si vera est Augustini, aliorumque sententia, qui electionem istam nulla operum ratione habita censent fieri, tametsi secus alii sentiunt: de qua re suo loco dicam. Sed illa, qualiscumque theologorum opinio, minime ex illa parabolæ parte colligitur, in qua operariis merces post laborem diurna repræsentatur; sed ex illorum potius prima vocatione, et conductione, quæ in aliorum sententia, vocationi ad gratiam, et fidem proprie respondet. Hæc enim ex omnium consensione Catholicorum, nullis plane meritis, sed gratuita Dei liberalitate contingit. At illa mercedis ac denarii persolutio non ad gratiam proprie, sed ad justitiam pertinet. *Ei enim, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, ut ait Apostolus[3]. Quod autem omnibus, etiam pro inæquali modo laboris et operæ, merces eadem præstatur, id ad electionem nullo modo spectat. Nisi vero eo ipso electos, hoc est conductos fuisse quis existimet, quo laboris præmium ceperunt: quod, nisi antea ad finem, id est salutem, electi, non ex merito consequerentur. Igitur de electione nihil ex denarii ejusdem persolutione conficitur. Sed nec æqualitas gloriæ, hoc est sempiternæ potiundæ felicitatis, quæ in speciem apparet, revera colligitur. Quod alio in loco declarabitur, ubi et parabolæ istius sensum enodabimus. Hoc enim modo non agitur, utrum merces sit æqualis electorum omnium, sed utrum mercedis æqualitas argumentum idoneum sit, ad probandam gratuitam electionem; quod falso Trapezita sibi persuaserat.

VIII. Sed sive gratuita, id est sine ullo ad futura opera respectu, sola Dei εὐδοκία, certis hominibus impensa est electio, sive in delectu faciendo operum Deus rationem habuit, (nam utrumvis catholici theologi propugnant,) nemo Christianus dubitat, quin reprobi suapte voluntate peccent, et ideo peccent, quia cum virtutem sequi, et honeste vitam degere possent, sponte id agere noluerunt; hoc est, quod debuerunt facere, non fecerunt. Etenim peccatum omne, quod quidem actione committitur, est *dictum, vel factum, vel concupitum*

[1] Pag. 342.

[2] Matt. 20. — [3] Rom. 4. 4.

contra legem æternam, ut ab Augustino definitur libro 22. contra Faustum, capite 27. Cui similem habet Joannes Damascenus libro secundo de Imaginibus, peccatum esse dicens, ἔννοιάν τινα, καὶ λόγον, καὶ πρᾶξιν παρὰ τὸν νόμον τοῦ Θεοῦ. Sive ut Ambrosius libro de Paradiso, capite 8. « Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia mandatorum? » Quare peccato respondet ex adverso debitum, ut quod non debet quis, id non reddendo non peccet ; peccet autem is solum, qui, quod debet, ut dixi, præstare, non præstat. Hæc verissima est dignoscendi regula peccati; quia peccatum omne est ἀνομία. 1. Joan. 3. 4. Jam, « Quibus ut aliquid χάρισμα haberent Deus dedit (verba sunt Trapezitæ [1]) non potuerunt habere aliud præter illud, quod iis a Deo datum est. Quibus nullum datum est, nec habere potuerunt. Nec ergo debuerunt. Ut oculus non debet esse auris, nec pes idem, quod manus. » Itaque qui χάρισμα ad opus bonum aliquod faciendum necessarium non habet, neque facere id potest, nec vero debet. « Ceterum conatus ille ipse, quo tenditur ad meliora, ac majora charismata, ait idem Trapezita[2], etiam Dei charisma est. » « At certum est, rursus ait Trapezita [3], reprobos nullum a Deo charisma habere. »

IX. Quamobrem ex iis necessario sequitur, reprobos nullius boni operis esse debitores, neque porro peccare ; sed injuste a Deo damnari ob ea, quæ ipsi fecisse peccata dicuntur. Etenim si quis ideo damnari hominem dicat, quod volucris instar aera non pervolet ; aut quod Alpes ac Pyrenæos humeris impositos alio non transferat ; nonne idem significet, nullam in isto cur damnaretur, causam fuisse, adeoque iniquissimo esse judicio damnatum? At hoc ipsum ex Trapezitæ dogmate ac verbis sequitur in reproborum causa ; qui quod illud non fecerint, quod nullo modo facere potuerint, neque debuerint, pœnas luunt atrocissimas, ac sempiternas.

CAPUT OCTAVUM.

De Christi præcepto, quo Matthæi 5. vetat uxorem nisi ob adulterium dimittere. Romani Pontifices, et juris canonici consulti ab Trapezitæ calumnia purgati. Etiam ob adulterium dimissa conjuge, non licere alteram ducere ; eamque vetustissimam Ecclesiæ sententiam fuisse, quamvis Christiani principes secus facere permiserint.

I. Et impudens est, et majore, quam est nostra, castigatione digna Trapezitæ licentia, qui veritus non est catholicam, ac Romanam Ecclesiam, Pontificesque Romanos, necnon canonici juris auctores, falsa et iniqua criminatione pervellere. Nam [4] cum de lege illa Christi ageret, quæ Judaicis repudiis modum posuit Matthæi 5. in hæc verba, *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari ; et qui dimissam duxerit, adulterat :* sic illam interpretandam asserit, ut Christianis permissum illa lege sit, repudiata propter adulterium uxore, alteram ducere. « Non enim repudium alia conditione licitum factum, nisi ut alteram quoque liceret ducere. » Itaque mirari se dicit juris canonici consultos, quod Christus permiserit, id decretis suis prohibere [5] : « Atque ita onus importabile, de quo Christus non cogitavit, cervici Christianæ plebis imponere ; maritosque ipsos innocentes punire, quorum uxores solæ ob privatum peccatum erant plectendæ. » Item [6], « Pontifices, *inquit*, Romani imperio Occidentis potiti τὸ βαρὺ illud φορτίον injecerunt humeris miserorum Christianorum, pietatis ac sanctitatis prætextu ; sed cui vera causa fuit potentiæ suæ promovendæ cupido, et jurisdictionis civilis usurpandæ. Ideo enim plures casus conscientiæ facere sategerunt, ut de pluribus possent dispensare. »

II. Atenim objicit sibi [7] : « Christus, Paulo teste, vetuit, ne uxor virum relinquat, aut vir uxorem dimittat. » Respondet, « Christi illud præceptum inter illa datum esse, quæ ἐπιστασιν

[1] P. 339. — [2] P. 345. — [3] P. 344. — [4] Trap. p. 310. et seq. [5] Pag. 312. — [6] Pag. 315. — [7] Pag. 316.

habent perfectis solis convenientem; quorum nullum constat receptum fuisse in politico regimine Christianæ reipublicæ. » Quocirca præceptum illud Christi ejusmodi esse putat, qualia sunt alia multa Matthæi quinto edita; de quibus, quæ illius esset opinio, superioribus capitibus ostendimus. « Nam ut miracula, *inquit*, ita et illa mandata certis præcipue data sunt, et ad tempus, ita requirente, quæ tunc urgebat, necessitate Ecclesiæ formandæ, et doctrinæ Christianæ firmandæ, » etc. «[1] Ut miracula cessarunt, causa cessante propter quam edita sunt, ita et præceptorum illorum usus esse desiit, pace Ecclesiæ parta; iterum rediturus, ubi similis inciderit περίστασις, ut patres nostri viderunt. »

III. Sed cum plura flagitia sint disputationis illius, tum hoc minime profecto tolerandum, quod Romanum Pontificem, et canonum interpretes injusta calumnia imperite non minus, quam malevole traduxerit. Quam enim culpam iis adscribit, ea si est culpa, non illorum magis est, quam antiquioris Ecclesiæ, et apostolorum ætati proximæ, ac sanctissimorum deinceps, et eruditissimorum Patrum. Demonstratum id est ab catholicis theologis, qui de hac celebri, et illustri controversia commentarios bene longos scripserunt; inter quos Bellarminus fuse accurateque de ea disputavit libro primo de Matrimonio capite 16. et 17. ut de aliis taceam, qui sunt omnibus ad manum. Nec est hoc loco necesse de eodem argumento disserere: cui suum a nobis tempus dabitur, si vita suppetat. Hoc unum dicam, persuasum hoc in Ecclesia fuisse vetere, post divulsos quacumque de causa conjuges, neutri licere cum alio copulare nuptias, quandiu superstes alter conjugum fuit.

IV. Testatur hoc Athenagoras in oratione pro Christianis; ubi Christianorum omnium communem disciplinam, ac vitæ instituta percensens, inter alia sic scribit: Ὃς γὰρ ἂν ἀπολύσῃ, φησὶ, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται· οὔτε ἀπολύειν ἐπιτρέπων ἧς ἔψαυσέ τις τὴν παρθενίαν, οὔτε ἐπιγαμεῖν. « Qui uxorem suam, ait, dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur; neque dimittere permittens eam, cujus virginitatem delibaverit, neque alteram ducere. » Nulli ergo Christiano licebat tum, uxore dimissa, quacumque tandem ex causa, cum altera matrimonium jungere. Justinus martyr in Apologetico secundo de Christianæ vitæ præceptis, ac legibus ab ipso Christo in commune propositis disserens, perinde ut Athenagoras, universe ac generatim illam ipsam de matrimonio concipit: Καὶ ὃς γαμεῖ ἀπολελυμένην ἀφ' ἑτέρου ἀνδρὸς μοιχᾶται. *Et qui dimissam ab altero viro duxerit, adulterium facit.* Ita Canon apostolorum 48. Εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβάλλων, ἑτέραν λάβῃ, ἢ παρ' ἄλλου ἀπολελυμένην, ἀφοριζέσθω. Hoc est, ut Dionysius exiguus vertit: *Si quis laicus uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.* Est eadem de re memorabilis Clementis Alexandrini locus in calce libri secundi Stromateon, qui sic habet: Ὁ δὲ ἀπολελυμένην λαμβάνων γυναῖκα, μοιχᾶται, φησίν· ἐὰν γάρ τις ἀπολύσῃ γυναῖκα, μοιχᾶται αὐτὴν, τουτέστιν ἀναγκάζει μοιχευθῆναι. Οὐ μόνον δὲ ὁ ἀπολύσας αἴτιος γίνεται τούτου, ἀλλὰ καὶ ὁ παραδεξάμενος αὐτὴν, ἀφορμὴν παρέχων τοῦ ἁμαρτῆσαι τῇ γυναικί. Εἰ γὰρ μὴ δέχοιτο, ἀνακάμψει πρὸς τὸν ἄνδρα. « Qui autem dimissam uxorem accipit, mœchatur, inquit, hoc est, cogit eam mœchari. Non solum autem qui dimisit, est ejus causa; sed etiam qui eam suscepit, præbens mulieri peccandi occasionem. Nam nisi eam susciperet, ad virum reverteretur. »

V. Non aliter Dominicum illud præceptum Tertullianus accepit in libro de Monogamia, capite 9. in fine: « Sed illi etiam non repudiantes adulteria commiscent; nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit. » Scripsit hunc librum Tertullianus contra Psychicos, (ita enim Catholicos vocat,) in quo secundas nuptias absolute condemnat. Ex quo major efficitur vis et auctoritas illius testimonii, quod de communi tum in Ecclesia catholica usu, et instituto perhibet, non licuisse, repudiata, et superstite conjuge, aliam ducere. Hoc enim tanquam certum apud Catholicos et confessum, ad id, quod contra ipsos probare satagebat, assumit, ut hoc argumento demonstret, prohibitas omnino secundas a Christo nuptias; quod ne post legitimum quidem, et a se concessum divortium, dissoluto jam, quod paulo ante idem Tertullianus putavit, matrimonii vinculo, alteras nuptias permiserit. Proinde firmissimum hoc argumentum est contra Trapezitam, ac ceteros hæreticos, quo veteris Ecclesiæ mos ac dogma de fugiendis post repudium secundis nuptiis adstruitur. Idem et sequenti capite Tertullianus ostendit, dum vel mortuo conjuge, viduas nulli alteri nubere patitur, sed fidem servare priori jubet: « Ergo perseveret, *inquit*, in ea (pace et concordia) cum illo necesse est, quem jam repudiare non poterit; ne sic quidem nuptura, si repudiare potuisset. » Certe omnes illi, quos nominatim citavi, de eo, qui vel re-

[1] Pag. 417.

pudiata conjuge, alteram duxerit, vel repudiatam sibi copularit, universe pronuntiant, nefas id Christianis esse ; neque conditionem illam adhibent, nisi ob adulterium dimissa fuerit. Quæ conditio ad solam repudiandi causam, non ad novi ineundi matrimonii potestatem referri debet in illa Christi sanctione, ut cum Augustino catholica omnis Ecclesia judicat. Alioqui, quod eruditi viri prudenter opponunt, deterior illius esset causa, quæ per fraudem et calumniam injuste esset ab viro dimissa, quam meretricis, quam quis jure repudiasset, si huic nubendi alteri data potestas intelligeretur, illi ab Christo negata ; quod minime consentaneum videtur.

VI. Verum seposita illa controversia, quæ et ab eruditis theologis plenius, ut dixi, pertractata est, et a nobis suo loco disceptabitur ; quis non mensarii fœnoris patrono jure succenseat, quod Romanum Pontificem, Ecclesiamque Romanam, et canonici juris peritos inclementer ob id appellet, quod illam evangelicæ legis interpretationem amplexi sint, quam ab antiquis Patribus, et Patrum coryphæis acceperant, Augustino et Hieronymo ? Quid exprobratione ista frigidius ? quid porro iniquius ? Romanos Pontifices, ubi Occidentis imperio potiti sunt, grave illud onus injecisse Christianorum ait humeris. Atqui Augustini, et Hieronymi seculo, et deinceps, suos Occidens imperatores habuit. Et ambo tamen illi præceptum id esse Christi de uxore vel propter adulterium dimissa minime ducenda, constantissime, acerrimeque defendunt. Præcepti rem, inquam, esse, non consilii, ambo isti sanctissimi, eruditissimique Patres arbitrati sunt, ut qui secus faceret, contra Christi legem non vulgare crimen admitteret. Scripsit de ea quæstione S. Augustinus libros duos ad Pollentium de adulterinis conjugiis ; tum in libro de Bono conjugali, capite præsertim 7. ac 15. diserta et gravi oratione.

VII. Hieronymus item Epistola 30. et 147. eamdem propugnavit sententiam. Milevitana quoque synodus canone 17. idem decrevit. « Placuit, *inquit*, ut secundum evangelicam, et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari. » Ergo absolute, infiniteque illud Africani Patres intellexerunt, quod est Matthæi 5. *Et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Sic etiam Apostolum interpretati sunt in priore ad Corinthios capite 7. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Cujus loci vim non possum aperire, quin Augustini verbis[1] adversus Trapezitæ temeritatem inculcem : « Cur dixisti, *inquit*, Apostole, quod si discesserit, manere innuptam? Et eum velut interrogemus, et tanquam præsentem quodammodo consulamus. Cur dixisti, Apostole, quod si discesserit, manere innuptam ? Licetne discedere, annon licet? Si non licet, cur præcipis discedenti, ut maneat innupta ? Si autem licet, profecto est aliqua causa, qua liceat. Hæc autem inquisita non invenitur, nisi quam solam Salvator excepit, id est causa fornicationis. Ac per hoc non præcepit Apostolus, mulierem, si discesserit, manere innuptam ; nisi quæ illa causa discedit a viro, qua sola ei licitum est discedere a viro. Ubi enim dicitur, præcipio non discedere, quod si discesserit, manere innuptam ; absit, ut contra hoc præceptum faciat, quæ sic discedit, ut innupta permaneat. Nisi ergo intelligatur, cui licet discedere ; non autem licet, nisi viro fornicante; quomodo jubetur innupta, si discesserit, permanere? Quis est, qui dicat, si discesserit mulier a viro non fornicante, innupta permaneat, cum ei nisi a viro fornicante discedere omnino non liceat ? »

VIII. Sic illud Roman. 7. 3. universe accipit Hieronymus, *Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Ibi enim « omnes causationes Apostolus amputans, ait Hieronymus [2], apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit, etc. Quandiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. » Hæc omnia prius scire, et cum animo suo considerare fœneratorum patronum oportuit, quam in Romanam Sedem, et canonum interpretes præcipitem, ac temerariam sententiam proferret. Sed quod verissime dictum est a Comico [3],

> Nullum ædepol hodie genus est hominum tetrius,
> Nec minus bono cum jure, quam danisticum.

[1] August. tom. 4. lib. 1. ad Pollent. cap. 3.

[2] Hieron. Epist 147. — [3] Plautus Mostel.

IX. Nec illud laudare possum, quod ibidem Trapezita posuit, præcepta illa, quæ Matthæi 5. Dominus edidit, inter quæ fuit illud de interdictis aliis post divortium nuptiis, vel solis data esse perfectis, vel non perpetua fuisse, sed certi duntaxat temporis, uti miracula, quibus adhuc tenera, recensque sata Christiana fides opus habuit. Quod sane falsum est. Etenim talia sunt hodieque, cujusmodi ea tum Christus esse voluit, et eadem prædita vi, cujus nulla neque facta est, neque fieri potest decessio. Verum non omnia præcepti necessitatem, et obligationem continent, sed partim mandata sunt, partim consilia, ut supra capite 5. diximus. Tunicam auferre volenti pallio cedere, quod est Matt. 5. 40. res est non præcepti, sed consilii. Sic ad mille passus ingratiis adigenti te, ad alia duo operam præstare, quod ibidem sequitur: et ejusdemmodi alia, quæ, ut ex antiquis Patribus supra demonstravimus, supra legem erogantur. Verum diligere inimicos, continere oculos ab mulieris contuitu, qui cum stupri voluntate conjunctus sit, non irasci fratri suo, neque convicio eum afficere, præcepta sunt, quorum auctoritas perpetuo valuit.

X. Hujus generis et illud fuit, de quo agimus modo, præceptum de uxore ab altero dimissa nunquam eo superstite ducenda. Nec ad illius elevandam vim pertinet, quod ei vel civilibus interdum imperatorum decretis derogatum esse constat; vel quod veteres aliqui Patres verba Christi, ac Matthæi locum illum aliter interpretati sunt, quam Augustinus, et Hieronymus, ac ceteri, quos supra commemoravi. Nondum enim ab Ecclesia, et synodali sanctione liquido constituta res erat. Tametsi non dubium est, quin potioris partis judicio, in Ecclesia damnata, et animadversione publica notata illa matrimonia fuerint, ut in Fabiola demonstrat Hieronymus, cujus hæc imprimis notanda sunt: «Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.» Ac subinde: «Igitur et Fabiola, quia persuaserat sibi, et putabat a se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, fœminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.» Hæc autem cum aliis criminibus, tum adulteriis infamem virum reliquerat, ut ibidem demonstrat Hieronymus. Sed de ea re plus satis.

CAPUT NONUM.

De petitione quarta Orationis Dominicæ. Quid sit ἄρτος ἐπιούσιος, eaque vox diligenter exposita. Quæ sit βαττολογία ibidem a Christo notata. Non interdici a Christo cibi, ac rerum ad victum necessariarum postulationem; deque ea re Trapezitæ maximus error.

I. Poterat hic finis fieri. Sed revocant pene sublatum stilum duo, triave in Trapezitico illo opere animadvertenda; minus illa quidem reprehensione digna, (non enim ad fidei negotium proprie spectant;) sed ut in Scripturis quoquo modo tractandis primum τὸ κενόσπουδον coerceatur, hoc est supervacanea novitatis affectatio, tum etiam τὸ φιλόψογον, id est vituperandi, quod minus probes, immodica libertas; pauca ista pertexam. In Oratione Dominica quarta petitio sic habet[1]: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: græce, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. De hac voce ἐπιούσιον multi multa scripserunt. Plerique autem in eo conveniunt, petere nos a Deo quotidianam alimoniam, sive ea omnia, quæ ad victum diurnum necessaria sunt: alii cibum potius animæ, quam corporis; quidam utrumque. Mediis accedit Trapezita[2]. Nec ideo castigandus, quod ita sentit, sed quod alteram interpretationem, quæ corporis cibo circumscribitur, quæque, ut dixi, communis est, nimis acerbe notat, ac *falsissimam* appellat, falsissima, ac plane nulla ratione permotus.

[1] Matt. 6. 13. — [2] Lib. 3. de fœn. Trap. p. 794. et seq.

II. Duo contra illam objicit [1], « In ea, *inquit*, precationis formula suis tradenda reprehendit orandi morem gentilium, eorumque βαττολογίαν, quod putarent in multiloquio suo se ab numine citius exaudiri. Quod illud multiloquium? Dum plurima nimirum in precibus suis a Deo peterent, quæ sibi necessaria existimarent, castam uxorem, pulchros liberos, divitias, fundos, ædes, amicos fidos, servos fideles, dignitates, honores, alia. Cum tam multa peterent, ac requirerent, non poterant breviter concludi eorum preces. Hinc πολυλογία, et βαττολογία in orando. Non enim illi pauca poscebant, nec paucis. Præ cupiditate impetrandi, quæ a Deo peterent, sæpius eadem repetebant; quæ βαττολογία est, id est ταυτολογία. » Male Christi mentem, et illam ab eo damnatam βαττολογίαν accepit; hoc est, ut recte latinus noster reddidit, *multiloquium*. Neque multa poscere, et impetrare a Deo velle, vituperanda res est; neque *præ cupiditate impetrandi eadem repetere*. Jubet ad Timotheum scribens Apostolus [2] ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt*. Potest hoc paucis verbis fieri, sive intus animo, dum privatim agitur, sive voce conceptis, dum publice preces allegantur?

III. Hoc enim Ecclesia vetus instituerat, ut ex Tertulliani Apologetico constat [3], idque *nominatim, atque manifeste*. Quod in Missis ac Liturgiis præsertim usuvenit: ut veteres liturgiæ demonstrant, in quibus formulæ sunt publicarum ac prolixarum ejusmodi precum, pro omnibus ecclesiasticis ac civilibus ordinibus, nominatimque pro singulis, vivis pariter ac mortuis. Cujus etiam luculentam fidem faciunt antiqui Patres, græci, latinique. Ex quibus unum commemorabo Cyrillum Hierosolymitanum; est enim ad hoc negotium insignis illius locus, qui et alioqui Romanæ ac catholicæ ritum Ecclesiæ contra recentem impietatem, quam præ se Trapezita fert, præclare confirmat. Sic igitur in Catechesi mystagogica 5. in qua liturgiæ partes, et orationes omnes explicat: Εἶτα μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ, παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου εὐσταθείας, ὑπὲρ βασιλέων, ὑπὲρ στρατιωτῶν, καὶ συμμάχων, ὑπὲρ τῶν ἐν ἀσθενείαις, ὑπὲρ τῶν καταπονουμένων, καὶ ἁπαξαπλῶς ὑπὲρ πάντων βοηθείας δεομένων. Δεόμεθα σοῦ πάντες ἡμεῖς, καὶ ταύτην προσφέρομέν σοι τὴν θυσίαν, ἵνα μνημονεύωμεν τῶν προκεκοιμημένων, πρῶτον πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων, etc. « Deinde vero, postquam confectum est illud spiritale sacrificium, et ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis et afflictis, et in summa, pro iis omnibus, qui egent auxilio. Oramus te, inquam, omnes, et hoc tibi sacrificium offerimus, ut memineri-mus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, etc. » Orabant et pro defunctis episcopis, ac pro ceteris omnibus; quod hodieque in catholica perseverat: de quo ritu agit etiam Epiphanius in Arianorum hæresi.

IV. Hæccine igitur longissima series orationum sub Christi reprehensionem venit? Quis hoc sanus dixerit? Non igitur πολυλογία quælibet, ac non conclusa breviter oratio vitio vertenda. Sed nec ejusdem orationis repetitio, *præ cupiditate impetrandi*, βαττολογία est, et multiloquium, quod illic Christus redarguit. Nam et Christus ipse, instante passionis tempore, eumdem sermonem iteravit sæpius, ac bene multum oravit, *cum clamore valido, et lacrymis*, ait Apostolus Hebr. 5. 7. haud dubie impetrare cupiens. Vides quam non recto stet illa talo Trapezitica definitio τοῦ βαττολογοῦντος, et πολυλογίας in Evangelio notatæ. Ceterum, ut hoc illi maxime concedam, quod tueri non potest, improbari vel prolixiorem quamlibet precationem, vel nimiam impetrandi cupiditatem; quid ex eo contra communem, quam oppugnat, sententiam sequitur? Est enim, quocumque tandem intellecta modo, brevissima illa petitio, qua *panem quotidianum* postulamus, neque posita plus semel. Itaque nihil ad βαττολογίαν et πολυλογίαν illam pertinebit, etsi de quotidiano victu a nobis accepta sit. Et hoc ipsum est βαττολογεῖν tam multa verba perdere, quæ nihil ad rem faciunt.

V. Accipe jam, quid in Evangelii loco illo reprehensum sit a Christo; et cujusmodi verbositas orationis in βαττολογίας, ac multiloquii vitio numeretur. Quod quidem ipsa Domini verba, si quis paululum animadvertat, satis aperte docent: *Orantes*, inquit, *nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim, quod*

[1] Pag. 795. — [2] 1. Tim. 2.

[3] Tertull. Ap. c. 30.

in multiloquio suo exaudiantur. Credebant ethnici, eo se solo promereri Deum, et quidquid peterent impetraturos, quod multis, et exquisitis verbis uterentur, ac variis modis eadem dicendo repeterent, sine ullo affectu animi, et orationis spiritu. Quem enim habere possent, qui fide, ac veri Dei notitia carerent? Christus hanc verborum inanitatem, et supervacaneam pompam resecat, ac suis interdicit; quos orare vult quamlibet multis, ac quam volent sæpe repetitis, non tam vocibus, quam mentis affectibus. Hic est ille orationis spiritus, *qui orationem deducit ad Dominum*, ut ait Tertullianus libro de Exhortatione castitatis, cap. 10. «Ne igitur agmine verborum putaremus adeundum ad Dominum,» ut idem loquitur in libro de Oratione, capite primo, perbrevem orandi formulam instituit; «quæ quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus.» Ut hoc verborum compendio doceret, minimum in elocutione esse momenti: in quo summam, et caput ethnici constituebant orationis suæ.

VI. Itaque figuratum quodammodo est illud Domini præceptum, quatenus ad brevitatem istam, præscriptamque hujus formulam adstringitur. Sic enim solet Christus, cum dissuadere quippiam vult, in ejus contrario commendando pene modum excedere; certe aliquid more præcipientis indicere, quod κατὰ τὸ ῥητὸν accipi non debet. Ut in eodem Matthæi sexto capite, cum ostentationem in jejunio præ se ferendo cavere jubet: *Tu autem*, ait commate 17. *quum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava;* quod nemo pro imperio mandatum esse judicet. Nimirum ut alia Domini verba, sic præcepta quædam parabolica sunt, et figuris adumbrata. Ejusmodi illud est, quo breves in orando esse nos præcipit; nempe ut morosam illam, et sine pietatis affectu solo in verborum strepitu consumptam orationis longitudinem amputet. Alioqui si comes sit orationis, adeoque verborum, pius ille sensus, et affectus, nihil obstat, quin illud exequamur, quod Lucæ 18. mandavit idem: *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* Quod etiam moleste, importuneque uti faciamus, hortatur; et exemplo viduæ cujusdam incitat, quæ ab iniquo judice odiosa, et assidua interpellatione jus expressit, ac subinde ita concludit: «Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte, et patientiam habebit in illis?» Duo sunt in orationis genere isto, quod tantopere commendat Dominus, et cui fructum certissimum pollicetur, quæ Matthæi 6. vituperari Trapezita censuit: «Non conclusæ breviter preces, et ex impetrandi cupiditate eorumdem in loquendo repetitio.» Quare fugit illum ratio, neque sexti capitis Matthæi locum illum recte est interpretatus.

VII. Post hæc, non agi in quarta illa petitione legitimæ orationis, qua *panem nostrum quotidianum* postulamus, de cibo, ac rebus ad sustentandam vitam necessariis, argumentatur ex eo, quod Christus Matt. 6. 8. ita colligit: *Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* «Quid clarius, *ait* [1], quam nolle Christum, ea a Deo patre peti, quorum noster indiget usus, quia Deus scit, quid nobis opus sit, ut non necesse habeamus hoc ab illo flagitare?» Si absolute postulari caduca ista, et huic vitæ necessaria vetat ob hoc præcise, quia jam Deus scit, quibus opus habeamus; nihil ab eo oportet petere, ne cœlestium quidem rerum, et ad animum pertinentium. Nam etiam illa novit, antequam rogemus, quem nihil prorsus rerum nostrarum latet. Atenim «non est verisimile, Christum in tam compendiosa oratione sub nomine panis peti a suis voluisse necessaria ad vitam, vel solum victum, cum tam expresse nolit eos imitari πολυλογίαν gentilium in orando, qui ea petebant, quæ sibi usui essent, et longe aliam precandi formulam se eis præscribere dicat.» Non in eo probrosa illa, et gentilium propria πολυλογία, vel βαττολογία consistit, quod omnino externa illa peterent, et ad usum vitæ spectantia; sed quod ea sola peterent, meliorum ac cœlestium ignari; tum quod anxie, ac nimis sollicite peterent, ac divinæ erga se providentiæ diffiderent.

VIII. Ad hæc, «Non ea postulabant, ut his bonis honeste uterentur, (ait Augustinus lib. 1. de civitate Dei, cap 30.) hoc est modeste, sobrie, temperanter, pie; sed ut infinita varietas voluptatum insanis effusionibus exquiratur; secundisque rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sævientibus pejora sint hostibus.» Itaque in eam apostoli Jacobi reprehensionem incurrebant [2]: *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Ubi de caducis ac præsentibus bonis loquitur; nam virtutibus nemo male utitur. Nec eos idcirco redarguit, quod

[1] Trapez. pag 796.

[2] Jacob. 4. 3.

talia peterent, sed quod non recte, nec honestum in usum ac finem peterent. Quocirca, sepositis malis istis petendi conditionibus, licet præsentis vitæ bona, præsertim necessaria, ab illo postulare, a quo cœlestia flagitamus : qui fecit cœlum et terram. *Omnia* enim *ista bona sunt, et Dei munera sunt.* « Ne putetis fratres (verba sunt Augustini in Psal. 35.) quod aliquis illa poterit dare, nisi unus Deus. Quicumque ergo non expectant ista (nec expectando postulant) nisi a Domino, multum interest inter hos, et eos, qui illa quærunt aut a dæmonibus, aut a sortilegis, aut a mathematicis. Isti enim duobis modis miseri sunt; quia et terrena sola bona desiderant, et non ab eo petunt, qui dat omnia bona. » Et ad Psalm. 66. « Ad hoc dixerimus hæc, fratres, *inquit,* ut quisquis etiam ista terrena forte, vel propter supplementa necessitatis, vel propter infirmitatem aliquam desiderat, nonnisi ab illo desideret, qui est fons omnium bonorum, et creator, et recreator universorum. »

IX. Legantur quæ de hoc argumento pulchre disputat Augustinus idem in primo de civitate Dei, capite 8. ubi admirabilem Dei providentiam explicat in bonis illis distribuendis, et quatenus petentibus ista concedit, aut negat : « Similiter in rebus secundis, *ait,* si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus. Itemque si omnibus ea petentibus daret, nonnisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos, et avaros. » Ad summam, βαττολογία et πολυλογία illa gentilium propria, et a Christo Domino damnata tunc admittitur, cum ita sola hæc præsentia, et externa commoda petuntur, ut nulla sit in nobis potiorum, ac cœlestium cura bonorum; præsertim si ab alio, quam ab vero Deo ista flagitentur. Tum si voce tenus, et affectata sermonis pompa, sine interiore mentis affectu ista tractentur. Ad hæc, si non ad honestum finem illa referamus, cujusmodi potest esse necessarium vitæ subsidium. Ac demum si propter ista sola Deo serviamus.

X. Quæ omnia orationis vitia tum formula ipsa precationis suæ, tum ceteris, quæ ad eam adjunxit, monitis prudenter declinavit summus orandi magister, dum imprimis præcipua ducere, ac primo loco postulare bono cœlestia, animique propria nos docuit. « Videtis enim, charissimi, (iterum Augustinum [1] opponemus Trapezitarum patrono) quot petitiones docuit nos Dominus Christus, et vix illic invenitur una, quæ sonet de pane quotidiano : ut omnia, quæ cogitamus, propter vitam futuram cogitemus; » deinde cum a solo Patre nostro cœlesti peti voluit, tum adeo nullo sermonis apparatu, ut paucis ac vulgaribus verbis ad id genus orationis præiverit. Postremo quo ista qualiscumque cura præsentium pertinere deberet, ostendit, partim in precatione ipsa, cum unam illam, simplicemque panis petitionem triplici utrinque postulatione vallavit sempiternorum ac cœlestium; partim divinis illis, quæ deinceps adjecit, hortamentis et exemplis, quibus totos nos ad spem cœlestium, ac fiduciam in Deo collocandam erexit. Plurimum itaque Christianorum causa, etiam communia cum ceteris bona petentium, ab gentilibus, et impiis distat eadem undecumque procurantibus : ut pessime de toto hoc instituto Christianæ legis, ac pietatis Trapezita noster existimaverit.

XI. Neque vero qualemcumque, ut dixi, curam bonorum ejusmodi damnare Christus voluit capite illo Matthæi sexto; sed angorem, ac nimis anxiam, et molestam in illis petendis, conficiendisque sollicitudinem : quod ne probatione quidem eget. Quamobrem falsus est Trapezita, qui ex illa tota Christi oratione, qua vitæ sustentandæ et quotidianæ alimoniæ curam nimiam castigat, atque ex divina benignitate ac providentia suspensos esse nos jubet, argumentatur, nihil de cibo, ac vitæ necessariis in sua oratione posuisse Christum. Quod contra est. Nam ideo potius de cibariis a Deo postulandis admonere debuit; ut unde illa essent expectanda, et a quo emendicanda, fideles intelligerent; ac tum illius auctoritate freti, qui hanc precationis formulam dictaverat, tum impetrandi, quod tanto fidejussore peterent, certissima spe, improbam et assiduam comparandi victus molestiam sublevarent : quam τῆς ἡμέρας κακίαν, id est *diurnam vexationem,* et quasi *malignitatem* ibi Christus appellat.

XII. Præterea illa ipsa Christi verba, quæ ad id affert Trapezita, contra ipsum faciunt : *Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Unde ἀσυλλογίστως ita concludit [2] : « Quærenda itaque cœlestia tantum, et imprimis jubet. »

[1] August. Serm. 9. de Diver. capit. 13.

[2] Pag. 798.

Si quærere est cum summo labore et omni animi contentione, ac sollicitudine procurare; huic assentior. Nam hæc sola, ut jam dixi, Christi mens est, in divinis ac cœlestibus persequendis defixas tenere curas, cogitationesque nostras. Sin est quærere mediocri cura, et industria; et quasi secundaria opera, quæ sunt vitæ necessaria, comparare : neque hoc Christus facere interdixit; neque indidem, unde illa sperare nos voluit, precibus elicere. Ac vel ipsa vox πρῶτον, id est *primum*, esse alterum, et secundum indicat, quod oporteat quærere. Dixisset enim ζητεῖτε μόνον, id est *quærite solum*, si alterum utcumque quæri noluisset. Proinde cetera sic adjicienda pollicetur, si primo loco regnum Dei quærimus, ut cetera quæri secundo non prohibeat, imo suadeat; si non tanta, ac priora illa et præcipua, contentione animi, ac labore captentur : præsertim si in solo postulandi officio quærendi, ac laborandi summa consistat, cujusmodi illa Domini adhortatione præscribi ratio videtur conciliandarum utilitatum corporis. Quocirca evidens est ἀλογία Trapezitæ, quæ est fallacia ἐκ τοῦ πῃ τὸ ἁπλῶς inferens; hoc est ex eo, quod quadantenus, ac certo modo prohibetur aliquid, absolute interdici colligens.

XIII. Reliqua subinde disputationis Trapeziticæ vis in τοῦ ἐπιουσίου vocabulum incumbit, quod in petitione illa quarta legitur : Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Latinus interpres Matthæi, *supersubstantialem.* Magna de hoc nomine græco cum apud antiquos, tum hodieque inter eruditos quæstio est, ac dissensio, eaque duplex : primum de origine ac themate : deinde de notione ac potestate. Non commentarium Matthæi, vel orationis Dominicæ scribimus, ut singulorum sententias, et cujusque momenta ponderemus. Dicendum itaque de illis eatenus, ut et falsa Trapezitæ refellatur opinio; et communis ab illius iniqua castigatione vindicetur. Omnes, quæ de loco illo excogitatæ sunt, sententiæ ad duo fastigia rediguntur, tam quod ad grammaticam nominis notationem, quam quod ad sensum orationis attinet. Origo primum duplex esse potest τοῦ ἐπιουσίου. Aut enim a substantivo verbo εἰμὶ, et ab οὐσίας, quæ indidem oritur, voce deflectitur; aut a verbo εἶμι, quod est *eo*, a quo fit ἐπιὼν, id est adveniens, et ἡ ἐπιοῦσα, vel *crastina*, vel *ventura* dies. Rursus interpretandi ratio duplex est. Nam vel panis intelligitur, quo corpus alitur, et synecdochice res omnes ad victum, et usum vitæ necessariæ. Vel spiritalis alimonia, sive animi cibus, quo ad vitam æternam reficimur. Qui prius amplectuntur, utramvis duarum, quas dixi, nominis originem adhibent. Est enim panis *quotidianus* ἐπιούσιος, hoc est πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύων, ait Basilius quæstione 252. brevius explicatarum, hoc est, *ad diurnam vitam, substantiæ nostræ utilis;* sive ut alii, ἐπὶ τὴν οὐσίαν, καὶ τροφὴν ἐπαρκῶν, quasi dicas ad *substantiam nostram*, id est vitam, corpusque sustentandum necessarium alimentum. Item ἀπὸ τῆς ἐπιούσης ἡμέρας, vel ἀπὸ τοῦ ἐπιόντος simpliciter, panis ἐπιούσιος dicitur, ut sit *crastinus*, vel *futurus:* quemadmodum refert Hieronymus. Similiter qui panem spiritalem, ac cœlestem interpretari malunt, alii ἐπιούσιον, quod *substantiam* excedat, dici volunt, quasi ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ, et ὑπερούσιος sit. Athanasius vero [1] ab eo, quod est ἐπιὼν, vel ἡ ἐπιοῦσα, repetens originem, τὸν μέλλοντα, hoc est *futurum*, vel, ut Augustinus, *advenientem panem*, putat esse vel Spiritum sanctum, vel æternam vitam, cujus primitias habemus hac in vita Dominicum corpus; quod et ipsum plerique supersubstantialem illum esse panem existimant, quem illic docemur petere.

XIV. At Trapezita [2] demum ἐπιούσιον deducit ab eo, quod est ἐπιὼν, non ἀπὸ τῆς ἐπιούσης. « Non igitur ἐπιούσιος ἄρτος, *inquit*, est τῆς ἐπιούσης, sed τοῦ ἐπιόντος : qui ultimo tempore venturus est, in die nempe judicii. Sic ἐπιούσιος ἄρτος panis est non naturalis, sed ipse Christus, qui noster panis est; et qui venturus est, ut in eo, et cum eo resurgamus, virtute ejus corporis, quod hic in pane Eucharistiæ sumimus. » Si panem istum ἐπιούσιον, vel Christi corpus, quod modo in Eucharistia sumimus, intelligeret, vel aliquid aliud mere spiritale, veluti sempiternam felicitatem; haberet quorum se patrocinio defenderet. Nunc panem illum vult esse Christum, ejusque corpus; et illum ipsum vocari panem ἐπιούσιον, quia venturus est ad judicandum. Quod minime cohæret. Nam Christus, qua panis est, non est venturus, sed in hac vita nobis exhibetur. Neque satis commode dixeris, *Panis veniet ad judicandum.* Atqui rogamus τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον, *panem*, ut putat Trapezita, *venturum.* Quid hoc perplexius? Disjungenda ergo ista sunt, ut vel panem interpretetur, Dominicum corpus, quod modo in Eucharistia præbetur, eo sensu,

[1] Bib. de Incarnat. p. 474.

[2] P. 813. et seq.

quem tradit Cyprianus[1] : « Ut qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur. Sic enim docet idem, panem nostrum vocare nos Christum, quia Christus noster, qui corpus ejus contingimus, panis est. » Quare panis illa notio ad Eucharistiam restringi debuit, non in tempus judicii prorogari. Vel certe futurum aliquid, necdum acceptum, ac repræsentatum intelligi, velut gratiam, aut beatæ perennitatis statum, ut recte ἄρτος ἐπιούσιος, *futurus*, aut *venturus panis* intelligatur.

XV. Ego vero de pane communi, et corporis alimonia libentius acceperim cum Græcis plerisque, præsertim linguæ suæ peritissimis, velut Basilio, Chrysostomo, Cyrillo Hierosolymitano, ac ceteris ; qui quidem ab eo, quod est οὐσία, deductum hoc vocabulum putarunt, ut sit ὁ ἐπὶ τὴν οὐσίαν, *ad substantiam* hominis fovendam scilicet, et sustentandam necessarius, vel *ad extantiam* illius, hoc est ad hoc, ut existat in rerum natura, seseque conservet. Nam utrumque vox οὐσία significat, rei scilicet substantiam, quod Hebræi עצם appellare solent. Nam vox ista rei substantiam, et quod res est, significat ; hoc autem est οὐσία. Proinde ἐπιούσιος ὁ ἐπὶ τὴν οὐσίαν, ad *substantiam pertinens*. Nec obstare debet, quod in compositione præpositio ἐπὶ vocalem plerumque ultimam elidit, ut ἐπουράνιος, et ἐπουσία apud Ptolemæum[2]. Etenim nonnunquam citra elisionem componitur, ut in ἐπιεικὴς, ἐπίορκος, ἐπιόγδοος, et aliis quibusdam. Nec tantum nobis alioqui placere debemus, ut græcæ proprietatis intelligentiores nos esse confidamus, quam illi fuerunt, quos modo nominavi eloquentiæ Christianos inter græcæ principes : qui ἐπιούσιον hac usurpari forma, et hoc sensu arbitrati sunt. Hoc igitur contenti simus.

XVI. Nam quod pronominis ἡμῶν emphasim nescio quam intentat adversus hanc sententiam Trapezita noster[3], tanquam « ita expresse, et ἐναργῶς enuntiata ista non possint designare, nisi panem illum nostrum, id est Christum, » nihil hoc necesse est. *Nostrum* enim id valet, proprium hominis cibum, qui ab jumentorum, atque etiam angelorum cibo diversus est. Ita Psalmo 146. 9. נותן לבהמה לחמה, *Qui dat jumento panem suum*. Διδόντι τοῖς κτήνεσι τροφὴν αὐτῶν.

XVII. Vanum etiam illud est, imo et absurdum, et nescio quid impietatis redolet, quod idem objicit[4] : « In tota illa oratione, *inquit*, quæ brevissima est, nihil petere a Deo jubemur, nisi illa sola, quæ in nostra potestate non sunt, quæque a Deo, ut ea habeamus, peti debent, etc. At panem esui ideo a Deo petere nos vetat Christus, quia unusquisque potest eum sibi ex arte, adjuvante Deo, dare. Scit enim Deus, quid nobis opus sit, et unicuique artem aliquam, quam maxime et convenire judicat, solet assignare, unde vivat, etc. Et nemini deest iste panis, quo noster victus, et vita constat. » Itane quotidianum cibum, et res ad usum vitæ necessarias petere a Deo per ipsum non licet, quia sibi quisque comparare per sese potest? Si hoc unumquemque sibi, industria suapte sola, sine ope Dei ac gratia, præstare posse dixerit, impie, irreligioseque dixerit ; neque quidquam restabit aliud, quam ut itidem faciat, ut ille apud prophetam Habacuch[5], *Qui immolabit sagenæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis* (id est eorum ope) *incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus*. Aut cum illo Numinis contemptore dicat[6] :

> Dextra mihi Deus, et telum, quod missile libro,
> Nunc adsint.

Sin ope Dei, auxilioque quamlibet quæstuosæ gnarus artis opus habeat ; quod iis additis duabus voculis *adjuvante Deo*, imprudens Trapezito profitetur, ac seipsum induit ; cur non panem illum a Deo precetur, quem nonnisi adjuvante illo potest consequi? Meminisset illius Agathonis, opinor sententiæ :

> Τέχνη τύχην ἔστεργε, καὶ τύχη τέχνην.
>
> Ars fortunam amat, et fortuna artem.

Vel Prophetam potius Christianus audiret[7] : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam*.

XVIII. Duæ sunt artes præcipuæ, quibus vitæ sustentandæ præsidia comparantur, agricultura, et mercatura. Utrumnam igitur, qui harum sit peritus artium, nihil ad vitam tuendam requirit amplius, aut causam non habet, cur a Deo victum postulet, quoniam artem illi dedit, qua id per se parare sibi poterit? ut verum sit, quod Trapezita narrat,

[1] Cypr. lib. de Oratio. Domin.— [2] Ptol. lib. 3.— [3] P. 814. [4] P. 815. — [5] Habac. 1. 16. — [6] Mezenti Æn. 10. — [7] Psalm. 126.

τὸ δὲ τεχνίον ἡμᾶς διαθρέψει. Atqui et annuæ tempestates, et soles, et imbres, et venti, ceteraque, quæ ad satus et incrementa frugum agricolis, aut ad transmarinas peregrinationes negotiatoribus necessaria sunt, solius Dei nutu, ac voluntate gubernantur : ut sexcenta præterea incommoda, et pericula, quibus effecta illarum artium intercipiuntur, ad quæ cavenda, et famem videlicet propulsandam, nihil unquam exhausti satis est, sive ad curam et impendia rerum variarum, sive ad officia Christianæ pietatis, ac preces, quibus Dei favor, et auxilium asciscitur. Quod enim Trapezita præterea subjicit[1], ad elevandam hoc in genere precum necessitatem : « Et nemini deest iste panis, quo noster victus et vita constat. Ea gratia de illo parando non debemus esse solliciti. » Hoc neque confutatione dignum est, et si quam meretur, non alia esset opus, quam qua sophistam nescio quem de motu disserentem, ac nullum eum esse garrientem, adstantium aliquis illusit. Movit enim se loco, et passus aliquot ambulavit. Ita motum esse, re ipsa, non argumentatione persuasit. Sic isti, qui ad victum necessaria suppetere omnibus, deesse vero nemini putat, tot illa calamitosorum, ac fame et egestate confectorum ostendenda sunt millia ; ut usu ipso convictus oculorum, quantum in eo sit falsus agnoscat.

CAPUT DECIMUM.

Nonnulla Scripturæ loca perperam ab Trapezita vel correcta, vel exposita, vindicantur ; atque interpretis vulgati contra illius novitatem et calumniam patrocinium suscipitur.

I. Postquam in vocabulo τοῦ ἐπιουσίου, et Matthæi loco declarando, qui est in ejus capite sexto, Trapezitæ περιεργίαν, et falsam opinionem discussimus ; libet ejusdem generis tria quatuorve παρεγχειρήματα hoc postremo capite persequi, quibus alia Scripturæ loca dum nove interpretari studet, depravat potius; aut in iis, quæ recta sunt, emendandis ludicram, et inanem ponit operam.

In fine duodecimi capitis primæ ad Corinthios Apostolus ita scribit : Καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Quæ lectio vetustissima est : eamque Græci omnes, et Latini secuti sunt ; nec vel Trapezita ipse negare potest, quin sua illi constet sententia. Mens ibi est Apostoli, ut ait Chrysostomus, Corinthios ad fraternæ charitatis incitare studium, ex ipsa charismatum cupiditate, quæ ardens in illis erat. Nam cum alii donum linguarum magni facerent, optarentque sibi præ ceteris ; alii prophetiæ, alii virtutum, hoc est miraculorum ; hortatur illos, ut præstantiora quæque charismata consectentur. « Ego vero, *inquit*, viam vobis obtinendorum charismatum ostendo. (Verba sunt Chrysostomi.) Nec dixit charisma ; sed viam, ut quod dicturus est, in majus extollat. Non enim unum aliquod, vel duo, triave vobis ostendo charismata, sed unam viam, quæ ad omnia ista perducit. Nec viam simpliciter dixit ; sed cum excessu quodam, et omnibus in commune propositam. » Καὶ δείκνυμι ὁδὸν χαρισμάτων ὑμῖν. Οὐδὲ γὰρ εἶπε, χάρισμα· ἀλλ' ὁδὸν, ἵνα μειζόνως ἐπάρῃ τοῦτο, ὃ μέλλει λέγειν· οὐδὲ γὰρ ἓν, καὶ τρία χαρίσματα δείκνυμι ὑμῖν· ἀλλ' ὁδὸν μίαν τὴν ἐπὶ πάντα ταῦτα φέρουσαν· καὶ οὐχ ἁπλῶς ὁδὸν· ἀλλὰ μεθ' ὑπερβολῆς, καὶ κοινῇ πᾶσι προκειμένην.

II. Theodoretus vero : Τουτέστι, τῶν καθ' ὑπερβολὴν inquit, μειζόνων χαρισμάτων δείκνυμι τὴν ὁδὸν, hoc est, *Donorum longe præstantiorum viam ostendo.* Sic etiam Photius. Sed multo est aptius, ut hæ voces καθ' ὑπερβολὴν cum ὁδὸν copulentur, ut Chrysostomus facit, necnon Theophylactus. Δείξω, inquit iste, ὑμῖν μίαν ὁδὸν καθ' ὑπερβολὴν, τουτέστιν, ὑπερέχουσαν, ἥ τις φέρει ἐπὶ πάντα τὰ χαρίσματα. « Ostendam vobis viam quamdam per excessum, id est eximiam, quæ ad omnia charismata perducit. » Possit tamen aliquis καθ' ὑπερβολὴν cum verbo δείκνυμι connectere, quasi dicat, cum multas vobis charismatum vias ostenderim, per quas ingredi possitis, adhuc tamen excellentius idipsum facere volo, hoc

[1] Pag. 816.

est viam monstrare vobis. Agit autem istud ipsum, quod est viam ostendere, melius et excellentius, qui excellentiorem demonstrat. Atque hic sensus ad verba quadrare maxime videtur, quocum ceteri in idem recidunt.

III. Trapezita porro [1] cum in veteri codice εἴ τι pro ἔτι reperisset, fecit idem, quod delicatus ille juvenis, qui invento scalmo, navem fabricare instituit. Ita ille una ex litterula, quæ magnas olim Arianis temporibus in Ecclesia tragœdias excitavit, totum illum conturbavit Apostoli locum. Nam pro ὁδὸν, ὅλον substituit. *At* ὅλον *pro* ὁδὸν, inquit, *certissima est conjectura.* Quare ita totum illum locum interpolat : Καὶ εἴ τι καθ' ὑπερβολὴν ὅλον ὑμῖν δείκνυμι. *Et si quod vobis totum eximium et excellens, monstro.* Sed est ista frivola, et inepta divinatio, quam cur cum vulgata et antiqua permutemus, causæ nihil est. Quid enim habet illa, præter novitatis affectationem? ne hujus quidem ingeniose, ac solerter inventæ ; sed impeditæ, certe minime necessariæ ; nedum, ut blandiens sibi nominat, *certissimæ conjecturæ.* Critici probi officium est, non cuicumque scriptoris loco castigationes suas, et conjecturas impingere ; neque si aliter in uno alterove exemplari, quam in editis est, forte aliquid legerit, id statim in omnes codices diffundere : nedum id sibi sumet, cum solam ad emendandum suspicionem, ac conjectationem adhibet. Sed tum denique medicinam tentabit facere, cum manifeste mendosa erit lectio ; cujus nulla commoda satis extricari potest sententia. Quid autem in illo, de quo agitur, Apostoli loco simile? Aut quis non meliorem, ac simpliciorem eum esse sensum judicet, quem communis offert ac recepta, quam qui ex nova illa verborum conformatione nascitur?

IV. Non magis audiendus est alio in loco [2], ubi latinum nostrum interpretem, imo interpretes erroris arguit, nimirum in cap. 4. epistolæ ad Ephesios, com. 4. ubi Apostolus præcipit, *fornicationem, et omnem immunditiam aut avaritiam, nec nominari*, etc. *Sed magis*, inquit, *gratiarum actio*, ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία. Hieronymus aliter exponit in Commentario ad illam epistolam, « Et forsitan, *inquit*, gratiarum actio in hoc loco non ita est nominata, juxta quam gratias agimus Deo, sed juxta quam grati, sive gratiosi, et salsi (ita legendum, non *falsi*) apud homines appellamur, etc. Decet autem sermonem ejus sale esse conditum, ut gratiam apud audientes habeat. » Sic Proverbiorum 11. scriptum esse notat Hieronymus, γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν : id est, *Mulier gratiosa excitat viro gloriam.* Quare εὐχαριστίαν apud Paulum mallet Hieronymus significare *sermonis gratiam*, et condimentum quoddam suavitatis. At quanta cautione moderationeque utitur, dum a communi sententia recedit! « Forsitan, *inquit*, gratiarum actio in hoc loco non ita est nominata, etc. »

V. Quam in opinando modestiam si imitaretur Trapezita [3], non sic odiose interpretes notaret omnes : « Quod verbi, *inquit*, per gratiarum actionem, male reddi ab interpretibus fateor. » Imo optime sic redditum est. Εὐχαριστία non aliud est hic, quam *gratiarum actio.* Nec ea ratio, quæ Hieronymum summum virum perpulit, ut de eo dubitaret, valde nos movet. Quærit, cur post damnatam et prohibitam immunditiam, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem, non aliam virtutem iis opposuerit Apostolus ; utputa justitiam, veritatem, dilectionem potius, quam gratiarum actionem. Facilis est responsio. Nihil ex ore Christiani vel sonare frequentius debet, vel decentius potest, quam gratiarum actio. Quam quidem ubique, et quavis occasione Deo persolvere nos oportet. « Nam quid melius (ait Augustinus Epistola 77.) et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec agi fructuosius potest. » Tum egregie Nazianzenus Gregorius [4] ; Μνημονευτέον γὰρ Θεοῦ μᾶλλον, ἢ ἀναπνευστέον· καὶ, εἰ οἷόν τε τοῦτο εἰπεῖν, μηδὲν ἄλλο, ἢ τοῦτο πρακτέον. Κἀγὼ τῶν ἐπαινούντων εἰμὶ τὸν λόγον, ὡς μελετᾷν ἡμέρας, καὶ νυκτὸς διακελεύεται, καὶ ἑσπέρας, καὶ πρωΐ, καὶ μεσημβρίας διηγεῖσθαι, καὶ εὐλογεῖν τὸν Κύριον ἐν παντὶ καιρῷ. « Non enim tam sæpe ducere spiritum, quam Dei meminisse debemus. Imo si dici hoc potest, aliud nihil, quam hoc faciendum. Nam et ego inter eos nomen meum profiteor, qui sententiam illam probant, quæ nos die ac nocte jubet meditari ; vespere, et mane, et meridie narrare ; ac denique benedicere Dominum in omni tempore etc. » Quamobrem non hoc solum propheta David, sed etiam Apostolus perpetuo, et quovis loco ac tempore factitare jubet. Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε (ait 1. Thess. 5. 18.) ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε. *Sine intermissione orate ; in omnibus gratias agite.* Et ad Colossenses, cap. 3. 17. Πᾶν ὅ, τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ, ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ, καὶ Πατρὶ, δι' αὐτοῦ. *Omne*,

[1] Trap. p. 345. — [2] Trap. p. 133. — [3] Trap. p. 133.

[4] Nazianz. Orat. 33. pag. 531.

quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.

VI. Notus est ille Judæorum mos, quem hodieque servant, nulla ut diei particula, nulla publica, privataque vitæ functio sine Dei benedictione propemodum abeat. Quem in usum conceptas, ac præscriptas habent precationum formulas, quarum in talmudicis Digestis, tractatu Berachoth, mentio est, et in libro, quem סדר תפלות vocant, quod est *Ordo precum.* Quam illorum exactam, et ad superstitionem usque, ut illorum fere omnia sunt, limatam diligentiam, nemo, cum illa legerit, non obstupescat. Quare quid mirum est, Apostolum Christianis præcipere, crebro uti benedicant, agantque Deo gratias; et hoc in ore potius versent, ac continuo meditentur, quam ludicra, et scurrilia, aut etiam turpia? Ex quo id fiat, quod per Isaiam pollicetur Deus, capite 48. 9. *Et laude mea infrœnabo te, ne pereas.* Nemo igitur communem vocabuli τῆς εὐχαριστίας notionem immutare debet in illo Apostoli loco; neutiquam vero, quod temere Trapezita facit, huic erroris notam adscribere.

VII. Nec illud ejusdem laudaverim, quod Lucæ 12. 58. pro eo, quod græce legitur, Δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, et latinus noster vertit, *Da operam liberari ab illo;* mavult ita reddere, *usuram illi persolve.* Non sum nescius, tum ἐργασίαν usuram esse, ac fructum occupatæ fœnore pecuniæ: tum Theophylactum ita illum locum explicasse, ut Trapezitæ placet[1]. Sed uterque fallitur. Nam neque satis emendatum istud est, δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι; *da usuram liberari*, hoc est, *ut te liberes.* Dixisset enim, τοῦ ἀπηλλάχθαι. Melius ergo vulgatus interpres, qui id animadvertit, quod nuper vir doctus observabat ad 2. caput epistolæ 2. ad Thessalonicenses, multa in græci sermonis consuetudinem ex latino irrepsisse, postquam Judæam et vicinas provincias sibi subjecere Romani. Itaque δὸς ἐργασίαν prorsus latina locutio est, *Da operam.*

VIII. Ut hæc Latinorum est propria loquendi formula; sic illa, meo quidem judicio, ex hebraismo translata, quæ est Marci 14. 72. de Petro post negationem Christi resipiscente: καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. Quot ita Beza vertit: *Et quum erupisset, flevit.* Vel, *quum hoc animadvertisset,* galli scilicet cantum. Huic ego non assentiar; uti neque Theophylacto, qui ἐπιβαλὼν interpretatur, ἐγκαλυψάμενος, *operto capite.* Quam expositionem non solum approbat Trapezita [2], sed etiam præcipiti, ut solet, calore. « Hæc, *inquit,* sola expositio vera est, ceteræ omnes falsæ. » Ego vero nullus dubito, quin et falsa ista sit, et vox ἐπιβαλὼν nihil aliud sit, quam *adjiciens.* Est enim Hebræorum proprium verbum יסף, vel in Hiphil הוסיף, cum alio verbo copulare, ut rei ejusdem iterationem significent. Sic Geneseos 4. 2. ותסף ללדת את אחיו, *Et adjecit parere fratrem ejus.* Sic ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, *adjiciens ploravit,* hoc est *repetitis vicibus flevit,* vel ut Latini loquuntur, *fletum ingeminavit.* Hoc longe aptius est, ac simplicius. At latinus noster interpres aliter legit, nempe quod in vetustis quibusdam codicibus extat, ἤρξατο κλαίειν, *cœpit flere.*

Hæc ad *dissertationem* nuperam *de fœnore Trapezitico*, quæ animadverterem, interim habui. Cujus notata, confutataque theologicis fere duntaxat in rebus errata si quis legat, ea statim homine ut indigna docto, ac pudente, sic opere illo, et operis argumento, quod fœdum et infame est utrumque, digna judicabit.

[1] Trapez. pag. 477.

[2] Trapez pag. 272.

FINIS DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM.

DIONYSII PETAVII

TRACTATUS

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

LIBRI QUINQUE.

IN QUIBUS POTISSIMUM DE EPISCOPIS, AC PRESBYTERIS, DEQUE EORUM DIFFERENTIA DISPUTATUR.

PRÆFATIO.

Disputationis causæ, et institutum. De Puritanæ sectæ conatu, et studio ad omnem sacrum ac civilem principatum abolendum.

I. Cœlestis, quæ ex angelis constat, Hierarchiæ quædam est in terris imago, imitatioque, ecclesiasticorum graduum, et Ordinum varietas. Quod inter ceteros vetustissimus auctor prodidit Clemens Alexandrinus in 6. Stromateon [1]; nec non Dionysius in primo capite libri de Cœlesti hierarchia : et ad eum Maximus; qui « (1) sacerdotalem mystagogiam imitationem esse » scribit « hierarchiæ cœlestis. » Quare cum de angelorum ordinibus, et sacrorum inter illos principatu ac magisterio disputatum sit a nobis in primo de Angelis libro, non alienum a proposito nostro fore duximus, si de humana hierarchia, vel divina potius, et e cœlo ad homines evocata, hoc est de ecclesiasticis ordinibus deinceps ageremus. Non plene id quidem, nec ex toto, et quantum argumenti ratio, et amplitudo postulat : id enim alterius, ac propriæ tractationis esse debet, cum de Sacramentis, et inter hæc de Ordinis sacramento disserendi tempus erit; quod propediem fore non diffidimus: sed ut obiter, et quasi in antecessum de eo perstringamus aliquid. Quod ut hic facere anteverterem, hæretici cujusdam procacis, ac temerarii improbitas coegit; qui adversus hierarchicos gradus, et ipsum Ordinis sacramentum, ac quidquid in Ecclesia Christiana religiosum est, ac sanctum, stilum movere sceleratum, ac sacrilegum instituit.

II. Hic ille est, quem sub *Trapezitæ* nomine superiore anno confutavimus ; cum quidem, post infames pro *Usuræ* defensione libros editos duos, tertium addidisset, in quo Trapezitici apud Batavos fœnoris patrocinium sumpsit. Quo in postremo libro multa contra episcopos, ceterosque catholicæ ordines Ecclesiæ, ac reliqua dogmata illius tam imperite, quam impie passim intexuerat. Ea nos virulenti operis capita libro illo Dissertationum Ecclesiasticarum oppugnavimus, tacito ejus quem contra disputabamus, nomine. At ille, ut est impotenti, et stolide feroci ingenio, re-

(1) Maxim. pag. 4. Σημειωτέον ὅτι ἡ παρ' ἡμῖν τοῖς ἀνθρώποις τελουμένη ἱεραρχικὴ μυσταγωγία, μίμησίς ἐστι τῆς οὐρανίου ἱεραρχίας.

[1] Pag. 481. edit. Hein.

prehendi se, quamlibet merito justeque, non ferens, dissertationem mox adversum nos elucubravit, conviciis, et maledictis atrocibus refertam. Ob quæ tantum abest, illi ut succenseam, ut eo etiam nomine gratuler, ac bene agi mecum existimem ; quod ut impuro ab ore prædicari malefacti suspicionem affert, ac dedecoris ; sic et contrario probris, et contumeliis affici, hoc ipsum et summa laude dignum videri : « (1) Quippe omni generi improbitatis adversari nihil aliud est, quam esse generi omni virtutis affinem, » ut recte scriptum est ab Synesio. Unum hoc mihi non quidem mirum, pro cetera perspecta mihi hominis indole, sed molestum tamen pro communi humanitate, ac dolendum accidit, quod adeo castigatio erroris pestiferi nostra nihil illi profuerit, ut ad eadem, quæ notata in illo erant, audacius tuenda, tum novis etiam, ac longe perniciosioribus cumulanda, faces istius furoris, atque amentiæ subjecerit. Quod me quidem invito, atque ægerrime ferente ita cecidit, qui in talibus suscipiendis controversiis « facio, quod possum, pro mei particula muneris, ut cum Augustino [1] loquar, quantum mihi Dominus donare dignatur, ut pestilentibus et insidiantibus eorum scriptis medentia, et munientia scripta prætendam ; quibus rabies, qua furunt, aut etiam ipsa sanetur, aut a lædendis aliis repellatur. »

III. Horum equidem vel amborum, vel alterius saltem, et hujus spe posterioris adductus, iterum in certamen venio. Nam prius illud, ut resipiscat, aliquando, ad seque respiciat is [2], « qui penitus fumo superbæ contentionis oculos perdidit, » vix est, ut polliceri mihi audeam. Etenim [3]

Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque æquum Melius, pejus, prosit, obsit, nihil vident, nisi quod lubet? [sciunt;

Sed quicumque tandem exitus disputationis istius fuerit; castiganda nobis interim est dissertatio illa prima, quam adversus quatuor, non amplius, capita libri nostri prioris longissimam edidit ; proque catholico dogmate præliandum, non contra Wallonem Messalinum, sed contra Claudium Salmasium, qui hanc sibi circumposuit nominis larvam, uti sub aliena persona tanto liberius, quanto verecundia minore, germani Cathari, hoc est *Puritani*, partes ageret. Cujus teterrimæ sectæ, et in regum, ac regnorum exitium coortæ, proprium illud est, omnem odisse principatum ; nec unius inter multos eminentem auctoritatem tam civilem, quam ecclesiasticam perpeti. Cujusmodi pestes apostolorum succrevisse tempore testis est Judas apostolus [4], *qui dominationem spernunt*, inquit, *majestatem autem blasphemant.* Et apparet per illud tempus invaluisse nefandam hanc hæresim, cum adversus eam sæpe Petrus [5], ac Paulus [6] in epistolis suis gravissimis hortationibus, ac præceptis Christianos præmuniant, et officii erga principes, ac præpositos suos tam sacros, quam profanos admoneant.

IV. Veterum istorum disciplina formati hæretici novi, et qui inter hos *Cathari,* id est *Puritani* vocantur, hac una in re nervos ac vires omnes adhibent, ut excluso ab utraque republica jure unius, ac magisterio, popularem pro eo statum, ac turbulentam plurium potestatem constituant ; vel potius sub popularis specie gubernationis paucorum egentium, et factiosorum intolerandam tyrannidem introducere conantur. Senserat hoc Jacobus olim majoris Britanniæ rex, deque eo filium quem hæredem imperii destinabat, monuit his verbis [7] : « Hic e ministerio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum divinarumque rerum confusione, tam gratiosi ad plebem facti sunt, ut degustata dominationis dulcedine, cœperint democraticam reipublicæ formam sibi somniare. » Quos etiam *tribunitiam potestatem* usurpasse dicit, « ut in populari republica, cum plebem, quo vellent, facile circumducerent, omnium negotiorum momenta soli temperarent. » Ac subinde : « Homines, *inquit,* factiosi unum furoris sui præsidium in paritate collocarunt, qua freti homines improbi, audaces, imperiti, pios, sapientes, et modestos redarguerent. Est hæc paritas mater confusionis, inimica unitatis, quæ est ordinis parens ; quod genus si ut in Ecclesia, ita quoque in republica obtineret, omnia certo certius misceri necesse foret. Si utramque ames, ex utraque pestem hanc egere ; Puritanos, inquam, quos nec beneficiis devincias, nec jurejurando fidos facias, nec promissis constringas ; sine modo ambitiosos, sine causa maledicos, nec quidquam spirantes, nisi seditiones, et calumnias ; qui-

(1) Synes. epist. 95. pag. 234. Τὸ γὰρ ἀντικείμενος ἔχειν πρὸς παντοδαπὴν πονηρίαν, οἰκείως ἐστὶν ἔχειν πρὸς παντοδαπὴν ἀρετήν.

[1] Aug. lib. 1. ad Bonif. con. 2. epist. Pelag c. 1. — [2] Aug. lib. 1. con. Jul. Oper. imperf. c. 113. — [3] Terent. Heauton. Actu 3. Sc. 1. — [4] Judæ ver. 8. — [5] 1. Pet. 2. — [6] Rom. 13. Tit. 3. Hebr. 13. — [7] Jac. rex Βασιλ. δῶρ. pag. 147.

bus una conscientiæ regula est, non divini verbi auctoritas, sed commentorum suorum vanitas. » Cujus principis veram fuisse prædictionem, qui deinde consecutus est, rerum exitus comprobavit ; illa, inquam, illa quam in conspectu adhuc habemus , florentissimi quondam regni calamitas, intestini illi ac domestici tumultus, provinciarum ac civitatum ab rege defectio, cædes inter se, proscriptionesque civium. Quæ ne ad internecionem partium , et miserrimum occasum imperii illius pertineant, porro illis est metuendum.

V. Hos fructus peperit improba, et seditiosa Puritanorum colluvio, cui tum in civilium, ut dixi, communitatum principes, tum in ecclesiasticos magistratus, id est episcopos, inveteratum, et implacabile insitum est odium. Quod nisi extinctis iis, et e medio sublatis, satiari, ac finem non posse facere videtur. Nam ab hac episcopalis oppugnatione nominis, ac dignitatis nupere illi tumultus exorti sunt, dum id agunt ex sectæ sacramento, ac toto incumbunt pectore, ut omne sacrorum magisterium toto ex imperio funditus evertant. Hoc autem sibi ut e sententia succederet, non ferrum tantum, et instrumenta belli, sed stilum insuper ac libros, hoc est doctrinæ arma compararunt. Itaque litteratis aliquot mercede conductis , seditiosa contra episcopos edi, et in vulgus spargi scripta curarunt, per quæ occupatos illorum contemptu et odio populorum animos facilius ad causam suam adjungerent. Verum, ut in tumultario delectu, ac subita conscriptione militum accidit, ut obvii quique, ac valentes et imbecilli, fortes et ignavi in militiam referantur ; sic in illa scriptorum conquisitione plurimi neque docti, neque judicio, aut ulla virtute alia, quam garrulitate, et audacia freti, ac plures adeo, quam docti, et tolerabiles, adsciti fuerunt. Ex hac imperitorum fæce ille, cui nunc respondemus, Salmasius extitit, qui improbitate magis, et voluntate nocendi, quam genere ipso scriptionis, vel iis, quos impugnabat, formidabilem, vel quibus operam locarat, utilem lucubrationem edidit de episcopis, et presbyteris. Nam tantum abest, ut momenti aliquid ad susceptæ pessimæ causæ patrocinium conferat, ut eam tractando, multo, quam est ex sese, deteriorem ac minus probabilem reddat.

VI. Sic est omnino, ut dicimus. Homo acutus, qui de ecclesiasticis ordinibus scribendum sibi aliquid videbat, ut episcopis molestus esset, et eos presbyteris exæquaret, locos suos communes adiit. Ibi quæ de episcopis, et ceteris gradibus, ex aliorum commentariis sublegerat, ac sibi adnotarat, omnem illam copiam, ac silvam τῶν χρηστομαθειῶν exprompsit, et effudit in dissertationem suam , sine ullo delectu ac discrimine , securus an hæc quadrarent, et cohærentia invicem essent, an, utpote diversis, et dissidentibus ex auctoribus collecta, discordarent ista secum, et se mutuo colliderent, ac destruerent. Non deerit fortasse, qui id ab irato, et inimico dictum de isto homine suspicetur aliter, ac sese res habet. Sed hoc ab illo, quisquis est, valde contendo, ut ista de Salmasio vera esse non mihi potius, quam sibi ipse fidem habeat, oculisque suis ; ac dissertationem illius in manus sumens, cum ea disputationem hanc nostram conferat, et quæ in ea selegi loca, secumque pugnare docui, impigre contendat. Equidem non dubito, quin et illud ipsum, quod dixi, ita, ut dixi, apud illum reperiat , et longe plura, quam posui, ac pudenda magis, et incredibilia recenseat.

Mihi vero quod in hoc opere susceptum est, id agam modo, ac demonstrare aggrediar, Messalino-Salmasium in dissertatione ista, qua probare studuit, episcopos olim apostolorum tempore nihil a presbyteris discrepasse, nec nisi unum ordinem ambos ex instituto fuisse Christi ; contrarium ostendisse : tum distinctos illos ordines per idem tempus fuisse ; tum Ecclesiæ cuique suum præfuisse præsidem, qui et reipsa, et appellatione episcopus haberetur. Ex quo manifestæ prævaricationis reum, et causæ proditorem illum probabo iis ipsis, a quibus conductus, et mercede auctoratus fuerat, ut impensa se sua, et spe, quam de nihili hac farragine conceperant, misere frustratos sentiant.

VII. Non enim vulgaris de isto libro Puritanæ parti commota erat expectatio. Itaque vix mandari typis erat auditum, cum hujus famam late istius principes spargere, ac se beatos putare tanto præsidio ; tum minitari Catholicæ parti, et terrorem illius ostendere. Nec se continere diutius eorum ardor potuit, quin, opere nondum absoluto, partem ejus primam, ut erat recens a prælo, statim per Angliam, Galliam, ac vicinas regiones dissiparent. Maxime autem in Angliam constat eos exemplaria plurima curasse mitti, uti turbis illis, et tumultibus, quos contra regem, et episcopos ibi concitarant, quasi incendio fomitem subjicerent illum librum, quem ad promovendum negotium aptissimum fore speraverant. Sed multum et istos, et ceteros factionis ejusdem in

omnem partem opinio fefellit, postquam nihil in eo repererunt, cujusmodi putabant, utile causæ suæ, et ad commovendos populorum animos, atque ad perniciem principum incitandos validum, et efficax. Nihil enim istic argumentorum, ac nullam prorsus homine dignam ratiocinandi vim, et probandi persuadendique formam, speciemque reperierunt; sed omnia vocabulorum tricis, et quisquiliis referta : ut quod de scribis Judaicis memoriæ prodidit Epiphanius, eos in commentandam legem « (1) grammaticam quamdam scientiam contulisse ; » sic ille in gravi theologicæ quæstionis argumento, ac serio, grammaticum apparatum, et copiam explicaret.

VIII. Quamobrem statim illos spei suæ, et impensæ pœnituit ; ac nihil ab ipsis diligentius curatum est, quam ut opus illud supprimerent, ejusque, si possent, memoriam omnem funditus abolerent. Itaque per fidos homines operam dederunt, ut primæ illius partis, quæ sola prodierat, quæcumque in hanc urbem allata exemplaria fuerant, quantivis redimerentur, priusquam ad eorum manus pervenirent, quos conscios esse tantæ absurditatis, inscitiæque nollent. Me autem, et unum alterum apprime doctum, præ ceteris nominabant, a quibus illum legi minime omnium cuperent. Sed difficile est latere diu, vel revocari, quod semel est emissum. Vidi ergo, vidi ; et quod in tam morosa, et incondita farragine libri pene heroicum facinus est, integrum legi. Ac fuit idem meum de eo judicium, quod eorum fuisse dixi, qui conduxerant ; et utrique quod res erat intelleximus, neminem majori ad nocendum voluntate, quam istum, causam illam suscepisse ; neminem porro minus hoc effecisse, quod vellet. Quorum in altero imminutæ crimen majestatis inest ; in altero tarditatis, ac stuporis offensio. Nam, quod alieno in regno, ac populo id est ausus, quod si in hoc nostro fecisset, perduellionis reus haberetur, non eo minus in illo ad crimen, ac supplicium valere debet; quia quod contra reges, præsertim fœderatos, et affines, ubicumque, et a quocumque scelerate agitur, ad aliorum redundat injuriam, et ab omnibus in commune plectendum est. Tum quod, etsi peregrino, tamen vicino in regno molitus est, id exemplo, et contagione spectat ad nostri perniciem ; et parem propemodum, ac si in hoc admissum foret, animadversionem meretur.

IX. Verum de priore illa nota, quæ inest in ejus facto, hoc est quatenus hoc reipublicæ, ac regiæ majestatis interest, viderint quorum ea curatio est. Nos, quo illum nomine vadari jam cœpimus, privatam alteram stupiditatis, et inscitiæ culpam persequemur. Cujus ipsum non modo communibus in litteris, sed in sacris, et fidei dogmatibus (quod sane publicum quoque scelus est) reum hoc in libro postulabimus; ostendemus id, quod sæpe in aliis ejusdem erratis fecimus, neminem, post receptas in usum hominum litteras, tam atrocia et horrenda peccasse.

Atque ut in ipso disputationis aditu lector intelligat, quicum mihi negotium futurum sit, et quam justis de causis in eum commotus sim, stilumque sumpserim ; præcipua dissertationis illius *Messalino-Salmasianæ* flagitia, hoc est hæretica, et sacrilegia portenta brevi Indiculo complectar ; quæ qui legerit, statim agnoscet, non ad ecclesiasticæ potius, quam ad civilis reipublicæ labefactandum statum hujusmodi illorum decreta pertinere ; et nisi aliis, quam litterariis istis remediis impunitas tanta coerceatur, ei simile quippiam, quod in propinqua, brevi interjecto mari, insula fieri cernimus, Gallicano huic regno pertimescendum.

Indiculus quorumdam dogmatum, quæ contra catholicam fidem a Salmasio in dissertatione nupera propugnata, sequentibus libris a nobis refelluntur.

I. Episcopatum cum presbyteratu ex instituto Christi unum et eumdem esse ordinem [1].

II. Presbyterum, qua presbyter est, non qua episcopus, manuum impositione ordinare, et confirmare.

III. Ordinis sacramentum in Ecclesia nullum esse ; nec eo sacerdotes fieri, *quia nullum Christus instituit sacerdotium, nullosque sacerdotes instituit, quibus suam Ecclesiam regendam committeret* [2].

IV. *Nec male profecto Waldenses, qui, quod non erat, nec audiebatur temporibus apostolorum, sacerdotium cum sacerdotibus sustulerunt. Nullius in Evangelio sacerdotii vestigium extat. Ubi nomen non extat, cur rem ibi fuisse credamus ? Ubi sacrificia non fuere,*

(1) Epiph. pag. 32. Γραμματικήν τινα ἐπιστήμην ὑπηγούμενοι.

[1] Dissert. Messalin. pag. 7. et seq. ut 299. — [2] Pag. 149. et seq.

nec sacerdotium ibi, aut sacerdotes esse, nec nominari oportuit [1].

V. Laici Eucharistiam consecrare possunt : *Et primis seculis secundum institutionis præceptum, a singulis patribusfamilias, et post cœnam celebrabatur. Postea, mutata re, cum presbyteri non adessent, qui possent exercere, etiam laicis consecratio ejus, et administratio licita erat* [2].

VI. *Presbyteri, et episcopi Clementis papæ tempore laici erant, ut honestior, et honoratior pars plebis haberentur tantum* [3].

VII. *Recte Waldenses, ac Lutherus sacerdotium non retinuerunt, sed crediderunt justos, ac fideles laicos posse omnibus muneribus ecclesiasticis defungi, potestate ad id accepta per impositionem manuum presbyterii, id est, senatus non ecclesiastici, sed laici* [4].

VIII. Laici omnes sacerdotes sunt, ut Petrus docet 1. Can. cap. secundo [5].

IX. Eadem sentire se profitetur cum hæreticis, Aerio, Waldensibus, Wiclefo [6].

X. Nullum esse debet in Ecclesia *caput visibile, quod hodie universali Ecclesiæ imponunt, nempe Papam.* Quem et ait *primatum mutasse in horribilem tyrannidem monarchiæ, quasi debitæ, ac justæ, legitimæque prætextu usurpatam.* Tum nihilo plus illum ceteris episcopis auctoritatis habere decernit [7].

XI. Episcopus nullam pœnam, et excommunicationem indicit, sed Ecclesia. Nec in puniendis delictis, ac pœnis statuendis sita est jurisdictio episcopi. Nihil juris quippe habet *episcopus in eos, qui sunt impœnitentes. Nec in bonos igitur, nec in malos judex sedet episcopus* [8].

XII. *Ligandi quidem, et solvendi potestatem apostolis dedit ; sed in hac potestate non versatur jurisdictio episcopi, cum totum hoc negotium fori sit interni, cujus nulla jurisdictio est, nisi penes Deum* [9].

XIII. *Episcopus Ecclesiis regendis unicus præpositus est,* idque *bono fine institutum fuisse, nemo negat. Nunc, cum reapse cognoscitur, ex episcopali tyrannide certius in Ecclesia malum, ac damnum majus oriri, quam quod ex æmulatione æqualium metuebatur, quod bona de causa constitutum fuerat, meliore posse, et debere abrogari, quis non videt* [10].

[1] Pag. 390. et seq. — [2] P. 379. — [3] P. 386. 387. — [4] P. 396. — [5] P. 398. — [6] Ibid.

[7] Pag. 378. — [8] Pag. 410. et seq. — [9] Pag. 456. et seq. — [10] Pag. 457.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

LIBER PRIMUS.

IN QUO DE EPISCOPIS, QUI SUB APOSTOLORUM TEMPUS EXTITERUNT, ET EORUM SUCCESSIONIBUS AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

De apostolica traditione, ejusque varia distinctione. Memorabilis de illis Basilii locus illustratur. Traditiones hujusmodi partim immobiles esse, partim mutabiles. Utriusque generis exempla varia. Quæ sit nota, et proprietas apostolicæ traditionis.

I. Vetustissima res est, et a primis Christianismi nata temporibus, Ordinum illa distinctio, ex quibus ecclesiastica, ut vocant, hierarchia componitur. Inter quos tres illi præcipui sunt, Episcopatus, Presbyteratus, et Diaconatus. Ex his seposito diaconatu, tota de primis duobus mihi cum Salmasio, hoc est Christianæ, catholicæque parti cum hæreticorum sectis orta controversia est. Etenim episcopatum plane eumdem cum presbyteratu ordinem esse ex ipsa institutione Christi, et apostolorum usu, apostolicorumque temporum, asserunt Romanæ hostes Ecclesiæ. Quippe nullo in Scripturis loco discerni invicem, sed promiscue semper accipi, ut aut episcopi soli cum diaconis, aut cum his ipsis soli presbyteri conjunctim nominentur, nusquam vero tres illi separatim, episcopi, presbyteri, et diaconi. Cujus rei aliquot exempla commemoravimus ex Actis apostolorum, et eorumdem epistolis, in priori Dissertationum ecclesiasticarum libro, capite primo; quæ, cum inde repeti possint, hoc loco prætermittam, ne sim longior.

Verum ita rem omnem ibi composuimus, ut ambos illos ordines, et gradus ex sese, ac natura sua, et ex institutione ac voluntate Christi diversos esse statueremus; hoc est ejusmodi, ut a se invicem disjungi possent, ac separatis inesse personis, quatenus unus aliquis tantummodo presbyter esset, adjunctis tamen inferioribus omnibus ordinibus, per quos gradatim ad presbyteratum ascenditur; alius item, præter hunc, ac reliquos ei subjunctos, episcopatum insuper acciperet. Quanquam primis Ecclesiæ temporibus ambo illi, ac distincti invicem ordines et gradus in eamdem personam collati sunt: quod sic usus postulabat; ut eo loco pluribus expositum est.

II. Hanc nostram de quæstione illa, non conjecturam, ac divinationem, sed firmam esse, certamque sententiam, hæc imprimis ratio demonstrat. Nam si unus, idemque esset Ordo episcopus, et presbyter, et una utriusque forma, et οὐσία ex institutione Christi: nefas esset aliter hæc usurpare, atque ille constituisset. Non enim in potestate est hominum immutare illa, quæ ab Christo semel ordinata sunt; aut alio modo, quam ex ejus præscripto, ac voluntate tractare. Quod ita theologi passim exprimunt, ut dicant, institutorum ecclesiasticorum quædam juris esse divini, alia *positivi*, et *humani*. Prioris generis illa sunt, quæ sive nominatim in Scripturis explicantur, sive ex majorum traditione per Ecclesiam accepta sunt, constat ita, uti sese habent, ab ipsomet ordinata fuisse Christo Domino, nec hominum decreto, judicioque permissa; ut sunt ea, quæ ad fidem Christianam, et Sacramentorum *substantiam*, ut ita loquar, ipsam pertinent. Posterioris vero sunt, quæ ad ritus spectant, quibus superiora illa tractantur, aut quæ quo-

quo modo Christianorum in consuetudinem venerunt.

Ad utrumvis duum illorum generum pertinent ea, quæ sine scripto ad auctores apostolos sola traditione referuntur. Nam et ista partim divino jure, et immutabili, partim humano, id est *positivo*, et mutabili censentur.

De utroque genere apostolicarum traditionum luculentum est, ideoque theologorum usu detritum Basilii testimonium in libro de Spiritu sancto, quod accurate hic a nobis expendendum est; nam in eo quæstionis nostræ, controversiæque summa vertitur.

III. Cum in solemnium precationum clausula, quæ trium personarum appellatione constabat, Basilius non ἐν Πνεύματι, id est *in Spiritu*, tantum usurparet, ut mos erat, sed etiam σὺν τῷ Πνεύματι, hoc est *cum Spiritu;* in quorumdam reprehensionem incurrit, non hæreticorum modo, qui cum Patre, vel etiam et Filio, coæquari Spiritum sanctum iniquo animo ferebant; sed Catholicorum insuper, quos alioqui recte de Spiritus sancti divinitate sentientes illa novitas offendebat. Hac de causa librum de Spiritu sancto scripsit ad Amphilochium : in quo cum variis argumentis, et auctoritatibus fidem suam, ejusque testem formulam ac professionem illam approbat; tum, quod ad præsens negotium attinet, ex antiqua et apostolica traditione vim ei, ac pondus asciscit in vicesimo septimo capite. Ac de traditionibus apostolicis universe primum ita loquitur. « (1) Eorum dogmatum, prædicationumque, quæ in Ecclesia servantur, quædam habemus ex doctrina scripto tradita; quædam rursus ex apostolorum traditione communicata nobis, in mysterio (hoc est tanquam arcana) recepimus; quæ ambo vim eamdem habent ad pietatem. » Mox dogmatum illorum, ac rituum varia exempla commemorat, quæ partim consuetudines, partim Christianæ fidei decreta continent. Consuetudines sunt : crucis signo seipsum velut obsignare : ad orientem se in oratione convertere : aquam ad baptizandum benedictione consecrare : ter in aquam eos, qui baptizantur, immergere : Dominico die, ac per quinquaginta post Pascha dies, genua non flectere, et id genus complura. Quæ propterea fidelibus sine scripto tradita esse dicit, ne ad profanos, et nondum initiatos homines vulgata pervenirent. Ad fidem autem ex eadem traditione spectat « (2) professio ipsa fidei, qua credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quæ quidem nullis est litteris commissa; » ac demum formula ista, qua Spiritus sancti æqualitatem conjunctionemque cum aliis duabus personis exprimimus, ut ita dicamus : Gloria Patri et Filio cum Spiritu sancto.

IV. Ex hac Basilii disputatione constat id, quod paulo ante diximus, apostolicas traditiones scripto non commissas tam illa comprehendere, quæ ad Christianam fidem, quam quæ ad ritus et consuetudines pertinent. Inter quæ discrimen illud est, quod priora juris divini sunt, eaque Christi ex ore, vel revelatione sancti Spiritus excepta apostoli Ecclesiæ tradiderunt ea lege ac cautione, ut immutare, aut funditus abrogare illa nefas esset. Posteriora vero neque semper, nec ubique servata omnia sunt, et contrariis interdum subrepentibus moribus obliterata fuerunt. Professio ecce illa fidei, qua credere nos dicimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quam ex nullis nos Scripturis habere Basilius affirmat, apostolica traditio est, quam nulli sollicitare vel invertere impune licet. Sic illa, quæ ad Sacramentorum *substantiam*, ut vocant, attinent, aliter ordinare, quam ut apostoli ex Christi magisterio tradiderunt, ne universæ quidem Ecclesiæ, nedum privato ulli capiti conceditur; cujusmodi esset, baptismum in alia re, quam in aqua conferre. Hanc enim sola ex apostolica traditione sibi defendant oportet Calvinianæ, vel sectæ alterius hæretici, qui illa Christi Domini verba [1], *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, negant ad sacramentum pertinere Baptismi; sed tropice *aquam* illic usurpari, sentiunt. Aquam igitur, quam ex apostolica traditione materiam Sacramenti illius esse didicerunt, nemo Christianus abjudicare audet a baptismo; at vero trinam in aquam demersionem, cujus ex eadem apostolica traditione originem Basilius arcessit, paulatim Ecclesiæ consuetudo mutavit, et ad

(1) BASIL. pag. 210. Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων, καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παραδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς εὐσέβειαν.

(2) BASIL. p. 213. Αὐτὴν δὲ τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως, πιστεύειν εἰς Πατέρα, καὶ Υἱὸν, καὶ ἅγιον Πνεῦμα, ἐκ ποίων γραμμάτων ἔχομεν;

[1] Joan. 3. 5.

simplicem aspersionem redegit : ut de minoris momenti ritibus sileam, qui nec recepti sunt ab omnibus, et ibi, ubi aliquandiu retenti sunt, in usu postea esse desierunt. Quæ res argumentum ejus habet, quod supra docui : apostolicarum traditionum alias immutabiles esse, ac divino jure censeri ; alias humani, ac *positivi* esse juris, quæ Ecclesiæ, vel Pontificia auctoritate, aut contrario more abrogari possunt.

V. Addam prioris illius generis, quod divina et æterna institutione constat, exemplum aliud ex eodem Basilio cumprimis observandum de unctione illa, quæ sub baptismum fieri consueverat. Hanc enim potissimum intelligit, quæ sacramenti Confirmationis propria est, et subinde post baptismum tribuebatur, ut Laodicena synodus testatur, canone 48. ita decernens : « (1) Quod oporteat eos, qui baptizantur, post lavacrum, chrisma cœleste percipere, et regni Christi participes inveniri. » Hujus itaque Sacramenti, quod Pacianus in sermone de Baptismo, et Augustinus *Sacramentum chrismatis* vocat [1], parque baptismo facit, quod ad *genus* attinet *visibilium signorum*, negat Basilius extare mentionem expressam in sacris litteris ; quatenus scilicet chrismate, et unctione constat, quæ propria illius est Sacramenti materia. Nam sola ibi commemoratur impositio manuum [2], per quam datus est Spiritus sanctus. Atqui non sola impositione manus, sed unctione quoque, vel chrismatione tum datum esse Spiritum sanctum, tum Confirmationis sacramentum, velut parte sui necessaria, et οὐσιώδει constitisse, antiquissimi Patres, et quod majus est, generales Synodi nos docent, ut alio in loco demonstrabimus. Græci quidem (quod inter omnes convenit) nihil unquam præter oleum usurparunt in illo Sacramento, et hodieque in eo ritu perseverant, sine ulla impositione manuum. Quamvis autem nusquam aperte, ac nominatim unctionis in illo sacramento Confirmationis adhibendæ Scriptura meminerit ; nihilominus ita ex apostolica traditione manasse illam veteres arbitrati sunt, ut non arbitrii, et humani juris esset, sed superioris cujusdam, et divina auctoritate sanciti. Non minus divinæ traditionis habitum est, « ut in Sacrificio novæ legis, et in calice Dominico sanctificando, et plebi ministrando, (ut loquitur Cyprianus in epistola 63.) calix iste, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. » Hanc enim *Dominicam traditionem*, tum *evangelicam, et apostolicam disciplinam*, plane sine scripto editam ab apostolis Cyprianus appellat, et innovari prohibet ; ac qui mutare ausi fuerant, inter hæreticos Ecclesia damnavit : « Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, » ut idem scribit.

VI. Sic de baptizandis parvulis *auctoritatem universæ Ecclesiæ proculdubio per Dominum, et apostolos traditam* esse, Augustinus affirmat [3]. Et de alia consuetudine loquens adversus Donatistas [4], de non baptizandis iterum hæreticis, contra quam Cypriano visum erat : « Hanc ipsam consuetudinem credo, *inquit*, ex apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posterorum ; et tamen, quia custodiuntur per universam Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, et commendata creduntur. » Et alio in loco [5] : « Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt ; sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est. Sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia ; et ob hoc ab apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur. » Ac passim Augustinus tam istam, quam superiorem de baptizandis parvulis traditionem ab apostolis manasse profitetur. Quinetiam Stephanus papa, cum adversus Africanos episcopos de non iterando baptismo hæreticorum contenderet, nihil aliud, quam traditionem opponebat, ita scribens, ut testis est Vincentius Lirinensis [6] : *Nihil novandum, nisi quod traditum est.*

Hanc vero traditionem, non ecclesiastica tantum, hoc est humana, et quantumvis sacrosancta, mutabili tamen auctoritate, sed divina prorsus, sempiternaque constitisse, satis ex eo notum est, quod magno pro ea studio, acerrimaque contentione « Stephanus papa apostolicæ Sedis antistes cum ceteris collegis suis » Cypriano, ac reliquis Africanis restitit, cum quidem intelligeret, ut ibidem ait Vincentius, « nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a patribus susceptа forent, eadem fide filiis consignarentur ; nosque religionem, non qua vellemus, ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere. » Quæ verba traditionem illam ἄγραφον in-

(1) LAODIC. can. 48. Ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ Χριστοῦ.

[1] Lib. 2. con. Petil. c. 104. — [2] Act. 8. 17. — [3] Lib. 1. de pecc. mer. et rem. c. 26. — [4] De Bapt. con. Don. lib. 2. c. 7. vid. et lib. 4. c. 23. — [5] Ib. lib. 5. c. 23. — [6] Cap. 9.

dicant divini plane esse juris, et ad fidem pertinere, religionemque Christianam. Nam si voluntati hominum, et ecclesiasticæ potestati permissa foret, neque Stephanus tam vehementem pro ea dimicationem susciperet, ut ab communione sua se, nisi desisterent, præcisurum illos minaretur; et vel eo permittente, aut connivente, vel contraria consuetudine paulatim aboleri illa potuisset.

VII. De iis ipsis traditionibus, sed ut ad ritus, usumque pertinent, fuse Tertullianus agit in libro de Corona militis, capite tertio; ac plerasque recenset, quæ sine scripto sola consuetudine auctoritatem acceperunt : « Consuetudo autem, ait capite sequenti, etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex. » De iisdem præterea tritum illud est Augustini [1], nec tamen ideo prætermittendum : « Illa, *inquit*, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata, atque statuta retineri. » Quatenus autem ad fidei normam ac regulam traditiones adhibentur, luculentus est ejusdem Augustini locus, in quo ad Cypriani sententiam adjungit auctoritatem suam, itaque scribit [2] : « Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est ad apostolicam traditionem, et inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, et sine dubitatione faciendum. »

Et in eodem opere libro quarto, capite 23. traditionis apostolicæ discernendæ notam hanc, ac velut κριτήριον ostendit, *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Quæ Augustini sententia longe præstantissima est, et imprimis animadvertenda; nam ad generis utriusque traditiones agnoscendas, et ad originem suam referendas magnopere spectat.

VIII. Etenim, ut de dogmatibus, fideique decretis primo loco disputem, idipsum affirmatur ex illa regula, quod Basilium paulo ante pronuntiantem audivimus : complura sine scripto, sola traditione, eaque apostolica, Christianæ fidei esse proposita. Cujusmodi esse nemo, quantumvis pervicax, inficiari audeat, quæ a primis Ecclesiæ temporibus in ea tradita, ad communem pervasere fidelium sensum; vel saltem eorum, qui interioribus litteris eruditi erant, ac ceteris scientia prælucebant. Certe, cum adversus hæreticos de Christianæ fidei capitibus antiqui Patres contendunt, eo in argumenti genere plurimum versantur; et adversarios ad apostolicas Ecclesias, id est ab ipsis fundatas apostolis, eorumque traditionem identidem provocant. Quod insigniter facit Irenæus [3]; qui primum traditionem, *quæ est ab apostolis*, hoc modo circumscribit; « Quæ per successiones, *inquit*, presbyterorum in Ecclesiis custoditur. » Deinde capite sequenti traditionem eamdem apostolicam per eos, qui ab apostolis instituti sunt, episcopos, eorumque successores propagatam esse dicit, ab iisque repetendam, præsertim ab Romana Sede. De quo Irenæi loco iterum agemus postea. Tertullianus quoque in libro de Præscriptionibus, cap. 26. ad apostolicas Ecclesias, hoc est ab apostolis fundatas, hæreticos revocat, et indidem ab auctoribus suis acceptas traditiones explorare jubet. Idem et Augustinus contra Donatistas, et Pelagianos maxime defendit, cum et adversus illos non iterandum esse baptismum, et adversus istos necessarium esse parvulis, ex veteri, et apostolica traditione demonstrat.

IX. Eadem ratio, argumentandique vis ad alterum genus traditionum ab illis accommodatur, quod ritu, et consuetudine definitur, hoc est agendi modo, atque præscripto. Id autem duplex esse cognoscitur. Nam sunt aliæ traditiones ejus instituti, quod est πρακτικὸν, id est *in agendo positum;* quæ uniusmodi esse debent, nec mutari sine periculo possunt, ut, etsi nullo adhuc Ecclesiæ decreto inter fidei dogmata censerentur, nefas tamen haberetur secus agere, quam vetus, et a majoribus accepta, potiorique parti Ecclesiæ probata traditio continet. Exempli causa, baptismi formam hanc esse necessariam, quæ personarum trium appellationes expressas continet, certa est, et apostolica traditio, de qua hodie Christianus nemo dubitat. Sed utrum statim ab exortu Christiani nominis ita, ut est modo, necessaria sit habita, ut qui in solo Christi nomine baptizatus esset, nullum omnino Sacramentum perciperet, in controversia est, eaque perantiqua. Ambrosius quidem in libro de Spiritu sancto, capite tertio putat, baptismum in solo Jesu nomine administratum fuisse, et ita reginæ Candacis eunuchum a Philippo baptizatum [4]; necnon Actorum 19. quosdam, qui solo baptismo Joannis initiati

[1] August. epist. 118. — [2] Lib. 6. de Bapt. con. Don. c. 26.

[3] Lib. 3 c. 2. — [4] Act. 8.

fuerant. Quin etiam, « Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum abneges, plenum est, *inquit*, fidei Sacramentum, » tanquam etiam hodieque, nominata una persona, baptismus sit ratus. Cui Basilius assentitur in libro 5. contra Eunomium [1]. Sed alii plerique dissentiunt, ut Cyrillus Alexandrinus dialogo 7. de Trinitate [2], et Basilius ipse diserte in libro de Spiritu sancto, capite 12. Didymus item sub initium libri secundi de Spiritu sancto; et Facundus Hermianensis libro primo, capite tertio.

X. Quocirca etsi ambiguum sit, utrum apostoli in solo Christi nomine aliquando baptizaverint, quod Scholastici quidam asserunt; nemo tamen fas id esse hoc tempore, vel esse verum sub hac formula baptismum existimet; aut non apostolicam esse traditionem hanc agnoscat, ut tres in illo personæ nuncupentur. Est itaque fixa et immobilis ista traditio, quam labefactare, vel immutare nulli penitus licet. Quoniam, etsi aliter ab apostolis factum esse constaret, non dubitaremus, id illos extraordinario jure quodam, et ad tempus concessa sibi facultate fecisse. Ut duplex quodammodo traditio penes illos extiterit: altera, uti perbrevi tempore, ad commendandam nominis illius auctoritatem, in Christo baptizare fas esset: altera, uti deinceps nulla in Ecclesia baptizandi esset alia formula, quam quæ tria diserte nomina conciperet. Ex quo sequitur, nullum traditioni cuiquam, quominus apostolica censeatur, præjudicium facere, quod sub exordium Christiani nominis, atque ab ipsis etiam apostolis, diversum aliquid ab illa nonnunquam adhibitum, usurpatumque fuerit.

Etenim cui dubium est, quin apostolica traditio fuerit, eaque auctore instituta Christo, ut judaici ritus, ac cæremoniæ apud Christianos antiquarentur? Et tamen interdum ab apostolis ipsis observatas illas esse constat. Et Justinus martyr in dialogo cum Tryphone [3] tanto post tempore credidit, eum, qui Judæus esset, et cum Christiana lege judaica sacra misceret, salutem posse consequi, ac fortassis etiamsi jam Christianus judaicos postea ritus conjungeret. Tametsi fatetur, alios contrariam opinionem habere, qui cum judaicum cultum retinentibus neque tecto, neque convictu sociari velint.

XI. Ac posteriores quidem istos melius utique prioribus, ac Justino etiam ipso qui unus horum fuit, sensisse, nemo hodie non judicet. Jam enim tempus illud præterierat, intra quod inutiles quidem, sed nondum perniciosæ erant judaicæ cæremoniæ; ac jampridem mortiferæ Christianis esse cœperant, ut ex Augustini epistola 19. ad Hieronymum constat.

Quod si vel Justini, vel alterius pari auctoritate præditi exemplum aliquod extaret, quo antiquæ legis observationes cum Christiana religione miscuisset; nihilominus in eo perseveraremus, ut contrariam traditionem de abjudicandis ab usu Christianorum judaicis cultibus, tum apostolicam, tum divino jure sancitam esse fateremur. Non enim vel raris, vel paucorum exemplis, et testimoniis præponderari oportet commune, et ex antiquo receptum dogma, et institum Ecclesiæ. Neque tamen culpandi erunt summi viri, et vel apostolorum proximi, vel ipsi etiam apostoli, Christique discipuli, quod adversus certam, confessamque traditionem aliquid usurpaverint. Siquidem cogitandum nobis illud est: quod contra illam venerint, hoc eos vel privato quodam jure, et Spiritus sancti instinctu fecisse; vel id eos intellexisse, nondum præcisam, et absolutam esse decreti illius obligationem, quæ post esset suo tempore futura.

XII. Atque hoc sane constantiores in apostolica tuenda traditione, et auctoribus suis apostolis, imo unico conditori suo Christo defendenda nos esse convenit, quo majoris est quæque momenti, et sine gravi salutis periculo prætermitti, mutarique non potest, ut paulo ante diximus. Hujusmodi est parvulorum baptismus, necnon trium in hujus formula personarum appellatio, et si quæ sunt hujus generis aliæ traditiones. Nam, quæ periculi nihil habent ad æternam salutem, in iis æquiores erimus adversus pertinaces disputatores, qui sic apostolicas esse concedent, ut divino jure constitutas negent. Exemplo sit, præter illa, quæ de judaicis cæremoniis primo quoque tempore summovendis dicta sunt, paschatis Christiani celebratio: de qua tam ardens, et acris inter Catholicos fuit contentio primis tribus seculis, ac post illa deinceps in quibusdam Ecclesiis; cum Asiatici præsertim judaico more fungentes, apostolicam traditionem ab Joanne apostolo et evangelista mandatam provinciis suis præ se ferrent;

[1] Cap. 3. p. 113. — [2] Pag. 633. — [3] Pag. 206. edit. Com.

ceteri, Romanis Pontificibus præeuntibus, non minus apostolicam auctoritatem ritui suo prætenderent, quem a Petro et Paulo Ecclesiæ suæ fundatoribus acceperant. Atque horum quidem causa superior fuit; paulatimque Judæorum more restincto, Romanus apud omnes usus obtinuit. Verumtamen, quod Polycarpus, Polycrates, Irenæus, aliique confirmant, non est dubium, quin, ut Romani traditionem pro se apostolicam verissime prædicabant a Petro, Pauloque derivatam; sic Asiani perinde apostolicam ab Joanne propagatam consuetudinem haud falso protulerint. Nec enim tantos viros, tantaque sanctitate præditos fas est tali in re mentitos putare. Est videndus omnino Eusebius libro 5. capite 23. et 26. ecclesiasticæ Historiæ; tum quæ nos in secundo libro de Doctrina temporum [1] de eodem argumento scripsimus. Igitur ambæ illæ Paschatis celebrandi consuetudines, quamvis contrariæ, ex apostolica tamen traditione fluxerunt. Etenim apostoli in plerisque, pro eo ac res ferebat, et administrandi Evangelii ratio poscebat, ne Judæorum a se alienarent animos, ex iis, quibus innutriti erant, cæremoniis aliquid admiscebant Christianorum ritibus, donec corroborata, et gentilium numero auctior in dies Ecclesia Judaismum penitus dedisceret.

XIII. Ad idem genus traditionum apostolicarum pertinet illa, quam Cyprianus Epistola 68. refert de episcoporum electione : « Propter quod, *inquit*, diligenter de traditione divina, et apostolica observatione observandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant; et episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. » Quo in loco notandum illud est, *divinam* hanc appellari *traditionem*, quam apostoli a Deo et Spiritu sancto perdocti, afflatique sanxerunt. Non enim de iis solum mandatum acceperunt, quæ perpetua, et immutabili lege fixa esse deberent, ut sunt Sacramenta, et quæ ad horum *substantiam*, ut vocant, attinent; sed etiam illa didicerunt, quorum aliquanti temporis observatio penes Ecclesiam foret. Nam alia, auctoribus etiam apostolis, atque ipso quoque Domino, constituta sunt ad tempus; quæ contrariis postea institutis abrogata sunt. Cujusmodi videlicet neque Christus ipse, nec apostoli, usum esse sempiternum voluerunt, sed certi ac definiti temporis. Quippe præsente plebe episcopos eligi, nec ubique receptum est, nec ibi, ubi servatum fuit, perpetuo mansit.

Ad extremum de traditionibus istis eximium locum Epiphanii nolim præterire ex Hæresi 61. qui sic habet: « (1) Sed et traditione est utendum. Non enim omnia e Scripturis peti possunt. Idcirco alia scriptis, alia traditione sancti apostoli reliquerunt. Quemadmodum ait sanctus apostolus [2]: *Sicut tradidi vobis*. Et alibi [3]: *Sic doceo, et ita tradidi in Ecclesiis*. » Inter quas traditiones illam numerat: illicitas esse nuptias post castitatem voti sponsione obligatam Deo. Sed de his alio loco agetur.

(1) EPIPH. hær. 61. num. 6. Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι· οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι. Διὸ τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι, ὡς φησὶν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος· ὡς παρέδωκα ὑμῖν. Καὶ ἄλλοτε· οὕτως διδάσκω, καὶ οὕτω παρέδωκα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις.

[1] Cap. 57. et in Adnot. Epiphan. ad Hær. 51.

[2] 1. Cor. 21. 2. — [3] 1. Cor. 15. 3.

CAPUT SECUNDUM.

Presbyteri vocabulum explicatur, quod modo dignitatis est nomen, modo ordinis. Aliud esse, episcopatum et presbyteratum in unam convenire personam; aliud unicum esse ordinem. Ostenditur, utroque modo ex apostolica traditione discerni. Episcoporum singularium successiones Romæ, et in aliis urbibus ex veteribus adstruuntur. Ireñæi locus insignis. Illustratur Apocalypsis locus, ubi angelorum nomine singulares urbium episcopi significantur.

I. His de apostolica traditione, ejusque discrimine paululum explicatis, nunc ad illud venio, cui declarando, et enucleando tota ista superioris capitis oratione viam munivimus. Nobis id propositum fuit ostendere, duos illos ordines, de quibus præcipua controversia est, episcopatum et presbyteratum, tradito ab apostolis more et instituto esse, ac perpetuo fuisse distinctos; certe non unum et eumdem per sese ordinem esse, ex apostolorum usu atque decreto, ut Messaliano Salmasio visum est. Tum vero divino jure ambos esse distinctos; idque vere Tridentinæ auctoritate synodi esse sancitum canone sexto sessionis 23. *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit.*

Verum ut omnis ab hac disputatione nostra ex ambiguitate nominis auferatur error, illud ante omnia sciri necesse est, vocabulum presbyteri, τοῦ πρεσβυτέρου, apud Græcos nonnunquam appellative sumi, alias proprie. Priori modo ætatis vox est, et ex ætate, propagata deinceps usurpatione, dignitatis. Ut enim nomina ista *flavus*, *purpureus*, ex prima impositione, certa colorum genera significant; inde vero per metalepsin universe pro eo omni, quod pulchrum est, accipi solent. Ideo (1) ξανθὸν, *flavum*, *et pulchrum*, *et affabre factum* exponit Hesychius; et *purpureos olores* Horatius dixit, *amorem purpureum* Ovidius; quod idem esse volunt, ac *formosum*. Sic in πρεσβυτέρου voce accidit, ut ab ætatis antecessione ad honoris prærogativam translata sit. Itaque οἱ πρεσβύτεροι apud antiquos non raro illi vocantur, non solum qui ætate, sed etiam qui honore, dignitate, auctoritate, vel honorifica curatione, et præfectura ceteris antecellunt.

II. Commodum ad id, quod dicimus, et singulare habes exemplum apud Clementem Alexandrinum, initio libri septimi Stromateon: « (2) Pretio dignum (inquit de gnostico, id est perfecto Christiano loquens) quidquid excellit, judicat pro merito suo, et honorandum; in sensibilibus quidem principes, et parentes, omnemque seniorem; in iis autem, quæ disciplina constant, antiquissimam philosophiam, et longævitate præstantem prophetiam; in intelligibilibus porro id, quod ortu antecedit, nempe temporis et initii expers principium, ac primitias eorum, quæ sunt, Filium. » At subinde ad ecclesiasticos ordines, et gradus id referens: « (3) Sic etiam, *ait*, in Ecclesia virtutis illius, et efficientiæ, quæ meliores facit, imaginem obtinent presbyteri; administræ vero, diaconi. » Πρεσβύτερον hoc in loco Clemens partim pro ætatis antecessione, partim pro dignitatis excellentia, partim denique pro gradu, et ordine ecclesiastico sumpsit; quo in gradu, episcopos cum simplicibus sacerdotibus, vel presbyteris, miscuit. Nam alioqui distinctos in Ecclesia ordines tres superiore Stromateo posuerat: « (4) Quandoquidem, *ait*, et hic ecclesiastici gradus, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, imitationes quædam sunt, opinor, angelicæ gloriæ, et illius administrationis. » Totidem ecce gradus, ordinesque percenset in Ecclesia, quot Tridentinus canon enumeravit. Nam τῶν διακόνων, id est *ministrorum*, vocabulo reliqui inferiores continentur. Alias vero presbyter certum in Ecclesia ordinem significat, qui secundus est, et ab episcopo proximus, quem

(1) HESYCH. Ξανθὸν, πυῤῥὸν, καλὸν, καὶ εἰργασμένον.

(2) CLEM. Alex. 7. Strom. Τίμιον μὲν οὖν ἅπαν τὸ ὑπερέχον ἡγεῖται κατὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τιμητέον, ἐν μὲν τοῖς αἰσθητοῖς, τοὺς ἀρχόντας, καὶ τοὺς γονεῖς, καὶ πάντα τὸν πρεσβύτερον· ἐν δὲ τοῖς διδακτοῖς, τὴν ἀρχαιοτάτην φιλοσοφίαν, καὶ τὴν πρεσβίστην προφητείαν. Ἐν δὲ τοῖς νοητοῖς, τὸ πρεσβύτερον ἐν γενέσει τὴν ἄχρονον, ἄναρχον, ἀρχήν τε, καὶ ἀπαρχὴν τῶν ὄντων τὸν Υἱόν.

(3) Ibid. Ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν, τὴν μὲν βελτιωτικὴν οἱ πρεσβύτεροι σώζουσιν εἰκόνα, τὴν ὑπηρετικὴν δὲ οἱ διάκονοι.

(4) CLEM. Alex. Strom. 6. pag. 283. edit. Comel. Ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν, προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, μιμήματα, οἶμαι, ἀγγελικῆς δόξης, κἀκείνης τῆς οἰκονομίας τυγχάνουσιν.

simplicem sacerdotem dicimus. Etsi sacerdotis, ac sacerdotii nomen, cum in usu esse cœpit, plerumque primo ordini, id est episcopatui, est attributum; presbyteri vero secundo, quod in antiquis canonibus observavimus.

Eodem modo λειτουργὸς, et διακόνος interdum appellativa nomina sunt, quibus etiam episcopi censentur, ut cum se συλλειτουργοὺς vocant, et συνδιακόνους : alias propria, ut cum ministrorum ac diaconorum ordinem indicant. Quæ differentia ex adjunctis notanda, discernendaque est, ut scias quando proprie, quando appellative, ac generatim vocabula ista sumantur.

III. Jam cum de presbytero hic agimus, eumque cum episcopo componimus, perspicuum est, non priori ac laxa significatione, sed posteriore usurpari a nobis, ac propria. Hoc enim demonstrandum suscipimus, duos in Ecclesia ordines istos fuisse re, et specie, atque officio distinctos; non, ut Messalianus Salmasius cornicatur, unum prorsus eumdemque ordinem ex Christi, et apostolorum instituto, ac traditione fuisse. In quo cavendum illud est, quod cum discernere mediocris prudentiæ sit, abisto tamen litteratore minime est animadversum : ex quo miserandum in modum tota in disputatione sua perturbavit, ac permiscuit omnia; neque quid diceret, aut quid sibi vellet, intellexit. Hoc igitur minime est ignorandum : aliud esse, ordines aliquos dicere re et officio, ac natura sua esse diversos : aliud, in plures personas esse partitos; potest enim unus, idemque diversos habere ordines, nec ideo unus ex ambobus fit ordo. Quemadmodum, etsi *Melchisedech rex* idem erat [1], et *sacerdos Altissimi*, non propterea regia dignitas, et sacerdotium unus idemque gradus aut absolute dici debet, aut etiam in illo ipso, qui utrumque habuit. Alioqui non duas habere diceretur functiones, et officia, vel dignitates duas, sed unam tantummodo, si, uti τοῦ ὑποκειμένου, id est *subjecti*, nulla differentia est, ita graduum esset, dignitatumque nulla. Sed hæc postea pluribus, cum Salmasii gerras excutiemus.

Episcopus nemo est, quin sit presbyter. At multi presbyteri sunt non episcopi. Itaque distinguuntur ordines illi duo, quia unus sine altero consistit, tametsi hic sine illo non possit esse. Sic enim in quinque animalium sensibus visus, et auditus tactum necessario requirunt; at sine ambobus illis tactus esse potest. Quare discrepant invicem, etsi subjectum idem sit omnium.

IV. Hinc quis sit quæstionis, ac controversiæ status, apparet. Id idem inquiritur, non utrum episcopatus, et presbyteratus in unum conveniant adeo, ut τῷ ὑποκειμένῳ, id est *subjecto*, nihil distent; an vero simul esse nequeant. De hoc enim ineptus sit, qui quæstionem aliquam moveat. Itaque non solum in episcopo quovis hodieque coeunt ambo illi ordines; sed etiam sub exordium Christianæ religionis, et Ecclesiæ, aliquanto tempore, et certis in urbibus presbyteri iidem homines erant, et episcopi, ut in primo Dissertationum ecclesiasticarum adversus Trapezitam Salmasium ostendimus. De hoc igitur inter nos contenditur : ecquid voces istæ *episcopatus*, et *presbyteratus*, nomina sint unius ejusdemque ordinis ex apostolica traditione, Christique adeo ipsius instituto; an duo sint ordines natura sua, et officii genere distincti, sive ita separati reperiantur, ut ubi unum est, ibi non sit alterum, sive in eamdem personam concurrant, neque subjecto differant.

Negat cum ejusdem hæresis, sectæque participibus Salmasius, duos a Christo, et apostolis ordines illos in Ecclesia constitutos; sed unum et eumdem esse vult, qui in duos tributus sit post apostolorum obitum, et aliquanto etiam postea, ita ut nemo antea presbyter fuerit, quin idem esset episcopus, non appellatione tantum, sed gradu etiam, et officio, ac munere.

V. Hanc ab Tridentina synodo anathemate damnatam opinionem falsam esse, hac argumentatione conficitur. Si enim unicus, ac simplex ordo, et a Christo apostolis, et ab his Ecclesiæ Christianæ traditus est, qui episcopatus simul et presbyteratus vocaretur, non re, sed appellatione diversus; verum non est, Christum ipsum, vel apostolos, ambos illos ordines distinctos, ac separatos esse voluisse ita, ut non omnis, qui presbyter esset, idem esset episcopus ex eorum institutione. Quod enim natura unum est, et ejusdemmodi, non potest sine sui mutatione, imo interitu, vel in aliam naturam migratione dividi, ac distrahi. Atqui et Christus ipse distinctos istos in Ecclesia ordines esse constituit; et apostolorum tempore, iisque auctoribus, ut natura, et ex sese diversi erant, sic τῷ ὑποκειμένῳ, id est *subjecto*, distincti fuerunt. De apostolorum usu, et ordinatione primo loco dicam : ut inde perveniamus ad alterum, id est Christi voluntate, ac divino jure monstremus, ambos illos a se mutuo esse distractos.

[1] Gen. 14. 18.

Apostolorum ergo tempore, et horum auctoritate duo in Ecclesia ordines fuisse, hoc est non omnes, qui presbyteri erant, fuisse episcopos, sed hos illis gradu, ordine, functione antecessisse; invictum est argumentum, quod ex antistitum, et episcoporum in plerisque civitatibus serie, ac successione ducitur, quam vetustissimi, fideque dignissimi scriptores memoriæ prodiderunt. Negabat hoc Trapezitarum, ac fœneratorum advocatus; idemque nunc Messalianus, et, quod ipsemet profitetur, Aerianus, Waldensis, et Wiclefista Salmasius inficiari pergit. Sed neget, quantum volet; nos apud prudentes, et rectos æstimatores omnino causam obtinebimus. Ac de hujus quidem portentis, et flagitiis mox. Nunc successiones aliquot episcoporum, hoc est singularium per Ecclesias præsulum, et antistitum, jam inde ab apostolorum tempore cœpisse demonstremus iis testibus, contra quos nihil mutire vel impudentia ipsa possit.

VI. Irenæus unus ex antiquissimis Christianorum scriptoribus, et apostolorum propemodum æqualis, in libro tertio, capite tertio, ut hæreticorum dogmatum vanitatem ex novitate refelleret, ad apostolorum traditionem illos provocat; quam ex omnibus illis Ecclesiis, in quibus ab apostolis instituti sunt episcopi, et eorum successoribus, usque ad tempus suum, ait posse repeti : « Traditionem, *inquit*[1], apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire; et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, ut successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quæ seorsim, et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos, et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes. » Ex hoc Irenæi loco, Valdensibus ac Trapezitis omnibus invitis, id quod quærimus, ostenditur : apostolos in pluribus Ecclesiis singulos, qui iis præessent, instituisse episcopos, et successores suos. Et quoniam omnium ex Ecclesiarum tabulis et laterculis episcoporum catalogos describere longum, et odiosum erat, unius Romanæ Sedis episcopos recenset Irenæus, hoc ipsum, quod in Ecclesia principe factum est, in ceteris usuvenisse demonstrans : « Sed quoniam valde longum est, *inquit*, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro, et Paulo Romæ fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. » Subjicit Romanorum Pontificum indiculum a Petro, et Paulo usque ad Eleutherium, quem duodecimum numerat : « Fundantes igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt, etc. Succedit autem ei Anacletus. Post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos apostolos, et contulit cum eis, etc. »

VII. Romanæ igitur Ecclesiæ, ex apostolica traditione, et institutione, præfuerunt singuli moderatores, et pastores, episcopi nomine ac titulo. Quod tam certum est apud Irenæum, quam est ipsa traditio, quam adversus hæreticos adstruebat. Imo manifestior, et notior debuit esse successio, quam traditio; vel, ut aptius loquar, successionis traditio; quam dogmatis et doctrinæ. Utrumque enim traditione constare, Irenæus ostendit. Ut cum doctrinæ traditionem per alteram successionis approbet, evidentiorem hanc, et magis cognitam fuisse, quam illam, necesse sit. Nemo enim, nisi quod clarius, ac liquidius constat, et quod est in confesso apud eum, quicum disputat, ad probandum aliquid adhibet. Nullum itaque de singulorum Ecclesiæ præsidum successione dubium fuit, sed res erat nota omnibus, et comperta. Alioqui ridiculum ex ea ad persuadendum doctrinam argumentum instrueret Irenæus. Quod si verum est, ac non Romæ tantum, sed in reliquis etiam urbibus, auctoribus apostolis, eadem constituta forma est gubernandarum Ecclesiarum; profecto falsum est Salmasii commentum, nonnisi post apostolorum obitum, ac secundo inclinante seculo, suum cuique Ecclesiæ præpositum episcopum fuisse, cum hactenus a pluribus, hoc est toto presbyterio, sive presbyterorum collegio, pari jure ac potestate regerentur. Potestne quidquam manifestius, aut vehementius convinci erroris, ac redargui, quam jocularis hæc fa-

[1] Iren. lib. 3. c. 3.

bula illa ipsa Irenæi narratione refellitur?

VIII. Scribit is, qui apostolorum pene tempore vixit, Irenæus, episcopos in Ecclesiis institutos, eorumque conditas successiones; cujusmodi ad ætatem suam perseverabant ibi, ubi primum collocatæ fuerant. In his successionibus, singillatim post apostolos, unum duntaxat Ecclesiæ præsedisse scribit episcopum; et in unius item mortui locum alterum esse suffectum. Ubi sunt plures illi episcopi simul, et presbyteri æquales omnes, ut appellatione, ita dignitate; e quibus nemo inter alios excelleret, cum « nullus singularis episcopus inter eos » foret[1], « aut singulari auctoritate ceteris præeminens? » Ubi illud est, quod idem scribit Salmasius[2], « Apostolos nullos unquam elegisse singulares episcopos in Ecclesiis, quas condiderunt? » Irenæus ecce « habere se » dicit, « quos annumeret, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad tempora sua. » Quo in loco etiam Polycarpum commemorat, « qui ab apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnæ, Ecclesia constitutus est episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate. » Sed et alios designat, quorum successiones unius post alterum extare dicit in archivis omnium Ecclesiarum; et earum specimen in una præbet Romana, quæ ceteris antecellit. Dubitabit quisquam, utri potius credat, Irenæone, et antiquissimo gravissimoque scriptori, et de iis, quæ præ oculis habebat, ignorare certe minime poterat, tam aperte testimonium ferenti; an Salmasio de iis, quæ neque vidit, neque scit omnino, temere imperiteque garrienti.

IX. Ac ne quis uno isto Irenæo teste niti hanc singularium in Ecclesiis episcoporum successionem putet, et apostolicam de illis traditionem; licet innumeros appellare deinceps, qui eamdem in Romana Ecclesia, ceterisque præsulum seriem memoriæ prodiderunt. Et quamvis in quibusdam episcopis, præsertim Romanis, discrepent, quod alii alios substituant; in eo tamen belle inter se conveniunt, quod proxime post apostolos, singulares Ecclesiarum præsides, et episcopos numerant. Tum quod caput est, et quod assidue adversus imperitos istos, et Σαλμασιοειδεῖς obtrectatores episcopalis nominis intentari debet, tanquam Gorgonis caput; istam ipsam singillatim succedentium sibi episcoporum seriem, validissimum ad convincendas hæreses argumentum esse prædicant: quo sublato, jam languidius, et mollioribus quodammodo lacertis, communis contra hæreticos Ecclesiæ causa propugnatur. Quamobrem quis pro merito castigare possit indoctos illos, et grammaticis furfuribus ad tumorem usque saginatos collibystas; qui, dum singulos Ecclesiis præfuisse primis fere duobus seculis episcopos negant, telum hoc extorquent e manibus catholicæ partis, quo et antiquas omnes confecit hæreses, et identidem nascentes hodieque disturbat, et evertit?

Audiamus vero de hac re disputantem Tertullianum, scriptorem antiquissimum, qui secundo exeunte, et ineunte tertio seculo scripsit. Hic in libro de Præscriptionibus adversus hæreticos, sic de illa successione ubivis episcoporum agit; deque discernendis hac regula traditionibus apostolicis, simillime atque Irenæus. Ita ergo capite 32. « Ceterum si quæ audent interserere se ætati apostolicæ, ut videantur ab apostolis traditæ, quia sub apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut PRIMUS ILLE EPISCOPUS ALIQUEM EX APOSTOLIS, VEL APOSTOLICIS VIRIS, QUI TAMEN CUM APOSTOLIS PERSEVERAVERINT, HABUERIT AUCTOREM, ET ANTECESSOREM. » Satin' illud Tertullianus ostendit, ex apostolica traditione, et ipsis adeo auctoribus et institutoribus apostolis, singulares in Ecclesiis episcopos tum apostolis ipsis, tum sibi deinceps ordine successisse? Quod exemplis ita mox confirmat: « Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; PROINDE UTIQUE ET CETERÆ EXHIBENT, QUOS AB APOSTOLIS IN EPISCOPATUM CONSTITUTOS, APOSTOLICI SEMINIS TRADUCES HABEANT. Confingant tale aliquid hæretici. »

X. Auctor carminum adversus Marcionem, quibus Tertulliani nomen præfigitur, sub finem tertii libri, Romanorum Pontificum catalogum describit a Petro, ejusque successore Lino, usque ad Anicetum, sub quo Marcion hæresim vulgare cœpit. Idem etiam facit Optatus Milevitanus in secundo libro, in quo Donatistas ex illa ipsa successione Romanorum episcoporum arguit. Qua in urbe asserit, « Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum ca-

[1] Salmas. Dissert. pag. 11.

[2] Ibid. pag. 22. et pag. 208.

put Petrus. Cui successit Linus. Lino successit Clemens. » Et sic deinceps ordine singulos usque ad Siricium pertexit.

Sic Epiphanius in Hæresi 27. ubi et Linum Petro successisse dicit; et causam affert, cur Clemens tanto post Petrum intervallo sedem obtinuerit, de quo postea. Et Augustinus Epistola 165. a Petro et Lino ad Anastasium, quo pontifice scribebat, catalogum singularium Romæ episcoporum pertexit.

Eusebius itidem totam historiam suam, istiusmodi successionibus adspersit : « (1) Linum *ait* Romæ post martyrium apostolorum, primum episcopatum esse sortitum. » Et postea[1], Lino mortuo, suffectum Anencletum, (is est Anacletus,) huic Clementem, et ita deinceps. Sic Hierosolymis primum episcopum præsedisse Jacobum ; post hunc Symeonem refert[2]. Alexandriæ primum Marcum; postea Anianum. Antiochiæ primum Evodium, tum Ignatium, ac singillatim deinde reliquos enumerat. Hierosolymitanorum quidem antistitum præcipua diligentia seriem descripsit ex veteribus, ut ait, monumentis ; quos a Jacobo fratre Domini, ad Hadriani usque tempora quindecim computat. Præter quos aliarum insuper episcopos Ecclesiarum identidem commemorat, in sua quaque singularium. Nusquam presbyterorum, vel episcoporum collegium pari in ulla jure, et auctoritate, ac potestate præfuisse significat ; quod profecto faceret, si nullus tot annis, hoc est seculis propemodum duobus, unicus in tot Ecclesiis episcopus administrasset.

XI. Hanc porro episcoporum in Ecclesiis seriem ab Eusebio diligentissime collectam auctoritate sua comprobat Hieronymus, non solum in chronico suo, quod ex Eusebio latine transtulit, sed etiam in aliis libris, maxime in eo, qui est de Scriptoribus ecclesiasticis, ubi complures apostolorum discipulorumve successores Ecclesiis præsedisse narrat. Ut post Marcum[3], Anianum Alexandriæ ; Linum, Petro mortuo[4], Romæ, vel Clementem ; Polycarpum, item[5], « ab Joanne Smyrnæ episcopum ordinatum. » Qui et « sub Antonino Pio imperatore, Ecclesiam in urbe regente Aniceto, Romam venit. » Denique superstitibus ipsis apostolis, atque ab ipsis etiam ordinatos episcopos singulares in eo libro reperies, ut Jacobum fratrem Domini Hierosolymis, de quo postea.

XII. Adjungantur iis deinceps cetera, quæ ex antiquis scriptoribus argumenta petuntur, ac testimonia, quibus illud obtinetur idem: morem in Ecclesia esse vetustissimum, nec aliunde, quam ab apostolorum institutione derivatum, uti singulis Ecclesiis singuli pastores præessent, et episcopi, non autem plures pari jure ac dignitate ; quod Puritani, et eorum assecla Messalianus Salmasius illepido commento finxerunt.

Justinus martyr, qui se anno ab Christi ortu centesimo quinquagesimo Apologiam scribere testatur[6], in eadem hac apologia secunda, cum agit de Christianorum moribus, et Ecclesiæ administratione ac regimine, unum et singularem nominat, quem vocat προεστῶτα τῶν ἀδελφῶν, qui et sacris conventibus præsidet, et curam gerit totius communitatis; quippe apud quem collectæ viritim pecuniæ deponuntur, et qui eas, pro eo atque æquum videtur, in pauperes, orphanos, ac viduas, et causarios dispensat : tum qui omnium necessitate laborantium curam gerit. Verba Justini in capite 6. primi libri Dissertationum reddidimus ; in quibus habes illo seculo, et utique jamdiu ante receptam consuetudinem unius in Ecclesia *præsidentis*. Sic enim Tertullianus eumdem nominat[7], quem Justinus προεστῶτα, et ipse passim alias episcopum. Itaque præcipuas episcopi partes, et munia Justinus ad unum defert *præsidem*, et *moderatorem* Ecclesiæ ; quæ tam interiore ac spiritali, quam exteriore cura et providentia per illa tempora continebantur. Nam et synaxibus, sacrisque conventibus, qui orandi, communicandique causa Dominicis diebus habebantur, ut ibidem Justinus ait[8], solus tum præerat episcopus; et ecclesiastici ærarii, ac pecuniarum distribuendarum summa penes illum potestas erat. Quis igitur non videt, unum et singularem Ecclesiæ tunc episcopum præfuisse?

XIII. De Ignatio locuples testis est Chrysostomus in oratione panegyrica, quam de illius laudibus dixit in illa ipsa urbe Antiochena, cujus episcopus fuerat. Verba illius omitti non debent ; sunt enim luculenta, et expressa. Cum igitur ab episcopali dignitate laudare eum instituisset, « (2) Non solum, *inquit*, quod

(1) Euseb. lib. 3. cap. 2. Τῆς δὲ Ῥωμαίων ἐκκλησίας μετὰ τὴν Παύλου, καὶ Πέτρου μαρτυρίαν, πρῶτος κληροῦται τὴν ἐπισκοπὴν Λῖνος.

(2) Chrys. hom. 70. tom. 5. pag. 499. Οὐ γὰρ μόνον ὅτι τοσαύτης ἀρχῆς ἄξιος εἶναι ἔδειξε, θαυμάζω τὸν ἄνδρα ἐγώ· ἀλλ' ὅτι καὶ παρὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων τὴν ἀρχὴν ταύτην ἐνε-

[1] Eus. l. 3. c. 13. et 14.— [2] Id. l. 2. c. 3.— [3] C. 18.— [4] C. 25. [5] C. 27 — [6] Ap. 2. p 65.— [7] Lib. de Cor. c. 3 — [8] P. 77.

tanto principatu dignus est habitus, hominem admiror; sed etiam quod a sanctis illis iste ipsi principatus commissus est; ac beatorum manus apostolorum sacrum illud contigerunt caput. »

Ac postea eumdem episcopatum Ignatii aliunde prædicat, quod tam amplæ civitati præpositus sit. « (1) Cum enim laboriosum sit vel centum viris, vel etiam quinquaginta præesse; tum vero tam amplam civitatem sibi concreditam habere, ac populum, qui ad ducenta millia capitum pervenit; quantæ virtutis esse putas argumentum, quantæque sapientiæ? » Ac demum post Petrum, ait episcopatum, et ἀρχὴν civitatis illius accepisse. Ex his Chrysostomi verbis constat, singularem Ignatii episcopatum, ac *principatum*, sive *magistratum* (utrumque enim vox ἀρχὴ significat) fuisse. Hieronymus quoque in libro de Scriptoribus ecclesiasticis [1], « Ignatius, *ait*, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum apostolum episcopus. » Hic porro in epistolis suis accuratam et copiosam de episcopis istis mentionem facit, necnon de ceteris ecclesiasticis ordinibus, presbytero, diacono, ac reliquis omnibus. Quinetiam, cum Romam ad supplicium duceretur, scripsit ad Polycarpum Smyrnæ episcopum, « commendans illi Antiochensem Ecclesiam. » Fuit ergo tum unus in Ecclesia episcopus, et a simplici distinctus presbytero.

XIV. Et quamvis Ignatii epistolæ interpolatæ sunt, nec omnino sinceræ ad nos pervenerunt; non sunt tamen ab Ignatio penitus abjudicandæ. Tum, cujuscumque sint, antiquitatis auctoritatisque sat in illis est ad Puritanorum, et in his Salmasii comprimendam hæresim. Hujus enim de epistolis istis tale judicium extat, quo plus nobis, quam aut petebamus, aut illius causæ expedit, ultro ipse concessit [2]. « Epistolæ, *inquit*, natæ, et suppositæ videntur circa initium, aut medium secundi seculi : quo tempore primus singularis episcopatus supra presbyteratum introductus fuit. » Ergo ineunte secundo seculo, quod per illum licet, natas illas epistolas faciamus; certe Joanne adhuc superstite, aut ipso saltem Ignatio, prodierunt. Mortuus enim est Joannes Trajano imperante, anno 68. post passionem Domini, ut testis est Hieronymus [3]. Cœpit autem Trajanus anno duodecentesimo Christi, hoc est exeunte primo, vel secundo ineunte seculo, cujus anno circiter decimo, Christi 108. passus est Ignatius. Itaque cum epistolæ illæ, cujusquemodi sint, tam sint vetustæ, ut fatetur Salmasius; apparet, apostolis adhuc viventibus, morem istum in Ecclesia usu receptum esse Christianorum, unus ut Ecclesiis singulis præesset episcopus, non plurium in iis episcoporum, aut presbyterorum regimen esset, æquali jure ac potestate præditorum. Etenim sic de episcopis, ac totius ecclesiastici negotii gestione, et unius administratione præsulis, epistolæ istæ loquuntur, ut appareat, eam formam non heri, ac nudiustertius introductam fuisse, sed ex antiquo adhibitam, et ab ortu ipso conditæ Religionis, certe ante apostolorum temporis, ac seculi clausulam : quod indocte negat Salmasius, cujus hæc indoles est, ut, quid dicat, nesciat; et, quod primum scripserit, in postremis non animadvertat.

XV. Plurimum quoque ad illam singularium per civitates episcoporum successionem probandam facit Joannis locus ex libro Apocalypsis; ubi ex mandato Christi epistolæ scribuntur ad septem Ecclesiarum angelos, id est episcopos. Quam communem esse sententiam interpretum, dixi in ecclesiasticis Dissertationibus. At Catharus, tanquam scripserim, *omnes interpretes consentire in eam interpretationem*, ita me reprehendit. Atqui non *omnes consentire* dixi; sed *vulgo interpretes consentire :* quod de recentioribus maxime intellexi, qui non aliter exponunt. Sed et antiquiores plerique in idem conspirant. Auctor commentarii in epistolas Pauli, qui Ambrosio tribuitur, aut Hilario, et est vetusti scriptoris, æqualisque Damasi papæ, illud explicans, quod Paulus ait [4], *debere mulierem potestatem habere supra caput propter angelos*, hoc est *velamen;* per angelos episcopos intelligi scribit, *sicut docetur in Apocalypsi Joannis.* Tum qui commentarium scripsit in Apocalypsim, sub ejusdem Ambrosii nomine, septem angelos, *rectores septem Ecclesiarum* interpretatur; adeoque *omnes rectores Ecclesiæ catholicæ* in numero septenario. Subscribunt et Beda, Ru-

χειρίσθη, καὶ αἱ τῶν μακαρίων Ἀποστόλων χεῖρες τῆς ἱερᾶς ἐκείνης ἥψαντο κεφαλῆς.

(1) Id. pag. 501. Ἐπίπονον μὲν γὰρ καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν, καὶ πεντήκοντα προστῆναι μόνον· τὸ δὲ πόλιν ἐγχειρισθῆναι τοσαύτην, καὶ δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας, πόσης ἀρετῆς οἴει, καὶ σοφίας ἀπόδειξιν εἶναι ;

[1] Cap. 26. — [2] Salm. Dissert. cap. 4. pag. 253.

[3] In lib. de Script. cap. 19. — [4] 1. Cor. c. 11.

pertus, Richardus Victorinus, Lyranus, Hugo cardinalis. In quibus etiam Rupertus ex Apocalypsis verbis illis sententiam quamdam elicit dignam, cujus rationem habeat Catharus, et episcopos revereri discat. « Sicut multa, *inquit*, sacræ Scripturæ testimonia, sic et locus iste docet nos non debere præcipitare sententiam super Ecclesiarum angelos, id est episcopos, et super quoscumque gradus ecclesiasticos. » Recte igitur, ac bono sensu angelos illos in Apocalypsi episcopos intelligemus, quo et apud Malachiam vocabulo censentur; et, ut nonnullis placet, etiam ab Apostolo, loco illo citato prioris ad Corinthios.

XVI. Certe Joannes angelos istos ab Ecclesiis aperte discernit, dum istas sub alio schemate, nempe *candelabrorum septem*, exhibet, ut bene Hugo Grotius nuper observavit[1], qui hoc ipsum erudite adstruit, angelos ibi episcopos esse, non Ecclesias ipsas. Sane qui angelos ibidem pro Ecclesiis acceperunt, occasionem ab veteribus illis sumpsisse videntur, qui angelos hominum attributos custodiæ, etiamnum sub incerto pendere putarunt suæ salutis exitu; ac pro eo, atque officio suo functi erunt, ita præmium, aut pœnam reportaturos. De quo Origenis errore, quem et magni quidam, et catholici doctores expresserunt, diximus alibi[2]; meminitque Hieronymus in commentariis ad Michæam prophetam[3], ubi in Apocalypsi diserte significari angelos ait. Quo Origenis animadverso rejectoque errore, ceteri sic pristinam illam Origenis interpretationem secuti sunt, ut in angelorum persona Ecclesias illorum tutelæ creditas significari dicerent, ne beatas illas mentes in criminis invidiam, ac salutis æternæ discrimen vocarent. Non leve itaque videri debet argumentum ad singularium Ecclesiæ præsidum fidem, quod ex illo Joannis testimonio ducitur; nec unius Andreæ pluris auctoritas fieri debet ab cordato, et non vano rerum æstimatore, quam tot eruditorum, et antiquiorum illo ipso Joannis interpretum. Referantur ad ejusdem instituti probationem argumenta itidem alia ex historiis, ac veterum deprompta monimentis; ut sunt apostolorum Canones, quos antiquissimos esse nemo non agnoscit. Clementis etiam Constitutiones, et alia, quæ in primo libro Dissertationum adversus Trapezitam adduximus. Atqui qualescumque tandem auctores isti sunt, ejurare istos Catharo non licet. Nam ex illis maximam Circensis pompæ suæ partem instruit, ac totus ex apocryphis Clementis, aliorumque pendet; quod ei illic objecimus, et in novissima dissertatione perinde hunc instituisse postea monstrabimus. Quippe præcipuum robur opinionis novæ in incertorum, dubiæque fidei scriptorum, ac multo, quam superiores isti sunt, recentiorum testimonio et auctoritate statuit; quod, ut dixi, postea declarabitur.

CAPUT TERTIUM.

Colligitur ex antecedentium doctrina capitum, distinctos esse ordines duos, episcopatum, et presbyteratum, divina, et apostolica traditione. Et agitur de divina traditione, cujusmodi ea sit. Commemorantur hujus aliquot exempla. Sacramentorum institutionem divini esse juris, et inter hæc Ordinationem, maxime ex Augustino probatur. Nulli unquam presbytero licuisse sacramentum Ordinis conferre. Sed nec posse. Quid vox δυνατικῶς significet, deque ea inscitia Salmasii.

I. Omni superiorum disputatione capitum actum illud est, ut hanc esse sciremus apostolicam traditionem; adeoque Christi ex voluntate, præscriptoque manantem; ut penes singulos pastores, et episcopos summa esset in unaquaque Ecclesia juris ac potestatis: et inter hos ac simplices presbyteros discrimen esset ex eadem et divina, et apostolica auctoritate descendens. Hujus argumentationis informanda nunc, et pressius enucleanda ratio; quod ex antecedentibus perfacile nobis erit, dummodo unum illud animo retineatur discernendæ apostolicæ traditionis κριτήριον ex Augustino allatum[4]: *Id auctoritate apostolica traditum rectissime credi, quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed*

[1] In Voto pro pace con Riv. Art. 7.— [2] Lib. 2. de Ang. c. 6. [3] Ad c. 1. Mich. ver. 1.— [4] Lib. 4. de Bap. con. Don. c. 26.

semper retentum est. Hujusmodi enim est ritus ille, de quo agimus, ut singulis Ecclesiis unus præficiatur episcopus, idemque sit a presbytero simplici distinctus. Siquidem, cum hanc regulam præscriberet Augustinus, universa illud Ecclesia tenebat, ac tribus jam ante seculis tenere cœperat, ut Salmasius cum Puritanis fatetur. Ut autem ex nostra disputatione constat, etiam primo id seculo, et sub apostolis usitatum erat. Neque porro concilium ullum proferre possunt, in quo illud primum constitutum fuerit. Quare inter apostolicas traditiones ex Augustini definitione censebitur.

Atque, ut in primo capite animadvertimus, etsi proximo post Christi mortem tempore paulo aliter usurpatum sit; ac plures in Ecclesiis sub presbyteri vocabulo ordinati sint episcopi; nihil hoc tamen traditioni illi nostræ derogare potest, quominus apostolica judicetur. Quemadmodum, neque baptismi forma, qua Ecclesia modo omnis utitur, ideo non ex apostolica auctoritate proficiscitur, quod in solo Christi nomine aliquando baptismus processerit; neque reliqua instituta, quæ apostolicæ traditioni Basilius, et Augustinus, ceterique Patres vindicant, eo minus ab apostolis derivata esse creduntur, quod non ubique initio, nec ab omnibus admissa sunt. Satis enim illud est, quod a plerisque primum observata fuerint; tum, procedente tempore, communem ad usum Christianæ totius Ecclesiæ pervaserint; cum et illud accedit, nullo ut in concilio primitus ita esse constitutum appareat.

II. Quod si ullus est in Ecclesia ritus, aut ullum agendi sentiendique præscriptum, in quod apostolicæ traditionis Augustiniana illa formula congruat, tale profecto istud est ipsum, de quo hic a nobis agitur. Nam ex quo Christianum in populum introductum est, uti singulis Ecclesiis singuli attribuerentur episcopi, et a simplicibus presbyteris distincti haberentur, sine ulla deinceps varietate, summaque constantia servatum est, nec ad pristinum illum qualemcumque, et quamlibet usitatum initio morem amplius redierunt. Ex quo vincimus, alterum hunc usum plurium in una Ecclesia creandorum episcoporum, traditionis, hoc est legis, et instituti apostolici non fuisse, quia non semper est retentus. Retineretur autem proculdubio, si ita deinceps faciendum esse auctores fuissent apostoli, itaque tradidissent; imo si non contrario modo, id est eo, qui deinceps obtinuit, et qui ad hodiernum usque tempus perseverat, instituissent fieri.

Etenim, si ex apostolica traditione unus, idemque est ordo presbyteratus cum episcopatu, cur tot seculis, quot a primo hucusque transacta sunt, perpetuo distinctus, ac divisus est? Cur non antiquum illum, et apostolicum, eoque præstantiorem ritum Christiana repetiit Ecclesia? Cur non plures, ut olim, episcopi, iidemque presbyteri, pari jure, et potestate in Ecclesiis deinceps ordinati fuerunt? Cur ad unum, singularemque præsidem tam constanter, ac severe cura est illarum, administratioque redacta? Cur denique soli, qui nunc vocantur episcopi, episcopos, ac presbyteros simplices semper ordinarunt, consecraruntque; non idem et presbyteri fecerunt, possuntve facere?

III. Sensim ad id nos disputatio ista perduxit, quod capitis initio probandum sumpseram : non solum apostolica traditione, hoc est humana auctoritate, diversos ambos illos esse ordines, sed etiam divina, et ab Christo ipso constituta. Quod synodus Tridentina canone illo sexto sessionis 23. decrevit, in quo statuit, *In Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris.* Hoc ut vere, meritoque sanxisse synodum constet; age definiatur imprimis, cujusmodi sit hoc, quod jure ac traditione divina institutum habetur; quæque sint ad hoc discernendum notæ propriæ. Non enim in Scripturis expresse omnia continentur, quæ pro divinis traditionibus admittunt etiam adversarii, et ad salutem necessariis. Baptismus ecce parvulorum, sine quo sempiterna morte perire, et quo percepto vitam, ac cœleste regnum assequi creduntur, non humanæ, sed divinæ auctoritatis est traditio, ut ex Augustino supra demonstravimus; quæ tamen nulla in Scriptura concipitur. Aquam item ad sacramentum esse baptismi necessariam, si Calvinum, Bucerum, et illius sectæ complures audimus, ex Scriptura non liquet. Qui enim disertus ad eam sententiam videtur in Joannis Evangelio locus[1], *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu, non potest introire in regnum Dei :* vel de sacramento ipso baptismi nullo modo intelligendus est, sed de interiori, ac spiritali renovatione, ut ambo illi sentiunt, quos nominavi, hæresis antesignani; vel, ut Bezæ placet, peræque probabiliter aliorsum trahi,

[1] Joan. 3. 5.

quam ad Sacramentum potest. Itaque apud illos inter ἀγράφους ista censeri debet, et utique divinas, tantæ rei, tamque necessariæ traditio.

IV. Quapropter, si est aliqua, ut esse debet, divinæ ab humana discernendæ traditionis regula, hujusmodi sit, opinor, ut hoc divini juris putetur, quod perpetuo servare necesse est, nec immutare licet Ecclesiæ; qualia sunt illa, quæ ad Sacramentorum substantiam, ut vocant, attinent. Unde Tridentini Patres statuerunt [1], *Sacramenta novæ legis omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta.* Et Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana, capite nono, Sacramenta novæ legis «ipsum Dominum, et apostolicam tradidisse disciplinam» asserit; et in libro de vera Religione [2] «ab ipsa Dei sapientia, homine assumpto, pauca Sacramenta saluberrime constituta» esse dicit; quod et in epistola 118. sub initium docet. Ac si quis Sacramentorum naturam, definitionemque spectet, tam quæ ab Catholicis, quam quæ ab hæreticorum magistris traditur, intelliget, nullum sine divina ordinatione Sacramentum esse legis novæ; quoniam cum externo illo signo, quod Sacramentum dicitur, conjuncta debet esse gratiæ promissio, cujus certam fidem facere humana auctoritas non potest, neque pro arbitrio, ac quibus volet cæremoniis eam alligare, ac velut obsignare; quod unius est Christi. De quo alias plura, si Dominus concesserit. Nunc illud suminus, quæcumque ad Sacramentorum substantiam pertinent, divino jure, ac traditione constare, sive scripto ea comprehensa sit, sive absque scripto a majoribus accepta.

V. Est autem inter novæ legis Sacramenta ritus ille numerandus, quem Græci χειροτονίαν, Latini *ordinationem*, vel *ordinem* vocant. Quod quidem non tacita solum, et ἀγράφῳ traditione, sed perscripta insuper auctoritate constat. Fit enim in Scripturis mentio χειροτονίας, sive impositionis manuum, ad ordinandos Ecclesiæ ministros, cui, tanquam effectum, cœlestis gratia subjungitur. Ut in posteriori ad Timotheum [3] : *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et in prima epistola [4] : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Nec ignorare licet iis, qui in veterum lectione tam Conciliorum, quam Patrum aliquid operæ collocarunt, persuasum hoc illis fuisse, tum ordinatione et impositione manuum cœlestem evocari gratiam, tum unum hoc esse de legis novæ Sacramentis; quod suo a nobis loco plenius explicabitur. Nunc Augustino fere uno contenti erimus, qui hoc adversus Donatistas, et aliis in libris sæpe demonstrat; necnon illud, quod ad negotium nostrum summe pertinet : hoc Sacramentum, quando semel collatum est, repeti non debere; ac sive quis in Ecclesia catholica ordinatus ad hæreticos desciscat, indeque ad catholicam redeat; sive ab hæreticis episcopis ordinatus ex hæretico fiat catholicus, non ordinandum esse denuo. In libro de Bono conjugali, capite 24. «Si fiat, *inquit*, ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente.» Et in secundo libro contra epistolam Parmeniani, capite 13. sacramentum Ordinis cum baptismo comparat : «Utrumque, *ait*, Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur. Ideoque in catholica utrumque non licet iterari. Nam, si quando ex ipsa parte (nempe Donati) venientes etiam præpositi pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt; et si visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursum ordinandi : sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra.» Idem docet et in primo libro de baptismo contra Donatistas, capite primo. Accedat etiam Augustino comes Ambrosius, qui de episcopali ordinatione nominatim docet, per eam gratiam divinitus esse tributam [5]. «Quis dat, frater, *inquit*, episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manum; Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram; et Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem; et Deus tribuit dignitatem.»

VI. Ex his vero certissimum argumentum efficitur, non minus ordinationis sacramentum, quam baptismi, divini juris ac traditionis esse divinæ, non apostolicæ tantum, id est humanæ. Non enim per se, ac sine Dei præcepto, possunt homines ritum aliquem insti-

[1] Sess. 7. can. 1. — [2] Cap. 17. — [3] 2. Tim. 1. 6.

[4] 1. Tim. 4. 14. — [5] Ambr. lib. de Sacer. dig. cap. 5.

tuere, qui gratiam et spiritualem quampiam qualitatem, et effectum in animum trajiciat, cujusmodi legis novæ Sacramenta conferunt. Neque si humani duntaxat instituti cæremonia hæc esset, atque ex hominum penderet arbitrio, nefas duceretur eamdem iterare sæpius; aut qui id faciendum putarent, hæretici judicarentur. Sed nec rata hæreticorum haberetur ordinatio; quin iteranda potius censeretur, si ex sola Ecclesiæ catholicæ auctoritate venisset. Non enim pro potestate facere illa potest, ut a quocumque, et cujusquemodi homini traditum Sacramentum nihilominus validum sit, et quod vult in ejus anima perficiat.

VII. Hoc velut jacto fundamento, manifestum jam erit illud, cujus gratia notata ista sunt : episcopatum et presbyteratum, ex voluntate Christi, ac divino jure, distinctos esse ordines; non, ut Messalianus Trapezita censet, unum et eumdem. Cum enim ordines ecclesiastici nonnisi ex institutione Christi manaverint, nec humanæ potestatis, jurisdictionisque sint, non potuit ab Ecclesia natura illorum et essentia mutari, aut in ea quidquam innovari; sed quod divinitus traditum est, id immotum esse debet, ac perpetuum. Sic enim Augustinus Epistola 118. docet, etsi Christus post cœnam Sacramentum corporis sui, et sanguinis instituerit; non id tamen eadem hora celebrari jussisse. «Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset.» Ac quemadmodum sacrorum ordinum augere numerum, hoc est ad tres illos hierarchicos, quos antiqua concilia, et ea secutum novissime Tridentinum nominat, *episcopum, presbyterum, et ministrum*, novum quempiam nefas est addere; sic ex illis unum decerpere, et hierarchiam mutilare non licet; ac neque ex duobus unum facere, neque duos ex uno.

VIII. Quamobrem si divinitus Ecclesiæ unus est ordo traditus, si nulla, præterquam appellationis, in eo diversitas fuit; non eum potuit Ecclesia distrahere in duos, ac discerpere; neque, quod illi insitum est jure divino, ac velut οὐσιῶδες, eripere. Presbyteratus, ut Catharis, et eorum uni Salmasio videtur, ex divina sanctione, idem atque episcopatus est; hujus porro illud est proprium, ut χειροτονία, hoc est *impositione manus* presbyteros consecrare possit; « qui Christi corpus sacro ore conficiant, » ut scribit Hieronymus [1]. Quidni ergo tales étiam, si velit, ordinare, hoc est presbyteros presbyter consecrare poterit? Atque ut episcopus, quamvis ejectus ab Ecclesia, et omni communione sacrorum, atque ordinandi adeo jure ac potestate spoliatus, si cui manus contra fas imposuerit, eum presbyterum facit: nec iste, si ad catholicam redeat, ordinatur iterum, sed ratum id habetur, quod contra leges, et extra Ecclesiam accepit; ejusque non alia reddi causa potest, nisi illa, quam dixi, quod divino jure tributa sit episcopis ordinandi presbyteri potestas, perinde ut huic Dominici conficiendi corporis: quæ potestas utraque nullis obliterari criminibus, nec humano arbitrio possit auferri. Sic presbyter, quatenus idem est, atque episcopus, vel injussu majorum, quos libitum erit, faciet episcopos; et quoscumque fecerit, veri habebuntur episcopi ac presbyteri, quibus sine sacrilegio manus nemo rursus imponat. Hoc ex illa Catharorum doctrina, si est vera, consequens esse debet. Atqui falsum istud est, et ab Ecclesiæ usu, ac moribus alienum et absonum, non hodiernæ tantum, sed etiam antiquæ. Nam utraque in presbytero simplici potestatem novit esse nullam ordinandi, ac per impositionem manuum presbyteros, vel episcopos creandi. Utraque solis hoc episcopis intelligit esse concessum; ac non modo illicitam et flagitiosam ordinationem illam esse, quæ a presbytero facta est, sed etiam irritam, ac nullam.

IX. Unus est Ancyranus canon 13. quo ejusmodi aliquid usurpasse presbyteros videri possit, cum id ne fiat, interdictum ibi fuerit, nisi episcopi concessu. Sed de eo canone plenius agetur postea. Nunc illic hæreo, hoc sum contentus uno: antiquissimis, eruditissimisque Patribus, quorum summa in Ecclesiæ, fideique rebus ac controversiis auctoritas esse debet, visum esse, solis ab episcopis episcopos, ac presbyteros ordinari posse; a presbyteris neutiquam posse. Non posse vero propterea, quod jure, ac faciendi potestate isti careant, qui nonnisi presbyteri sunt; soli autem habeant, qui episcopi simul, et presbyteri sunt.

Epiphanius in hæresi Aerii, magni cujusdam nebulonis, quem Cathari, et Salmasii auctorem sibi ac patriarcham inscribunt, episcopi ab presbytero discrimen in eo ponit, « (1) quod episcopi ordo vim gignendorum pa-

[1] Ep. 1. col. 5.

(1) EPIPH. hær. 65. num. 4. Ἡ μὲν γὰρ Πατέρων ἐστὶ γεννητικὴ τάξις. Πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ· ἡ δὲ Πατέρας

trum habeat ; nam patres Ecclesiæ generat. At presbyteratus, cum patres generare nequeat, per regenerationis lavacrum filios gignit Ecclesiæ, non patres, aut doctores. Et vero qui tandem presbyterum constituat, qui ad ordinandum impositionem manuum non habeat? » Negat Epiphanius, presbyterum posse ordinare presbyteros ; quia vi et potestate caret. Id enim vox γεννητικὴ significat, quæ est δυνητικὴ, hoc est *potentialis ;* tum aperte τάξιν illam ait esse μὴ δυναμένην, hoc est *carentem potestate* procreandorum patrum, qui sunt presbyteri ; quia non habent χειροθεσίαν, id est *manuum impositionem*, quæ sola potestatem istam tribuit.

X. Idem Chrysostomus, Græcique ceteri testantur, quos in Dissertatione citavimus [1]. Siquidem presbyteros eadem cum episcopis appellatione censeri apud Apostolum putant hac una de causa, « (1) quod presbyteri episcopos non ordinant. » Paulus vero Timotheum per impositionem manuum presbyterii scribit episcopum esse factum. Atque hoc ipsum Hieronymi quoque testimonio probavimus [2], qui presbyteros indicat ordinandi potestate caruisse, cum ita scribit : « Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? » Nam illud *faciat* δυνητικῶς accipiendum esse ibi demonstravimus, ut idem sit, ac *quod non possit facere.* Itaque omnia, quæ ab episcopo fiunt, presbyter facere potest, auctore Hieronymo ; ordinationem facere non potest. Sic autem et δυνητικῶς verbum illud est conceptum ; et in presbytero potestatem ordinandi esse nullam docuit Hieronymus : quomodo utrumque Chrysostomus homilia prima in epistolam ad Philippenses complexus est iis verbis, quibus eadem, quam proxime ante posui, ratione colligit, presbyteros a Paulo pro episcopis usurpari. « (2) Non enim, *ait*, presbyteri episcopum ordinassent. » Nempe de eo loquitur, quod ad Timotheum scribens dicit Apostolus, illam gratiam accepisse per impositionem manuum presbyterii, de quo supra mentionem fecimus. Οὐκ ἂν ἐχειροτόνησαν, ait, hoc est *non possent ordinare.* Etenim particula ἂν solet a Græcis accipi δυνητικῶς, ut in calce libri quarti Grammaticæ loquitur Gaza. Et Gregorius Lecapenus in libro de Syntaxi : Ὅ, τε ἄν, inquit, δυνητικὸς καλούμενος, hoc est *particula* ἄν, quæ potentialis vocatur. Ubi et appellationis causam reddit sic : « (3) Potentialis autem ideo vocatur, quoniam constructio ejus transfertur in hoc, quod est posse ; velut dicerem quidem, pro eo quod est, possem dicere ; scriberem, pro eo quod est, possem scribere. » Hæc nos olim tirones in scholis grammaticis didicimus ; in quibus tamen peregrinatur grammaticorum columen Catharus Salmasius ; ut hoc etiam pro magno errato nobis objecerit, et, « An δυνητικῶς græcum sit, *inquit* [3], videat grammaticus. » Quid magni in istis litteris expectes homine ab illo, qui τὸ δυνητικῶς græcum an sit, adhuc nesciat ? Atqui præter Græcos istos duos, Græcanicæ linguæ peritissimi totidem, Budæus in commentariis, et in Thesauro Stephanus eam vocem usurpant. Puderet in vulgaribus istis vel obiter insistere, si ea talibus ingeniis, quibuscum conflictamur, ita ut sunt, trita essent, et vulgaria.

XI. Sed eo revertor. Cum igitur ordinandi potestas ex divina institutione manarit, jurisque sit divini, non ecclesiastici, et, ut vocant, *positivi ;* manifestum est, nec ab homine dari, nec ab eodem auferri potuisse. Usus quidem illius, et exercitium supprimi, interdicique potest ; ut sine grandi scelere aliquid attingere proprium Ordinis nequeat : ut cum ab sacro ministerio suspenditur, aut excommunicatur quispiam. Sed si nihilominus perseveret ea quæ sunt Ordinis, ac potestatis exequi suæ, (quæ quidem aliunde non pendent, ut est jurisdictio ad quædam sacerdotii præstanda munera necessaria,) quanquam impie ac nefarie fecerit, ratum tamen erit quidquid ab eo gestum sit, ut de baptismo, et ordinatione ab hæreticis vel excommunicatis accepta supra demonstravimus. Quocirca si presbytero, qua presbyter est, non ut episcopus est, convenit ordinare presbyteros, aut episcopos ; nec aliunde, quam a Deo, derivari jus illud potuerit ; nulla humana, id est ecclesiastica auctoritas efficere potest, quin reipsa, si velit, episcopos et presbyteros ordinet : quemadmodum et Dominicum corpus consecrare potest,

μὴ δυναμένη γεννᾶν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὲν Πατέρας, ἢ διδασκάλους. Καὶ πῶς οἷόν τε ἦν πρεσβύτερον καθιστᾶν, μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν ;

(1) CHRYS. hom. 13. in 1. ad Tim. ad cap. 4. 14. Οὐ γὰρ δὲ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν.

(2) CHRYSOST. pag. 5. Οὐκ ἂν δὲ πρεσβύτεροι ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησαν.

(3) LECAPEN. Δυνητικὸς δὲ λέγεται, ἐπειδὴ ἡ σύνταξις εἰς τὸ δύνασθαι μεταφέρεται· οἷον ἔλεγον ἄν, ἀντὶ τοῦ ἠδυνάμην λέγειν· ἔγραψα ἄν, ἀντὶ τοῦ, ἠδυνάμην γράψαι.

[1] Lib. 1. cap. 1. 2. et seq. — [2] Lib. 1. Dissert. cap. 3.

[3] Salm. Dissert. c. 5. p. 290.

invitis ac repugnantibus legibus, hæreticus, aut ab gradu suo, vel Ecclesia segregatus presbyter. Atqui infandum, inauditumque est Christianis auribus, presbyterum simplicem ordinare episcopum, imo etiam presbyterum posse ; aut si id sacrilege tentarit, pro episcopo, vel presbytero hunc haberi, qui ab illo impositionem manuum acceperit. Quod invictum argumentum causæ est catholicæ , dogmatisque, cui contra Catharos modo patrocinamur ; ut ex eo constet, non eumdem ordinem ex instituto esse Christi, episcopatum, et presbyteratum. De quo quæ Salmasii in nugacissima dissertatione sit opinio, plenius deinceps exponendum videtur, et illius falsa absurdaque decreta in lucem proferenda : quod in capitibus sequentibus faciam.

CAPUT QUARTUM.

Quatenus in unam, eamdemque personam ordines duo, episcopatus et presbyteratus, concurrerint ; nihilominus ex se distingui. Quid sit ratione, et subjecto differre. Cathari Trapezitæ inscitia ; qui ista capere non potuit. Ejusdem inepta calumnia.

I. Quæ ut ab Aerianis olim, sic a Catharis, et Calvinianis afferuntur hodie Scripturæ loca, quibus unus, et idem esse cum episcopatu presbyteratus asseri videtur ; ea sunt a nobis exposita primo in libro Dissertationum ecclesiasticarum. Ubi eo res demum disputando perducta est, eosdem ut initio episcopos, ac presbyteros factos esse constaret, hoc est in eamdem personam concurrisse ambos illos gradus, et ordines ; sed diversos nihilominus habitos esse, ac tum superstitibus apostolis ipsis quibusdam in Ecclesiis, tum ubique post eorum obitum, personis etiam fuisse distractos. Quam conciliandi rationem, nec abhorrentem ab sacris litteris, et antiquis consentaneam Patribus, ac Conciliis, et Ecclesiæ catholicæ usui, ac dogmati congruentem, Catharo Salmasio non probamus. Neque hoc valde miramur, aut vero curandum ducimus. Quid enim rectum placere homini isti potest, quem vel amicissimi, et eruditionis ejus calidissimi fautores nunquam sine judicii exceptione laudare solent ? Ego vero communem etiam plerumque sensum illius in scriptis requiro ; maxime autem in illa dissertatione de episcopis, ac presbyteris, quam contra me novissime in lucem edidit. Quæ nihil, præter tumultuariam, et inconditam habet congeriem, nulla methodo atque ordine digestam, dum idem sæpius revocat, ac versat, et ad satietatem usque lectoris ac fastidium inculcat. Inter has inanes, ac morosas repetitiones ingens, pro argumenti et quæstionis modulo, libri moles exaggerata est, quam paucis dissertationum nostrarum paginis reposuit. Sic enim par erat usuræ patronum, ac laudatorem facere, ut in respondendo proprium aliquod illius specimen daret. Unica porro inexhaustæ loquacitatis hujus causa illi fuit ea , quam dixi, communis judicii ac sensus inopia, quod rem unam nec valde difficilem, et in vulgari usu doctrinæ positam capere nondum potuit ; quod *idem* dicimus non uno usurpari modo, sed aliud esse τῷ ὑποκειμένῳ idem, aliud τῷ λόγῳ. De quo nihil hic dicerem, quoniam usitata res est, et in primis dialecticæ rudimentis traditur. Sed cogit ejus, quicum negotium mihi est, infantia paululum ad elementa ista regredi ; maxime cum magnam partem dissertationis isti pepererit differentiæ illius inscitia.

II. Ut igitur plebeium quamvis ad captum sermonem nostrum comparem, utar exemplo facili, atque in conspectu ipso posito ; quo res tota declaretur. Episcopatus sic idem est cum presbyteratu, quomodo rationalis anima idem est cum sentiente, ac vegetante. Nam hæ tres animæ sunt, et invicem distinctæ ; sed τῷ λόγῳ, non τῷ ὑποκειμένῳ, hoc est *ratione*, non *subjecto*. Etenim natura, et essentia ac definitione, tum etiam actione differunt ; tametsi in una eademque forma hominis, omnes ; duæ in brutis insunt ; neque *subjecto* separantur. Ac rationalis quidem nunquam a duabus aliis separata consistit, ut nec a vegetante sensibilis ; sola vegetans sine duabus reliquis, in stirpibus, et humo satis cernitur. Animas cum dico tres,

non sic accipi volo, tanquam formæ sint tres, quæ velut partes totidem in homine coalescant, ex iisque duæ sint in brutis : una quippe, ac simplex in homine forma est ; sed ἐπινοίᾳ, ut græci Patres loqui consueverunt, quod idem est ac λόγῳ, sunt ista distincta. Eodem modo in episcopo, tanquam summo hierarcha, ut ait Dionysius, potestate, et eminentia quadam virtutis inferiores omnes continentur ordines, presbyteratus, diaconatus, et ceteri ; in presbytero diaconatus una cum reliquis : itaque deinceps minores in majoribus. Sed ex eo diversos illos esse cognoscimus, quod inferiores seorsim, et a majoribus divulsi reperiuntur. Sane hæc vulgaria sunt, et nemo adeo est hebes, cujus ista captum superent. Et tamen acutus criticus nunquam intelligere hoc potuit, nec in animum suum demittere, episcopatum a presbyteratu distinctum esse ordinem ; eo quod in unam, eamdemque personam, hoc est τὸ ὑποκείμενον idem, ambos illos convenire cerneret.

III. Hinc stulta illa querela tum initio libri, tum deinceps repetita sæpius cum puerili insultatione, ac convicio ; quod cum Scriptura, nobis assentientibus, sæpe eosdem fuisse episcopos, et presbyteros doceat, multique hoc idem Patrum probent ; tamen non eosdem fuisse putemus episcopos, et presbyteros. In quo subdolus Trapezita sententiam nostram adulterare est ausus, et, inserta particula, falsum quiddam nobis affingere ; contra quod tota in dissertatione contendit, *in incertum pugnans, et quasi aerem verberans.* Vide enim hominis astutiam. Sic iste ratiocinari me dicit [1] : « Scriptura sacra docet multis locis, eosdem fuisse episcopos et presbyteros. Multi Patrum, et inter eos Hieronymus hoc probant. Ergo non iidem ii fuere episcopi, et presbyteri. » Hoc portentum argumentationis non diserte quidem alicubi struxisse me, quantum arbitror, intelligit, nisi aperte mentiri velit. Verumtamen meis ex dictis confici probat, quorum alterum est pagina 14. alterum 47. libri primi Dissertationum mearum. Priore in loco scripsi : « Presbyteros nonnunquam episcopos veros dictos esse, et in eadem civitate plures extitisse. » In posteriore, « Magnum ab antiquis usque Ecclesiæ temporibus discrimen intercessisse episcopos inter et presbyteros ; nec indoctius quidquam, absurdiusque ista esse fabula, quam cum veteribus illis, et hodiernis hæreseon architectis Trapezitici operis scriptor est amplexus : eosdem olim cum appellatione ipsa, tum re, atque ordine presbyteros, et episcopos fuisse. » Hæc nactus ille mirificas tragœdias excitavit, et in me contumelias, ac maledicta conjecit homine indigna polito, et auctore suo digna ; qui ad Trapeziticam et fœnebrem artem, illam insuper adjecit obtrectandi, et conviciandi, in qua singularem exercitatione assidua sibi peritiam comparavit. Sed ut hæc impune per me habeat, (nec enim irasci eo illi nomine debeo, quod me cum orthodoxa Ecclesia, cum Romanis pontificibus, cum piis et catholicis omnibus ad eamdem designavit odii acerbitatem et invidiæ,) de re ipsa disputabo ; et imperitum pariter, atque impudentem calumniatorem in eo ipso, in quo tam atrociter in me est invectus, rebus illum addicam certissimis.

IV. Nam quid isto fieri potest absurdius, qui ex duabus illis, quas attulit, sententiis nostris, quas secum repugnantes et contrarias esse credidit, non animadvertit quemadmodum usurpata prior a nobis esset ; sed temere, quod nesciebat, injusteque reprehendit ? Etenim in capite illo primo varias interpretum Pauli sententias enumerare, ac perpendere singulas instituerat, et quid e singulis consequens esset, summatim colligere. Hoc cum in Chrysostomi, OEcumenii, ac Theophylacti interpretatione facerem, propositis quibusdam, quæ illis adversari videbantur, Actorum, et Apostoli locis, ex his sic adversus eosdem conclusi : « Igitur presbyteri nonnunquam episcopi veri dicti sunt, et in eadem civitate plures extiterunt. » Hæc vox *igitur*, non quid mea ratione, ac judicio constitutum sit, sed quid ex illis, quæ percensueram, locis Apostoli sequi videbatur, ostendit. Nondum enim, quid ego sentirem, explicaveram ; quod in sequenti feci capite, ubi quæstionem propositam demum ita dissolvi : sub ipsa Christianismi primordia in quibusdam civitatibus plures fuisse, qui episcopi pariter erant, et presbyteri. Quod tamen perbrevi tempore, nec ubique receptum fuisse, firmissimis argumentis et invictis probavi ; maxime ex episcoporum singularium successione, quam in plerisque urbibus jam tum ab apostolis extitisse, antiquissimi auctores referunt. Huic autem assertioni, quam ibi, unde ille sumpsit quod calumniaretur, nondum obfirmaveram, non est contraria altera, quam ex tertio capite subjecit, in quo falsos esse dixi, qui eosdem olim fuisse dicebant episcopos et presbyteros. Quam meam sententiam priori, ut putabat, contra-

[1] Salm. Dissert p. 5. et 6.

riam ita concepit, ut malitiose voculam insereret, ex qua conflictus ille sequeretur. Sic enim dixisse me ait : *Ergo non iidem ii fuere episcopi et presbyteri.* Quos ita designat, *ii episcopi et presbyteri ;* sunt, quos ex Scripturis eosdem fuisse colligebam : hoc est personas easdem, in quas cum presbyteratu collatus erat episcopatus. Hos ergo eosdem episcopos et presbyteros dixi fuisse ; nec alibi negavi, cum scripsi falli eos, qui eosdem presbyteros et episcopos olim fuisse dicebant. Non dixi *eos* presbyteros, et episcopos, hoc est quos antea commemoraveram ex Actis, et epistolis Pauli, qui Mileti, et Ephesi, et iis in locis erant, qui ibi nominantur ; ita enim contraria dixissem. Verum universe presbyteros et episcopos docui, non eosdem olim extitisse, hoc est presbyteratum et episcopatum. Quem sensum mea præ se verba perspicue ferunt : *Non eosdem olim cum appellatione ipsa, tum re atque ordine presbyteros et episcopos fuisse.* Quod adversus Catharos et Trapezitas dixeram, qui unum tantummodo Ordinem esse volunt, et ab initio fuisse. Ego vero ordines semper duos fuisse pugnabam, ratione ac natura distinctos, etsi interdum τῷ ὑποκειμένῳ minime differrent, quod in uno, et eodem homine convenirent.

V. Sic enim ea res habet, ac si uno in loco dicerem, genus quoddam animantis esse rationale, sensibile, ac vegetans ; alibi vero, errare eos, qui dicerent, unam et eamdem appellatione, ac re, naturaque esse animam rationalem, sensibilem, ac vegetantem. Num qui ambo ista diceret, sibimet adversaretur ? Non, opinor, alio, præterquam Salmasio, judice. Eodem plane modo, cum apostolorum ætate fassus sim eosdem alicubi simul et presbyteros, et episcopos plures fuisse, hoc est ordines duos in idem caput collatos : nihilominus ipsos per sese dixi ordines fuisse diversos. Quemadmodum, etsi certis in locis ac populis iidem olim reges, et sacerdotes fuerunt, ut Melchisedech, ut ille apud Poetam [1],

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos :

vere tamen usurpari istud potest, regnum sacerdotio esse diversum ; sive pro *abstractis*, ut vocant, *concreta* sumas, regem a sacerdote differre. Satis enim est, ut illud vere dici possit, quod apud alios populos alii essent sacerdotes, alii reges. Ex quo recte concluditur, ibi etiam, ubi sacerdos idem erat atque rex, sacerdotium ab regno λόγῳ, et ἐπινοίᾳ, id est *ratione*, distinctum fuisse, etsi τῷ ὑποκειμένῳ idem essent. Quemadmodum, licet Coriscus idem musicus sit et pictor, verum est, musicam in eo ab pictura τῷ λόγῳ discrepare, nec eamdem artem essse, sed duas. Id quod etiam efferri sic solet, in Corisco musicum a pictore differre τῷ λόγῳ, non τῷ ὑποκειμένῳ. Hæc si ejusmodi sunt, ut vel a plebeiis ingeniis capiantur ; quid hoc capite durius, cujus in cerebrum pervadere hactenus ista non potuerunt : presbyterum ab episcopo, id est presbyteratum ab episcopatu diversum ordinem extitisse, quamvis in eumdem hominem ambo aliquando convenerint ?

VI. Frivolum itaque est effugium illud, cujus pueriliter admones [2] : dicendum esse mihi, « Discrimen istud ab antiquis Ecclesiæ temporibus intercessisse, non a primis, nec apostolicis. » Nihil hoc opus. Nam et primis, atque apostolicis temporibus ambos illos assero distinctos fuisse : sed λόγῳ in iis, qui utrumque simul habebant ; ὑποκειμένῳ vero, tum ubique insequenti tempore, tum etiam apostolorum ætate iis in urbibus, in quibus singulorum successiones præsulum fuisse memorantur ab apostolicis viris litteris traditæ. Quo ex argumento singularium episcoporum saltem consequenti ætate præpositorum Ecclesiis, de quo nobiscum Salmasius convenit, intelligere potuit, falso se dixisse, quod et in fœnerea illa dissertatione toties oggerit, unum et eumdem ordinem esse presbyteratum et episcopatum, ex instituto Christi, et apostolorum. Quod in superioribus capitibus jam manifeste convictum, plenius subinde confutabitur.

Hoc ergo est ipsum, quod qui defenderent, indoctos, absurdosque esse dixi, eosdem olim fuisse presbyteros et episcopos, tum appellatione, tum re, hoc est natura, proprietate, essentia, functione ; quod est λόγῳ, vel τῷ τί ἦν εἶναι ; quamvis τῷ ὑποκειμένῳ iidem essent utrumque. Porro quæstionis a me propositæ difficultas in eo sita erat, quod cum inter Catholicos constaret diversos esse ordines divino ex instituto, ut supra demonstravi ; tamen in Scripturis promiscue accipi nomina illa viderentur. Cui quidem hæc a nobis est adhibita conciliatio, quam, si quid haberes rationis, intelligeres ; intellectam vero, nisi aut judicium, aut usus antiquitatis, aut candor tibi deesset, improbare non posses.

[1] Æn. 3.

[2] Salm. p. 7.

VII. Ac vide quæso, ut seipsum induat, et implicet iis laqueis, quibus circumretire me studet. Nam fatetur[1], « hodiernos pontificios doctores » sentire mecum, « magnum a primis usque, et apostolicis Ecclesiæ temporibus discrimen intercessisse episcopos inter et presbyteros. » Si hoc igitur pontificii, id est catholici, et a Catharis ac Salmasiis alieni doctores sentiunt; si Tridentina idipsum synodus canone suo sanxit; nonne indoctos jure esse pronuntiavi, qui ad damnatam tuendam hæresim, et ab inferis excitandam, post Aerianos, Waldenses, nugasque ceteras, nihil afferrent, præter garrulitatem et audaciam? Denique hæc si duo tantum capere potest; quod eum jam ex hac nostra oratione posse non despero; diversos omnino, ac necessario esse ordines istos τῷ λόγῳ, quamvis τῷ ὑποκειμένῳ non discrepent : puerili contentioni, ac velitationi modum adhibebit.

Nisi vero puerile hoc non est, quod in *videndi* verbo ludere voluit[2]. Scripseram, *dubitandi causam præcipuam continere apostolica scripta, quæ ita de episcopis, ac presbyteris loquuntur, ut utrosque eodem loco habere, ac nihil inter illos discriminis statuere videantur.* Dixi *videri*, hoc est *speciem præbere*, non autem quomodo dici solet: *Ita mihi videtur*, vel ut apostoli in Concilio loquuntur[3]: *Visum est Spiritui sancto, et nobis.* Ille autem, sic tanquam hoc sensu, non illo, positum esset videndi verbum, concludit ita: « Quis dubitandi locus, ubi rem tam clare, et aperte definire, et decidere sacræ Scripturæ visum fuerit? »

CAPUT QUINTUM.

Salmasii contra singularium episcoporum successiones ab antiquis memoriæ proditas falsa, et absurda præscriptio. Absurde illum argumentari contra sanctorum Patrum auctoritatem. Apostolorum duo genera ab illo tradita : et apostolatus perperam explicata ratio. Falso ab eo dici, majores apostolos immediate missos a Christo. Marci Antonii de Dominis, et Casauboni itidem de apostolis confutatæ sententiæ.

I. Ab hac velitatione transeo nunc ad seriam concertationem, et causæ caput aggredior. Difficile est omnino in istis tenebris, quas dissertationi suæ Catharus Salmasius offudit, atque in tanta loquacitate, et verborum sententiarumque perturbatione scire, quid primum, quid postremum sit; hoc est quid ex quo consequens velit esse; ac denique quid sit, quod probandum sibi proposuit, et quid illud, quo tanquam argumento ad probandum utitur. Adeo cæca illic, et inversa, ac præpostera sunt omnia. Quantum tamen intento animo, ac diu, multumque tractando extricare potui, adversus illam episcoporum seriem, et successionem disputare voluit, quam in plerisque civitatibus cœptam esse temporibus apostolorum, et antiquorum testificatione monstravimus. Hoc enim argumento premi se, commentumque suum obteri vidit, quo unum duntaxat Ordinem, ex instituto Christi, et apostolorum esse contendit episcopatum, et presbyteratum. Quod cum apud istum legimus, meminisse perpetuo nos oportet ἀκριτοίας illius, quam in antecedenti capite patefecimus. Ibi enim semper errat, dum non discernit, aliud esse dicere, eumdem ordinem esse ambos illos; aliud dicere, in unum illos eumdemque convenisse. Horum posterius fateri me cum ea cautione, quam addidi supra, ut nec ubique, nec diu id in Ecclesiis factum sit: alterum negare me, mecumque quidquid est Christiani, et Catholici nominis uspiam terrarum; solos asseverare Catharos, et Salmasios.

II. Ut igitur singulorum episcoporum successiones in plerisque civitatibus ab apostolorum ætate ductas, memoriæque mandatas falsitatis arguat, ita ratiocinari est aggressus: Si verum est, episcopos unicuique Ecclesiæ singulos præsedisse, necesse est primos in serie vel apostolos fuisse, vel ab apostolis constitutos; non enim aliunde propagari successio ejusmodi potuit. At neutri singulis Ecclesiis præfuerunt. Hoc vero, in quo caput,

[1] Salm. pag. 9.

[2] Salm. p. 10. — [3] Act. 25.

ac summa rei vertitur, eo probare studet, quod illi nullo in loco uspiam terrarum pedem figebant, sed huc et illuc ex officio cursitabant, neque certam sedem, aut episcopatum habebant.

Atqui hæc illius ratio et falsissima est, et antiquissimorum scriptorum auctoritate, ac testimonio convincitur ; et in illud qualecumque argumentum tractandum multum nugarum, et ineptiarum contulit. De quibus antequam singillatim dicere aggrediar, illud universe velim prudens apud se lector æstimet, quantum sit hominis istius in illa disputatione judicium; qui adversus certissimam, expressissimamque veterum testificationem de episcoporum serie jam inde ab apostolis in quavis Ecclesia constituta, nulla re alia, nisi commento suo, et conjectura nititur. Quæ si non frivola et inanis esset, si non eam communis ratio, et ipsa inventoris et auctoris sui assertio convinceret, contra manifestum antiquitatis testimonium, de rebus sibi notissimis, et in conspectu pene positis asseverantis fidem, valere nihil poterat. Ac si talia illius essent argumenta, quæ contra veterem historiam attulit, ut a nobis ea dissolvi non possent ; magis erat, ut nos illis respondere non posse fateremur, quam ut eorum causa rem adeo testatam, ac tam gravi auctoritate compertam in dubium revocare vellemus.

III. Ejusmodi enim istud est, de quo lectoris, uti dixi, prudentis arbitrium requirimus. Irenæus, qui apostolorum propemodum ætate floruit, scribit singulis in Ecclesiis impositos episcopos ab apostolis fuisse ; ab iisque propagatas deinde successiones recensèt, numeratis, ac nominatim appellatis episcopis, qui alii post alios ordine præfuerunt in una urbe Roma ; quod idem, nisi esset longius, in reliquis faceret, uti capite secundo supra meminimus. « Habemus, *inquit* [1], annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos. » Idem et Polycarpum Joannis evangelistæ discipulum, Smyrnæ in Asia episcopum constitutum esse ab apostolis affirmat : « (1) Et Polycarpus autem, *ait*, non solum ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt ; sed etiam ab apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus episcopus : quem et nos vidimus in prima nostra ætate; multum enim perseveraverat, et valde senex gloriosissime, et nobilissime martyrium faciens, exivit de hac vita. » Ecce constitutum ab apostolis ait episcopum Smyrnæ Polycarpum, ut et Romæ ab apostolis Linum supra dixerat. Neget vero Catharus Salmasius, et qui singulares apostolorum ætate factos esse alicubi dicit episcopos, errare ipsum ait, ac decipi. Eligat lector, utri fidem adhibere malit : an Salmasio, viro incomparabili, et qui in multis quos hactenus edidit libris , præsertim in Solinianis commentariis, nihil unquam falsi docuit : an Irenæo, Eusebio, Optato Milevitano, Hieronymo, Augustino; antiquitati denique toti Christianæ, quæ in Ecclesiis singulis episcopos sedisse singulos memoriæ tradidit, idque auctoribus esse factum apostolis. De hoc igitur utris potius credat, etiam atque etiam videat lector. Nonne vel hoc serio proponere ; vel in eo, quid magis sequi debeas, hæsitare ridiculum est, quantumvis difficilia, et invicta pro se argumenta unus ille contra tot antiquos Salmasius opponeret ? Quid nunc ergo facimus, cum tam futilia, tam inepta sint, quæ ad opinionem suam fulciendam iste commentus est ? quod deinceps in sequentibus ostendam.

IV. Apostolorum duo genera constituit Salmasius [2]. Nam alios primos, alios secundos facit. « Primi a Christo missionem suam acceperunt, immediate ab ipso missi ; » quos et *veros* alibi vocat [3]. « Secundi ab ipsis apostolis. Hi secundi apostoli quasi coadjutores, et συνεργοὶ fuere apostolorum in ædificandis Ecclesiis ; in quibus ex præcepto et mandato eorum, a quibus mittebantur, presbyteros, eosdemque episcopos constituebant. » Primum illud haud satis accurate, quod majores illos, ac *veros apostolos immediate ab ipso Christo missos* ait. Certe Paulus apostolus unus ex veris, ac primariis apostolis fuit. [4] *Nihil enim minus fuit ab iis, qui erant supra modum apostoli.* Quod et Salmasius agnoscit [5], dum ei, tanquam uni ex magnis, συνεργοὺς et secundarios assignat Timotheum, Titum, Linum, et Clementem. At ille missus non est immediate ab

(1) Iren. apud Euseb. lib. 4. Hist. cap. 14. Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν· ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος· ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ. Ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε, καὶ πάνυ γηραλέος ἦν, ἐνδόξως, καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας, ἐξῆλθε τοῦ βίου.

[1] Iren. lib. 4. c. 3. — [2] Cap. 5. p. 40. — [3] Pag. 50. — [4] 2. Cor. c. 11. — [5] Pag. 4.

ipso Christo ; quo jam mortuo provectus est in apostolatum. Et, si Chrysostomum audimus, in apostolum ordinatus est ab inferioribus et συνεργοῖς illis. Nam ad illa verba capitis Actorum decimi tertii[1], *Segregate mihi Barnabam, et Saulum in opus, ad quod assumpsi eos ;* Chrysostomus hæc adnotat : « (1) Quid sibi vult, Segregate mihi ad opus ? Nempe ad apostolatum. Rursus vide, a quibus ordinetur. A Lucio Cyrenæo, et Manae ; sive potius a Spiritu. Nam quo personæ sunt inferiores, eo manifestius apparet gratia Dei. Ordinatur itaque in apostolatum, ut cum potestate prædicaret. » Deinde quærit, quomodo verum sit, quod Paulus ipse scribit[2], se *neque ab hominibus, neque per homines* apostolum esse factum ; et respondet, ideo *per homines* negare se factum, *quia non ab homine missus est, sed a Spiritu.* Ita apostolus quidem ordinatus est, et manus illi ad apostolatum imposita est ab hominibus ; non tamen ab his missus est ad exercendum apostolatum, sed a Spiritu sancto, ut arbitratur Chrysostomus. Utrum vere, an secus ita senserit, nihil ad rem pertinet. Hoc enim satis mihi est, non putasse Chrysostomum, ad veri, et summi apostolatus ordinem adipiscendum opus esse, ut immediate ab Christo constituerentur.

V. Etenim missionis nomine, quam Salmasius ab Christo veros accipere ait apostolos, oportuisse puto, si sapit, traditionem potestatis, et ordinationem potius intellecturum, sive κατάστασιν, qua potestatis fiunt compotes, et eam habent, tametsi non exerceant ; quam temporariam aliquam destinationem, cum ad certum locum ire jubentur. Sed sive hoc, sive illo modo *missionem* accipiat, utrobique convincitur. Nam neque Paulus ab ipso Christo *immediate* ordinatus est apostolus ; neque Matthias, qui inter summos apostolos in locum Judæ traditoris est ascitus. Cujus exemplum fauces pervicaciæ præstringit, ut de Barnaba taceam, qui apostolus et ipse censetur. Sin missionem esse malit, qua ad certi temporis functiones obeundas passim allegabantur apostoli ; multo minus error illius excusabitur. Quippe Petrus, et Joannes Hierosolymis ad apostolicum munus exercendum missi sunt ab apostolis Samariam [3]. Missi quoque ab apostolis, et senioribus Barnabas, et Paulus Antiochiam magnis de rebus, et apostolica auctoritate dignis [4].

E contrario Ananias [5], qui in apostolis secundi ordinis ab Salmasio numeratur, ab ipsomet Christo immediate ad Paulum baptizandum, instituendumque mittitur. Philippus vero diaconus [6] a Deo per angelum ad eunuchum Æthiopem, non utique primoribus ab apostolis ; quod tamen necessarium esse credit Salmasius ad secundæ notæ apostolatum. Usque adeo circumretita, et implicata illius inscitia tenetur, ut quocumque se vertat, nihil ei nisi præcipitium occurrat. « (2) Ejusmodi est, ait Gregorius Nazianzenus, rationis expers, et ad oppugnandam veritatem obfirmata temeritas, ut qui ea laborant, ne tum quidem cum in seipsos incurrunt, vel intelligant, vel pudore suffundantur. »

VI. Operæ pretium est, quoniam in hunc de apostolis sermonem incidimus, duorum ex eodem grege Romanæ communionis hostium opiniones excutere. Id enim ad illustrandam nostram hanc disputationem imprimis attinet. Sunt autem hi duo, Marcus Antonius de Dominis ex episcopo Spalatensi, et Isaacus Casaubonus. Prior in libro primo de Republica ecclesiastica, apostolatum ita describit, ut nuda prædicandi Evangelii, et baptizandi functione definiat [7]. « Habemus itaque, *ait*, apostolis nihil aliud datum, nihil commissum, nisi purum ministerium fidei Christi, per Evangelii prædicationem ministerialiter et non potestative propagandæ, et per baptismi usum salutarem. »

Casaubonus vero in Exercitationibus, quas adversus Baronii Annales edidit [8], illum redarguit, tanquam apostolicam dignitatem nimis exiliter, ac jejune circumscripserit, quod eodem fere modo, ac Marcus ille Antonius, officium illorum in sola prædicatione posuerit. Verba Baronii [9] : « Apostolos ea de causa elegit Christus, ut verbi prædicatione

(1) Chrys. hom. 47. in Acta. Τί ἐστιν, ἀφορίσατέ μοι εἰς τὸ ἔργον ; εἰς τὴν ἀποστολήν. Ὅρα πάλιν ὑπὸ τίνος χειροτονεῖται. Ὑπὸ Λουκίου τοῦ Κυρηναίου, καὶ Μαναήν· μᾶλλον δὲ ὑπὸ τοῦ Πνεύματος. Ὅσῳ γὰρ τὰ πρόσωπα ἐλάττονά ἐστι, τοσούτῳ γυμνοτέρα ἡ τοῦ Θεοῦ φαίνεται χάρις. Χειροτονεῖται λοιπὸν εἰς ἀποστολήν, ὥστε μετ' ἐξουσίας κηρύττειν.

Ibid. Τὸ δὲ δι' ἀνθρώπων, ὅτι οὐχ ὑπὸ τοῦδε ἐπέμφθη, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ Πνεύματος.

(2) Nazianz. cit. a Damasc. in Eclogis litt. A. tit. 61. Τοιοῦτον ἡ ἀλογία, καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀπομάχεσθαι· ὡς μηδὲ περιπίπτοντας ἑαυτοῖς ἢ νοεῖν, ἢ αἰσχύνεσθαι.

[1] Act. 13. 2 — [2] Gal. 1. — [3] Act. 8. 14. — [4] Act. 15. 22. — [5] Act. 9. 10.

[6] Act. 8. 26. — [7] Cap. 2. num. 20. — [8] Exerc. 14. num. 5. p. 313. — [9] Baron. ann. 32. Num. 5.

orbi caligine offuso lumen veritatis impartirent. » Quam « descriptionem propter multiplicem omissionem vitiosam esse » Casaubonus objicit. Sed stulta, et iniqua est ista reprehensio. Nam Baronius non de plena, ac perfecta functione apostolatus ibi loquitur, sed de quibusdam veluti rudimentis illius ac tyrocinio ; nempe de eo tempore, quo primitus electi sunt a Christo, et ad Judææ quædam loca missi prædicandi duntaxat gratia. At idem ille censor Baronii largius peccat, dum veri apostolatus subinde notas quatuor præscribit. Prima est, « ut a Christo immediate electi, et missi sint. » Secunda, « uti testes essent omnium, quæ vidissent. » Addit insuper « necessarium fuisse, ut quicumque esset futurus apostolus, Christum in terris vidisset, atque earum rerum testimonium posset præbere, quarum ipse extitisset αὐτόπτης. » Tertia est, quod per totum orbem prædicandi Evangelii gratia destinati sunt. Quarta est, « potestas, et dignitas longe major, et augustior, quam ulli unquam alii functioni spirituali fuerit attributa. »

VII. Ex iis quatuor notis conditionis apostolicæ, priores duas usurpavit Salmasius. Sed uterque longius aberrat. Ostendimus enim paulo ante, nihil hoc necesse fuisse, ut immediate ab Christo electus esset apostolus, aut missus ; quod in Matthia saltem falsum esse liquet. Secunda vero conditio magis est inepta : oportuisse, ut verus apostolus Christum in carne viderit, et αὐτόπτης fuerit, id est *oculis suis viderit* ea, quorum testimonium præberet. Hoc enim constituto, Paulus non erit apostolus, qui Christum in terris non vidit ; nec ea testificatus est, quæ ipse viderat, sed quæ auribus acceperat. Ideo cum ad Judæos in synagoga verba faceret[1], ac Jesum esse Christum, et Messiam probaret Antiochiæ Pisidiæ, testes illos nominat, qui viderant illum post resurrectionem, *qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.* Ac *vidisse quidem se Christum Jesum Dominum* ait[2] : sed non *in carne*, vel *in terris.* Quo loquendi modo, inter homines homo degens, et nondum translatus in cœlum, communi usu significatur. Sed nec illa omnia vidit, quæ de Christo prædicavit. Quare incredibilis est, quod nemo non fatebitur, hallucinatio ista Casauboni, et qui hunc secutus est, Salmasii.

VIII. Nos, omissis istorum nugis, duas tantummodo veri ac primarii apostoli notas afferemus. Prima est, ut sive hominum ministerio, sive *immediate* ab ipso Deo constituti, et ordinati, munus acceperint Evangelii ubique terrarum propagandi. Quod apud Joannem Dominus ita demonstrat[3] ; *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Et apud Marcum[4] ; *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Tum Actorum primo : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Altera conditio est, ut plenam ac perfectissimam ubique terrarum potestatem habuerint ligandi atque solvendi, Ecclesias instituendi, episcopos et clericos ordinandi : denique ut episcopi totius orbis essent. Sed ea tamen ratione, ut infinita illa potestas in ipsis extraordinaria, in Petro vero ordinaria, et in ejus successores derivanda fuerit. Quod recte Bellarminus docuit[5] ; et Victor Carthaginensis episcopus parem in omnibus apostolis fuisse potestatem indicat in epistola synodica ad Theodorum papam, quæ in Lateranensi prima synodo lecta est sub Martino primo[6] : « Ad quam, inquit de Christiana fide loquens, omnes beatissimi apostoli, pari honoris, et potestatis consortio prædíti, populorum agmina convertentes, etc. » Nec interim dubitandum est, in pari et amplissima illa potestate, suum apostolo Petro constitisse *primatum,* ut eum nominat Cyprianus[7]. Ob quem Princeps apostolorum communi Patrum elogio nuncupatur , de qua re alias dicetur.

IX. Præter hos majorum, ut ita dixerim, gentium, ac proprie dictos apostolos, in quos solos notæ illæ, proprietatesque competunt, eodem appellati nomine, inæquali tamen et dignitate et potestate, fuerunt minoris ordinis apostoli, hoc est discipuli ceteri Christi, vel apostolorum; qui, quod idem importandi ubique Evangelii munus obirent, sive instinctu Spiritus sancti, sive majorum auctoritate apostolorum ac mandato, apostoli et ipsi vocati sunt. Theodoretus Pauli verba ista declarans[8], *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas,* etc. observat, « (1) non solos dici duodecim, sed et septuaginta, et eos omnes, qui eamdem postea gratiam consecuti sunt, » ut inter alios Epaphroditum Philippensium episcopum[9].

(1) Theodor. in comm. pag. 183. tom. 3. Οὐ μόνον λέγει τοὺς δώδεκα, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἑβδομήκοντα, καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα τῆς χάριτος ταύτης τετυχηκότας.

[1] Act. 13. 31. — [2] 1. Cor. 9. 1. — [3] Joan. 20. 21. — [4] Mar. 16. 15. — [5] Lib. 1. de Rom. Pont. c. 12. — [6] Secr. 2. p. 685. tom. 4. Conc. — [7] Lib. de Unit. Eccl. — [8] 1. Cor. 12. 28. — [9] Phil. 2. 25.

Chrysostomus quoque, quod Paulus ad Corinthios scripsit [1], Christum apparuisse Jacobo, deinde *apostolis omnibus*, (1) per apostolos septuaginta discipulos significari putat. OEcumenius non omnes istos, sed quosdam eorum, quibus similis, atque veris apostolis, erat commissa functio. Multum tamen ab primariis apostolis distabant, non missione, sed potestate ; non enim omnia poterant, quæ majores apostoli. Philippus unus ex septem diaconis [2], cum Christianam fidem longe lateque prædicando circumtulisset, et Samaritanos baptismo initiasset, Spiritum sanctum iisdem dare per impositionem manuum non potuit. Itaque profecti eo sunt apostoli, qui hoc Sacramento illos impartirent. Ita vis omnis apostolatus, et ὡσιώδης proprietas, ac τὸ τί ἦν εἶναι, non in missione, aut in prædicandi officio consistebat, sed in jure, ac potestate, sive a Christo *immediate* tradita, sive per hominem, et impositione manuum accepta. Utroque enim modo potestas illa est a Deo ; quemadmodum in Sacramentis omnibus interventu hominum, ac ministerio divina vis operatur; et ad Deum, tanquam ad auctorem causamque primariam, efficientia omnis illorum refertur.

CAPUT SEXTUM.

De falsa apostolatus nota ab Salmasio tradita ; ut nusquam certo in loco pedem figerent apostoli. Ea multis argumentis refellitur. Neque apostolos ex vi nominis, et officii sui necessario vagari ; neque episcopos una in urbe defixos teneri. De apostolis secundi generis ab eodem Salmasio allata confutantur. De Jacobi apostolatu, et episcopatu obiter actum.

I. Constituta hunc in modum apostolatus propria conditione, et ab Catharorum præstigiis explicata, multiplex in illo declarando Salmasii lapsus, velut infusa luce detegitur, ac sponte in omnium incurrit oculos. Ex innumeris autem erroribus, quibus singulæ propemodum dissertationis illius refertæ sunt paginæ, primus ille procedat in medium, in quo præcipuum robur argumentationis suæ collocasse videtur. Certe hoc velut fundamentum jecit, cui totam disputationis machinam superstrueret. Apostolatus igitur id esse proprium censet, vagari, et huc illucque discurrere, neque in certo loco consistere. « Apostolatus, *inquit* [3], ex vi nominis, et officii sui ambulat, et vagatur. Episcopatus proprie sumptus stabilis est, ac fixus. » Quo tanquam principio posito, concludit, apostolorum ætate neminem ulla in Ecclesia singularem episcopum fuisse; sed presbyteros, et eosdem episcopos numero complures, qui rem in commune curarent : indeque successionum illarum, quarum ex antiquis auctoribus seriem accepimus, fidem elevare conatur. « Hæc enim, *ait* [4], apostoli propria missio, ac vocatio, ex ipso nomine munus ejus, et officium testificans, quo sedes uno in loco figere non debent, sed orbem peragrare, et perlustrare, ad Dei verbum prædicandum, et Evangelium prædicandum. Hinc factum, ut qui fixam, stabilemque sedem in aliqua provincia, vel civitate haberent, populoque ejus provinciæ, vel civitatis docendo vacarent, nec alio vagarentur, apostolorum nomine vix essent nuncupandi. » Hanc etiam fuisse causam existimat [5], « cur Jacobus Domini frater, et apostolus, quia Hierosolymis non abstitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit, episcopus a veteribus appellatus est. » Imo [6] « Hac eadem de causa Joannes, *inquit*, qui nec ipse orbem obambulavit, prædicandi Evangelii gratia, sed uno in loco manens, ac præsens præsentibus illud exposuit, πρεσβύτερον se potius, quam apostolum inscripsit. »

II. Quocirca peculiarem hanc apostolatus utriusque tam majoris, quam minoris, notam Salmasius pro suo jure statuit, ut nusquam certo in loco consistant apostoli, sed vagandi errandique finem nullum faciant. Quod commentum et ipsum per sese ridiculum est, ac frivolum ; et quas eidem fulciendo conjecturas adhibet, eæ mendacissimæ sunt, ac

(1) CHRYS. hom. 38. in 1. ad Cor. pag. 498. Ἦσαν γὰρ καὶ ἄλλοι Ἀπόστολοι, ὡς οἱ ἑβδομήκοντα.

[1] 1. Cor. 15. 7. — [2] Act. 8. — [3] Salm. cap. 4. p. 198. — [4] Ib. c. 1. p. 19. — [5] Idem p. 20. — [6] Pag. 23. ibid.

sine ullo plane judicio confictæ. Quis illum docuit, apostolo nefas fuisse, *sedem uno in loco figere?* Unde habet, neminem apostolum fuisse, neque majorum gentium, neque secundi ordinis, *qui non orbem peragraret et perlustraret?* Aut *eum apostolum vix nuncupandum fuisse, qui fixam in aliqua provincia, vel civitate sedem haberet?* Sane hæc commentitia sunt.

Christus ex numero discipulorum elegit duodecim, *quos et apostolos*, inquit Lucas [1], *nominavit*. Usitatum hoc erat vocabulum apud Judæos, qui hebraice שליחין, vel שליחון appellabant certis officiis ac ministeriis destinatos nempe qui vel cum mandatis aliquo mitterentur, vel ad curationem aliquam, et functionem obeundam. Cujusmodi legatos, vel nuntios Romanus Pontifex sæpe mittere consuevit. Hujusmodi *missorum* crebra est in Digestis talmudicis mentio. Post excidium urbis Hierosolymitanæ, Judæi per orbem dispersi, et in lacinias divisi, et ἀποδασμούς, suos habebant patriarchas. Horum assessores apostoli dicebantur. Epiphanius in hæresi 30. de Josepho Comite : « (1) Hic Josephus, *inquit*, ex illorum erat ordine, qui apud Judæos principem locum dignitatis obtinent. Qui secundi sunt a patriarcha, et apostoli nominantur. Continue adsunt illi patriarchæ, et cum eo sæpius diu noctuque versantur, quod eidem a consiliis sint, ac de iis ad illum referant, quæ ad legem pertinent. » Nomen illis inditum videtur, quod ad synagogas ordinandas identidem mittebantur, et ad decimas et primitias a provincialibus Judæis exigendas, ut idem paulo post scribit Epiphanius [2]. « Qui ad exigendum aurum, atque argentum, a patriarcha certo tempore diriguntur, » ait Codex Theodosianus [3]. De his vide, quæ in animadversionibus ad Epiphanium adnotamus [4].

III. Quo primum tempore Christus apostolos elegit, ac misit, nonnisi ad prædicandum Evangelium ire jussit, tanquam nuntios, et anteambulones, sine ulla curatione, aut præfectura. Proprie ergo et φερωνύμως ἀπόστολοι, id est *nuntii*, vel *missi* tunc vocati sunt. Neque tamen hoc in munere, ac gradu sistere illorum dignitatem voluit. Sed eos jam tum ad majora quædam destinabat, ut illo perfuncti velut tirocinio et experimento amplissimam potestatem, et spiritualem in omnes fideles jurisdictionem acciperent : quæ post resurrectionem iis est ab Christo tributa, quando non prædicandi solum, id est nuntiandi per totum orbem Evangelii, mandata illis est provincia; sed etiam spiritualis exercendæ potestatis, baptizandi, remittendi peccata, ligandi, atque solvendi, Ecclesiæ denique ubique terrarum collocandæ, ac regendæ, certisque legibus ac ritibus ordinandæ. Hæc enim omnia apostoli officio continentur, cum ab sola missione nomen illud petitum videatur. Quanquam *missio* ista sic intelligi, explicarique potest, ut sit injunctio quædam muneris ac functionis, etiam, si ita res tulerit, stataræ. Mittebantur enim non solum ut ambularent ipsi, et huc illucque cursitarent, si negotii gerendi oportunitas id postularet; sed etiam ut, si magis expedire videretur, uno in loco consisterent : quemadmodum Paulus triennium Ephesi, ac vicinis in locis hæsisse legitur [5]. Nec minus appellari *missi* poterant, si in una civitate, aut provincia perpetuo manerent, quam si varias et longinquas regiones peragrarent. Non enim *missio* illa tam loca respicit, quam muneris gestionem, quam perinde una in provincia exequi poterant, ut in diversis, ac procul dissitis. Nam quod Christus ire ad omnes gentes illis imperavit, et in mundum universum proficisci, nemo tam vecors sit, qui hoc mandatum ad singulos pertinere putet; alioqui nemo illorum vel Christi præceptum implesset, vel apostolus reipsa fuisset. Nisi forte civitates omnes, aut provincias, loca denique terrarum omnia singulos adiisse, ac perlustrasse credibile est. Quod adeo manifeste est absurdum, ut quamplurima esse regna constet, ac terræ spatia, quo nec apostolorum, nec longe post illorum obitum Christianorum quispiam penetravit.

IV. Ire ergo jussi sunt in mundum universum, eo videlicet sensu, ut plena, et sine loci ullius, ac gentis exceptione, prædicandi ubique, et ad fidem adducendi potestas fieret: non ut olim ad certum populum prophetæ mittebantur, ut Chrysostomus observat; tum ut apostoli ipsimet initio ad oves solas Israeliticæ domus allegati sunt [6], interdicto genti-

(1) EPIPH. hær. 30. num. 4. Οὗτος γὰρ ὁ Ἰώσηππος τῶν παρ' αὐτοῖς ἀξιωματικῶν ἀνδρῶν ἐναρίθμιος ἦν· εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην Ἀπόστολοι καλούμενοι. Προσεδρεύουσι δὲ τῷ Πατριάρχῃ, καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις καὶ ἐν νυκτὶ, καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγουσι, διὰ τὸ συμβουλεύειν, καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν νόμον.

[1] Luc. 6. 13. — [2] Num. 11. — [3] Lege 14. de Jud. — [4] Ad Hær. 30. — [5] Act. 20. 31. — [6] Matt. 10. 6.

lium, et Samaritanorum aditu. Quod si quis nullam non orbis plagam ab aliquo saltem apostolorum peragratam esse finxerit; nihilominus neque singulas obiere singuli; et Christi præceptum illud non ab unoquoque singillatim, sed ab omnibus collectim, universeque perfectum fuerit : ac falsum erit denique, vi illa Dominici mandati nusquam apostolos hærere permissos. Certe apostoli Judæorum illi qui patriarchæ præsto erant, et ἀπόστολοι censebantur, et a patriarchæ tamen latere non discedebant, sed in eadem cum eo urbe morabantur : nisi cum ab ipso ad certi temporis functionem gerendam peregre mittebantur. Προσεδρεύουσι, inquit, τῷ Πατριάρχῃ, quod est, *continue adsunt, affixi sunt patriarchæ.* Quemadmodum episcopi certo in loco diœcesis suæ sedem collocant, etsi ad eam lustrandam, et invisendam ordinandamque passim per oppida discurrunt; quod proprie est ἐπισκοπεῖν, hoc est *inspicere.* Hoc enim nonnisi ab coram intuentibus, ac præsentibus potest fieri. Itaque cum episcopus non unius tantum urbis, in qua sedem habere dicitur, sed totius etiam συνόδου, vel diœceseos suæ sit episcopus; cur in vocabulo potius τοῦ ἀποστόλου, quam τοῦ ἐπισκόπου, illud inesse Catharus existimat, ut nullibi sedes certa constituatur, sed huc illucque cursitetur? Num episcopus longissime dissitas interdum ab illa urbe, cujus est præsul, regiones inspicere non potest, si non *extra eam urbem pedem movet?* Satin' putidum est ob id Jacobum dicere non apostolum esse nominatum, sed episcopum, *quod Hierosolymis non abstitit,* neque nomadum more passim est vagatus? Annon Jacobus diœcesim suam, si urbis illius episcopus fuit, ut fuit revera, et fuisse ab Salmasio dicitur, *inspiciendi* causa peragravit? Hoc si non fecit, nihilo magis episcopus dici meruit, qui non *inspexit;* quam apostolus, qui non excurrit. Quanquam in apostoli nomine nulla vagandi, aut sine certa statione currendi notio est; in episcopi propria est *inspectionis,* quæ nulli satis convenit, qui non in rem præsentem venerit. Itaque insignis est stupor. Sed de Jacobo postea pluribus.

V. De Joanne vero quid dicam? Hunc enim apostolum et fuisse revera, et appellatum esse quis neget? Et his tamen « non orbem obambulavit prædicandi Evangelii gratia, sed uno in loco manens, ac præsens præsentibus illud exposuit, » ut scribit Salmasius ex OEcumenii Scholiis [1]; qui causam hanc reddit, cur se Joannes in epistola secunda presbyterum, non apostolum inscribat. Sed neuter est audiendus. Etenim cujusmodi tandem illud est? *Præsens,* inquit, *præsentibus Joannes exposuit Evangelium.* Quod tanquam contrarium opponitur ei, quod est *orbem obambulare prædicandi Evangelii gratia;* quod fecerunt ceteri. Ridicule vero. Sume enim ex apostolis, quem voles ambulatorum, ac vagantium. Paulus ecce, quibus prædicabat Evangelium, num aliter, quam *præsens præsentibus exponebat?* Ephesiis, ut jam dixi, et Asianis triennio prædicavit coram, ac præsentibus præsens. Corinthiis item, et Thessalonicensibus, ac Philippensibus; Atheniensibus etiam, etsi obiter, *præsens* certe *præsentibus* prædicabat Evangelium. Quid igitur Jacobus meruit, aut Joannes, cur minus ceteris vel haberentur, vel nominarentur apostoli? Melius idem OEcumenius Joannem ait πρεσβύτερον appellare se vel propter ætatem, vel quod πρεσβύτερος tunc episcopus etiam diceretur, tanquam se vocaret episcopum. Sed prior ratio magis arridet, ut ad honestam, et charam sibi matronam, cui fortassis Electa nomen fuit, familiariter scribens, seniorem se potius appellarit, quam alio vocabulo, quod auctoritatem præ se ferret. Verum, sepositis conjecturis, quid, sodes, affert argumenti, ut illud suadeat, in quo cardinem, ac summam constituit ariolationis suæ, neminem apostolorum certo in loco sedem sibi fixisse?

VI. Joannem certe, nisi risu omnium, et conviciis obrui malit, apostolum, et quidem ex primariis, fuisse diffiteri non potest. Hunc porro in uno loco constitisse, idem etiam affirmat. Quanquam si, unde hoc habeat, de illo percontere, nihil erit, quod respondeat. Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis scribit [2], Joannem a Domitiano relegatum in insulam Patmon, inde sub Nerva rediisse Ephesum. Antequam vero in eam insulam deportaretur, Romæ illum fuisse, ibique « in oleum igneum demersum » fuisse, testis est Tertullianus [3], ex eoque Hieronymus [4]. Ephesum ab exilio reversus, « ibi usque ad Trajanum principem perseverans, totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias », ut idem refert. Quod sane tempus commorationis Asianæ non longum fuit. Itaque, cur se presbyterum, non apostolum vocet, non est illa certa causa, quam Salmasius affert, *quod uno in loco maneret.* Verum demus illi hoc ultro,

[1] P. 23. — [2] Cap. 19. — [3] Lib. de præscr. c. 36. — [4] Lib. 1. cont. Jovin. et Com. ad c. 20. Matt.

quod probare non potest; certe vehementius ex eo ipso revincetur. Nam si unus ex apostolis *uno in loco mansit*, indeque *totas Asiæ fundare, ac regere* potuit Ecclesias; cur non idem et alii facere potuerunt, saltem secundi ordinis apostoli, qui ex discipulis fuerunt, aut majorum apostolorum συνεργοὶ: quo in numero Jacobum Hierosolymorum primum episcopum reponit? Habet igitur, quod se invenisse negat, quemadmodum episcoporum singulis in civitatibus singulorum series, ac successio et inchoari ab apostolorum tempore, et deinceps propagari potuerit. Nec ei jam obstat apostolorum illa cursitatio, cum ex secundis saltem apostolis aliqui certis in sedibus hærere, collocarique potuerint.

VII. Sed ut accuratius, et subtilius cum portento erroris isto certemus, age posterius genus apostolorum constitutum ab illo videamus. « Hi secundi apostoli, *inquit* [1], quasi coadjutores, et συνεργοὶ fuere apostolorum in ædificandis Ecclesiis, in quibus ex præcepto et mandato eorum, a quibus mittebantur, presbyteros, eosdemque episcopos constituebant. Tales fuere Paulo Timotheus, Titus, Linus, etiam Clemens. » Hos secundos apostolos, quos majorum *coadjutores* vocat, nego omnes ab apostolis primariis fuisse missos, quod ex capite antecedente constat: in quo demonstravimus, nec omnes primi ordinis ab Christo ipso missos, vel ordinatos apostolos; et complures secundi, non ab apostolis, sed ab Christo missos fuisse. Ut de Philippo, ac septuaginta discipulis ibi dicta non repetam, Apollo unus secundorum illorum [2], si quis alius, fuit: vir doctus, et Scripturis apprime versatus, et *fervens spiritu*, qui Evangelium studiose prædicabat adeo, ut in hoc prædicandi officio cum magnis apostolis, ac Paulo etiam ipso certaret, et in Ecclesia Corinthiorum illi auctorem illum fidei suæ præ se ferrent, alii Cepham, alii Paulum [3]. Et Paulus ipse [4], *Ego plantavi, Apollo rigavit; Deus autem incrementum dedit.* Hunc tamen neque a Paulo, neque ab ullo apostolorum altero missum esse possis ostendere. Imo ab ipso Deo esse destinatum Paulus significat, cum de eo sic scribit [5]: *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit.* Quin etiam ita in Pauli apostoli potestate non fuit; quales esse *coadjutores* illos Salmasius docuit; ut ne multum quidem roganti illi auscultare vellet. *De Apollo autem fratre*, inquit [6], *multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus: et utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret. Veniet autem quum ei vacuum fuerit.*

VIII. Ex istorum συνεργῶν, et, ut Salmasius loquitur, *coadjutorum* grege Jacobum primum Hierosolymorum episcopum fuisse placet eidem, ac proinde apostolum esse nominatum; nam *coadjutores* isti vocabantur apostoli. Quorum ideo [7] « proprium ex ipso nomine munus, et officium erat, sedes in uno loco non figere, sed orbem peragrare. » « Hi συνεργοὶ apostolorum, ait Salmasius [8], qui et apostoli quodammodo eorum, nulli civitati erant adfixi, et addicti, sed pro arbitrio apostolorum, quibus ad hoc munus subserviebant, in varias civitates mittebantur. » Qui ejusmodi non erant, ut ultro citroque peregrinarentur, sed in statione certa residebant, vix apostolorum nomine censebantur [9]. Atqui Jacobus iste ipse neque peregrinabatur, sed uno in loco manebat, Hierosolymis affixus, ut Salmasius dejerat, (quod an verum sit postea videro,) et tamen apostolus passim, atque insigniter nominatur. Paulus certe scribens ad Galatas apostolum hunc vocat [10], et quidem unum ex primoribus: *Jacobus*, inquit [11], *et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, et Barnabæ societatis.* Cur autem apostolus dicitur, si apostolus non fuit? Non fuit autem, si eo caruit, quod apostoli proprium est, et sine quo apostolus esse nemo potest. « Propria est, *inquit* [12], apostoli missio, ac vocatio, sedes uno in loco non figere; quo fiebat, ut qui fixam, et stabilem sedem alicubi haberent, nec alio vagarentur, apostolorum nomine vix essent nuncupandi.

IX. Quid causæ est igitur, cur Jacobus, qui quod proprium apostoli erat non habuit, apostolus tamen vocatus est; et quidem a Paulo, qui vim illius nominis, et officii nec ignorare potuit, nec ei falso debuit imponere? Atqui Timotheum, Titum, Linum, Clementem, quos in eodem cum Jacobo τῶν συνεργῶν, et *coadjutorum*, hoc est apostolorum secundi ordinis numero Salmasius reponit, nusquam apostolos nominavit. Age novo se aliquo commento, si potest, iis angustiis explicet Salmasius; et quos ipse sibi laqueos innexuit, eos solvat, aut abrumpat. Timotheus, Titus,

[1] Salm. p. 40. — [2] Act. 18. 24. — [3] 1. Cor. 1. 12. — [4] Ib. c. 3. 6. — [5] Ib. 3. 5. — [6] 1. Cor. 16. 12.

[7] Salm. p. 19. — [8] Id. p. 41. — [9] Id. p. 19. — [10] Gal. 1. 19. — [11] Gal. 2. 9. — [12] Salm. p. 19.

et ceteri itidem, ut Jacobus, apostoli fuerunt; imo vero meliori, quam hic, illi jure censentur, utpote qui nominis, et officii fidem impleverunt : nec in uno constiterunt loco, sed passim sine certa sede vagati sunt; quod Jacobus non fecit, et idcirco *vix apostoli nomine nuncupandus* fuit, ut est opinio Salmasii. Potin' ergo comminisci causæ aliquid, cur Paulus Timotheum, ac Titum, quos tam sæpe commemorat, ad quos epistolas etiam scripsit, ne semel quidem apostolos vocavit; cum id sibi ipse perpetuo nomen assumeret : idem Jacobum vix illo dignum nomine, et apostolum nuncupavit, et inter principes ejus nominis, atque ordinis recensuit ? Sed conflictum et jactationem sic, quasi temulenti capitis in Jacobo illo, vide, lector, et ride potius, quam mirare. Jacobum fratrem Domini *vix apostoli nomine nuncupandum*, propterea dicit [1] « episcopum a veteribus appellatum, quia Hierosolymis non abstitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit. » Nempe quia apostoli est currere, quod ille non fecit; episcopi vero est statariam agere. Etsi ridicula ista sunt, et falsa, famen porro videamus. Paulum deinde refert ad Galatas scribentem, « Jacobum apostolum vocasse, non episcopum. » Si seipsum refellere, ac mendacii convincere vellet, num aliter disputaret ? Quid enim hoc posterius aliud ostendit, quam id esse falsum, quod ante dixit; Jacobum ob id episcopum vocatum esse, *quod vix apostoli nomine nuncupandus esset ?*

X. Ecquis vero est veterum, quos nominat, qui Jacobum *ideo episcopum appellare* se significaverit, *quod Hierosolymis non abstiterit, neque quoquam extra eam urbem pedem moverit ?* Quis hoc unquam illorum dixit ? Dixit autem ? Nonne constanter illum apostoli nomine omnis antiquitas Christiana celebravit ? Clemens Alexandrinus apud Eusebium Jacobum istum cognomento *Justum* inter primos apostolos collocat. Epiphanius hæresi 29. itidem sentit. Et Chrysostomus, græcique omnes interpretes, qui epistolam Pauli ad Galatas, vel apostolorum Actus enarrarunt. Hieronymus item in commentario in epistolam ad Galatas, et in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, non alium ab Paulo commemorari apostolum, quam fratrem illum Domini cognomento Justum asserit, et Hierosolymorum episcopum. Quinam ergo vix apostoli nomine nuncupandus ille Salmasio videtur, quem nemo non antiquorum, qui quidem alicujus nominis sit, apostolum vocavit ?

XI. Nam quod episcopus a veteribus appellatus est, num eo minus aut apostolus fuit, aut ab illis ita dictus est ? Illi ipsi veteres, qui episcopum appellant, nonne apostolum nominarunt ? Non igitur propterea nomen illi tributum est episcopi, quod *apostoli nomine vix nuncupandus esset, aut quia Hierosolymis non abstitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit.* Quid enim commento hoc obtusius ? Ecquid in episcopi appellatione est, quod eum uno in loco, una in urbe, velut *Scythica religatum in rupe Prometheum*, ac defixum teneat ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀῤῥήτοις πέδαις; atqui ob id episcopum dici Jacobum ab antiquis illis putat, quod non extra urbem discurreret : quasi episcopus non omnem diœcesim suam, et omnia ejus oppida pervagari, et obire necesse habeat, quod supra memoravi. Unde autem de Jacobo ista illi oblata divinatio est, non solum Hierosolymis nunquam abstitisse, sed etiam extra diœcesim suam nusquam vel ad tempus abiisse ? Non enim episcopi primis illis temporibus sic una in urbe considebant, ut non interdum alio sese conferrent, quocumque illos charitatis officia vocabant, aut procurandi Evangelii ratio ire compelleret. Ac multo id consentaneum minus est persuasum isti fuisse, Jacobum nunquam Hierosolymis migrasse, qui hunc non episcopum ejusmodi fuisse credit, quales nominati postea sunt, hoc est certo in loco unicum, ac singularem; cujus propterea necessaria magis præsentia fuerit : sed unum de presbyteris, « [2] eoque cœtu, cui apostoli gubernandam Ecclesiam Hierosolymitanam commiserant; » ut tanto facilius abesse, et primarium apostoli munus exequi potuerit : hoc est, ambulare, et per urbes ac provincias divagari ex instituto, ac præscripto Salmasii, qui nullum, nisi vagum, et erronem, jure apostolum nominari patitur.

Sane Chrysostomus Timotheum ac Titum inter eos numerat, qui uni affixi loco, minime cursitarent. « (1) Quid igitur ? *ait*, an pastores et doctores minores fuerunt ? Fuerunt plane

(1) Chrys. hom. 2. in epist. ad Ephesios. p. 820. Τί οὖν; οἱ ποιμένες, καὶ οἱ διδάσκαλοι ἧττους; καὶ πάνυ τῶν πεμπομένων, καὶ εὐαγγελιζομένων οἱ καθημένοι, καὶ περὶ ἕνα τόπον ἐσχοινισμένοι, οἷον Τιμόθεος, Τίτος.

[1] Salm. p. 19. et 20.

[2] Salm. p. 20.

iis qui circumcurrebant, et evangelizabant, ii qui sedebant, et in uno loco erant occupati, ut Timotheus, Titus. » Hoc modo nutat illa Salmasiana ratio; apostolorum professioni συσιώδες hoc fuisse, uti nunquam certo in loco fixam sedem haberent.

CAPUT SEPTIMUM.

De Jacobo apostolo accuratius disputatur. Utrum apostolus fuerit unus e majoribus; an, ut Catharo Trapezitæ visum est, e minoribus. Variæ Pauli profectiones Hierosolymam, ex quibus liquido probatur, Jacobum unum e summis, et quidem duodecim apostolis fuisse. Eumdem primum fuisse Hierosolymorum episcopum.

I. Postulat institutæ disputationis series, ut de Jacobo, quem *minorem* vulgo nuncupant, ejusque tam apostolica, quam episcopali dignitate nonnihil dicamus; ut et absurdæ de eo conjecturæ Salmasii refellantur, et ab ejus obtrectatione vindicetur argumentorum vis illorum, ac pondus, quibus ab apostolorum ætate singulos præfuisse singulis Ecclesiis episcopos in Dissertationibus ostendimus. Etenim ex illis probationibus validissima, et antiquitatis testimonio munitissima est, quæ ex episcopalium successionum laterculis sumitur, ab apostolorum temporibus per insequentes annos continuata serie productis. Quarum successionum prima et antiquissima in Hierosolymitana Ecclesia fundata est, principe illius episcopo pariter, et apostolo Jacobo. De hoc igitur ante alios inquirendum videtur. Ac duplex est inquisitionis forma: altera, utrum apostolus: altera, utrum episcopus Hierosolymorum fuerit.

De apostolatu Jacobi non id solum controversum est, an unus e duodecim illis primis fuerit; sed multo magis an apostolicæ dignitatis rem, ac nomen sortitus sit eo jure, quo qui optimo: hoc est an duæ illæ notæ veri, summique apostolatus in eum convenerint, quas capite quinto complexus sum, ut et *prædicationis usum, et magisterium* (ita enim ab Gregorio papa vocatur [1]) per totum orbem in potestate habuerit; et fundandarum ubique Ecclesiarum, ac spiritualium exercendarum functionum sine exceptione jus penes illum fuerit. Nec interest, a quo sit ordinatus, et utrum ab ipso Domino, an hominum interventu, et ministerio dignitatem eam acceperit. Non enim minus apostolus, isque primarios inter Matthias fuit, ut de Paulo et Barnaba nihil dicam, quam Petrus, et Andreas, ac ceteri quos per semetipsum Christus elegit.

II. Hac præscripta definitione, quod ad Jacobum spectat, gravis et impedita quæstio est, an ex duodenario illo numero sit habendus, et ab Christo ipso factus apostolus. Sed non valde necessaria est, quia magis ad historiam facit, quam ad susceptæ controversiæ disceptationem; quæ in eo solo vertitur, unusne sit e majoribus, an inter minores, et secundæ notæ apostolos referendus. Quanquam etiam illa perstringetur obiter: sed ut præcipua in eo constituendo opera ponatur, an primi ordinis apostolorum Jacobus iste fuerit.

De hoc igitur ut breviter dicam quod sentio, prorsus eum arbitror e primariis fuisse, ac majoribus apostolis; nec temere, et quasi vaticinando istud loquor, sed magnis adductus rationibus, ac prope necessariis, quæ tum ex epistola Pauli ad Galatas, tum ex Actis apostolorum suppetunt. In capite primo illius epistolæ Paulus triennio circiter, postquam ad Christum conversus est, scribit, Hierosolymam venisse se, ut videret Petrum [2]. *Alium autem apostolorum*, ait [3], *vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Quibus in verbis quantum momenti sit ad id quod quærimus, intelligetur, ubi de profectionibus Pauli variis Hierosolymam pauca dixerimus. Eas quinque numero sacræ litteræ commemorant, ut alibi demonstravimus [4], e quibus tres tantum hoc loco notandæ sunt; nam ceteræ nihil ad negotium nostrum pertinent.

III. Prima est illa, quam Lucas in Actis re-

[1] Lib. 23. Mor. c. 6. — [2] Gal. 1. 18. — [3] Com. 19.

[4] Lib. 11. de Doct. temp. c. 12.

fert [1], quando Damasco clam elapsus, postea Hierosolymam venit, ubi cum discipuli omnes suspectum illum haberent, neque cum eo congredi auderent, a Barnaba deductus est ad apostolos, et pro Christiano commendatus. De hac eadem profectione loquitur necessario Paulus ipse in eo, quem citavimus, loco epistolæ ad Galatas. Ibi enim primitus se Hierosolymam, et apostolos vidisse significat, post susceptam Christi fidem. Cum igitur nec ante profectionem illam, quam Lucas in Actis memorat, Paulus jam Christianus Hierosolymam venerit, nec ante istam ipsam, de qua scribit ad Galatas, prorsus necesse est unam et eamdem utrobique narrari. Quare ex utriusque loci comparatione sic ordinanda res erit. Paulus post conversionem egressus Damasco non statim Hierosolymam adiit, ut ex Luca colligi videtur; sed, quod epistola ad Galatas docet, in Arabiam fugit. Inde Hierosolymam petiit post annos a conversione tres, quando Barnabas eum ad apostolos perduxit. Secunda profectio Pauli Actorum undecimo capite continetur. Nam cum Hierosolymis quindecim, ut scribit ad Galatas, diebus hæsisset, concitatis in eum Judæis, ac de nece illius conspirantibus, Cæsaream, et inde Tarsum confugit [2]. Postea missus Antiochiam Barnabas [3], Tarsum abiit, unde Saulum Antiochiam secum abduxit; quo tempore Agabus propheta imminentem famem prædixit [4], quæ Claudio imperatore contigit, anno ante mortem Agrippæ, hoc est decem fere annis post conversionem Pauli : ut pluribus in illo libro de Doctrina temporum ostendimus. Tertia profectio post annos quatuordecim ab adita primum Hierosolyma contigit, hoc est post septemdecim ab suscepta Christi fide; cujus in capite 2. epistolæ ad Galatas meminit.

IV. Redeo nunc ad priorem Apostoli profectionem, ex qua perspicue, ac certo constat, Jacobum ex primariis apostolis unum fuisse. Etenim duo genera Salmasius apostolorum constituit [5] : unum primorum, « quos a Christo missionem suam accepisse » dicit, « et immediate ab ipso missos : » alterum secundorum, « qui ab ipsis apostolis missi. » Hujus ordinis fuere Timotheus, Titus, Linus, etc. et, ut Chrysostomus supra a nobis citatus asserit [6], discipuli septuaginta duo ; ex quibus erat Barnabas, qui postea cum Paulo unus ex majoribus est factus, ut ex Chrysostomo ibidem docuimus. Hactenus ergo minorum gentium apostolus erat, quemadmodum et Ananias ille, qui ad Paulum curandum baptizandumque divinitus est missus [7]. Quare antequam cum Petro, et Jacobo conveniret, quod ad Galatas primo capite memorat, Ananiam et Barnabam viderat apostolos et ipsos ex Salmasiana descriptione. Præter quos etiam alios ex veteribus Christi discipulis Hierosolymis tum fuisse, et Paulo conspectos esse, prorsus ineptus sit qui dubitet. Cum ergo neminem alium apostolorum, præter Petrum, et Jacobum fratrem Domini, in prima illa profectione visum a se dicat Hierosolymis; imo ex quo Christo nomen dederat, nullum hactenus vidisse se, quocum de Evangelio conferre, et ab eo discere aliquid posset : non debent *apostolorum* nomine secundi illi, ac minores intelligi, quos utique viderat; sed primores, et qui in duodenario illo principum numero censebantur. Unde consequens est, Jacobum fratrem Domini non inter secundos numerari, ut Salmasius asseverat; verum majorum unum fuisse, et ex duodecim illis, quorum numerus Matthiæ subsortitione completus est.

V. Rursus in capite secundo epistolæ ad Galatas, scribit se divino accepto mandato Hierosolymam venisse ad apostolos, ut cum iis Evangelium conferret, ac tum [8] *Jacobum, et Cepham, et Joannem, qui videbantur columnæ esse, dextras dedisse sibi, et Barnabæ societatis.* Jacobum hunc commentarius, qui falso Ambrosii nomen præfert, eum esse dicit, qui cum Petro et Joanne secretorum Christi semper erat particeps, et in monte cum iis Christi gloriam conspexit. Inepte prorsus, et ἀνιστορήτως. Nam Jacobus iste pridem ab Herode Agrippa erat occisus, ante annos sex, aut septem, quam Hierosolymam tertio veniret Paulus. Quippe circa annum a Christi passione duodecimum obtruncatus est Jacobus Zebedæi filius ; Paulus vero post annum 17. a conversione sua, a passione Christi 19. venit ad Petrum. Itaque Jacobus ille idem est, de quo capite antecedenti locutus est, frater Domini, et episcopus Hierosolymitanus : quem vides inter summos apostolos, id est columnas ejus ordinis referri, ut unus fuerit ex duodecim ; alioqui hæc in illum tam honorifica neutiquam caderent. Fuerit ergo Jacobus Alphæi, quemadmodum complures veterum opinati sunt, et omnes adeo, qui illum inter primos apostolos recensent, ac nominatim Hieronymus in

[1] Act. 9. 26. — [2] Act. 9. 30. — [3] Act. 11. 22 et 25. — [4] Ibid com. 2.

[5] P. 40. — [6] Cap. 5 — [7] Act. 9. — [8] Gal. 2 9.

libro contra Helvidium [1], ubi omnia illa commemorat, quæ de loco illo epistolæ ad Galatas posui; Jacobum ibi designari fratrem Domini apostolum, Alphæi filium, qui idem et Cleophas dictus sit; aut si qua alia causa est diversæ hujus appellationis. Epiphanius quoque [2] Jacobum hunc Domini fratrem et apostolum, et episcopum fuisse testatur. Scio quibusdam antiquorum visum aliter fuisse, qui Jacobum episcopum Hierosolymorum ab apostolo cognomine distinguunt Alphæi filio. Sed probabilius est eumdem esse, idque Paulo consentaneum magis est; qui de Jacobo ita loquitur, tanquam haud dubie apostolo uno de duodecim.

Adde jam et alia, quæ in Actis de eodem narrantur [3], ac non vulgaris notæ fuisse prædicant; ut quod Petrus e vinculis elapsus, ac domum rediens, nuntium statim ad illum mittit; quod in Hierosolymitano concilio post Petrum sententiam dicit [4], et in ejus verba decretum ac synodicum rescriptum concipitur. Quæ quidem alterius etiam dignitatis indicio sunt, hoc est episcopatus : de quo aliquid est dicendum.

VI. Hierosolymorum episcopum fuisse Jacobum fratrem Domini, cognomento Justum, constans est omnium sententia ex antiquis orta temporibus. « Hegesippus vicinus apostolicorum temporum, ait Hieronymus [5], in quinto Commentariorum libro de Jacobo narrans ait : Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post apostolos frater Domini Jacobus, cognomento Justus. » Clemens Alexandrinus in sexto Hypotyposeon, ut refert Eusebius [6], eumdem ait a Petro, Jacobo, et Joanne Hierosolymorum creatum episcopum, ac duos fuisse Jacobos commemorat; alterum, qui ab Herode capite truncatus est; alterum Justum, ac fratrem Domini, cujus Paulus meminit in capite primo epistolæ ad Galatas. At Clementis alterius constitutiones (etsi supposititius auctor est, tamen est antiquus) (1) episcopum illum tam ab ipso Domino, quam ab apostolis, Hierosolymorum esse factum asserunt. Accedunt iis deincèps ceteri omnes, ut Eusebius et Hieronymus in Chronico, Epiphanius paulo citatus ante, Cyrillus ejusdem, hoc est Hierosolymitanæ sedis, episcopus [7], Chrysostomus [8], et quicumque Hierosolymitanorum episcoporum mentionem attigerunt. Neque vero multum ad historiæ fidem interest, utrum ab Christo Domino constitutus sit, quod Epiphanius, Chrysostomus, aliique perhibent; an ab apostolis ipsis. Utrovis enim modo ad Christum illius ordinationis auctoritas refertur, quemadmodum Saul rex ab ipso Deo Israelitarum electus est, etsi illius creationem popularibus suffragiis committi voluerit. Et utcumque factus est, episcopus tamen fuit, idque adeo testatum, ac veterum asseveratione comprobatum est, ut de hoc controversiam facere, aut negare audere, nimium temerarii sit hominis, ac parum pudentis. Quo in numero jure censendus est Salmasius, qui obdurata contra veritatem fronte, inanes fabulas, et ineptissima commenta adversus tantæ molem auctoritatis opponit. Cujus quæ sunt de hoc Jacobo reliqua (nam haud pauca jam libavimus) sequenti capite pertexam.

(1) Clem. 8. const. cap. 35. Ἐπίσκοπος δὲ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Κυρίου, καὶ τῶν Ἀποστόλων Ἱεροσολύμων χειροτονηθείς.

CAPUT OCTAVUM.

Rursus de episcopatu Hierosolymitano Jacobi. Æstus in eo, et inconstantia Salmasii. Ridicula ejusdem ex pseudo Clemente disputatio. Refelluntur illius argumenta omnia. Jacobum fuisse episcopum, e Scripturis ostenditur. In quo repugnat sibi ipse Salmasius. Ordinatio, et χειροτονία varie accepta. Hegesippus illustratur.

I. Episcopum fuisse Jacobum partim præfracte negat Salmasius, partim titubanter ac timide fatetur, neque constat sibi. Apostolum, ut paulo ante memoravi, nonnisi secundi ordinis illum facit, et unum e presbyterorum corpore [9], qui Hierosolymitanam Ecclesiam in

[1] Col. 445. et seq. — [2] Hær. 29. Num. 3. et Hær. 78. Num. 13. et 14. — [3] Act. 12. — [4] Act. 15. — [5] Lib. de Script Eccl. c. 4. — [6] Lib. 2. Hist. c. 1. — [7] Cat. 4. p. 34. et Cat. 14. p. 152. — [8] Hom. 38. in epist. 1. ad Cor. p. 498. et Hom. 3. in Acta p. 625. e Hom. 33. p. 795. — [9] Salm. p. 20. 21. et 45. 46.

commune regebant, et iidem episcopi vocabantur; sed ita, ut presbyteris istis [1] « cum auctoritate majore præesset. » De episcopatu Jacobi animadvertenda sunt hæc illius verba [2] : « Ideo et Jacobus, *inquit*, Domini frater, et apostolus, quia Hierosolymis non abstitit, nec quoquam extra eam urbem pedem movit, episcopus a veteribus appellatus est, et quidem episcopus episcoporum, id est primus presbyterorum, sive episcoporum, qui erant Hierosolymis; ut vocatur in epistola pseudo Clementis. Non quod episcopus ab apostolis in ea civitate constitutus sit, ut alter Clemens scripserat; sed quia non ut ceteri apostoli, convenienter suæ missioni et appellationi peregrinatus sit. » Verum, quod de peregrinatione, ac vagatione apostolorum occinit, tanquam re ad illam dignitatem, et functionem necessaria, jam supra refutavimus; ut illud etiam, Jacobum Hierosolymis nunquam pedem extulisse : quod et temere confictum, et proculdubio falsum esse demonstravimus.

II. Vide nunc pusilli æstum ingenii. Hierosolymitanæ Ecclesiæ non unum præfuisse Jacobum episcopum, adversus antiquissimam traditionem asserit; sed presbyterorum collegium, et eorumdem episcoporum præpositum illi fuisse [3]. « Porro episcopos illos, presbyterosque simul dictos, quales olim constituebant in singulis civitatibus apostoli, pares inter se omnes fuisse, neminem superiorem agnovisse, » idem Salmasius docet. Tum istud [4] : « Jacobum inter eos fuisse, qui episcopi præsidebant Hierosolymitanæ Ecclesiæ. » Ecquid aliud ex hac oratione sequi oportet, nisi Jacobum pari, ac collegas presbyteros auctoritate, ac dignitate fuisse? Atqui paulo ante scripsit [5], « eumdem cœtui presbyterorum illic constitutorum, quos et episcopos tunc nominabant, cum auctoritate majore præfuisse. » Si omnes pari jure, ac potestate fuerunt presbyteri illi, et iidem episcopi; qui tandem unus eorum Jacobus *præeminentiam* nescio quam *supra ceteros habuit?* Ita enim post elegantiæ latinæ parentem Salmasium nobis opicis, ac rusticanis loqui licebit. Dicet Jacobum illis eo nomine præsedisse, quod apostolus erat, non qua presbyter aut episcopus, quod et illi fuerunt. Atqui non primi ordinis apostolum fuisse patitur, sed in secundis jubet consistere. Ejusmodi autem nec omnes presbyteri, hoc est sacerdotes erant, ut Philippus ille diaconus, et alii qui et missi ab veteris apostolis, et Evangelium ubique disseminantes, secundi illius apostolorum ordinis numeros omnes implerunt. Tum ejusdem gradus, et nominis apostolos in illo cœtu presbyterorum Hierosolymitanæ Ecclesiæ fuisse nullos, qui tandem probat? Aut cur uni Jacobo eam dignitatem attribuit? Præsertim si absque peregrinatione uno in loco consistens ille, apostolatum nihilominus obtinere potuit. Quod si plures alii, præter Jacobum, apostoli in Hierosolymitano presbyterio fuerunt, quanam iste *præeminentia* (delectat enim nos nitor ille Salmasianæ latinitatis) supra reliquos apostolos sese extulit?

III. In quo portenti similis est hominis levitas, et inconstantia. Nam cum Jacobum probat [6] episcopum non fuisse Hierosolymitanæ Ecclesiæ, eo utitur argumento, quod « ea dignitas apostolorum episcopum eum fecisset; quia APOSTOLI PRESBYTERIUM HIEROSOLYMITANÆ ECCLESIÆ CONSTITUEBANT. » Igitur si presbyterii illius pars erant apostoli, et quidem majores, et idcirco episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ esse Jacobus non potuit, ne apostolorum esset episcopus; nonne eadem causa prohibere debuit, ne iisdem *presbyteris majori auctoritate præesset?*

Age vero quantus iste sermonis, ac judicii conflictus : imo vero quanta communis sensus inopia ! « Jacobus, *ait* [7], episcopus a veteribus appellatus est, et quidem episcopus episcoporum, id est primus presbyterorum, sive episcoporum, qui erant Hierosolymis, ut vocatur in epistola pseudo Clementis. » Hoc si verum est, primus ergo fuit apostolorum, *quia apostoli presbyterium Hierosolymitanæ Ecclesiæ constituebant.* Explica te ex hac salebra, si potes. Sed illud primum dicito : quis te hoc docuit, vel *episcoporum episcopum* a veteribus appellatum esse Jacobum; vel ideo sic dictum, quod cum apostolus esset, tamen id, quod erat apostoli, minime præstabat, ut peregre vagaretur? Hoc sane posterius frigidum jejunumque commentum est sine ratione, nullo judicio confictum, ut supra demonstravimus.

Prioris autem illius cedo vel unum auctorem ex veteribus istis, quos ita Jacobum appellasse memoras. Neminem tu quidem profers alium, quam *pseudo Clementem*, hoc est ementitum Clementem. Et homo acutus tantum habes prudentiæ, ut cujus unius testimonio uteris, ei fidem deroges hoc mendacii

[1] Id. p. 46. — [2] Id p. 20. — [3] Id. p 40. — [4] Id. p. 47. — [5] Id. p. 46. et p. 23. — [6] P. 21. — [7] P. 20.

prænomine; et in eamdem te falsi suspicionem sciens, volensque conjicias. Sed si momentum aliquod statuis in *pseudo Clemente* isto, cur non audis eumdem reliqua in epistola, cum se a Petro, paulo ante mortem, designatum refert Romanæ urbis episcopum [1], « cum quidem honorem illum cathedræ, ac potestatem declinaret? » Credes itidem et illi *episcopos, archiepiscopos, primates, episcoporum primates, ac patriarchas* nominanti, et alia ejusdemmodi; quæ tibi probari nimium velim ea mercede, ut ridiculum illud de episcopo episcoporum impune per nos habeas.

IV. Atenim episcopum non fuisse creatum Hierosolymorum Jacobum, argumentis aliquot suadet Salmasius. Quæ sunt illa tandem? « Si episcopus tum Hierosolymitanæ, *inquit* [2], Ecclesiæ fuisset ab reliquis apostolis creatus, certe non aliter eum vocasset Paulus, quam episcopum. Hanc ejus dignitatem ab apostolis ei collatam non reticuisset. » Sed nec Lucas, addit postea [3], prætermisisset. Futilis ratio. Jacobum ecce *primum episcoporum, qui erant Hierosolymis*, fuisse narras, et *episcopum episcoporum*, ut *cœtui presbyterorum illic constitutorum, quos et episcopos tunc nominabant, cum auctoritate majore præesset*. Nuncubi hoc apostolus Paulus, aut Lucas in Actis retulerunt? Certe digna memoria res illa fuit; ut sexcentas alias omittam, quæ in historia ecclesiastica proditæ, ab scriptoribus canonicis prætermissæ sunt. Age vero, quod tu Jacobum nusquam extra Hierosolymam pedem movisse narras, ac reliqua ejusdem farinæ, quæ otiose comminisceris, quo tu in Scripturæ libro legisti? Sed de Scriptura remitto. Doce id ab veterum aliquo memoriæ traditum. At non potes, et qui de tam multis temere, ac sine auctore pronuntiandi licentiam usurpas, hanc nobis conditionem feres, nihil ut, nisi expressum in Scriptura sit, in medium afferamus? Præsertim cum et plurimi, et antiquissimi scriptores hoc ipsum, quod de episcopatu Jacobi defendimus, graviter et constanter affirment.

V. Quid quod etiam Scripturæ sacræ (ut paulo ante dicere cœpi) non levem, aut obscuram episcopatus ejusdem conjecturam offerunt? dum et in prima synodo Hierosolymis habita [4], in qua plures erant apostoli, primus post Petrum omnium principem Jacobus sententiam dicit; et in eam synodale decretum conficitur. Certe Chrysostomus eam causam affert, (1) cur post Petrum ibi locutus sit, quod Hierosolymorum esset episcopus. Deinde [5] quod emissus e carcere Petrus, nuntium statim ad illum misit, qui certiorem eum faceret. Addam et ex tuo aliquid. « [6] Cum alii tunc essent Hierosolymis apostoli, cum Paulus secundo in eam urbem venit [7], neminem eorum se vidisse dicit præter Jacobum. » Quanquam illud tuo more, id est temere asseris, neminem, præter Jacobum, apostolorum illic tunc fuisse, cum non *secundo*, ut tu ais, sed primo post conversionem eo Paulus accessit; tamen hoc, quod tu ipse concedis, in te retorquebitur, ut vel inde causæ aliquid Jacobo fuisse fateare, cur præcipua in illis ratio tum ejus habita sit: cujusmodi præter episcopatum nullam, vel certe commodiorem excogitare potes.

VI. Sequitur argumentum alterum Salmasii longe stupidissimum, in quo misere seipsum conficit, ac jugulat. Si episcopus Hierosolymorum factus esset Jacobus [8], « Ea dignitas, *inquit*, apostolorum episcopum eum fecisset, quia apostoli presbyterium Hierosolymitanæ Ecclesiæ constituebant; saltem maximam, quandiu ibi vixere, in eo presbyterio auctoritatem habuere. » Sed respondet sibimet ipse paulo post, et vim istius argumentationis infringit [9]. « Quia semper, inquit de Jacobo scribens, in ea urbe mansit, et presbyterio, hoc est cœtui episcoporum, sive presbyterorum in illa civitate constituto, absentibus ceteris apostolis, præfuit, quasi episcopus habitus est illius civitatis, vel saltem primus episcoporum, qui eam Ecclesiam curabant. » Nihil ergo jam obstat, quod objiciebat Salmasius, inter presbyteros Hierosolymæ numeratos esse apostolos, quominus episcopus fuerit Jacobus. Siquidem conciliari istud hoc modo potest: ut, *absentibus ceteris apostolis, præfuerit*. Præsertim cum apostoli, quorum munus et institutum est vagari, nec uspiam consistere, ut doctissimo Salmasio placet, Hierosolymæ non manerent, nec singularem Jacobi præfecturam et auctoritatem interpellarent.

VII. In quo rursus admiratione pariter ac miseratione digna est homine in isto paucis in paginis pugna sententiarum, ac cæcitas. Nam presbyteros, qui iidem erant et episcopi, proprium hoc habuisse vult, ut in eodem hærerent loco, nec extra urbem evagarentur: in

(1) CHRYSOST. homil. 33. in Acta. Ἐπίσκοπος ἦν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας οὗτος. Διὸ καὶ ὕστερον λέγει.

[1] Clem. ep. 1. ad Jacob. — [2] Salm. p. 21. — [3] Ib. p. 22. — [4] Act. 15. — [5] Act. 12. 17. — [6] Salm. p. 20. et 21. — [7] Gal. 1. 29. — [8] Salm. p. 21. — [9] Ib. p. 23.

quo ab apostolis discrepabant, quorum officium fuit semper ambulare, nec ullibi manere. Quam etiam ob causam Joannem evangelistam ait [1], « πρεσβύτερον se potius, quam apostolum inscripsisse, quasi unus esset presbyterii, sive cœtus, a quo Ecclesia regebatur. » Tum vero [2] Jacobum ipsum, qui alioqui erat apostolus, « quia non ut ceteri apostoli convenienter suæ missioni, et appellationi peregrinatus est, et semper manserit Hierosolymis, ex eo creditum esse quasi unum presbyterorum, vel episcoporum illius cœtus, cui apostoli gubernandam Ecclesiam Hierosolymitanam commiserant. » Hæc cum tam asseveranter, et enixe Salmasius toto fere libro contendat; cum in eo robur omne disputationis, opinionisque suæ constitutum habeat, ut presbyteros eosdemque episcopos certam in uno loco sedem fixisse, apostolos orbem peragrasse dicat : qua tandem vertigine tactus, sequente mox pagina scribit [3], « Apostolos presbyterium Hierosolymitanæ Ecclesiæ constituisse, et illius presbyterii partem fecisse? » Nonne hæc aperte pugnantia, et tamen falsa utraque sunt, et conficta? Etenim falsa non modo veris, sed etiam falsis contraria sunt. Siquidem ambo hæc enuntiata vera non sunt, et sunt contraria : Nullum animal est rationale, et, Omne brutum animal est rationale. Sic illa duo et a Salmasio posita sunt falsa, et invicem nihilominus repugnant : alterum, tam presbyteros, sive episcopos, extra urbem evagatos non esse, sed in uno loco mansisse, quam apostolos nullam fixam ac stabilem sedem habuisse : alterum, apostolos e presbyterorum numero fuisse. Quod posterius Scriptura ipsa convincit. Nam synodica Hierosolymitani concilii aperte apostolos a presbyteris secernit [4]. Et passim in Actis ita distinguuntur. Expecto quem huic manifestæ, turpissimæque dictorum inconstantiæ, ac conflictioni colorem Catharus obducet, ac quemadmodum salvo se honore iis e laqueis expediet.

VIII. Nam usque adeo « Hierosolymitani presbyterii partem apostolos fecisse » credidit [5], ut ex eo concluderet, Jacobum, si episcopus Hierosolymitanus fuit, *apostolorum episcopum* fuisse; idque testari Clementem Alexandrinum illis ipsis verbis, quibus electum ab apostolis episcopum Jacobum esse dixit. Verba Clementis e sexto libro Hypotyposeon sic ab Eusebio referuntur : « (1) Petrum, *ait*, et Jacobum, et Joannem, post assumptionem Salvatoris, tanquam ceteris antelatos a Domino, de gloria minime contendisse invicem; sed Jacobum justum Hierosolymorum episcopum elegisse. » Ex quibus colligit ita Salmasius : « Ergo etiam supra se eum posuerunt. » Quod ideo consequens putat, quia paulo ante presbyterii Hierosolymitani partem apostolos fecisse dixerat. Ita miserrime incurrit in sese, et contrariis opinionibus, quasi vinculis, et compedibus implicatus hæret. Est autem per se ineptum illud, et ἄλογον : Idcirco supra apostolos fuisse Jacobum, quia ab iis electus est episcopus. Hoc enim modo metropolitani episcopi, si quem suæ diœceseos episcopum eligant, vel ordinent, eum supra se constituent. Ecquid putet ineptiæ?

Addit Catharus : « Ita interpretatum esse Ruffinum, qui sic vertit : Apostolorum episcopum statuunt. » Verum quis non videt mendosam hanc esse lectionem, et *Hierosolymorum*, ut est in græco, substituendum esse?

IX. Non minus imbecilla, et nugatoria ejusdem est argumentatio [6] : « Si apostolus fuit Jacobus, non necesse habuit episcopi ordinatione speciali designari præsidens Hierosolymitani presbyterii, et Ecclesiæ, cum apostolatus major esset episcopatu. » Atqui [7] Jacobum eumdem unum fuisse dicit ex illo presbyterio, « sive cœtu presbyterorum, et episcoporum, cui apostoli gubernandam Hierosolymitanam Ecclesiam commiserant; » quibus et ille præfuit, ut episcoporum esset episcopus. Quamobrem si presbyteri illi ab apostolis constituti sunt; si iis ipsis præpositus est apostolus Jacobus, eoque nomine dictus est episcopus, quod presbyteris præesset; quid aliud sequitur, quam episcopum Hierosolymitanæ Ecclesiæ ab apostolis Jacobum fuisse factum? Adeo versutus ac metuendus est disputator iste, ut argumento illo ipso, quo contra nos utitur, suam ipse labefactet opinionem; nec quid sit ex eo, quod affirmat, consequens, videt. Quocirca si quid in eo est, quod objicit, difficile; quod profecto nihil est; sed si responso ad id ullo est opus,

(1) Euseb. 2. Hist. cap. 1. Πέτρον γάρ φησι, καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Σωτῆρος, ὡς καὶ τῶν ἄλλων προτετιμημένους, μὴ ἐπιδικάζεσθαι δόξης ἀλλὰ Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἑλέσθαι. Quod et apud Nicephorum extat lib. 2. cap. 3.

[1] Salm. pag. 20. — [2] Idem pag. 20. — [3] Idem pag. 21. — [4] Act. 11. 30.

[5] Salm. pag. 21. — [6] Idem pag. 22. — [7] Idem pag. 20.

quoniam perinde contra ipsum illud facit, pro se ipse sibi respondeat. Nam ordinari tam cum multis episcopis Jacobus, quam solus Hierosolymorum episcopus debuit. Sed ordinatio ista nonnisi electio, et designatio est habenda, non autem consecratio; qua, jam apostolo ab Christo constituto, nova nulla opus illi fuit.

X. Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis [1] Jacobum ait ab apostolis *ordinatum* episcopum; quod idem est ac *constitutum* dicere. Et ita Sophronius græce vertit (1) *Hierosolymorum constitutus episcopus*. Ordinationis nomen interdum pro consecratione sumitur; cum sacramento Ordinis initiatur aliquis per manus impositionem; alias nuda est electio ac designatio. Ut si quis jam consecratus, et episcopatu suo pulsus, alium in locum transferatur; non denuo consecrandus, sed *constituendus*, et eligendus est: quod, ut dixi, καταστα[illegible] Græci vocant, et ἐνθρονισθῆναι, ut loquitur Socrates libro 7. capite 36. Sic nomen χειροτονίας ambigue usurpatur; ac sæpe Ordinationis sacramentum, id est *consecrationem* significat. Interdum nudam electionem, quæ popularibus suffragiis olim fiebat, ut in Laodiceni concilii canone quinto: (2) *Quod non oporteat ordinationes sub conspectu audientium celebrari*, ut vertit Dionysius exiguus. Zonaras, et Balsamo χειροτονίας dicunt hoc loco electiones esse, ac ψήφους, id est *suffragia*. Vetare igitur canonem, ne coram catechumenis ordinationes istæ, id est electiones fierent; quod in instituendo delectu, multa de candidatorum moribus, ac vita proferuntur, quæ teneros adhuc, necdum satis in fide confirmatos alienarent, et offenderent. At iidem observant: alibi, ut in primo canone apostolorum, et sequentibus, χειροτονίαν accipi pro χειροθεσίᾳ, id est *impositione manuum*, quam et καθιέρωσιν, id est *consecrationem*, appellat Zonaras ad canonem primum apostolorum, ubi de utraque illa notione nonnulla digna scitu adnotat.

XI. Porro Jacobum fratrem Domini refert Hegesippus *cum apostolis*, sive, ut Hieronymus legit, *post apostolos*, Hierosolymitanam Ecclesiam suscepisse. Verba Hegesippi ex Ruffini translatione: « (3) Suscepit Ecclesiam cum apostolis frater Domini Jacobus. » Verum Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis eumdem Hegesippi locum describens, *post apostolos*, non autem *cum apostolis* legit; ut et Sophronius, qui græce librum Hieronymi interpretatus dicitur, μετὰ τοὺς Ἀποστόλους vertendo posuit. Nec dubitandum est in exemplari suo ita scriptum invenisse sanctum Hieronymum; cui haud paulo major habenda fides est, quam Ruffino, aut Ruffini defensori Salmasio. Hujus vero critici mira hoc loco est ἀκρισία, qui [2] quod Jacobus *cum apostolis suscepisse Ecclesiam Hierosolymitanam* dicitur, enarrat sic: « Nempe quia ipse non apostolus. Ut apostolus fuerit, non certe unus ex duodecim. » Itaque scriptum ab Hegesippo Catharus Messalianus existimat, Jacobum, qui unus ex secundi ordinis apostolis fuit, et majorum *coadjutor*, (ut iste loquitur,) cum duodecim apostolis regendam illam Ecclesiam suscepisse. Quod pro cetera opinione Cathari nimis absonum videtur. Minorum gentium apostoli [3], cujusmodi fuisse Jacobum falso imperiteque dicit Salmasius; sed tamen dicit; nonnisi administri fuere majorum, et ad eorum nutum, ac mandatum parati, ut Timotheus, Titus, Linus, Clemens Pauli erant συνεργοὶ, et *coadjutores*. « [4] Qui omnes nulli civitati erant adfixi, et addicti; sed pro arbitrio apostolorum, quibus ad hoc munus subserviebant, in varias civitates mittebantur. » Quinam ergo consentaneum sit, Jacobum hujus generis apostolum cum majoribus exæquari? Nam qui asserit Jacobum cum apostolis præfecturam illius Ecclesiæ sumpsisse, parem eum, et æqualem in eo munere facit duodecim illis, quorum administer erat. Ac duodecim quidem « pari omnes potestate, et honore, ut et pari missione » fuisse censet [5], « atque ab iis per singulas orbis provincias, ac civitates presbyteros plures regendis particularibus Ecclesiis in commune cum pari auctoritate præfectos. » At non pari cum duodecim, ac majoribus illis auctoritate fuerunt isti, et unus horum Jacobus. Quare non debuit cum apostolisd ici gubernasse Hierosolymitanam Ecclesiam.

XII. Quocirca sive μετὰ τῶν Ἀποστόλων, sive μετὰ τοὺς Ἀποστόλους scripserit Hegesippus, non multum dissimilis est sensus, sed longe tamen abhor-

[illegible]

[illegible] — [illegible] 194. — [3] Idem pag. 40.

(3) Hegesip. in 5. comment. apud Euseb. lib. 2. Hist. cap. 23. Διαδέχεται τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν Ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου Ἰάκωβος.

[4] Idem pag. 41. — [5] Id. p. 195.

rens ab Salmasii commento. Si priorem lectionem adhibemus, subaudiendum erit ἄλλων. Cum reliquis apostolis statim post ascensum in cœlum Christi Jacobus Hierosolymitanam rexit Ecclesiam. Etenim aliquanto post tempore duodecim apostoli Hierosolymis, et in Judæa remanserunt; et quamvis identidem per urbes excursiones facerent, eo tamen postea revertebantur. Interim tamen communi decreto, sive, ut Chrysostomo placet, ex mandato Christi, electus ab illis est Jacobus, qui peculiarem illius Ecclesiæ curam gereret, id est ἐπισκοπήν. Neque illud obstabat, quominus aut ipse nonnunquam procurandi Evangelii gratia Jacobus peregre proficisceretur, aut ceteri, Hierosolymis cum essent apostoli, curam illam cum eo participarent. Ac cum presbyteris, sive episcopis Hierosolymitanis præpositum ab apostolis esse Jacobum Salmasius affirmet : nihil contra nostram, hoc est veram antiquorum omnium sententiam de singulari Jacobi præfectura opponitur ab eo, quod non in ipsum recidat, et eadem, qua nos teneri putat, absurditate constringat.

Quod si μετὰ τοὺς Ἀποστόλους, id est *post apostolos*, cum Hieronymo mavis apud Hegesippum legere; nihil intelliges aliud, nisi post ceteros huc illucque dispersos apostolos, Jacobum Hierosolymis resedisse, tanquam ordinarium, et stabilem illius Ecclesiæ curatorem, ac præsidem. Quo in sensu nihil est, quod vellicare Catharus possit, quin perinde τῇ πρωτοκαθεδρίᾳ, et presbyterii præfecturæ ab ipso eidem impositæ Jacobo repugnet.

XIII. Sed graviora sunt in reliqua de Jacobo disputatione illius flagitia ; ut in ea quidquid attigeris, ulcus sentias. Jacobum Hierosolymorum episcopum non esse factum probat hoc argumento[1], « quod hoc plane caret ratione, ut ex majore gradu in minorem aliquem provectum putemus. Hæc promotio non est, sed regradatio. » Deinde, « Apostolus, *inquit*, ipse, vel apostolis majoribus æquiparandus ὁ ἀδελφόθεος, si in episcoporum ordinem, quales tunc Ecclesiis regendis præficiebantur, presbyterorum Ecclesiæ nomine, cooptatus esset, non ascendisset, sed descendisset, ut ex majore gradu in minorem detrusus. Non cresceret ex parvo, sed decresceret ex alto. In apostolatu etiam episcopatus est, sed non in episcopatu apostolatus. » Quid hoc homine mobilius, et inconstantius? Nam Vertumni omnes præ illo Vertumni non sunt. Jacobum quarta ante pagina negabat apostolum fuisse[2]; et ideo scriptum ab Eusebio, « suscepisse ipsum Ecclesiam cum apostolis, nempe quia ipse non apostolus. » Nunc quod negarat, eo sic utitur, tanquam haud dubio, et confesso. Quidquid enim ad id probandum assumitur, quod in quæstionem venit, certum esse debet, et extra controversiam positum. Id autem inter nos quæritur, utrum Jacobus episcopus sit creatus. Salmasius ut creatum non fuisse demonstret, ait apostolum fuisse; neque qui apostolus esset, episcopum fas esse fieri. Atqui hoc vel præcise negarat, vel pro incerto habuerat, apostolum fuisse Jacobum. Quid obtusius hac ratiocinandi formula? Age vero, nonne idem[3] Jacobum ab apostolis presbyterorum, sive episcoporum collegio Hierosolymitano præfectum esse dixit? Etenim, cum duo fuerint, ut idem asserit[4], apostolorum genera, ut alii primi essent, alii secundi, et illi *a Christo missionem*, id est apostolatum, *acceperint;* alii, id est *secundi*, *ab ipsis apostolis*; Jacobus autem ex his secundis fuerit : prorsus missionem et apostolatum, si quem habuit, ab apostolis duodecim accepit. Ergo ab iisdem apostolis primatum illum Hierosolymitani presbyterii, ac præfecturam adeptus est, et *episcoporum episcopus* est factus[5]. Quo concesso, duorum alterum sequitur : aut episcopum ab apostolis creatum esse Jacobum, cum nec episcopus esset antea, nec apostolus : aut, si apostolus jam erat, regradatum cum fuisse, hoc est ex apostolo constitutum episcopum, et presbyterorum principem. Quod utrumque iisdem propemodum in paginis et negatum est, et affirmatum a Salmasio.

XIV. At rursus majorem, ac vere θεήλατον ἐμβροντησίαν in sequentibus intueri licet. « Jacobus, *inquit*[6], ab apostolis ordinatus potestatem accepisset ab illis, a quibus ordinatus fuerat, quasi delegatam. AT PAR A PARI NON MUTUATUR, NEC ACCIPIT AUCTORITATEM, UT PAR IN PAREM NON HABET IMPERIUM. Eam habet ex se, ac per se, ac suo jure utitur eodem modo, quo et collegæ suo. Nihil igitur ineptius et indoctius illa fabula, quæ Jacobum finxit ab apostolis ordinatum fuisse specialem Hierosolymorum episcopum, qui et ipse fuit apostolus. » Apostolum fuisse, deinceps probat ex Hierosolymitani concilii actis, in quibus post Petrum sententiam dicit. « Et ex ejus sententia demum formatum est et pronuntiatum concilii decretum, τότε ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις, καὶ πρεσβυτέροις, σὺν τῇ ἐκκλησίᾳ.

[1] Salm. c. 4. p. 197. — [2] Pag. 194. — [3] Salm. pag. 20. — [4] Ib. p. 40. — [5] Ib. p. 20. — [6] Salm. p. 201.

Tunc visum est apostolis, et presbyteris cum Ecclesia. » Hinc igitur apostolum fuisse Jacobum demonstrat, et quidem parem duodecim primoribus. Obsecro, apud te eras, cum ista scriberes? Ergone par Jacobus fuit primariis apostolis? et ubi est discrimen illud primi ac secundi ordinis apostolorum[1]? Ubi συνεργοὶ illi, et *coadjutores* apostolorum, quorum e numero Jacobus fuit, quem unum fuisse negas e duodecim[2]? Secundi illi apostoli missionem a primariis, et potestatem acceperunt[3], « ut a Paulo Timotheus, Titus, Linus, etiam Clemens. » « [4] Hi PRO ARBITRIO APOSTOLORUM, QUIBUS AD HOC MUNUS SUBSERVIEBANT, IN VARIAS CIVITATES MITTEBANTUR. » Ecquis illa conciliare poterit? Dic, sodes, Timotheus, ac Titus pares apostolo Paulo fuerunt? *non ab eo auctoritatem acceperunt?* Non Timotheum Paulus Ephesi cum potestate manere; non Titum in Creta ad ordinandas Ecclesias hærere jussit? Hoc tu ipse doces[5], et hanc utriusque ἀποστολὴν fuisse prædicas.

XV. Tum de secundis istis apostolis scribis sic[6]: « Hi sunt ergo apostoli, quales Titus, et Timotheus fuere, quos vult Theodoretus apostolorum ævo vicem episcoporum hodiernorum fuisse; quia et apostoli tunc nominabantur, et revera erant episcopi jure eodem, et ordine, quo hodie habentur, qui Ecclesiam regunt, et presbyteris præsunt, nisi quod uni civitati, vel ecclesiæ non essent alligati. Sic et illi presbyteris illius temporis præeminebant, quos et constituerant, et Ecclesias sibi ab Apostolo traditas, ἐγχειρισθείσας gubernabant. Isti apostoli sive apostolorum vicarii, et συνεργοὶ, etiam episcopi vocabantur earum Ecclesiarum, quas ab Apostolo administrandas acceperant. » Num *discipuli apostolorum, et vicarii,* qui ab iis *missi sunt*, et in certis Ecclesiis *manere jussi*, et ab iisdem *Ecclesias administrandas acceperunt, et pro arbitrio apostolorum mittebantur, et illis subserviebant*, pares illis fuerunt, nec auctoritatem ab iis acceperunt? Prius tenebris cum luce conveniet, quam dictis tuis illis invicem, ac sententiis, quæ hostilem ac barbarum in modum seipsas conficiunt, ac jugulant. *Numquid fons de eodem foramine* (verba sunt Jacobi istius[7]) *emanat dulcem, et amaram aquam?* Prorsus in te, Salmasi, quadrat, quod Martinus primus sanctissimus pontifex de tui similibus hæreticis in Lateranensi synodo dixit[8]: « Hic namque, quomodo unquam nec phreneticus quisquam ex omnibus, contra membra sua commotus est, per semetipsum propria consumens, atque interimens per dominantem ei errorem, atque dementiam. »

XVI. Nam illud cujusmodi est, quod addit, *Jacobus ab apostolis ordinatus potestatem accepisset ab illis, a quibus ordinatus fuerat, quasi delegatam?* Etiamne qui ordinantur episcopi, potestatem ab iis, a quibus ordinantur, accipiunt nonnisi delegatam? Hoc modo nullus in toto orbe catholico episcopus ordinariam potestatem habet. Ecquis enim non ab aliis ordinatus est? Imo vero ne episcopus quidem erit ullus. Nam episcopus is est, qui ordinaria potestate præditus est; eamque proinde mandare, ac delegare potest alteri. *Delegatus non habet jurisdictionem propriam*, aiunt jurisconsulti, *sed vice fungitur delegantis;* quo ex legis verbis hujusmodi colligunt[9]: « Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet; sed et ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. » Porro, ut Paulus ibidem tradit[10], « Mandatum sibi jurisdictionem mandare alteri non posse manifestum est. » Quocirca nemo jam, uti dixi, uspiam erit episcopus; quia delegatam omnes, et mandatam jurisdictionem habebunt, nec alteri eam delegare poterunt. *Nihil igitur ineptius, et indoctius* illa ratione, ut in auctorem convicia sua regerantur.

XVII. Quid quod in idem illud incurrit, quod pro absurdo veteribus objicit? Cum enim Jacobum asserat ab apostolis presbyterio, sive episcoporum collegio, quod erat Hierosolymis, præfectum fuisse; si vere superiora ista collegit, necesse est delegatam in eum potestatem esse transfusam. Tum illud etiam admitti ab eo necesse est, quod *absurdum commentum* vocat[11], « Jacobum apostolum, ac proinde universalem episcopum, in specialem, et localem transmutatum esse, et sic in ordinem coactum. » Qui enim Hierosolymis collocatus est ab apostolis; et, quod συνεργῶν omnium ac *coadjutorum* apostolicorum proprium fuit, *pro majorum arbitrio manere jussus est* ibidem; nonne *in specialem, et localem episcopum transmutatus est?* Quod ipsum et de Tito, ac Timotheo, saltem ad tempus aliquod concedendum est Salmasio. Quorum hunc Ephesi, illum Cretæ *speciali* utique, *ac locali* præfecturæ Paulus addixit. Ita miser undique suapte voce, ac confessione circumventus, et irretitus tenetur; ut, qua elabatur, nihil sibi reliqui fecerit.

[1] Salm. p. 201. — [2] Ib. p. 40. — [3] Ibid. — [4] Ib. p. 41. — [5] Ib. p. 42. — [6] Ib. p 113. — [7] Jacobi 3. 11.

[8] Secr. 4. to. 4. Concil. p. 702. — [9] De offic. ejus cui mand. est juris. l. 1. — [10] Ib. l. 5. — [11] Salm p. 201.

CAPUT NONUM.

De Marco evangelista, et episcopo Alexandrino. Refelluntur inanes de eo Cathari Salmasii conjecturæ. Fuisse singulares in multis Ecclesiis episcopos. Hieronymi de Marco testimonium. Non esse consequens, ordinandi jus penes simplices fuisse presbyteros, etsi Confirmationis sacramentum administrare permissum illis fuerit. Evodium Antiochiæ episcopum fuisse, nequicquam obstrepente Catharo : cujus fœdæ secum velitationes excutiuntur.

I. Post Jacobi minoris episcopatum, secundo loco Marcus in medium venit. In quo suum, et usitatum Catharus obtinet, ut quid dicat, et quam secum consentiat, pensi non multum habeat. Itaque simile in hoc, atque in Jacobo est animadversum, rationis humanæ, ac judicii naufragium fecit. « Non magis fuit specialis Alexandriæ episcopus Marcus (verba sunt Salmasii [1]) quam Jacobus Hierosolymæ. » Quid ita porro ? « Ex eo quippe genere apostolorum erat, quos diximus generalem, et nulli sedi addictam curam Ecclesiarum egisse. » Tum : « Ex ratione, *inquit*, officii, et muneris apostolici, et evangelistici, aliquo eum in loco residere minime oportuit, sed obire varias regiones, et Evangelium prædicare. » Jam hoc argumenti genus futile esse, ipsius, qui eo utitur, Salmasii testimonio convicimus. Jacobum ex eodem fuisse genere apostolorum statuit, in quo Marcum reponit. Et tamen nusquam ex urbe Hierosolymitana pedem extulit, sed in ea constanter habitavit, eodem teste Salmasio. Joannes ipse citra controversiam unus e summis apostolis fuit, qui tamen [2] « nec ipse orbem obambulavit, prædicandi Evangelii gratia, sed uno in loco mansit. » Falso igitur, insulseque pertendit, ideo Marcum non potuisse Alexandriæ fieri episcopum, quod ex apostolatus munere nullo in loco considere debuit. Nam de evangelistico munere quod ait, id in eo postulari ut nuspiam hæreat, quis risum contineat? Marcus evangelista idcirco ab Eusebio, et communi usu nominatur, quod evangelium scripserit. Quid huic scribendi officio magis est adversum, quam huc illucque discurrere, nec in certa sede commorari ? Itaque tantum abest, ut ex eo prudens aliquis colligat, Marcum assidue in peregrinatione, et itinere fuisse ; ut ei potius quietem, et aliquanti temporis secessum necessarium fuisse putet, quo in illam scriptionem incumberet.

(1) Epiph. hær. 51. num. 6. Καὶ γράψας ἀποστέλλεται ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πέτρου εἰς τὴν τῶν Αἰγυπτίων χώραν.

II. At ecce « cum Petro solitum περιοδεύειν (objicit Catharus [3]) prima ejusdem epistola testatur, quæ significat, eum tum secum Romæ, an Babylone fuisse. » Nolo hic abs te rationem ejus reposcere, quod gratis assumis, Marcum illum, quem secum esse Petrus in ea epistola testatur, eum esse, de quo agimus, evangelistam. Quod etsi complures asseverent ; tamen si negem, unde tandem probabis? Illud malim respondeas, qui scis Marcum solitum esse cum Petro cursitare, hoc est nihil in vita egisse aliud, neque tandem alicubi consedisse? Id neque tu ratione ulla potes ostendere, neque verisimile est. Habes enim qui contradicant, vetustissimos auctores et gravissimos, Eusebium [4], Hieronymum [5], ac plures alios ; qui Alexandrinam Ecclesiam a Marco fundatam esse perhibent, eique successisse dicunt Anianum octavo Neronis anno. Epiphanius (1) Marcum ait post scriptum Evangelium, a Petro in Ægyptum esse missum. Hinc etiam evangelicus thronus appellata est sedes Alexandrina, et *evangelica successio*, ut ad Synesium olim adnotavimus [6] : quod eam Marcus evangelista fundaverit ; et vero primus in ea episcopatum gesserit : ut ab antiquis accepimus, qui momenti plus afferunt ad promerendam fidem, quam Salmasii vel sine auctoritate ratio, si quam haberet ; vel citra rationem auctoritas, quæ est in illo non exigua, sed nulla. Fuerit Marcus cum Petro aliquanto tempore, et cum eo civitates, ac provincias obeundo peregrinatus sit ; nemo tamen hoc perpetuum fuisse demonstrat : et in Ægyptum postremo missum hunc a Petro, constans est veterum opinio. Quid hic tergiversamur? aut cur non præfecturam illius Ecclesiæ mandatam esse Marco credimus, hoc est episcopum istius esse factum? Sane nihil obstat, quominus et privatim urbis alicujus per sese curam susceperit, et toti nihilominus Ægypto præfuerit : quemadmodum metropolitæ omnes, itemque pa-

[1] Ibid. c. 4. p. 204. — [2] Ibid. c. 1. p. 23. — [3] Ibid. p. 204. — [4] Lib. 2 Hist. c. 24. — [5] Lib. de Scr. Eccl. c. 18. — [6] Ad Ep. 66.

triarchæ deinceps fecerunt; tum in provinciis ad Christianam religionem recens aggregatis Bonifacius Moguntinus, aliique plures instituerunt. Neque satis acute Salmasius, quod in uno, alterove contigisse legit, ut ad tempus allegarentur ad certas constituendas, vel ordinandas Ecclesias, id valere putat in omnibus. Ut enim de Timotheo, vel altero aliquo concedam; de Marco et similibus, argumento quopiam, si potest, a nobis exprimat, nec sola sit affirmatione contentus.

III. « Qui constituebant Ecclesias, *inquit* [1], vel per se, vel ex præscripto majorum apostolorum, non ipsi earum erant episcopi speciales, quia episcopos in iis Ecclesiis ordinabant, id est presbyteros. » Quam hoc facile dicit, tam a nobis facile contemnitur. Quid autem ineptius quam illud ipsum ad probandum afferre, de quo inter nos controversia movetur? Duo enim asserimus, et Marcum a Petro apostolo missum Alexandriam, ut Ecclesiam ibi constitueret, indeque, tanquam ex arce, pristina per Ægyptum expugnata superstitione, Christi fidem importaret; et ibidem episcopalem sibi sedem jussum esse capere. Salmasius, ut hoc posterius evertat, sumit id, quod negamus: nemini, qui ad constituendas Ecclesias destinabatur, specialem loci illius episcopum licuisse fieri. Atqui non nos ambo ista temere, et a nobis ipsis, tanquam ariolando dicimus, ut sunt pleraque Cathari, sine auctoritate ac ratione conficta; sed quæ ab sanctissimis, et gravissimis auctoribus memoriæ prodita sunt, ex Ecclesiæ, ac venerandæ antiquitatis archivis promimus. Contra quæ iste nihil aliud nisi φλυαρεῖ, καὶ πτερυγίζει, « Mens enim non sanari, sed vincere cupiens, aversa ab his, quæ dicuntur, ad nihil aliud intenta est; nisi ut inveniat, quod pro suis partibus eloquatur, » ut ait Maxentius [2]. « Contemptores auctoritatum veterum, (quod recte scribit Hormisda papa [3],) novarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam. »

IV. Hieronymus ecce in epistola 126. auctor est, « Alexandriæ a Marco evangelista, usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominasse. » Huic cum assentiatur Salmasius, nonne primum sedis illius episcopum fuisse Marcum fatetur? Nonne quod et falso, et pertinaciter asserit, ejurare cogitur: nullum, nisi post obitum apostolorum, ulli Ecclesiæ singularem episcopum præfuisse? Marcus enim apostolorum vixit ætate, et, ut Hieronymus scribit ex Eusebio [4], octavo Neronis anno ante Petrum ac Paulum pro Christo mortuus est. Tum, iisdem testibus, Marco successit Anianus; isque post annos duos et viginti moriens successorem habuit Abilium anno 4. Domitiani, vivente adhuc apostolo Joanne. Igitur, superstitibus adhuc apostolis, episcopus in una Ecclesia unus est positus, ac supra presbyteros constitutus; neque verum est, « apostolorum ætate in commune presbyteros Ecclesiam rexisse pares omnes honore, ac potestate [5]. » Nam quisquis ille fuit a Marco, hoc est apostolorum ætate, cœptus in excelsiore collocari gradu, sub episcopi nomine; par utique non fuit honore ac potestate iis, quibus erat excelsior. Hæc enim duo invicem contraria sunt. Quæ tamen Salmasius [6], pro eo ac solerti, et acuto judicio est, ambo tuetur, et affirmat; dum et Hieronymo credit Alexandrinæ primatem Ecclesiæ presbyteris excelsiorem ceteris, et episcopum asseveranti, et eumdem *pari* cum ceteris *honore*, *ac potestate* fuisse scribit.

V. Atenim Ambrosii seculo, « Alexandriæ presbyteri consignabant, si præsens non esset episcopus. Porro, si manus imponebant ad sacramentum Confirmationis dandum, etiam verisimile est, imposuisse ad ordinationes faciendas. » Ita Salmasius ratiocinatur [7], ut nullum tunc specialem episcopum Alexandriæ præfuisse colligat. Sed cum Hieronymi testimonium approbet; neque falso eum dixisse putet, quæ de primatu Alexandrinæ Ecclesiæ prodidit; cujus est judicii, conjecturis ac *verisimilibus* niti, ut nullum singularem fuisse probet Alexandriæ episcopum, presbyteris excelsiorem omnibus, cum aperte ac diserte talem fuisse confirmet Hieronymus? Uno verbo, vel falso istud Hieronymus, vel vere asserit. Si falso; cur illum ipsum Hieronymi pro se locum adduxit [8]? cur momenti in eo aliquid posuit? Sin verum est, ut est profecto, quod de Marco et Alexandrinorum successione præsulum ex hujus Ecclesiæ laterculo ab Eusebio, et Hieronymo scriptum est; nugari Catharus desinat, et inanibus ac ludicris conjecturis contra fidem vetustatis obniti. At etiam imperite consignationem, quam post

[1] Salm. p. 261. — [2] Dial. 2. init. — [3] Ep. ad Possess. — [4] Lib. de Script. — [5] Salm. p. 117. — [6] Confer. p. 113. cum p. 117. et 131. — [7] Sal. p. 205. — [8] Salm. p. 113. et seq. et p. 131.

baptismum, absente episcopo, usurpabant in Ægypto presbyteri, impositionem esse manuum existimat; in quo valde fallitur. Nam consignatio est chrismatio, sive unctio, quæ distingui solet ab impositione manuum, quam soli administrabant episcopi. Nec unquam Salmasius probare ullo exemplo poterit, manus ab alio rite, quam ab episcopo, in sacramento Confirmationis, ac secundum chrismationem, impositas fuisse; de qua re alias exquisitius agetur. Quare ludicra illius est argumentatio, non ab ea solum parte, quod presbyteros Alexandriæ manus imposuisse dicit *ad sacramentum Confirmationis dandum;* cum de sola *consignatione,* id est *chrismatione*, memoriæ proditum illud sit non ab Ambrosio, sed ab auctore commentariorum in epistolas Pauli: qui nec Ambrosius est, neque, quod viri docti complures existimant, Hilarius diaconus ex Luciferianorum schismate, ut supra demonstravimus. Verum non eatenus tantum frivola est Salmasii conjectatio, sed eo falsa, et insulsa, quod eamdem sumit rationem esse Confirmationis, et Ordinationis; ut si, absente episcopo, presbyteri prius sacramentum administrarent, posterius etiam contulerint: quod multis modis est absurdum, et non solum ab catholico dogmate, sed ab omni insuper usu, ac more Christianæ vetustatis alienum, ut Ordinis sacramentum per impositionem manuum dederit alius, quam qui consecratus esset in episcopum.

VI. « Quod de Marco dixi, hoc idem de Evodio Antiochiæ dicendum, » ait Salmasius [1]. Et verum est, idem de utroque dicendum; sed non quod ille dixit, quia verum non est: sed quod Christiana omnis antiquitas dixit, ac credidit, ut illum Alexandriæ primum, sic hunc Antiochiæ post Petrum episcopum fuisse. Quid autem nugacius hac illius disputatione? « Evodius ille, *inquit*, qui ei successisse dicitur in Antiochena Ecclesia, discipulus aliquis ejus (Petri) ac συνεργὸς fuerit, cui curam demandavit Ecclesiæ illius ordinandæ, et constituendorum in ea presbyterorum. » Age, quod ultro dat nobis, accipiamus. Fuerit Evodius unus ex *coadjutoribus* Salmasianis, itidem ut Jacobus. Certe quod huic concedit, illi negare non potest; nisi sortiri quid dicat potius velit, quam certa, et prudenti ratione duci ad asseverandum. Cum igitur Jacobus ille majorum apostolorum συνεργὸς, et ex eorum nutu, et arbitrio pendens, Hierosolymitanæ Ecclesiæ, ac toti presbyterio cum potestate et auctoritate præpositus sit; idem de Evodio fatendum illi erit. Etenim, si Jacobo nihil munus, et officium illud obstitit *coadjutoris* et συνεργοῦ, quominus certam Hierosolymis sedem caperet, nec extra eam vagaretur, ut Salmasio placet; cur Evodium Antiochiæ resedisse, ob eam ipsam causam negat, quam in Jacobo dissimulat? Si enim *coadjutor* apostolorum nullibi hærere potuit, neque certa in Ecclesia præfecturam gerere; quid Hierosolymis Jacobus ille faciebat; aut cur presbyteris, et iisdem episcopis ibi præerat, episcopus ipse ac presbyter, adeoque episcoporum episcopus? quod idonei probat auctoris testimonio acutissimus Salmasius [2], pseudo Clementis in epistola ad Jacobum. Quod si συνεργοὶ illi ab apostolis alicubi collocari poterant, et propriam sedem, ac præfecturam obtinere; quæ tandem invidia est, Evodium simili in officio, et gradu *coadjutoris* positum, cum eadem Antiochiæ potestate ex apostoli Petri auctoritate constitisse? Quem quidem episcopum fuisse, et ita nominatum esse, non potest inficiari Catharus; siquidem presbyter fuit, et presbyteri omnes episcopi vocabantur, ut ille putat. Porro id supra reliquos habuit Evodius, quod et Jacobus, ut omnibus præesset, essetque episcoporum episcopus, hoc est singularis episcopus; quia nullus alius pari jure ac dignitate in Ecclesia illa fuit. Singularis ergo fuit, et ut presbyter, sic episcopus singularis; quomodo latinos inter oratores, singularis orator Cicero dicitur inter poetas Virgilius. « Sicuti, ait Justinianus [3], quum Poetam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius; » et tamen poetæ sunt omnes: sed inter omnes singularis est nonnisi unus.

VII. Neque vero, cum de prima illa Ecclesiæ orientis ætate quæritur, an per civitates singulas singuli fuerint præsides, ac præpositi, sive ubique, sive in quibusdam illarum; curandum istud est, an illis subjecti presbyteri episcopalem consecrationem habuerint, an simplices fuerint presbyteri. Nihil hoc enim ad præsentem controversiam spectat, quæ in eo tota vertitur, an unum per Ecclesias caput, hoc est singularis antistes, et episcopus fuerit; an ubique πολυαρχία constituta sit, et plures singulis presbyteri, et episcopi pari omnes potestate, et auctoritate præfuerint, quod Sal-

[1] Salm. p. 208. — [2] Pag. 20.

[3] Lib. 1. Instit. Tit. 2.

masius existimat: imo vero quid de eo liquido, ac bona fide sentiat, expiscari nemo possit; modo enim hoc, modo illud asseverat. Nunc, inquam, in Ecclesiis omnibus plures eadem, ac pari potestate, et auctoritate rectores collocat. « Tunc temporis, *inquit* [1], id est, apostolorum ætate, in commune presbyteri Ecclesiam regebant, pares omnes honore, ac potestate. » Et postea [2], « In unaquaque urbe, apostolorum ævo, plures semper constitutos esse episcopos, qui et presbyteri dicebantur; et communi tum eorum presbyterorum, sive episcoporum consilio gubernatas fuisse Ecclesias. » Nunc vero unum aliquem localem et singularem episcopum presbyterio ab apostolis fuisse præpositum asserit; velut Jacobum majorum apostolorum συνεργὸν [3], et ex eorum auctoritate pendentem, Hierosolymitanæ affixum Ecclesiæ fuisse. Cum enim συνεργοὺς istos, et apostolos minores a majoribus « immediate missionem suam accepisse, et missos ab iis esse » dicat [4], « ut ex præcepto, et mandato eorum, a quibus mittebantur, presbyteros, eosdemque episcopos constituerent; » Jacobus autem « presbyterio, hoc est cœtui episcoporum, sive presbyterorum in illa civitate constituto præfuerit, » et ibi affixus manserit: nonnisi « ex mandato et præcepto apostolorum » hæsit in illa urbe, et Ecclesia; quandoquidem [5] « hi συνεργοὶ apostolorum, qui et apostoli quodammodo eorum, nulli civitati erant adfixi, et addicti, sed PRO ARBITRIO APOSTOLORUM, QUIBUS AD HOC MUNUS SUBSERVIEBANT, in varias civitates mittebantur. »

VIII. Igitur Jacobus *pro arbitrio apostolorum*, et *ex eorum mandato* Hierosolymis resedit; et cum ex officio vagari, et quocumque vellent hi, *quorum* συνεργὸς *erat, et quibus subserviebat*, proficisci deberet, ac missionem, functionem, et curationem exercere sibi a majoribus impositam, et injunctam; plane singularis illa præfectura, qua presbyterio Hierosolymitano præfuit, et *episcopus episcoporum* fuit [6], de voluntate, et mandato, auctoritateque venit apostolorum. Siquidem [7] « Presbyterorum, vel episcoporum illi cœtui apostoli gubernandam Ecclesiam Hierosolymitanam commiserant; » nec Jacobus aut eamdem Ecclesiam gubernare, aut iis ipsis presbyteris, et episcopis præesse potuit, nisi ab apostolis iisdem esset impositus, eique destinatus Ecclesiæ, ab quibus missio illius, et officii ac ministerii ratio tota pendebat. Age enim, cum Paulus Timotheum Ephesi, ac Titum in Creta insula manere jussit, et apostolicum ibi munus, quod et episcopale Salmasius esse concedit, obire præcepit; a quo demum ambo episcopalem illorum locorum curationem, et præfecturam acceperunt, nisi ab apostolo Paulo, cujus auctoritate ac mandato illorum est provinciis istis alligata, et circumscripta missio? Dubitabimus igitur, quin iisdem argumentationis vestigiis eo perveniatur, ut ab apostolis Jacobus Hierosolymitanæ Ecclesiæ primatum, ac præfecturam acceperit; ac sit ab illis civitatis ejus creatus episcopus? Nonne, si Romanus Pontifex episcopum aliquem ordinet, sive certæ cujusdam Ecclesiæ, sive nullius nominatim, sed ita ut certam ei postmodum destinet, utroque modo ab Romano Pontifice factus dicetur Ecclesiæ illius episcopus? Nemo sit, opinor, tam ineptus, qui hoc negare audeat. Ergo, cum et Jacobus apostolatum, id est episcopatum, *immediate* ab apostolis acceperit, ut Salmasio placet [8]; et, ut idem asseverat, et ex eorumdem arbitrio, Hierosolymitanæ Ecclesiæ curationem, et præfecturam nactus sit; num aliud, quam valde insulsum ineptumque esse statuas, qui episcopum nihilominus neget Hierosolymæ Jacobum ab apostolis esse factum? Mirum est cum hæc legerit, ac fœdam illam decretorum pugnam secum agnoverit, si non eum tantæ levitatis, et ἀκρισίας, inscitiæque pudeat.

[1] Salm. p. 117. — [2] Idem p. 132. — [3] Pag. 20. et 40. — [4] Idem p. 40. — [5] Salm. p. 41.

[6] Idem pag. 20. — [7] Ibid. — [8] Pag. 40.

CAPUT DECIMUM.

De Romana sede, et episcopis illius, quos a Petro singulares in ea præfuisse probatur. Variæ sententiæ veterum de Petri successore. Fuisse tamen unum certum, et singularem. Irenæi de eo testimonium, et aliorum antiquorum. Salmasii quoque consentiens de eo sententia; et mira ejus inconstantia, et implicata inscitia. Excutitur Clementis locus ex epistola ad Corinthios.

I. Cum apostolicas traditiones ex earum Ecclesiarum auctoritate, quæ ab apostolis fundatæ sunt, probare vellet Irenæus [1], unam ex omnibus Romanam sumpsit Ecclesiam, ex qua de reliquis, quas commemorare longum esset, certa fieri conjectura posset. Eadem nunc ad institutam disputationem valet argumentatio; et ex illius urbis episcoporum serie, vera, et catholica contra Salmasium firmatur opinio : fuisse singulares in Ecclesiis præsides apostolorum tempore ; neque πολυαρχίαν, id est ἀναρχίαν in illis esse constitutam.

Quod ex Romana præ ceteris insigniter elucet: cujus a Petro, Pauloque ductam episcoporum successionem, et Christianæ antiquitatis memoria testatissimam, in dubium vocare sit imperiti; negare autem, præter modum impudentis. Id quidem supra capite secundo multis, et gravissimis testibus palam esse confido factum ; qui accurate singulorum ad sua quique tempora numerum, ordinem, ac nomina perscripserunt. Et quamvis, ob sententiarum discrepantiam, haud plene constet, quinam proxime a Petro, ac deinceps per aliquot capita, pontificatum gesserint ; illud inter omnes convenit, unum ibi, et singularem, toti non modo clericorum collegio, sed etiam Ecclesiæ præpositum fuisse : sive simplex is hactenus presbyter erat, sive episcopalem consecrationem habebat; ut tunc moris fuit, plures in clero episcopos fieri, qui per Romani Pontificis absentiam, aut aliis de causis, quæ in amplissima, et principe omnium Ecclesia necessariæ esse solent, propria illius ordinis munera præstarent.

II. Hoc ne temere quispiam divinare nos existimet, testem dabimus idoneum rei hujus Epiphanium, qui in hæresi 27. [2] de hac ipsa Romana in Ecclesia pontificum successione accuratius disserens, ex Irenæi descriptione post Petrum et Paulum sedisse Linum ait ; post hunc Cletum, deinde Clementem. Quem scribit Petri et Pauli tempore floruisse, neque tamen proxime ab illis sedem obtinuisse, sed quartum ordine ; cujus rei causas affert duas. Aut enim, adhuc illis viventibus, impositione manuum accepta, usum officii detrectavit ; aut a clero demum ordinatus est. Tum addit, « (1) Fieri potuisse ut, etiamnum superstitibus apostolis Petro et Paulo, alii episcopi constituerentur, eo quod apostoli sæpe prædicandi Christi gratia in alias regiones peregre proficiscerentur ; nec posset Romana civitas sine episcopo esse. » Plura de hoc apud Baronium leges in Annalibus [3] ; neque enim instituti est nostri diligentius in hanc historiam inquirere. Et alioqui tritum illud est, et omnibus notum, in primariis Ecclesiis, sub summo antistite, alios fuisse velut adjutores, qui, illo vel absente vel aliis negotiis implicato, vices ejus implerent. Quod illo maxime tempore usuvenit, cum et primi sedium episcopi, imprimisque Romanæ, Petrus et Paulus, varias in provincias prædicandi causa longius abirent, (ut nominatim refert Epiphanius,) et in clero sub initium Christianismi complures essent episcopali consecratione præditi præsbyteri ; quod in primo libro Dissertationum ecclesiasticarum contra Trapezitam Catharum ostendimus.

III. Nihil igitur Salmasius argumentatione sua promovet ; qui propterea neminem ullibi singularem Ecclesiæ rectorem fuisse dicit, quod constat plures in omnibus episcopos esse constitutos. Nam utrumque verum esse, persuadent ea, quæ hactenus diximus ; et idem Salmasius postea confitentem audiemus. Cujus id esse proprium, sæpe testatus sum, ut neque pensi habeat, quam constanter convenienterque scribat, et multa sibi adversantia

(1) EPIPH. hær. 27. num. 6. Πλὴν ἀλλὰ, καὶ οὕτως ἠδύναντο ἔτι περιόντων τῶν Ἀποστόλων· φημὶ δὲ τῶν περὶ Πέτρον, καὶ Παῦλον, ἐπισκόπους ἄλλους καθίστασθαι· διὰ τὸ τοὺς Ἀποστόλους πολλάκις ἐπὶ τὰς ἄλλας πατρίδας τὴν πορείαν στέλλεσθαι, διὰ τὸ κήρυγμα τοῦ Χριστοῦ· μὴ δύνασθαι δὲ τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν ἄνευ ἐπισκόπου εἶναι.

[1] Iren. l. 3. c. 3. Vide supra c. 2.

[2] Num. 6. — [3] Ad an. 69.

in eamdem propemodum paginam includat. Hujus ergo contemnenda sunt ista [1] : « Si Clemens Romæ specialem episcopatum post Petrum tenuit, plures Romæ eodem tempore episcopos extitisse necesse est. Nam Linus, et Cletus etiam episcopi Romæ fuisse memorantur, et quidem omnes Petro vivente. Paulo ante obitum suum consecrasse Clementem traditur in libro de vitis Pontificum. Sic tres episcopi Romanæ Ecclesiæ cum Petro fuere. » Ne puero quidem difficile est hunc nodum solvere. Nam illa sunt ejusmodi, ut sive neges, sive concedas, tantidem sint ad id, quod cupit, ratione concludendum. Epiphanius, ut paulo ante vidimus, rem in dubio ponit. Quod si quis Linum, et Cletum, imo et Clementem, vivo adhuc Petro, episcopos fuisse, id est manuum impositione consecratos esse defendat ; poterit una singularem tueri unius Ecclesiæ præfecturam, cum supra plures summus emineret aliquis, cui post alios deinceps alii successerunt. Neque vero nominis interest, sive episcopus, sive presbyter, sive episcopus episcoporum, sive aliud quodpiam genus appellationis habuit ; dum de re ipsa constet. Quis illum vero cogit sic inepte colligere [2] : « Omnem illam confusionem de primis Romæ episcopis non aliunde ortam esse, quam quod episcopi non fuerunt, quos fuisse dicunt ? » Quid hoc imperitius ? Eodem enim jure concluseris, si quid in regum, aut pontificum, aliorumve principum descriptionibus controversiæ sit, nullos omnino successores fuisse ; quoniam, qui fuerint, incertum habeatur. Cur non antiquos potius sequimur, qui et episcoporum illorum seriem perscripserunt ; et cur diversi in serie ponerentur, probabilem reddidere causam ?

IV. Nobis Irenæus satis dignus videtur, cui de rebus istis paululum ætatem suam antegressis fides habeatur. Magis hoc utique meretur, quam adulterini isti, ac suppositii, quorum ad auctoritatem, ubi commodum sibi putat, confugere solet Catharus. Irenæus ergo Lino « (1) ab apostolis episcopatum administrandæ Ecclesiæ traditum » scripsit ; cui Eusebius, aliique veteres assensi sunt, quos in capite secundo supra memoravi. Neque nos ab hac de singularibus Romæ, vel aliarum civitatum præsidibus, opinione dimovet commentum illud Salmasii [3], hujusmodi συνεργούς, quales Linus et Clemens fuere, nullius certi loci ab apostolis ordinatos episcopos. Quod nec unquam ille probare potuit, certe hactenus non fecit ; et nos in superioribus capitibus, ingenti mole, ac pondere auctoritatis elisimus. Etenim iidem illi falso, ac temere id esse confictum arguunt, qui singulorum in Ecclesiis successiones episcoporum adnotant, Irenæus, Ignatius, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, Optatus, Hieronymus, Augustinus, qui et quales viri ! tum alii innumerabiles, quibus unicum opponere grammaticuli Cathari supercilium, id vero est non, ut ille de scena, *cum ratione*, sed *sine ratione*, et communi sensu *insanire*, ac furere. Denique Jacobum iste apostolum, et apostolorum συνεργὸν, unumque de genere illo, cui vagandi, et ambulandi sine fine partes mandavit Salmasius, certo in loco mansisse vult, et Hierosolymis nunquam pedem extulisse ; quod etiam de Joanne apostolo docuit. Quod utrumque licet ariolando, ac sine teste sumit ; tamen, quia contra se hoc imprudens posuit, ut alias fere consuevit, quid inde concludi possit, obiter videro : ut quam sit non dialecticæ modo, sed etiam ratiocinandi rudis, agnoscat.

V. Etenim quis hoc ex primis elementis argumentandi non didicit, quod in libro 1. priorum Analyticorum Aristoteles, et ante hunc sua cuique ratio præscripsit : cum universe, ac generatim aliquid enuntiatur, sive affirmando, sive negando ; ut id falsi coarguatur, satis esse, si contrarium ejus, quod universe pronuntiatur, in uno aliquo monstretur ? Ut si quis dixerit, *Omne animal est rationale ;* vel, *Nullum animal est rationale*, statim ille convincetur, si et *aliquod animal non rationale esse* probavero, et *quoddam esse rationale*. Jam doctissimus Salmasius, ut illud contra antiquos omnes adstruat : nullum singularem episcopum apostolorum ætate ulla in Ecclesia fuisse ; aut hoc etiam : Jacobum Hierosolymitanæ, Marcum Alexandrinæ Ecclesiæ, vel si qui alii in singulis Ecclesiis singulares fuisse perhibentur earum præsides, non singulares fuisse ; sic argumentationem suam instruit, ut certe facere debuit : Omnes et apostoli, et apostolorum adjutores, et συνεργοὶ qui illis temporibus extiterunt, varias urbes,

(1) IREN. lib. 3. cap. 3. ita græce apud Euseb. lib. 5. Hist. cap. 6. Θεμελιώσαντες οὖν, καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι Ἀπόστολοι τὴν Ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν.

[1] Salm. p. 209. — [2] Salm. p. 210.

[3] Vide pag. 211.

et provincias obeundo peragrarunt. Vel ita : Nullus apostolus, aut apostolorum συνεργὸς certo in loco sedem, ac domicilium fixit. Tum ita nectit : Atqui Jacobus, et Marcus, et quicumque alii referuntur illarum Ecclesiarum præsides, συνεργοὶ fuerunt. Neque igitur Jacobus Hierosolymitanæ Ecclesiæ, neque Marcus Alexandrinæ, neque ceteri privatim Ecclesiarum illarum, quibus præfuisse narrantur, præsides ac rectores extiterunt. Hæc tota vis est Salmasianæ argumentationis, imo dissertationis illius sub Messalini persona ab illo editæ summa atque complexio. In hoc, inquam, uno argumento, ac syllogismo totus ille, quantus est, liber consistit. Eo detracto, et exturbato, ruit moles universa, et in pulverem, ac ruinas collapsa dissipatur.

VI. Num igitur adversaria illi manus expectanda fuit, quæ structuram istam labefactaret, ac disjiceret? Prorsus hoc necesse non fuit. Nam ipsemet iisdem in paginis, quæ molitus erat, evertit; et, ut furiosus ille, ignem ædibus suis injecit, ac vineta sua, et arbusta cecidit. Etenim duo, quæ invicem contraria sunt, enuntiata isto in libro tuetur : ut et nullum affirmet [1] ex ordinis secundi apostolis certo in loco mansisse, aut ulli Ecclesiæ singulari præfuisse ; et Jacobum unum ex eodem secundo ordine Hierosolymitana in Ecclesia mansisse perpetuo [2], nec ex ea pedem movisse, et eidem tamen præsedisse. Si Jacobus unus τῶν συνεργῶν, et *adjutorum* vacationem habuit laboriosæ functionis, neque vagari, ac peregrinari ex officio compulsus est; si Joannes magnorum unus apostolorum idem jus impetravit; cur non et Marcus, et Evodius, et Linus, ac reliqui omnes, quibus certarum Ecclesiarum præfecturam omnis retro antiquitas adjudicavit? Aut qua fronte de istis argumentari poterit ex communi effato illo : Neminem istius generis in uno loco resedisse ; si in Jacobo et Joanne falsum illud esse ipsemet fatetur? Dicat colorem aliquem, si potest, quo se ab illa fœda, et indigna sano quovis, ac sobrio conflictione defendat.

VII. Quocirca puto neminem ignorare jam posse, qui antecedentem omnem disputationem legerit, nihil ratiocinatione ista futilius esse, quæ in tota tua, Messalino-Salmasi, dissertationis farragine regnat, ac sola dominatur ; nec, ea tibi ingratiis excussa, restare aliquid non eruditi modo, sed humani quoque sensus, minimeque stupidi : ut ex ἀειλογίᾳ ista, cui te tua temere ac falso quidvis asseverandi levitas, et βαττολογίᾳ obnoxium fecerat, in manifestam ἀλογίαν incideris. Itaque pessime te ratione usum esse, et tibimetipsi repugnare te, ne tu ipse quidem inficiari audebis, nisi te tui amor occæcavit. Quod autem ex Clementis epistola ad Corinthios, aut etiam altero quopiam ætatis ejusdem ea probare, quæ asseris, posse confidis ; non minus hallucinaris. Sed antequam singillatim illa persequor, ac tibi nihil esse contra catholicam fidem, et opinionem meam, in antiquitate præsidii, demonstro ; prius illud volo universe de te prudens lector æstimet, cujusmodi tandem vis in te judicii sit, et quam in ista nostra concertatione tua sapiens et bene provisa ratio. Tu cum habeas diserta, et expressa scriptorum ejusdem propemodum seculi, ætatisque testimonia, ut Irenæi, Ignatii, ac ceterorum deinceps, quos percensui ; qui ex Ecclesiarum singularum archivis, et scriniis continuatam inde jam ab apostolorum tempore seriem antistitum, et episcoporum singularium exhibent : tamenne tergiversaberis? tamen obscuris, et incertis, nec minus pro nobis, quam pro te facientibus ; minus certe, quam nostræ sunt, explicatis et apertis contra nos et illos auctoritatibus abuteris ?

VIII. Age enim Clementis, quem unum ex antiquis testem pro te firmissimum habere te putas, verba ipsa spectemus; doceamusque, nihilo tuam illius auctoritate munitiorem esse pravitatem dogmatis, et inscitiam. Scribit apostolos, « (1) per regiones et civitates prædicantes, primitias earum, per spiritum approbatas, in episcopos, et ministros constituisse eorum, qui crediturі erant. » Ac [3] « ne quis putet, eos episcopos accipiendos esse de isto genere episcoporum, qui hoc tempore ita vocantur, presbyteris majorum ; sequenti capite πρεσβυτέρους illos appellat, et plures tam in Corinthiaca Ecclesia, ad quam scribit, quam in aliis per illa tempora fuisse significat, » ait Salmasius. Sed quid illud adversatur opinioni nostræ, aut contrariæ suffragatur, id est tuæ? Primum non hoc asserit Clemens, plures in singulis Ecclesiis episcopos, et eosdem pre-

(1) CLEM. epist. 1. ad Cor. pag. 54. edit. Anglic. Κατὰ χώρας οὖν, καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ Πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους, καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν.

[1] Salm. p. 22. 41. 46. 211.

[2] Idem pag. 20. 23. 45. 46. — [3] Salm. p. 212.

sbyteros fuisse pari omnes auctoritate ac potestate, nec unum aliquem illis præfuisse. Quod si diceret, non nos magis, quam teipsum læderet, qui idem nobiscum fateris, cum etiam contrarium eodem in libro doceas; nec, nisi doceres, tam loquax esse posses : quid enim diceres, nihil prorsus haberes. Hoc igitur detracto, quod Clemens non ait; plures eodem jure, auctoritate, dignitate, in omnibus Ecclesiis fuisse semper episcopos; superiorem inter eos neminem : μάτην κοπιᾷς καὶ σιβυλλιᾷς, et, ut Sisyphus ille, frustra idem, quod assidue versas,

Saxum sudas nitendo, neque proficis hilum :

non solum contra me, ut dixi, sed etiam te contra, qui mihi assentiris. Nonne me affirmare scis, primis illis Ecclesiæ temporibus, quibusdam in civitatibus presbyteros plures cum episcopali consecratione creatos esse, eosdemque dictos episcopos? Huic tu illud adjungis, inter illos presbyteros unum aliquem primatum habuisse, utique dignitate ceteris antecellentem; quod non modo non repugnantibus nobis, sed etiam approbantibus dicis. Doce huic esse dissentaneum, quod ab Clemente in illa epistola scribitur. Nisi id agis, muto tibi esse præstat, quam incassum tantum verborum perdere.

IX. Atenim [1] « de Petro nihil nominatim dicit, a quo constitutus Romæ episcopus dicitur, sed generatim de omnibus apostolis, » eos, cum futuram prævideret de episcopatu contentionem, hujusmodi Ecclesiæ presbyteros, et præfectos nomine episcoporum ordinasse. Verum non de sola ibi Romana loquitur Ecclesia, sed universe de omnibus, quas apostoli variis in locis instituerunt; idcirco Petri nominatim non meminit.

Sed neć illud majoris est ponderis, quod Ecclesiæ Romanæ nomine concepta est hæc epistola Clementis : « Nec Clemens igitur fuit episcopus Romæ singularis et unicus, ait Catharus [2], nec Romano presbyterio præfectus; sed unus ex illis apostolorum ministris, quorum opera uti solebant in Ecclesiis constituendis. » Vana, et imperita collectio. Nam et Ecclesiæ totius Romanæ nomine ad Corinthiacam scribere Clemens potuit; et illi ipsi apostolorum ministri, quorum opera constituebant Ecclesias, earum præfecti fuerunt, ut Catharus et Salmasius affirmat [3], et Jacobi exemplo probat [4]. Quare cum Clementem ejusdem, ac Jacobum ordinis fuisse censeat, non minus ille Romanæ Ecclesiæ præfuit, quam iste Hierosolymitanæ. Quod idem de Corinthiaca Ecclesia dicendum est, cui suus perinde primas, et præfectus tum fuerit ex Salmasii decreto; quanquam interregnum ibi per illud tempus esse potuit, cum Ecclesiæ Romanæ nomine Clemens ad illam scripsit.

CAPUT UNDECIMUM.

Salmasii de singularibus per Ecclesias præfectis, et episcopis apostolorum ætate, accuratius explicatur opinio; ac mirifica secum illius repugnantia convincitur. Dici ab illo fuisse per singulas Ecclesias singulares episcopos, presbyterii primates, qui nomine, dignitate, jurisdictione antecellebant ceteris; quod in eodem libro rursus negat. De apostolis minoribus, et majorum adjutoribus fœda illius conflictio. Jacobum, Marcum, ac ceteros apostolorum ætate veros certarum sedium episcopos fuisse, eodem adstipulante Salmasio.

I. Volo nunc plenius illud exponere, quod superiori capite docui, Messalino-Salmasium istud ipsum, quod in nobis, et Catholicis omnibus reprehendit, sentire, ac libro in suo docere : apostolorum ætate unum aliquem in Ecclesiis fuisse præsidem, ac præfectum, qui non minus episcopus, quam presbyter appellatus fuerit. Ex quo stupenda, prodigiique similis istius ἀκρισία, cæcitasque fiet; quo nemo inimicior est, ac magis adversarius, quam ipse est sibi.

Salmasius in capite quarto Dissertationis ita scribit [5] : « Antiquior, ac prior mos fuit Ecclesiarum ab ipsis apostolis institutus, ut pri-

[1] Id. p. 213. — [2] Idem p. 221. — [3] P. 44. — [4] P. 23. et 45. 46. — [5] P. 205.

matus inter presbyteros non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Quod Hieronymi testimonio approbat, qui id a Marco institutum refert. At Salmasius etiam Marco id antiquius putat, et ab ipsis apostolis profectum. Quod deinceps in sequentibus paginis explicare pergit[1] : itaque censet, primatum illum apostolorum institutione, ex ætate tributum esse, sive ordinationis tempore, ac « [2] toto id primo seculo, et ad initium secundi invaluisse. » Postea non ex ordinationis tempore, sed ex merito, et electione concessum.

Rursus in eodem capite, de illa ipsa primi seculi institutione loquens[3], « Ita inter presbyteros, *ait*, prima sedes dabatur, sive πρωτοκαθεδρία, ei qui ordinatione antiquior ceteris esset. Qui successionem primorum in variis civitatibus episcoporum litteris consignarunt, dum ad suorum temporum consuetudinem respiciunt, episcopos nominarunt, qui primi erant ordinis ex tempore ordinationis, et qui primum in ordine officii gradum habebant. »

II. Hactenus in presbyterio primatum Salmasius agnoscit apostolorum tempore, et ab iis institutum ; hoc est unum aliquem[4] « in priore, et altiore gradu constitutum. » Mox vero istos etiam concedit κατ' ἐξοχὴν episcopos esse dictos. Nam post illa verba, quæ proxime ante descripsi, in quibus asserit, eos, « *qui successionem primorum in varits civitatibus episcoporum litteris consignarunt*, *eosdem episcopos nominasse*, subjicit hæc : « Fortasse etiam ita nominabantur κατ' ἐξοχὴν quibus primatus eo modo delatus fuisset, cum ceteri nuncuparentur presbyteri. » Habemus igitur ex Salmasii confessione, singulares episcopos per civitates ab apostolis factos, itaque nominatos. Saltem hoc probabile judicat, dum *fortasse ita*, hoc est *episcopos nominatos* κατ' ἐξοχὴν putat, *cum ceteri nominarentur presbyteri.*

Qua in re mirum in hoc homine conflictum opinionum, et inconstantiam licet animadvertere, qui illud idem, quod probabile ibi judicat, antea tanquam falsum absurdumque damnarat. Nam capite secundo sub initium[5], græcos Apostoli interpretes refellit, qui dicerent, « tempore, quo scribebant apostoli, presbyteros fuisse vocatos episcopos, episcopos vero presbyteros ; nec tamen plures episcopos, sed unum singulis præfuisse civitatibus. » Et, « Quomodo hæc, *inquit*, explicabimus, ut recta his sententia concilietur ? » Mox illud redarguit eo argumento, quod, « cum et episcopus ex consuetudine illius seculi presbyter vocaretur ; et ipsi presbyteri, qui sub illo presbytero erant, episcoporum quoque appellatione censerentur ; » si vera illorum esset sententia, « unus episcopus, qui et presbyter, pluribus presbyteris, qui et episcopi dicti, præfuisset. Hoc modo presbyter in presbyteros, id est pares ; episcopus in episcopos summam habebat potestatem ; et nullum erat discrimen nominis, cum tantum esset discrimen dignitatis. Quod in aliis corporibus, et collegiis nunquam usuvenit, ut fieret, aut audiretur. » Pergit deinceps in eadem disputatione latius explicanda, ut absurdum esse persuadeat, *tempore*, *quo scribebant apostoli*, cum omnes et presbyteri, et episcopi nominarentur, unum aliquem inter plures extitisse, qui peculiari appellatione diceretur episcopus, et dignitate præstaret. « Cum igitur presbyteri, *inquit* [6], omnes ex æquo vocarentur, et episcopi pariter omnes, nullum inter eos tum discrimen fuisse dignitatis, ex eo comprobatur, quia nullum esset appellationis. »

III. Quis hanc tantam, ac tam insignem decretorum repugnantiam vel mirari satis, vel castigare pro merito possit ? Etenim quæ duo fieri istic potuisse negat ; ut et unus aliquis præcipue, et κατ' ἐξοχὴν nominaretur inter episcopos episcopus, et dignitate præstaret ; ea totidem in capite quarto, et in iis quas adnotavi paginis, partim probabilia esse, partim vera certaque pronuntiat. De appellatione ipsa singulari unius e multis, « Fortasse, *inquit* [7], ita nominabantur (nempe episcopi) κατ' ἐξοχὴν quibus primatus eo modo delatus fuisset, cum ceteri nuncuparentur presbyteri. » Et quamvis non minus ipse presbyter vocaretur, quam ceteri, tamen « in priore et altiore gradu constitutus erat. » Tum addit, « Primo toto seculo, et magna parte secundi, presbyterorum primates, quibus hunc primatum Ordo tribuebat, in successionis episcoporum serie, NOMINE EPISCOPORUM SIGNATI, AC CENSITI SUNT. » Ergo nominatim *episcopi* vox, et appellatio uni alicui tributa fuit apostolorum tempore. Hoc enim posterioribus hisce verbis affirmate dicit ; quod paulo ante velut dubitabundus *fortassis* ita fuisse docuit. Fuerint igitur singulares aliqui in Ecclesiis, et civitatibus singulis episcopi ab apostolis instituti ; et falsum sit, quod alio in loco nullos ejusmodi extitisse

[1] Pag. 206. et 207. — [2] Pag. 207. — [3] Salm. pag. 273. — [4] Pag. 274. — [5] Pag. 85. — [6] Pag. 86. — [7] Pag. 274.

scripsit, sed commune tantummodo plures nomen istud habuisse.

IV. Quid deinde consequens erit? quid? Num aliud, nisi quod et ipse antea negabat, illos ipsos singulari episcoporum appellatione præditos, dignitate præstitisse reliquis, neque[1] *pares omnes honore ac potestate* fuisse? Nam *primatem esse,* vel *primatum habere*, est *eminere*, et *extare* inter alios, iisque dignitatem habere majorem. Undecumque tandem *primatus* iste contigerit, sive ex ætate, id est ordinationis tempore, sive ex merito, et electione, nihil hoc ad rem facit. Nihilominus enim *primatus* fuit, id est, honor atque dignitas potior. Nec vel fingi animo potest, *primatem* esse quempiam, qui par sit, et æqualis iis, quorum *primas* dicitur. Omnino etiam superiorem, et antecellentem esse eum oportet, quatenus primatum obtinet; et hoc ipsum πρωτοκαθεδρία, id est *prima sedes*, vel *primus gradus in ordine officii* significat : quæ Catharus Messalinus primatui illi apostolorum ætate concedit. Quærendus profecto nobis est Œdipus aliquis, qui hoc ænigma illius explicet[2] : « Verisimile ergo est, *inquit*, hoc idem institutum inter Ecclesiæ presbyteros, QUI OMNES HONORE ET POTESTATE ÆQUALES ERANT, obtinuisse primis Ecclesiæ temporibus. » Si omnes honore, et potestate erant æquales primis, et apostolicis temporibus, quinam primatus inter ipsos honoris, ac dignitatis fuit? Fatetur, id quod jam vidimus[3], et discrimen inter illos appellationis extitisse, *quod unus* κατ' ἐξοχήν *nominabatur episcopus;* et eumdem hunc primatum habuisse ex prærogativa ordinationis. Alibi vero[4], *dignitatis discrimen* ibi nullum esse, ubi nullum sit nominis. Quare si fuit apostolorum sæculo, ac primis temporibus Ecclesiæ, *discrimen nominis* inter presbyteros, ut Salmasio placet; fuit etiam *discrimen dignitatis.*

V. Forsitan nominis, ac dignitatis discrimen tum fuisse concedet; potestatis, ac juris negabit : ut in turba presbyterorum, et eorumdem episcoporum unus excellens, ac *primus,* sive *primas* extiterit, qui κατ' ἐξοχήν *nominatus sit episcopus;* ita tamen, ut pari omnes potestate fuerint. Hoc si dixerit, primum ne sic quidem effugiet, quominus turpiter a seipso dissideat, qui, quod modo fatetur[5], id paulo ante[6] pro falso, et absurdo repudiaverit; unum aliquem et nominis prærogativa, et honoris ac dignitatis, fuisse singularem inter presbyteros : ac nobiscum, quos oppugnare instituit, invitus consentiet, qui primis illis temporibus, plures in quibusdam Ecclesiis fuisse docuimus presbyteros episcopali dignitate præditos; nec tamen abnuimus, id quod apertius modo profitemur, et quod nobiscum Salmasius affirmat, unum inter illos fuisse primarium, et præpositum omnibus episcopum. Hoc vero posito, quid habet, in quo a nobis dissentiat? aut quid tandem in nostra opinione reprehendit? Nihil enim asserimus hac in re, quod non in dissertatione sua ille sit fassus; etsi non liquida et sincera, sed turbida et confusa illius ex stilo manavit veritas, ut modo hoc, modo illud, et contrarium diceret : dixit tamen hoc idem, quod nos defendimus, ut habent interdum amentes etiam, et furiosi quædam intervalla bonæ mentis. Quid igitur Messalino-Salmasius tam verbosa dissertatione sibi vult? aut in quo nos accusat? Dicimus, apostolorum ætate unum aliquem fuisse in singulis Ecclesiis episcopum, qui hoc sibi peculiare nomen haberet. Dixit hoc idem, qui nos reprehendit, Salmasius[7]. Dicimus, singularem illum nihilominus episcopum esse dictum, etsi ii, supra quos eminebat, presbyteri nonnunquam episcopi vocarentur. Hoc idem Salmasius affirmat. Dicimus, honore ac dignitate presbyteris eumdem excelluisse ceteris. Hunc ipsum et ille primatum honoris, ac dignitatis agnoscit. Postremo præfuisse illum reliquis, et auctoritate, ac potestate præstitisse defendimus. Defendit hoc etiam Salmasius, ut ex superioribus consequens est, et deinceps disertius explicabimus.

VI. Nobiscum itaque hac illi in parte convenit; nisi hoc uno forte distamus, quod nos uniusmodi sententiam tuemur, iste ab hac ad illam transvolat, et pugnantia invicem loquitur : et prout impetus eum animi tulerit, aut ut in locis communibus primum quodque scriptum a se, ac notatum invenerit; ita sine delectu, sine judicio, temere, ac tumultuarie profundit. Hinc illud tanquam fatale huic accidit, nunquam ut scribat, quin contrariis tuendis, et affirmandis rebus in semet incurrat. Certe quidquid librorum ab illo hactenus exiit, genii est istius, ac notæ; nec plura contra quemquam, quam contra seipsum in illis omnibus scripsit. Atque ut nondum ab eo recedam quod hic agitur, quod portentum conferri cum isto potest?

Dixit in Trapezitico libro, et in Dissertatione

[1] Salm. p. 117.— [2] Ib. p. 206.— [3] Ib. p. 274.— [4] P. 85. [5] Pag. 274. — [6] Pag. 85. 86. — [7] Pag. 273. et 274.

postrema[1] contra nos acriter elatravit, unum et commune presbyteri et episcopi vocabulum omnibus fuisse apostolorum tempore ; nec unum insigniter hoc sibi nomen usurpasse. Nec tantum dixit, sed eo insuper usus est argumento, nullum ut ostenderet fuisse discrimen dignitatis, cum non esset appellationis. Verba sunt illius [2] : « Cum igitur presbyteri omnes ex æquo vocarentur, et episcopi pariter omnes, nullum inter eos tum discrimen fuisse dignitatis ex eo comprobatur, quia nullum esset appellationis. » Quod *præsidum* in senatu, et *consiliariorum* exemplo probat sic : « Etiam hodie in senatu, quod parlamentum est, ubi qui præsidet, non tali pollet supra senatores, qui consiliarii dicuntur, auctoritate, qualem nunc episcopus supra presbyteros habet. Præses tamen vocatur, non consiliarius ; et consiliarii, quibus præsidet, sic appellantur, non præsides. » Quocirca ubicumque dignitatis est discrimen, id est ubi unus supra reliquos eminet, et in altiori est gradu, ibi necesse est nominis esse discrimen, ex Salmasii regula. Ut in senatu, sive *parlamento*, præses, quia dignitate ceteris antecedit, qui *consiliarii* dicuntur, non vocatur *consiliarius ;* sed proprium habet *præsidis* nomen, quod non usurpant *consiliarii*.

VII. Hæc cum ibi tantopere affirmet, quanam ictus vertigine scripsit postea [3], in Ecclesiis omnibus, tempore apostolorum, « inter presbyteros primam sedem, sive πρωτοκαθεδρίαν datam ei, qui ordinatione antiquior ceteris esset ? » Item, « Cum omnes presbyteri nuncuparentur, sive episcopi, quemdam tamen episcopum nominari κατ' ἐξοχήν, cui primatus eo modo, id est, ex ordinationis tempore, delatus fuisset, cum ceteri nuncuparentur presbyteri. Sed nec minus et ille primus etiam πρεσβύτερος vocabatur, quamvis primus esset presbyterorum, ejusdem utpote ordinis cum presbyteris ; SED IN PRIORE, ET ALTIORE GRADU CONSTITUTUS. » Ergo inter presbyteros, et episcopos plures in eadem Ecclesia dispar unius dignitas fuit sine appellationis discrimine, ut *et in priore, et altiore esset gradu constitutus*, et tamen eodem vocabulo censeretur. Ac ne dubitare possemus, in priore illo dicto eum esse mentitum, addidit insuper [4] ad posterius istud, et contrarium probandum, de Atheniensium magistratibus exemplum, quos ἄρχοντας vocabant ; e quorum numero unus fuit primus, et antecellens reliquis, qui et ἐπώνυμος dictus, quod ab eo fasti, annique signarentur, ut unumquemque annum ita distinguerent, ἐπὶ ἄρχοντος τοῦ δεῖνα, *Prætore N.* vel ἄρχοντος τοῦ δεῖνα : ut apud Athenæum libro quinto, sub finem, Ἄρχοντος Ἐπαμείνονος, *Prætore Epaminone*, Perdiccas Macedoniæ rex obiisse dicitur. In quo obiter est notanda Messalino-Salmasii puerilis hallucinatio in Solino-Plinianis Exercitationibus [5], eaque duplex ; tum quod negat dici græce Ἄρχοντος τοῦ δεῖνα, sed addendum esse ἐπὶ, alioqui ἄρχοντος Ἐπαμείνονος significare, *Epaminone regnante ;* tum quod Ἐπαμείνονα non putat appellatum esse prætorem illum, sub quo Perdiccas obiit, sed Ἀμείνονα. Quod ex Athenæi loco illo refellitur ; et nos plura de utraque labe judicii disputavimus alibi [6] : quæ hic obiter ad castigandam illius temeritatem, et in tuendis erratis pervicaciam adnotamus. Ut igitur archontes illi novem, quos τοὺς ἐννέα nominabant, et omnes vocati sunt ἄρχοντες, et unus tamen inter illos insigniter id nomen habuit : « Eodem prorsus modo (verba sunt Cathari) primo toto seculo, et magna parte secundi, presbyterorum primates, quibus hunc primatum Ordo tribuebat, in successionis episcoporum serie, nomine episcoporum signati, ac censiti sunt. »

VIII. Redeo ad id, quod probare instituera m, apostolorum seculo unum in Ecclesia qualibet episcopum, ex Salmasii sententia, fuisse, non solum vocabulo, et dignitate, sed etiam potestate præstantem ceteris. Quod de primis singulorum episcopatuum auctoribus, et conditoribus, si demonstrare potuero, rem plane confecero. De his enim tota fere est orta controversia, qui ordinem ducunt, et ab apostolis ipsis instituti feruntur. Nam de consequentium annorum præsidibus, post apostolorum ætatem, non diffitetur Salmasius, jus illos et potestatem in clericos habuisse.

Primos itaque cujusvis Ecclesiæ, ac sedis episcopos, quales Iræneus, Ignatius, Tertullianus, aliique memorant, potestatem in ceteros habuisse illius Ecclesiæ ministros, et clericos, ex Salmasio sic efficitur. Hic enim duo censet apostolorum fuisse genera [7], uti supra memoravi. Nam alios majores facit, « qui ab Christo missionem suam acceperunt, immediate ab ipso missi : » alios minores, qui ab majoribus apostolis missi sunt. Hos vero ad constituendos episcopos, sive presbyteros, et fundandas Ec-

[1] Pag. 85. et 86. — [2] Salm. p. 86. — [3] Pag. 273. et 274. — [4] Pag. 274. — [5] Salm. in Sol. p. 157. — [6] In Misc. Exerc. ad Jul. c. 7. — [7] Salm. p. 40.

clesias circumquaque destinari solitos affirmat. Atque illos demum « apostolorum ævo vicem episcoporum hodiernorum fuisse [1], quia et apostoli tunc nominabantur[2]; et REVERA ERANT EPISCOPI JURE EODEM ET ORDINE, QUO HODIE HABENTUR, QUI ECCLESIAM REGUNT, ET PRESBYTERIS PRÆSUNT : nisi quod uni civitati, vel Ecclesiæ non essent alligati. »

IX. Hujusmodi apostolos, quos et συνεργοὺς, id est *coadjutores* vocat majorum apostolorum, recenset istos ; primum Jacobum minorem [3], deinde Timotheum [4], Titum, Linum, Clementem, Marcum item evangelistam [5], et Evodium [6]. Hos ergo Salmasius *præfuisse* putat Ecclesiis, et presbyteris, et *eas rexisse*, ac *revera episcopos fuisse jure eodem*, quo hodie sunt, qui episcopi vocantur, et de quibus inter nos orta est contentio. Sic Jacobum « cœtui episcoporum, sive presbyterorum Hierosolymitanorum præfuisse » scribit [7]. Sic [8] « cum πρεσβύτερος ex seculi illius more, idem esset cum episcopo, hujusmodi episcopos, id est apostolos minores, et coadjutores summorum, episcoporum directores et judices fuisse » asserit. Ita [9] « Timotheus episcopo major, utpote qui apostolica auctoritate, et appellatione jurisdictionem in ipsos episcopos haberet. » Quibus ex locis, verbisque Salmasii evidens est, apostolorum ætate fuisse quosdam singulares episcopos, qui dignitate, potestate, auctoritate, jurisdictione, præsidentia Ecclesiis, ac cœtui presbyterorum antecellebant : qui hoc tamen uno ab hodiernis distabant episcopis, quod hi certam sedem habent, cui sunt alligati ; illi pluribus Ecclesiis cum potestate præerant, ad quas mittebantur. Quocirca si hoc demonstrari potest, priores illos, et proprie dictos episcopos apostolorum seculo, uni alicui Ecclesiæ affixos fuisse ; nihil amplius requiri poterit, quominus tales episcopi sub apostolis per Ecclesias fuerint, cujusmodi deinceps ad hoc tempus usque propagati sunt, ac per illos, antiquorum testimonio, continuata successio veros episcopos, et singulares Ecclesiarum rectores exhibeat : quod Salmasius negat, et asseverantem me quam potuit longissima, et odii fastidiique plenissima disputatione refellere est aggressus.

X. Undenam igitur, unde id efficere, ac probare poterimus ? Nempe, quod prodigii in altero simile esset, in Salmasio propter assiduitatem mirum jam videri desiit : ex ipsomet Salmasio, et opere ipso, in quo contrarium affirmare se, et adversum me tueri professus est. Ex illa, inquam, ipsa dissertatione Messalino-Salmasii *de episcopis, et presbyteris*, cujus argumentum hoc est, ostendere, apostolorum ætate non fuisse singulares in Ecclesiis episcopos, qui presbyterio præerant, cujusmodi hoc tempore sunt ; probabo, singulares Ecclesiarum rectores, et episcopos fuisse constitutos, eosdemque presbyteris potestate superiores. Etenim presbyterium suæ cuique attributum Ecclesiæ, hoc est presbyterorum cœtum et collegium, arbitratur Salmasius ; nec, itidem ut vagos illos, incertarumque sedium apostolos, apostolorumque *coadjutores*, per orbem ambulasse. Hinc enim Joannem ait [10] evangelistam, quod non, ut ceteri apostoli, « prædicandi Evangelii gratia orbem obambulabat, sed uno in loco manebat, πρεσβύτερον se potius, quam apostolum inscripsisse. » Ac passim [11] constitutos in Ecclesiis presbyteros esse scribit, qui ibi, ubi collocati erant, perpetuo manebant. Rursus e numero presbyterorum istorum unum aliquem fuisse, qui primatum obtineret, et episcopus κατ' ἐξοχὴν nominaretur, scribit idem Salmasius[12] ; eosque *presbyterorum primates* appellat [13], « quibus hunc primatum Ordo tribuebat : » quam πρωτοκαθεδρίαν, id est *primam sedem* nuncupat. Atque hos esse dicit, qui in episcoporum catalogis per singulas Ecclesias ab Irenæo, Tertulliano, Optato, Eusebio, Hieronymo, aliisque describuntur. « Primo, *inquit*, toto seculo, et magna parte sècundi, PRESBYTERORUM PRIMATES, QUIBUS HUNC PRIMATUM ORDO TRIBUEBAT, in successionis episcoporum serie, nomine episcoporum signati, ac censiti sunt. » Postremo ex illorum genere primatum episcoporum fuisse scribit Linum, et qui ei successerunt, Anacletum, et Clementem. « Scio quidem, et Lini episcopatum eum agnovisse (de Irenæo loquitur [14]) libro 3. capite 3. cui Dei Ecclesiam administrandam crediderunt apostoli Petrus et Paulus, cui successerit Anacletus, et isti Clemens. Sed episcopatus ille eo tempore nihil aliud fuit, quam primatus in ordine, vel principalis consessio. »

XI. Ex omnibus his Salmasii decretis, ac sententiis directe, et ἀποδεικτικῶς illud sequitur, quod probandum sumpsimus ; apostolorum tempore fuisse per Ecclesias singulares episcopos, qui dignitate, id est honore, ac pote-

[1] Ib. p. 43. et seq. — [2] Ib. p. 44. — [3] Ib. p. 20. et 45. — [4] P. 40. et 41. — [5] P. 204. — [6] P. 208. — [7] Salm. p. 23. — [8] Ib. p. 68. — [9] Ibid. — [10] Salm. p. 23. — [11] Ib. p. 10. — [12] Pag. 273. — [13] Pag. 274. — [14] Idem p. 270.

state anteibant ceteros, et in eos jurisdictionem habebant. Etenim apostolorum discipuli, quos συνεργοὺς, id est *coadjutores*, vocat Salmasius [1], « et apostoli tunc nominabantur, et revera erant episcopi, jure eodem, et ordine, quo hodie habentur, qui Ecclesiam regunt, et presbyteris præsunt. » Et [2] « directores, ac judices erant presbyterorum, et in eos jurisdictionem habebant. » Atqui Linus [3], Clemens [4], Evodius [5], aliique, et qui presbyterii primates erant, et ex ordinationis tempore eum gradum assecuti fuerant, inter minores illos apostolos, et majorum συνεργοὺς ab eodem Salmasio ponuntur. Iidem igitur veri, et hodiernorum similes erant episcopi; nimirum ita nominati κατ' ἐξοχήν, et potestate ac jurisdictione præstantes reliquis, et uni alicui loco affixi, utpote presbyterii partes, et ex eo ad primatum jure ordinationis assumpti. Quod autem de Lino, Clemente, Evodio, aliisque scriptum ab eo, non aliis, quam ipsius verbis notavimus, hoc idem de Jacobo, Marco, et similibus; qui principes certarum sedium habentur, ex illius dictis ostenditur.

Etenim [6] Jacobus et Marcus ejusdem gradus atque ordinis fuerunt, cujus Linus, et Clemens, et alii. Pertinent enim omnes ad secundum apostolorum ordinem, qui primariorum apostolorum συνεργοὶ, id est, ut interpretatur Salmasius, *coadjutores*, et administri erant, ab iisque mittebantur. Cum igitur minores isti apostoli veri episcopi fuerint [7], et nostratum similes [8]; « Episcopatus autem ille eo tempore nihil aliud fuerit, quam primatus in Ordine, » sive [9] *prima sedes*, *et* πρωτοκαθεδρία inter presbyteros; hujus porro gradus, et ordinis presbyterii proprium fuerit, in uno loco consistere, in quo constituti erant [10]; apparet, Jacobum, et Marcum veros certarum sedium episcopos fuisse, ac presbyterii sui primates.

XII. Quod de Jacobo diserte Salmasius fatetur, dum asserit, eum « Hierosolymis non abstitisse, nec quoquam extra eam urbem pedem movisse; et episcopum a veteribus appellatum esse, et quidem episcopum episcoporum, id est primum presbyterorum, sive episcoporum, qui erant Hierosolymis. » Quocirca Jacobus primas fuit presbyterii Hierosolymitani [11] « in illa civitate constituti, cui et præfuit, major quolibet presbytero, vel episcopo. » Tum [12] « Jacobus, *ait*, qui semper Hierosolymis permansit, nec usquam inde pedem extulit, curam ita egisse illius Ecclesiæ peculiarem videri potuit, ut cœtui presbyterorum illic constitutorum, quos et episcopos tunc nominabant, cum auctoritate majore præesset. » Ceterum [13] qui sic præcellebant presbyteris, iisdemque episcopis unius certæ Ecclesiæ, illis primates erant, et κατ' ἐξοχὴν episcopi dicebantur; idque *primo toto seculo*, *et magna parte secundi* obtinuit. Inde ergo conficitur, Jacobum presbyterii Hierosolymitani primatem fuisse; ideoque verum, et nostrorum similem episcopum, et uni sedi affixum Hierosolymitanæ, in qua constitutum erat presbyterium. Ejusdemmodi vero tum Marcus, tum Evodius, tum reliqui omnes habendi sunt, *qui in successionis episcoporum serie nomine episcoporum signati*, *ac censiti sunt*, nempe *presbyterorum primates*, *quibus hunc primatum Ordo tribuebat*. Omnes itaque veri, et nostrorum similes episcopi fuerunt; neque quidquam controversiæ reliquum est: sed plane quidquid voluimus, ab ipso concessum Salmasio, et expressum habemus.

XIII. Atque hoc illud est, quod portenti, et prodigii dixi esse simile, cum tantam libri molem contra nos ediderit, ut hoc probaret, falsos esse nos, qui apostolorum ætate diximus episcopos singulares, et suæ quemque civitatis, Ecclesiæque fuisse; hoc est unum aliquem clero, et presbyterio cum summa potestate, auctoritate, ac nominis etiam prærogativa præfuisse: cumque innumera in nos convicia, et maledicta propterea conjecerit, idem ipsum tamen, quod nos affirmabamus, tota illa dissertatione sua palam, et diserte, et uberrime docuisse. Quid enim præter illius sententias, et verba ad eum convincendum attulimus? aut unde ratiocinatio, argumentatioque nostra profecta est, nisi ejus ex enuntiatis, ac propositionibus? Quæ cum duæ in omni syllogismo esse debeant, unde conclusio colligitur; hoc in nostra disputatione admirabiliter contigit, ut non ambæ illæ tantum totidem ab illo scriptæ verbis haberentur, sed ipsa quoque ex illis ducta conclusio. Adhibeat quos volet ex illo suo grege laudatorum, et amicorum, qui dissertationem istam tantopere prædicant, si qui sint ratiocinandi non plane rudes; cujusmodi se fatetur esse, et nisi diceret, satis suo se stilo, ac scribendi genere proderet. Horum ergo, quem dialecticæ peritum esse sciet,

[1] Salm. p. 43. et 44. — [2] Ib. p. 68. — [3] Ib. p. 270. et 40. — [4] Ibid. — [5] Id. p. 208. — [6] Salm. p. 20. 40. et seq. — [7] Ib. p. 44. — [8] Ib. p. 270. — [9] Ib. p. 274. — [10] Ib. p. 2[illegible]. — [11] Ibid. — [12] Idem p. 46. — [13] Idem p. 273. et 274.

quem volet consulat, utrum legitima, et ex artis principiis, imo ex communi sensus humani ratione ducta sit argumentatio nostra. Profecto nihil ille, quisquis est, labis ac vitii in ratiocinatione illa reperiet, quam istius ex sententiis, ac dictis integram confecimus.

CAPUT DUODECIMUM.

Reliqua de eodem argumento Salmasianæ conflictionis monstra procurantur, nempe de Marco, et Alexandrina Ecclesia. Ridicula illius argumentatio, qua probat, presbyteros eumdem cum episcopis ordinem constituisse; quæ ex Hieronymo, et Ambrosio refellitur. Ejusdem æstus et contradictio. De pseudo Ambrosio, qui commentarios ad Paulum scripsit. Non eum esse Hilarium Luciferianum, ut plures existimant. Salmasii ἀκρισία in deligendis auctoribus, et repugnantia. De vocis *presbyteri* significatione, necnon *sacerdotis*. *Senior* pro domino, et potestatem habente.

I. Nunc Salmasianæ illius stragis, ac ruinæ, hoc est pudendæ, et horribilis ἐναντιολογίας reliqua persequamur. De Marco agens ille capite quarto Dissertationis suæ [1], « Tantum abesse *ait*, ut Alexandrina Ecclesia aliquem Marci tempore, vel eum ipsum, unicum et specialem habuerit episcopum, ut certum sit, diutius pristinam in ea Ecclesia durasse presbyterorum æqualitatem, quam in alia qualibet. » Primum negare non potest, quod superiori capite ipsiusmet ex verbis ostensum est : et Marcum ipsum, et deinceps ceteros, Alexandriæ presbyterorum primates fuisse, eosque præcipua episcopalis gradus appellatione, tum honore, potestate, ac jurisdictione præcessisse. Etsi igitur in quibusdam æquales illis fuerint; in aliis, et eo maxime, de quo inter nos agitur, superiores fuerunt, qui [2] « et episcopi κατ' ἐξοχὴν nominabantur, et primates presbyterorum erant, et in successionis episcoporum serie nomine episcoporum signati, ac censiti sunt. » Certe hodie presbyteris æquales sunt presbyterii ordine ac sacramento episcopi; episcopis Romanus Pontifex, tum presbyteratus, tum vero episcopatus ordine, ac charactere. Neque tamen absolute dici æquales illi omnes invicem possunt. Et quamvis Romæ complures habitent episcopi, non ideo nullus inter eos est summus, ac primus omnium, et singularis Ecclesiæ illius episcopus.

II. Jam ut probet, æquales omnes Alexandriæ fuisse presbyteros, nec unicum, et specialem ibi episcopum extitisse, ac diutius in illa, quam in alia qualibet Ecclesia perseverasse æqualitatem istam; ut hæc, inquam, non magis contra nos, et catholicam causam, quam contra semetipsum approbet, quid tandem rationis affert? Nempe quod ad infringendum labefactandumque id quod demonstrare vult, quam ad persuadendum, longe sit aptius. Imprimis futile illud occurrit, quod et supra confutatum est [3] : « Si manus imponebant, *ait*, ad sacramentum Confirmationis dandum, etiam verisimile est imposuisse ad ordinationes faciendas. Atqui hoc unum est, quo episcopalem ordinem, et gradum a presbyterali suo tempore discretum fuisse Chrysostomus, et Hieronymus asserunt. » Quid hac argumentatione stupidius? Episcopatus a presbyteratu nulla distat alia re, quam ordinandi potestate. Etsi non omnino verum istud est; et sunt episcopalis ordinis aliæ notæ, quibus a presbyteratu secernitur, de quibus alias dicetur. Sit ita tamen. Ergo id probandum superest, et ratione colligendum aliqua, ordinandi potestatem etiam in presbytero fuisse simplici. Nam si de eo, qui episcopus una fuerit, probare id instituat Catharus, nihil agat. Gradus enim cum gradu confertur, ordo cum ordine; neque id modo quæritur, unusne ordo ambo fuerint, sed utrum æquales. Æquale autem nihil sibiipsi dicitur, sed ei a quo distinguitur. Deinde inter presbyterum, et episcopum, cujusmodi Ambrosii et Hieronymi erant ætate, disputat Salmasius, cum jam diversus ordo et gradus esse, eodem affirmante, cœperat.

III. Hoc igitur, si potest, demonstret, quod omnino debet : presbyterum simplicem ordinandi jus et potestatem habuisse. « Potuit,

[1] Salm. p. 205. — [2] Idem p. 274. — [3] Salm. pag. 205.

inquit, manus imponere ad sacramentum Confirmationis dandum. » Quanquam imperite manus impositionem cum unctione, vel chrismatione confundit; nec illud scit, nunquam presbytero simplici priorem fuisse concessam, sed soli reservatam episcopo, unctionem vero presbytero nonnunquam esse permissam. Sed hoc omittamus in præsens, et quid sibi velit, porro videamus. Unde ergo persuadet, Ordinationem itidem, ut Confirmationem, a simplici presbytero administratam fuisse? *Verisimile est*, ait. Hoccine est argumentari, et id rationibus, ac probationibus evincere, de quo cum adversario confligas; an pueriliter nugas agere? *Verisimile est*, inquis? Imo ego falsum, et confictum esse defendo; ac mecum Christiana, et catholica omnis antiquitas, nunquam licuisse, nunquam, nisi non modo nefarie, sed incassum, et nullo effectu tentatum esse confirmat. Et quandiu stertentem istum, ac temulenti more, quid agat, nescientem ferimus? Obsecro enim, quid tandem contra catholicam professionem obtinere vult Salmasius? Nempe istud, æqualem episcopo fuisse presbyterum, Ambrosii et Hieronymi tempore. Quinam hoc probat? Utriusque illius testimonio. Atqui iis ipsis amborum verbis, quæ citat, contrarium prorsus ostenditur, episcopum a presbytero discrepasse, et hoc illum gradu ac potestate superiorem fuisse. De ordinandi jure, ut primo loco dicam, nonne hoc nominatim excipit Hieronymus in epistola ad Evagrium [1], unde auctoritatem Salmasius repetit; ut ne par omnino episcopo presbyter habeatur? « Quid enim facit, *inquit*, excepta Ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » Si excepta erat ordinatio tempore Hieronymi, non igitur Hieronymi testimonio conficitur, ordinationem perinde, uti Confirmationem, presbyterio tributam fuisse. Adde etiam æqualem utriusque Ambrosii, et Hieronymi S. Epiphanium; qui in Aerianorum hæresi graviter affirmat, nunquam licuisse presbytero, quod episcopi proprium est, ordinare clericos.

IV. Quonam itaque Cathari mens avolavit, cum *verisimile esse* dixit, *presbyteros manus imposuisse ad ordinationes faciendas;* deinde, quasi hoc esset argumentari ac probare, dicere *esse verisimile*, ac tanquam confecta res esset, inde, quod consequens est, colligit : nulla re igitur presbyterum ab episcopo distare? Hujusmodi est enim forma Salmasiani syllogismi [2] :

« Manuum impositio ad ordinationes faciendas unum est, quo episcopalem ordinem, et gradum a presbyterali suo tempore discretum fuisse Chrysostomus, et Hieronymus asserunt. »

« Atqui verisimile est presbyteros manus imposuisse ad ordinationes faciendas, si manus imponebant ad sacramentum Confirmationis dandum. »

« Igitur nulla re distabat episcopus presbytero. »

Prorsus in his duabus vocibus, *verisimile est*, tota vis collectionis Salmasianæ consistit; hoc robur argumentationis; hoc dissertationis et loquacissimæ, et inertissimæ caput est, ac summa. Age vero, si Hieronymo credit paululum ab episcopo distare presbyterum asserenti, cur non eidem assentitur differre hoc ipso monenti, quod ordinare potest episcopus, non potest presbyter? Hinc enim gradu et ordine superiorem episcopum esse constat. Cur non et Ambrosium audit? (Etsi non Ambrosius iste est, cui totus innititur, sed ignotus quispiam, nec magnæ auctoritatis scriptor.) Sed cur ex illo ipso qualicumque teste non intelligit, haud æqualem fuisse presbyterum episcopo, cum nec unctionem Confirmationis, id est *consignationem*, nisi absente episcopo, presbyterum usurpasse; nec alibi, quam in Ægypto, id esse factum scripserit? Cur non ab eodem didicit, ne sic quidem Alexandriæ, aut in Ægypto pares et æquales invicem illos fuisse, etsi Confirmationis sacramentum administrarent interdum presbyteri; quod « primus esset inter presbyteros episcopus, » ut iste alibi auctor affirmat [3]?

V. Animadvertat denique lector Cathari verba; et vel scintillam judicii communis in ejus argumentatione, si potest, inveniat. Unicum Alexandriæ, ac specialem episcopum fuisse defendimus apostolorum tempore. Hoc ille scilicet negat, et refellit sic [4] : « Tantum abest, *inquit*, ut Alexandrina Ecclesia aliquem Marci tempore, vel eum ipsum, unicum et specialem habuerit episcopum, ut certum sit, diutius pristinam in ea Ecclesia durasse presbyterorum æqualitatem, quam in alia qualibet. » Ut igitur quod nos asserimus falsi convincat, ac redarguat, necesse est, æqualitatem illam inter clericos, et presbyteros in Alexandrina Ecclesia fuisse demonstret. Quam quia non aliunde, quam ex Ambrosii auctoritate probat, dici hoc ab Ambrosio, et in

[1] Epist. 85. — [2] Salm. p. 205.

[3] In 1. ad Tim. cap. 3. col. 577. F. — [4] Salm. p. 205.

hujus loco illo, quem citat Catharus, contineri istud oportet : æquales Alexandriæ presbyteros omnes inter se fuisse, nec ullum gradu ac potestate ceteris præstitisse, non minus ætate sua, quam apostolorum. Nisi enim hoc dicit Ambrosius, eamdem suo tempore perseverasse in Alexandrina Ecclesia presbyterorum æqualitatem, quæ sub apostolis fuit, nemo ut inter illos primus, ac dignitate potior esset; frustra est, neque contra nos quidquam ex Ambrosio promovet. Quid ergo scriptum est ab Ambrosio? Verba hujus ab Catharo ista ponuntur : « Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus. » Hic de ordinatione litteram nullam facit Ambrosius, in qua unicum discrimen episcopi, ac presbyteri Salmasius ait consistere. Quare non ostendit ex Ambrosio, æqualem hactenus episcopo presbyterum fuisse; nec impositionem manuum ad ordinationes faciendas presbyteris omnibus promiscue esse concessam. Nam, quod presbyteros ibi consignasse Ambrosius affirmat; non ideo æqualitatem illam, quam ex eo probare vult Salmasius, adstruit: imo hoc ipso inæquales fuisse docet, et majorem presbyteris habitum episcopum, quod episcopus præsentibus presbyteris consignare potuit; presbyteri nonnisi absente episcopo. Certe nemo, cui cerebrum sanum sit, ex iis verbis concludat, æqualitatem ordinis, et gradus inter illos fuisse. Adde unctionem istam, sive chrismationem fuisse, quam presbyteri, ubi præsens non erat episcopus, administrarunt; non « impositionem manuum ad invocationem Spiritus sancti, » ut loquitur Hieronymus ; ad quam iis impertiendam, « qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, et diaconos baptizati erant, episcopos excurrisse, » ille scribit in dialogo contra Luciferianos.

VI. Deinde qualecumque tandem præsidium habet in illo Ambrosii loco, totum abs se subinde Salmasius abjudicavit, dum ista pertexuit : « In ea denique Ecclesia usque ad Heraclam et Dionysium, Hieronymo teste, hoc est circa annum 250. solebant presbyteri unum ex suo corpore eligere, hoc est presbyterorum, qui episcopus fieret. » Si ex suo corpore unum aliquem elegerunt jam tum ab apostolorum tempore presbyteri, quem episcopum facerent; profecto neque apostolorum ætate æqualitas inter illos fuit, neque deinceps in ea Ecclesia duravit. Quinetiam cum Hieronymus a Marci usque temporibus hunc morem Alexandrinæ Ecclesiæ repetat, Salmasius veretur, ut hoc verum sit. « Antiquior enim, ac prior mos fuit Ecclesiarum, ab ipsis apostolis institutus, ut primatus inter presbyteros, non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Postea institutum ait [1], ut eligeretur episcopus ex presbyterorum corpore, « [2] qui primam sedem episcopatus teneret ; » ac demum obtinuisse, « ut non tantum ex presbyterorum numero eligeretur episcopus, sed etiam ex quolibet alio ecclesiastico ordine, ut diaconorum, imo etiam ex laicorum, ut in Ambrosio factum est Mediolani, et in Nectario Constantinopoli. » Vides incredibile, et stupendum verborum, sententiarum, decretorumque certamen. Etenim Alexandriæ *unicum ac specialem episcopum non fuisse*, ibique *diutius pristinam durasse presbyterorum æqualitatem, quam in alia qualibet Ecclesia*, ea ratione, eoque Ambrosii testimonio probare contendit, quibus efficitur *unicum et specialem episcopum fuisse*, et non æquales inter se fuisse presbyteros. Obsecro, quod monstri genus istud est? Episcopum nullum Alexandriæ fuisse *unicum et specialem* dum probas, asseris *unicum et specialem fuisse;* æqualitatem inter presbyteros ibidem extitisse ab apostolorum ætate ad Ambrosii usque tempus inde confirmas, quod inæquales inter se fuerint, et unus inter illos ceteris præstantior fuerit, episcopus nomine, primam sedem obtinens, primatum gerens, dignitate, potestate, jurisdictione presbyteris omnibus antecellens.

VII. Ita proprio ac domestico seipsum teste condemnat, Ambrosio illo ; qui Ambrosius non est, neque ullius auctoritatis esse debet, quia incertus, ignotusque auctor est. Hunc esse Hilarium diaconum Luciferiani schismatis columen, complures arbitrantur ; ut Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, et ante hunc Lovanienses doctores in scholiis ad Augustini tomum septimum. Etenim Augustinus in libro 4. contra duas epistolas Pelagianorum, capite 4. locum quemdam citat *sancti Hilarii,* qui in Ambrosiastri illius commentariis legitur [3]. Cum ergo non sit ille Pictaviensis Hilarius, neque Arelatensis, conjecturam faciunt, Luciferianum hunc Hilarium fuisse Liberii primum papæ diaconum ; qui cum Lucifero legatus ab illo missus ad Constantium, et quod damnationi Athanasii

[1] Salm. p. 206. et 207. — [2] Pag. 207.

[3] In c. 5. ad Rom. vers. 12. col. 269.

subscribere nollet, flagellis subjectus, in exilium pulsus est : ut in epistola ad Solitarios testis est Athanasius. Atqui hic postmodum Luciferiani schismatis fautor vehemens a communione catholica descivit; addiditque hanc hæresim, ut hæreticorum baptismum admittendum esse negaret. Itaque quod illos rebaptizaret, *Deucalionem orbis* istum nominavit Hieronymus in libro contra Luciferianos. Verum hunc auctorem fuisse commentariorum illorum, quibus nomen Ambrosii præfigitur, nullo modo arbitror. Primum quod in tertium caput prioris ad Timotheum, ad illa verba [1], *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi;* hæc adnotat [2] : « Ut cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus. » Potestne, qui hæc scripsit, ac sensit, ille Luciferianus haberi, ac schismaticus Hilarius, qui ab Romana utique communione, et Damaso ejus pontifice alienus esse debuit? Deinde contra rebaptizantes schismaticos luculentam dicit sententiam idem iste scriptor, in caput primum epistolæ primæ ad Corinthios, ad illa verba [3], *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi*, etc. « Per hoc, inquit ille, arguens et baptizantes, et baptizatos, qui ad injuriam Salvatoris baptismatis ejus gratiam hominibus deputabant, illis dissimulantibus gratiæ causa. Sic enim erant, sicut nunc Novatiani, et Donatiani, qui baptismum sibi vindicant, a nostris baptizatos reprobantes, et baptizati ab his gloriantur in personis eorum. Denique, Christi nomine abdicato, Novatianos, et Donatianos vocari se gloriantur. »

VIII. Quæ verba catholicæ communionis, ac Romanæ cupidum, et retinentem cumprimis arguunt, et ab suspicione schismatis alienum. Non est igitur commentariorum auctor habendus illorum Hilarius Luciferianæ partis antesignanus; sed alius quidam fortasse cognominis, et hactenus ignotus : nisi falsa nominis inscriptione deceptus, uti fit, Augustinus Hilarii Pictaviensis illos esse putaverit. Cujuscumque vero sunt, in vulgari sunt dignatione apud doctos, prudentesque theologos; nedum anteponi possunt magnis illis, ac per totam Ecclesiam in auctoritatem receptis doctoribus, quos *magistros probabiles*, sapiendi utique ac pronuntiandi fidei de rebus, appellat Vincentius Lirinensis. Quamobrem pro cetera sua prudentia, ac judicii gravitate facit Salmasius, ut scriptorem istum nescio quem pluris, quam Hieronymum, quamque veteres omnes consentientes Hieronymo faciat, ei fidem adhibeat uni; hujus assertione ac testimonio nitatur; hoc solo denique fidejussore fretus, ac subscriptore, credi postulet sibi de iis, quæ nescit, temere absurdeque garrienti. Etenim præcipua pars divinationum, commentorumque, quibus πομφολυγώδης illa contra episcoporum ordinem Dissertatio turget, pseudo Ambrosii illius auctoritate fulcitur. Adeo nullus in Catharo isto judicii usus est, ac delectus auctorum, ut quatenus cuique credendum sit intelligat. Sed qualemcumque demum invenerit, qui ad nutum suum, ac placitum tinniat, et quod verum vult esse significet, ad eum statim adhærescit; ac quantumvis contradicant, ac reclament omnes undique,

> Non magis audierit, quam Fusius ebrius olim,
> Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
> Mater te appello clamantibus.

IX. Exemplo sit istud, ne hoc gratis expostulare videar, quod in ea re, qua de modo agitur, admittit. Scripsit Hieronymus in epistola 85. « Alexandriæ, a Marco evangelista, usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteros semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominasse, quomodo si exercitus imperatorem faciat. » Qui locus evidenter arguit, ab apostolorum tempore unum Alexandrinæ Ecclesiæ præsedisse nomine episcopum, gradu et dignitate præstantiorem presbyteris ceteris, non iis æqualem, uti nec imperator æqualis iis fuit, a quibus electus est; hujusmodi vero electione presbyterorum ad eam dignitatem pervenisse. Hæc Hieronymo plane, affirmateque docenti, Salmasius acerrimi homo judicii refragatur [4] : « Antiquiorem enim, ac priorem fuisse morem Ecclesiarum ab ipsis apostolis institutum, ut primatus inter presbyteros, non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Ecquem moris illius affert auctorem, quem Hieronymo præferat? Ambrosium, inquit. At iste non est Ambrosius, sed pseudo Ambrosius; quo mendacii prænomine delectari Catharum ostendimus supra. Certe libenter utitur tali genere testium; et eorum fide multa nova et inaudita profert, et mentitur scilicet. Quid enim aliud ab mendaci, quam mendacium expectes, cum itidem ut [5] *mendacii pater, ex propriis loqui-*

[1] 1. Tim. 3. 14. — [2] Col. 579. — [3] 1. Cor. 1. 14.

[4] Pag. 205. — [5] Joan. 8. 44.

tur? Sic Jacobum « episcopum episcoporum, qui erant Hierosolymis, a veteribus appellatum esse » dicit[1], « quia ita vocatur in epistola pseudo Clementis. » Et alias passim ex hoc *pseudo Clemente*, ejusdemque genii scriptoribus commenta sua nobis obtrudit. Verum cujusquemodi est scriptor ille falso inscriptus Ambrosius, hunc neque ab Hieronymo diversa sentire, neque ab Salmasio intellectum esse, postea demonstrabimus. Interim sic agemus, et ita cum isto depugnabimus, tanquam inter se contrarii illi ambo sint.

X. Ergo iste pseudo Ambrosius quid meruit, cur anteponeretur Hieronymo? « Primum, *inquit*[2], presbyteri episcopi appellabantur, ut, recedente uno, sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum. » Hæc falso illi, id est ψευδωνύμῳ, scribenti, qui credam potius, quam Hieronymo? Certe non est *verisimile;* sed *falsi simile*, ex nominis auspicio, quod ementitus iste narrat. Verum autem, quod Hieronymus explicat, electione subrogatum episcopum Alexandriæ fuisse; quemadmodum in ceteris Ecclesiis, in quibus longe postea mos idem perseveravit, ut eligerentur, non ordine succederent episcopi.

Ut autem verisimile sit illud Ambrosii supposititii, sequitur, id esse non falsi simile sed falsum, quod Catharus asseverat, apostolorum tempore fuisse presbyteros pares invicem, et æquales; nec unum altero superiorem gradu, appellatione, potestate : neque porro episcopi nomen privatim uni alicui tributum. Quanquam ille non expectat, dum suam alius opinionem impugnet, et evertat; qui eodem in libro, et iisdem in paginis contra quam scripsit, asserit mox, unum aliquem extitisse tum et gradu, et vocabulo insigniter ab aliis distinctum, ut supra demonstravimus. Quem æstum alternantis, ac tumultuantis ingenii non aliud efficit, quam doctrinæ ac judicii penuria, nulla certa re nitentis, et obvia quæque temere arripientis. « (1) Hoc enim, ut verissime scriptum est a Theodoreto, proprie illis accidit, qui ab recta via deflectunt. Huc enim et illuc oberrant, eo quod trita via non ambulant. »

(1) Theod. dial. 1. qui est Immutab. Ἴδιον τοῦτο τῶν τῆς εὐθείας ἐκτρεπομένων ὁδοῦ. Τῇδε γὰρ, κἀκεῖσε περιπλανῶνται, ἀτριβῆ πορείαν ὁδεύοντες.

XI. Eat nunc Catharus, et inconstantiam, ac sententiarum repugnantiam aliis exprobret, qui tam fœde a seipso dissidet. Nam quo mens ejus avolaverat, cum in nos invectus ita provocabat? « Potes, *inquit*[3], etiam unam aliquam Ecclesiam ab apostolis fundatam commemorare, in qua ab uno aliquo apostolo episcopus singularis cum multis presbyteris collocatus sit? Fabulam de Jacobo ἰδικῷ illius Ecclesiæ episcopo jam supra satis confutavimus. Ephesina, Corinthiaca, Philippensis, Cretensis Ecclesiæ sub pluribus presbyteris fuere, nullo eis præsidente aut præeminente episcopo, quia omnes episcopi erant, ac dicebantur. » Atqui tute ipse, Salmasi, nullam apostolorum tempore constitutam Ecclesiam fuisse, in eadem doces dissertatione tua, ubi non unus aliquis præfuerit episcopus, ex ordinationis prærogativa aliis in aliorum locum succedentibus. Tu eosdem singulares Ecclesiarum præsides, et πρωτοκαθέδρους, gradu et auctoritate toti collegio præpositos esse vis; ac jus in ceteros, et potestatem habuisse, quod ex superiori capite cognosces. Tu indidem scies, a te istos ipsos singulares rectores nominari etiam κατ' ἐζοχὴν episcopos; quod in Jacobo, Marco, Lino, aliisque demonstravimus, non aliis, quam tuis ipsis rationibus, atque verbis.

XII. Disces itidem a temetipso, nihil nobis, id est mihi, ac tibi, hoc obstare, quod tum presbyteri vocabantur illi ipsi singulares, et eminenti in gradu, et auctoritate positi præsides, hoc est episcopi; quia[4] « non minus et ille primus, » et, ut proxime ante probasti, episcopus, « etiam πρεσβύτερος vocabatur, quamvis primus esset presbyterorum, sed in priore, et altiore gradu constitutus; » quemadmodum inter novem cognomines ἄρχοντας Athenis unus tamen insigniter ὁ ἄρχων vocatus est. Agnoscis, opinor, verba tua, quæ te misere confodiunt paulo ante sic argumentantem[5]: apostolorum ætate nullos alios rectores Ecclesias habuisse, præter presbyteros plures, *nullo eis præsidente, aut præeminente episcopo, quia omnes episcopi erant, ac dicebantur.* Pudeat te saltem adeo manifestæ contradictionis, ad quam, convincendi tui gratia, nihil a quoquam necesse est adjici. Πρεσβυτέρου vocabulum, et πρεσβυτερίου universe nonnunquam sumitur, estque dignitatis proprium; et honoratiores omnes Ecclesiæ gradus complectitur, hoc est episcopum, et qui proximi ab eo sunt, ac

[1] Salm p. 20. — [2] In ep. ad Eph. — [3] Salm. p. 262. — [4] Idem p. 274. — [5] Pag. 202.

simplices nominantur *sacerdotes*, aut presbyteri; eique respondent ex adverso οἱ διάκονοι, hoc est *ministri*, et inferiores clerici. Hoc adeo non primis tantum illis, et apostolicis temporibus factum est, et ubi plures in Ecclesiis constituebantur presbyteri episcopali dignitate præditi; sed etiam deinceps, et eo tempore, quo jam episcopum presbyterio superpositum agnoscit Salmasius, nempe secundo desinente, et ineunte tertio seculo.

XIII. Clemens Alexandrinus in sexto Stromateo de Matthiæ cooptatione disserens : « (1) Licet igitur, *inquit*, nunc eis quoque, qui se Dominicis exercuere mandatis, et perfecte secundum Evangelium vixere, atque ut gnosticum, et spiritualem virum decet, in numerum apostolorum allegi. Hic est revera Ecclesiæ presbyter, et verus minister divinæ voluntatis, si quæ Domini sunt faciat, et doceat; non ab hominibus ordinatus, neque eo, quia presbyter est, justus habitus, sed quia justus est, inter presbyteros adscriptus: tametsi non in terris primæ sedis honorem adipiscatur, in uno ex viginti quatuor thronis sedebit. » Hoc loco presbyteri appellatione supremos ordines duos complectitur, episcopatum, et presbyteratum, quibus diaconos adjungit. At paulo post tres illos gradus distincte nominat : « (2) Nam hic quoque in Ecclesia promotiones, et ordines sunt episcoporum, presbyterorum, diaconorum. » Ubi presbyteri discernuntur ab episcopis, et suum, ac diversum ab his gradum constituunt.

XIV. Minime itaque mirandum est, nec ad erroris argumentum ab Salmasio trahendum fuit, quod *presbyteri* nomen commune est interdum episcopis, et simplicibus sacerdotibus; tanquam inde consequens sit, nullum ordinis ac dignitatis inter ambos fuisse discrimen. Nam nihilominus primus omnium, ac primas erat episcopus, eodem assentiente Salmasio. Quemadmodum etsi *sacerdotis* nomen tam summo, id est *episcopo*, quam secundi ordinis, et simplicibus tributum postea sit; plerumque tamen absolute positum, singularem illum designat, qui episcopus vocabatur. Imo vero passim in latinis canonibus sacerdos pro solo usurpatur episcopo; reliqui non sacerdotes, sed presbyteri nominantur. Ex pluribus exemplis unum, alterumve, quod occurrit modo, proferam. In Andegavensi synodo canone primo, episcopi promiscue sacerdotes dicuntur. « Primum ut contra episcopale judicium, *ait*, clericis non liceat prosilire, neque inconsultis sacerdotibus suis secularia judicia expetere. Sed nec de loco ad alium sine episcopi permissione transire; nec sine commendatitiis sacerdotum suorum litteris commeare. » Sequenti vero canone presbyterum vocat secundi ordinis sacerdotem : « Ut diaconi, *inquit*, presbyteris noverint omni humilitate deferendum. » Et in Agathensi, ut quidem citatur a Gratiano [1] : « Diaconi, vel presbyteri in parochia constituti de rebus Ecclesiæ sibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare, quia res sacratæ Deo esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus Ecclesiæ sibi commissæ, ut superius comprehensum est, alienare præsumant. » Ubi sacerdotes episcopos appellat, et a presbyteris secernit.

XV. Sic Ambrosius in libro de Dignitate sacerdotali, capite tertio, sacerdotem pro episcopo sumit, et ab eo presbyterum distinguit. Ac longe ante illos Pontius diaconus in vita Cypriani Carthaginensis episcopi scribit, hunc primum *presbyterium* accepisse, deinde *sacerdotium*. « Presbyterium, *inquit*, et sacerdotium statim accepit. » Ac subinde, « Multa sunt, quæ jam adhuc plebeius, multa quæ jam presbyter fecit. » Deinde promotionem illius ad episcopatum describens ait, « ad officium sacerdotii, et episcopatus gradum eum esse delectum. » Interdum presbyter simplex *sacerdos secundi ordinis* vocatur, ut a Sidonio Apollinari [2]. Quin etiam *sacerdotium* aliquando diaconis ipsis tribuitur. De quo insignis est locus Optati Milevitani in libro primo contra Parmenianum. « Quid commemorem laicos, *inquit*, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti ? Quid ministros plurimos ? Quid diaconos in tertio ? Quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos ? » Ibi enim

(1) CLEM. 6. Strom. pag. 480. edit. Heins. Ἔξεστιν οὖν καὶ νῦν ἐν ταῖς κυριακαῖς ἐνασκήσαντας ἐντολαῖς, κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον τελείως βιώσαντας, καὶ γνωστικῶς, εἰς τὴν ἐκλογὴν τῶν Ἀποστόλων ἐγγραφῆναι. Οὗτος πρεσβύτερός ἐστι τῷ ὄντι τῆς Ἐκκλησίας, καὶ διάκονος ἀληθὴς τῆς τοῦ Θεοῦ βουλήσεως, ἐὰν ποιῇ, καὶ διδάσκῃ τὰ τοῦ Κυρίου, οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων χειροτονούμενος, οὐδ' ὅτι πρεσβύτερος, δίκαιος νομιζόμενος· ἀλλ' ὅτι δίκαιος ἐν πρεσβυτερίῳ καταλεγόμενος· κἂν ἐντεῦθα ἐπὶ γῆς πρωτοκαθεδρίᾳ μὴ τιμηθῇ, ἐν τοῖς εἴκοσι καὶ τέτταρσι καθεδεῖται θρόνοις.

(2) Ibid. pag. 481. Ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν Ἐκκλησίαν προκοπαὶ, ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων.

[1] 12. q. 2. Diaconi vel Presbyteri.

[2] Lib. 4. epist. ult.

sacerdotii vox late sumpta est pro *sacro ordine,* quam Græci vocant ἱερατικὴν λειτουργίαν. Ex quo intelligimus, quo sensu in Ancyrano canone secundo diaconorum functio appellatur ἱερατικὴ λειτουργία, quod *sacerdotale ministerium* interpretantur aliqui. Verum alii codices ἱερᾶς legunt, et ita in editione Tilii. Dionysius exiguus, et Isidorus Mercator vertunt *sacrum ministerium;* quod utrique lectioni potest accommodari.

XVI. Olim itaque πρεσβύτερος communis appellatio fuit summorum in Ecclesia ordinum, episcopatus et presbyteratus, cujus prima nominis impositio ab ætate fluxit. Æquum est enim, ut in honoribus, ac dignitatibus mandandis grandiores natu junioribus præferantur; quod ætas illa, propter consilii maturitatem, ad providendum, et regendum natura sit aptior. Ex quo deinde factum, ut πρέσβυς et πρεσβύτερος non tam ætatis, quam gravitatis, et dignitatis esset vocabulum. Augustinus [1], « Πρεσβύτης, *inquit*, dicitur gravis, et γεραιὸς senex. » Hesychius, Πρεσβύται, οἱ ἔντιμοι, id est *honorati*. Et πρεσβύτερος, μείζων, φρονιμώτερος, « Major est, *inquit*, et prudentior. » Quod et ab Eustathio notatum ex Homero in vocabulo Πρεσβυτάτην. Sic idem Homerus πρέσβα usurpare solet pro eo, quod est ἐντιμοτάτη, vel ἔντιμος, ut Cyrillus notat in lexico.

Nec aliter *senioris* vox apud Latinos ab ætatis notione ad honoris, et dignitatis appellationem transiit. Siquidem et inferiore seculo latine *seniorem* vocabant dominum, et principem suum, vel eum cujus erant in potestate ac jurisdictione. Et vox inde apud Francos, et Italos, aliosque tralatitia, *Seigneur*, et *Signore*. Ita Genesis 24. (1) *Senior domus* Abrahami, *qui præerat omnibus, quæ possidebat*, est ὁ πρεσβύτερος. Et ita Ambrosius [2], « Ubi ergo charitas, ibi senioris nomine, de quo pendent ceteri, domus omnis significatur. »

XVII. Cum hæc sint de presbyteri significatione trita et quotidiana, nec ullus ambigat, quin eadem appellatio episcopis olim attributa sit; jejuna est, et futilis argumentatio Salmasii, qui pro magno nobis hoc intentat, *presbyteros vocari episcopos* a Pio, et Victore Romanis pontificibus; et ex amborum testimonio concludit, *a presbyteris gubernatam esse Ecclesiam usque ad eorum tempora.* « Victor, *inquit* [3], qui vixit tempore Irenæi, et ad quem Irenæus scripsit, in epistola ad Desiderium Viennensem, quæ genuina auctoris videri potest, presbyteros vocat episcopos. » Sit certe *genuina* hæc Victoris epistola; de quo nihil hic disputo. Tibi vero, ὦ κέμφε, unde tandem hoc liquet? Quod habes indolis illius argumentum? Non enim te Baronii, aut Catholici cujuspiam auctoritate moveri dixeris. Verum omittamus de statu illius quærere. Tu quid inde conficis? *Presbyteros*, inquis, vocat eos, qui erant episcopi, et Ecclesiam regebant. Etsi hoc nihil est; tamen vide quam in multis a teipso dissideas, dum ita ratiocinaris. Tu enim ille es, qui presbyteros eosdem cum episcopis fuisse sentis; ac plures communi jure ac potestate per urbes Ecclesias rexisse, apostolorum duntaxat tempore, hoc est primo circiter seculo; postea vero desiisse plures esse, et introductos singulares episcopos.

XVIII. Recognosce verba tua, quæ sunt in capite 4. Dissertationis. Ibi de epistolis Ignatii ita scribis [4]: « Epistolæ illæ natæ, et supposititæ videntur circa initium, aut medium secundi seculi; QUO TEMPORE PRIMUS SINGULARIS EPISCOPATUS SUPRA PRESBYTERATUM INTRODUCTUS FUIT. » Ergo deinceps unus singulis Ecclesiis præsedit episcopus, et hoc per illud tempus obtinebat, quo ab Victore *genuina* scripta est hæc epistola; nam circa annum ducentesimum ea missa ponitur. Estne igitur in te vel tantulum judicii, ut quid dicas intelligas, cum ex Victoris epistola ista probas, non unum præfuisse per Ecclesias episcopum, sed a presbyteris pluribus administratas eas fuisse? Sumo enim, quod integrum mihi facis, ineunte seculo altero Christi cœpisse singulares episcopos introduci. Falsum jam erit, quod tu Victorem velle ais, *usque ad sua tempora pluribus a presbyteris gubernatam esse Ecclesiam;* quia ante centum annos id sit aliter institutum. Minus erit falsum, sed falsum tamen, si, quod alterum ponis, medio secundo seculo invectum esse dixeris singularem episcopatum. Quanquam tu longe tum in nos liberalior, tum in teipsum implacabilior isto eodem in loco fuisti [5], ubi Victoris illo testimonio uteris; qui singulares episcopos jam tum ab initio Christianismi statuisti primum ordine promotionis, deinde electione factos. Dic, sodes, cujusmodi tuum illud est; aut cui sano et sobrio tam unquam joculariter, absurdeque dictum excidit? Tu cum

(1) Genes. 24. 2. . זכן ביתו המושל בכל אשר לו 70. Τῷ πρεσβυτέρῳ τῆς οἰκίας αὐτοῦ τῷ ἄρχοντι τῶν αὐτοῦ πάντων.

[1] In Ps. 70. p. 313. — [2] Amb. lib. de Noe, et arca, c. 16. — [3] Sal. p. 274. et seq. — [4] P. 253. — [5] Sal. p. 273. et 274.

paucis ante versibus *episcopos* κατ' ἐξοχὴν *nominatos* esse scripsisses [1], ætate apostolorum, et iis auctoribus, ut alibi fateris [2], cum iisdem ex ordinationis tempore *primatum* cum episcopi appellatione *delatum esse* dixisses, *cum ceteri nuncuparentur presbyteri;* mox oblitus tui demonstrare niteris ex epistola Victoris papæ, presbyteros omnes promiscue appellatos episcopos, et *a presbyteris gubernatam esse Ecclesiam*; quod nihil aliud est, nisi nullum singularem, et κατ' ἐξοχὴν appellatum episcopum fuisse, neque primatem, aut dignitate non æqualem ceteris.

XIX. Nam nisi hoc intendis, quid tibi vis cum genuina tua Victoris epistola, aut quorsum testimonio ejus uteris? An ut nobis demonstres, presbyteros per illud tempus episcopos fuisse dictos? At hoc non negamus; neque de eo inter nos agitur. Sed tota videlicet in eo contentio nostra, et conflictio posita est, quod tu negas, apostolorum tempore unum, et singularem in Ecclesiis præsidem, et gubernatorem extitisse, qui proprie vocaretur episcopus; sed e contrario pugnas, et asseris, plures in omnibus Ecclesiis fuisse in commune rectores, et pastores, qui et presbyteri, et episcopi nominarentur, sine ullo vocabuli, aut dignitatis, ac potestatis, jurisque discrimine. Ego vero sic affirmo : Quanquam plures in quibusdam Ecclesiis fuerint, qui presbyteratus, et episcopatus ambos in sese ordines habuerint, unum tamen extitisse supra ceteros eminentem auctoritate, ac dignitate; qui Ecclesiæ certæ præsideret, et ejus antistes, aut episcopus, aut primas, aut quocumque tandem voles nomine censeretur : dum et unum, ac singularem, et majorem ceteris jure, ac dignitate non neges fuisse. Hæc summa concertationis nostræ, et scribendæ tibi causa dissertationis; in qua meam te vicem ipse oppugnas, et conficis, ac meas partes agis. Nam quod probare contra te debueram, unum aliquem in singulis Ecclesiis episcopum fuisse dignitate, ac potestate clericis antecellentem reliquis, et eorum primatem; tu idem et negas, et fateris, et fœdissime a te dissentis, ac temetipsum jugulas. Quod quidem et hactenus tuis ex verbis ostendimus, et deinceps in sequentibus probabimus sic, ut tibi ne mutiendi quidem cum homine digna aliqua ratione potestas futura sit.

XX. Victor ille in *genuina* epistola tua quid contra nos, id est me, ac te mecum sentientem, et tibi adversantem ipsi, dixit iis in verbis, quæ ex eo describis? Presbyteros ait *Ecclesiam rexisse.* Quid tum? Non enim soli, neque αὐτοκέφαλοι, sed sub uno, quod et eadem ipse pagina doces, primate, et κατ' ἐξοχὴν episcopo rexerunt. Omitto, presbyteros ibi principes istos, et κατ' ἐξοχὴν a te, ac singulares nominatos episcopos intelligi posse; nam et sæpe πρεσβύτεροι singulares vocantur episcopi. Quod tu fateris ipse, dum et Irenæum, qui episcopus jam erat, presbyterum a Lugdunensibus martyribus appellari vis [3]; et [4] ab eodem Romanos ipsos episcopos vocari presbyteros, « [5] etiam postquam episcopatus apicem supra presbyteros consecuti sunt singuli in toto orbe episcopi. » Quibus verbis cum teipsum miserrime implicas, et evertis, tum quidquid ex illo Victoris testimonio, ac similibus ratiocinando colligere vis, effundis, et inane facis. Etenim *si singuli in toto orbe* jam erant *episcopi, iique supra presbyteros episcopatus apicem consecuti erant* Irenæi tempore, quo eodem vixit et Victor, ad quem Irenæus scripsit; ergo et illi, ad quos, et de quibus scribit Victor, episcopi, quamvis presbyteri vocentur, singulares fuerunt episcopi *supra presbyteros.* Non igitur æquales erant presbyteris dignitate, et auctoritate. Atqui, ut tu probes [6], *primos illos episcopos*, qui Irenæi, et Victoris extitere tempore, *dignitate et auctoritate æquatos esse presbyteris*, Victorem, et postea Irenæum testes advocas. « Victor, *inquit,* qui vixit tempore Irenæi, et ad quem Irenæus scripsit, in epistola ad Desiderium Viennensem, quæ genuina auctoris videri potest, presbyteros vocat episcopos, et a presbyteris gubernatam esse Ecclesiam usque ad sua tempora significat. » Mox Irenæum rursus in partes vocas, ac demum ita concludis [7] : « Satisne hæc habes, ut jam fatearis, episcopos et presbyteros apostolica dispositione eosdem fuisse, et diu post apostolos ita mansisse? » Hoc illud est, quod sæpius, quam vellem, cogor dicere, cum scribis, hoc te unum attendere, quam multa scribas, non quam vera et consentanea. Ac difficile est cum his nugis, et hac litteratorum fæce litigantem, stomachum tenere; adeo supra captum, ac modum humani erati stupor istius assurgit. Quid enim agas in hac colluvie, aut quid potissimum arripias, cum eadem et affirmet et neget, diruat et ædificet, non in diversis tantum, ac longius distantibus pagi-

[1] Pag. 274. — [2] Pag. 205. — [3] Salm. pag. 271. — [4] Ib. pag. 264.

[5] Ib. pag. 265. — [6] Salm. pag. 274. — [7] Pag. 276.

nis, ut oblivione id factum existimes, sed in eadem sæpe pagina, paucissimis subinde post versibus? Calumniari me lector, et mentiri putet, nisi hoc suis oculis ipse videat in eo, quo de modo agimus, loco, ubi [1] *plures episcopos pari potestate regentes Ecclesias* fuisse, non unum aliquem singularem, Irenæo probat auctore, qui quos presbyteros appellat, eos nonnisi singulares aperte designat, *et episcopatus apicem supra presbyteros consecutos.*

XXI. Ejusdem nauseæ est, quod ex epistola Pii Romani pontificis utraque ad Justum, et *genuina* videlicet, argumentum instruit [2]. Quia « presbyteros illos, qui ab apostolis educati usque ad tempora sua pervenerunt, in cubilibus æternis clausos teneri, » Pius asserit; inde presbyteros nominari Ecclesiarum rectores Salmasius probat. Hoc neque est necesse, illic episcopos intelligi, neque, ut ii fuerint, ad rem pertinet. Pius papa vixit eo tempore, quo jam episcopi singuli singulas regebant Ecclesias, ut Salmasius fatetur. Antiquiores autem istos presbyteros ab apostolis educatos, nec episcopatu præditos fuisse dicit; et quamvis dicat, non plures ait in Ecclesia quaque fuisse. Itaque nihilo armatior est testimonio iste. Sed illud obtuse, quod ex secunda Pii ejusdem ad Justum effici credit, « non esse majorem presbyteris episcopum, sed æque ministrum Christi censeri, ut ipsi sunt; » eo quod Justum sic hortatur : « Presbyteri, et diaconi, non ut majorem, sed ut ministrum Christi te observent. » Nihil vidi hac argumentatione jejunius. Quid enim? Num qui regem, aut imperatorem admonet, ut ne spectro ac dignitate insolentior factus contemnat ceteros, sed hominem se, ac Dei servum meminerit; statim hic in ordinem cogere putandus est eum, cui ita præcipit? *Rectorem te posuerunt?* (ait Sapiens [3]) *Noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis.* An qui rector est, supra alios non est quos regit, honore scilicet, dignitate, potestate, tametsi naturæ conditione par sit, et æqualis?

XXII. Nihilo majoris est judicii, quod ex priore Pii epistola Salmasius ariolatur [4]. Cum enim scribat ille sic : *Salutant te Soter, et Eleutherius digni presbyteri,* consequens inde iste putat, « non electione, sed ordine ad primatum pervenisse illius temporis episcopos, cum recedenti primo sequens in ordine secundus succederet. » Quippe duo illi Soter, et Eleutherius « ordine eidem Pio successores extiterunt. Nam post Pium Soter primatum, id est episcopatum, ut nunc nuncupatur, tenuit; post Soterem Eleutherius. » Nimirum hoc illud est, quod dicitur, *Sabini, quod volunt, somniant.* Episcopos nonnisi electione suffectos in mortuorum locum, certissimum est; idque in sequenti capite demonstrabitur, ubi et otiosum illud inventum primatus ex ordinationis tempore, sine electione concessi, teste omni antiquitatis memoria confutabitur. Interim negamus, quod ex cerebro suo confictum protulit Salmasius, vel duos istos Romanos Pontifices, Soterem et Eleutherium, vel alios quoscumque tam Romæ, quam in aliis Ecclesiis episcopos alio modo quam electione creatos esse. Quinetiam suapte ipse Salmasius argumentatione convincitur, qui cum ista commentabatur, heluco laborabat, aut certe luscitiosus erat. Nam Pio successisse Soterem ait; huic Eleutherium. Quod ab eo dici, vis ipsa cogit argumenti. Siquidem cum Pius duos illos commemorat, « Ordine, *inquit,* ut apparet, eos nominat, ut duos presbyteris antiquiores. » Itaque proxime Pio subrogari Soterem et Eleutherium oportet, ut non ineptissime, ita ut fecit, argumentatus fuerit. Atqui Pio non Soter, sed Anicetus successit, teste Irenæo [5], et Eusebio tam in Chronico, quam in Ecclesiastica historia, ubi Irenæi verba describit [6]. Cujus etiam ille ipse locus, quem ex ejus epistola Salmasius refert [7], aurem ei vellere de Aniceto debuit. Nam Pio Anicetum proxime successisse docet. Quod si Pius, Aniceto præterito, Soterem et Eleutherium tantum nominat, non igitur *ordine eos nominat, ut duos presbyteris antiquiores.* Siquidem ambobus istis antiquiorem esse oportuit Anicetum, ut qui ordinationis tempore Pio in primatum presbyterii successit ex decreto Salmasii. Sic dum stylum animumque præcipitat, impingere solet, ac cespitare. Ἡ γὰρ κύων σπεύδουσα καὶ τυφλὰ τίκτει.

[1] Pag. 264. — [2] Salm. pag. 275. — [3] Eccl. 32. — [4] Ibidem pag. 276.

[5] Lib. 3. cap. 3. — [6] Euseb. lib. 5. cap. 6. — [7] Salm. pag. 267.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De primatu, et πρωτοκαθεδρίᾳ in ecclesiasticis ordinibus, quæ inter presbyteros fuit. Episcoporum electio cleri, ac populi suffragiis permissa. Cypriani locus insignis; in occidentalibus Ecclesiis præsertim populi consensum intervenisse. Utrum idem in orientalibus observatum sit, quæritur. Videri illam ibi consuetudinem valuisse, maxime in Ægypto, et Alexandriæ. Synesii locus insignis, necnon Leonis. Explicatur pseudo Ambrosii locus a Salmasio perperam acceptus; ex quo illustratur Hieronymus, et ambo inter se conciliantur. Προεδρία inter episcopos, maxime Africanos; ubi ex ætate primates constituti. Eutychii cujusdam Alexandrini locus expensus de duodecim presbyteris, a quibus patriarcha constitutus.

I. Jam quod ad πρωτοκαθεδρίαν illam attinet, ac primatum honoris, et consessus in ecclesiasticis ordinibus, ut pro ordinationis tempore suum quisque gradum obtineret, et qui reliquos antecedebat, is velut primicerius esset omnium; hoc in presbyteris, id est secundi ordinis sacerdotibus, et inferioribus clericis duntaxat usurpatum reperimus. In episcopis nunquam hoc omnino factum, ex antiquitatis memoria constat; nec citra electionem quispiam sola temporis prærogativa, gradatim ad illam dignitatem provectus est. De presbyterorum ordine luculentum habes exemplum apud Leonem primum in epistola decretali quinta ad Dorum Beneventanum episcopum. Quem graviter incusat, quod Epicarpium novum quemdam presbyterum antiquioribus aliis per favorem, ambitionemque prætulerat, et in summo gradu collocaverat. « Libello etenim Pauli presbyteri tui, *inquit*, qui in subditis habetur, cognovimus, apud te novo ambitu, fœdoque colluvio presbyterii ordinem fuisse turbatum; ita ut unius festina, et immatura provectio, quædam eorum dejectio facta sit, quos ætas commendabat, et nulla culpa minuebat. Quod si ambientis intentio, aut imperita faventium studia id, quod nunquam habuit consuetudo, poscebant, ut incipiens emeritis, et novellus præferretur antiquis, tuæ fuerat industriæ, atque doctrinæ, ut injuste petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes, ne quem in sacerdotali propere provehebas honore, ad injuriam eorum, quibus sociabatur, inciperet. »

II. Neque solum novellum presbyterum redarguit, qui per adulationem, et ambitionem ad supremum presbyterii locum obrepserat, sed etiam primum, ac secundum presbyteros, qui ignave illi honore suo cesserant. « Deformis autem, *ait*, et ignava subjectio bene sibi consciis, et non irritam facientibus gratiam Dei, præjudicare non potuit, ut primatus suos quocumque commerito in alterutrum transferentes, subsequentium suorum minuerent dignitâtem, et quem ultimum sibi anteposuerunt, ceteris præemineret. » Itaque pœnam in eos decernit : « Prædicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet privari etiam sacerdotio mererentur, tamen ut eis apostolicæ Sedis pietate parcatur, ultimi inter omnes Ecclesiæ presbyteros habeantur. Et ut judicii sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulere, ceteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suæ tempus adscripsit. » Habes in hoc sane insigni ac memorabili exemplo primatum, et πρωτοκαθεδρίαν in presbyterorum ordine; quem solum unicuique ordinationis tempus attribuebat. Reliquorum ordinum non deerunt exempla; sed hæc, ac totius hujus rei diligentiorem tractationem in alium locum reservamus. In episcoporum promotione longe alia ratio temporibus illis extitit; nam cleri, ac populi suffragiis eligi solebant. Quem morem Cyprianus antiquissimum fuisse testatur, ac de *traditione divina, et apostolica observatione* manasse. Hic vero Cypriani locus magnopere notandus est, et ad retundendam Cathari inscitiam longe præstantissimus; qui episcopos ait apostolorum ætate, et aliquanto deinceps tempore, non electione creatos esse, sed ex antiquitatis prærogativa, rato, certoque successionis ordine substitutos.

III. Quem haud tolerabiliter errasse, omnis ecclesiastica memoria convincit; atque hic ille cumprimis Cypriani locus ex Epistola 68. ubi de episcoporum creatione disserit : « Propter quod plebs obsequens, *ait*, præceptis Dominicis, et Deum metuens, a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate de-

scendere, ut sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio, ac testimonio comprobetur. » Mox Aaronis filii ac successoris Eleazari id exemplo adstruit, qui coram omni Synagoga in locum patris summus sacerdos constitutus est [1]; tum Matthiæ [2], de quo in locum Judæ et apostolatum subrogando Petrus ad Christianam plebem retulit : « Quod utique, *ait*, idcirco tam diligenter, et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet, etc. Propter quod diligenter de traditione divina, et apostolica observatione observandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur; ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quoque conveniant, et episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. » Ecce *traditionem* hanc vocat *apostolicam* saltem. Nam divinam ideo nominat, non quod a Christo ipso præscripta sit; sed quod in veteri lege usurpata est, auctore Deo, in Aaronis posteris. Hanc igitur in Ecclesia ex apostolis traditione receptam ait fuisse consuetudinem, ut episcopi non utique certum adipiscerentur ex ordinationis antiquitate jus, ac promotionem ad summum sacerdotium, ut quis mortuo episcopo successor dandus esset, jam inter omnes constaret; sed ut incerta et expectatione suspensa omnium esset illius electio, quæ ex episcoporum, clericorum, ac plebis ipsius judicio, et suffragio penderet.

IV. Hoc ipsum in Cornelii papæ, qui Fabiano successit, creatione factum esse testatur idem Cyprianus in epistola 52. « Factus est, *inquit*, episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, etc. Factus est autem Cornelius episcopus de Dei, et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum, et bonorum virorum collegio. » Sic idem ipse Cyprianus, ut testis est Pontius diaconus, « Judicio plebis, et favore ad officium sacerdotii, et episcopatus gradum adhuc neophytus, et, ut putabatur, novellus electus est. » Quinetiam « cum in dilectionem ejus, et honorem totus populus, aspirante Domino, prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, et indignum se titulo tanti honoris existimans. » Itaque magno populi ardore, et consensione creatus est. Sunt et alia non pauca in historiis exempla moris ejusdem in primis Ecclesiæ temporibus; qui in jus deinceps, legemque transiit. Nam, ut ab episcopis, aut una etiam a clero eligerentur episcopi, recepta per omnes Ecclesias canonum decreta sanxerunt. Ut autem in iis renuntiandis laicorum insuper suffragia locum haberent, in Occidente potissimum lex et consuetudo tenuit.

V. Celebris hac de re, ac frequenti deinde usu contritus est canon ille ab Cælestino primo editus [3] : *Nullus invitis detur episcopus. Cleri, plebis, et ordinis consensus, ac desiderium requiratur.* Idipsum et Carthaginense quartum canone primo statuit, et Arelatense secundum, canone 54. Leo papa primus in epistola ad episcopos Viennensis provinciæ, quæ est 89. « Expectarentur certe vota civium, testimonia populorum; quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt patrum regulas, custodiri : ut apostolicæ auctoritatis norma in omnibus servaretur, quæ præcipit, ut sacerdos Ecclesiæ præfuturus non solum attestatione fidelium, sed etiam eorum, qui foris sunt, testimonio muniatur; neque ullius scandali relinquatur occasio, cum per pacem, et Deo placitam concordiam, consonis omnium studiis, qui doctor pacis futurus est ordinatur. » Et, « Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, et plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. » Quod etiam in epistola 84. capite 5. præcipit. Quam consuetudinem revocavit Parisiensis synodus tertia anno 557. canone 8. « Placuit ut juxta antiquam consuetudinem canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur episcopus, nisi quem populi, et clericorum electio plenissima quæsierit voluntate : non principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem, vel episcoporum comprovincialium ingeratur. » Et antea primum Arvernense, canone secundo : « Episcopatum ergo desiderans electione clericorum, vel civium, consensu etiam metropolitani ejusdem provinciæ pontifex ordinetur. » Sed innumera sunt hujusmodi decreta de eligendis a populo episcopis, occidentalium Ecclesiarum. In quo servandum id esse decre-

[1] Num. 10. — [2] Act. 1.

[3] Cælest. epist. ad Narb. epis. can. 3.

vit Arelatensis secunda synodus canone 54. ut « tres ab episcopis nominarentur, de quibus clerici, vel cives erga unum eligendi habeant potestatem. » Quod tamen non ubique servatum. Nam populi suffragia præcedebant sæpius; quibus episcoporum, maxime metropolitani, auctoritas succedebat. Quod in Oriente factum esse testatur Zonaras ad canonem 6. Nicænum.

VI. De orientalibus Ecclesiis aliter usu receptum fuisse, doctissimis viris placuit, postquam Nicæna synodus canone 4. et 6. Laodicena 12. et Antiochena canone 19. episcopos, nulla cleri plebisve facta mentione, ab episcopis provinciæ creari, et ordinari jusserunt; nam antea popularibus adhibitis suffragiis creari solebant. Habent, qui ita sentiunt, auctores Balsamonem in commentariis ad canonem 4. Nicænum, et Laodicenum duodecimum: nec non Zonaram ad 6. Nicænum; et 12. ac 13. Laodicenum. Qui ad 12. causam etiam adjicit, cur suffragium populo sit ademptum.

Verum, si quis diligenter canonum illorum verba perpendat, dubitabit, an ex iis satis probari possit, populo jus illud ereptum. Nam de episcopis tantummodo præscribunt, quæ sint eorum partes in episcoporum electione, præcipue metropolitani; quorum utique prima, et præcipua erat auctoritas, et, ut Græci dicunt, τὸ κῦρος τῶν γινομένων. Itaque popularibus istis concionibus, et suffragiis præerant episcopi, sine quibus fieri nihil poterat. De his ergo canones illi statuunt, uti ex omnium consensu, vel saltem paucis exceptis, episcopus eligatur, præsertim vero metropolitani. De populo nihil in utramvis partem definit; quia de solis episcopis agebatur. Quod ipsum et de canone 19. Antiocheno sentiendum est, ubi de populari suffragio nulla fit mentio.

VII. Quanquam Ferrandus in Breviatione canonum sic ex Antiocheno isto canone refert [1]: « Ut nullus ordinetur, nisi probatus, vel episcoporum examine, vel populi testimonio. » Sed ad eam solam partem, quæ est de episcopis, Antiochena synodus pertinet. In Laodiceno canone 13. decretum est, « (1) ut ne turbis permitteretur electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium provehendi. » Ad quem Zonaras, et Balsamo adnotant (2), quemadmodum in antecedenti canone de episcopis cautum est, ut ne a populo deligerentur; ita in hoc sequenti de sacerdotibus, sive presbyteris idem esse constitutum. Quod si verum est, ut de presbyteris canon iste sanciat; cum nec in superiori, nec in ullo alio canone nominatim populo adempta sint suffragia in episcoporum electione: hoc etiam argumento esse potest, nec in orientali quidem Ecclesia sublata fuisse, quod presbyterorum duntaxat electio sit excepta. Est enim vulgare hoc effatum, *Exceptio firmat regulam in non exceptis*. Quare si de eligendis presbyteris speciatim id cavetur, ne populus adhibeatur, videri potest non idem in episcopis fuisse prohibitum. Ego vero non de solis presbyteris hoc arbitror Laodiceno illo canone fuisse sancitum; sed etiam de diaconis, hoc est universe de sacris ordinibus episcopo minoribus. Nam et diaconi εἰς ἱερατεῖον καθίστασθαι dici possunt, hoc est ex versione alia, (prior enim, qua sum usus, quæ *sacerdotium* habet, Dionysii est exigui,) *qui sunt altaris ministerio applicandi*. Itaque in canone secundo ejusdem concilii diaconis tribuitur ἱερατικὴ λειτουργία, quod Dionysius *sacrum ministerium* vertit. Notum vero illud est, quemadmodum olim in eligendis presbyteris, aliisque minoribus clericis, populi consensus, ac testimonium peteretur, ut ex Cypriano, et plerisque aliis constat.

VIII. Nec desunt exempla popularis in eligendis episcopis suffragii ac testimonii in orientalibus Ecclesiis, etiam post Nicænam usurpati synodum, ceterasve, a quibus illud interdictum putant Zonaras, et Balsamo. Luculentissimum vero illud est, quod in creando primum Synesio, tum ab hoc ipso jam episcopo in aliis promovendis editum est in Alexandrina diœcesi, quæ fuit orientalis Ecclesia. Etenim Synesius patria Cyrenensis, quæ erat Libyæ caput, a Ptolemæensibus unius e Pentapolitano tractu civitatis incolis ad episcopatum expetitus est; ut in epistola 105. testatur ipse. Deinde jam factus episcopus, Theophili Alexandrini episcopi jussu, cui subjectus erat, in vico quodam provinciæ suæ nomine Palæbisca, de ordinando ibidem episcopo conventum habuit clericorum, atque populi. Sed hoc imprimis reclamante, victus tandem ejus pertinacia ab incœpto destitit, ac de tota re ad Theophilum retulit in epistola 67.

(1) Laod. can. 13. Περὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον.

(2) Zonar. Οὐ μόνον ἐπισκόπων ἐκλογὴν οἱ ὄχλοι ποιεῖν ἐκωλύθησαν, ἀλλ' οὐδὲ ἱερεῖς ἐκλέγεσθαι παρεγωρήθησαν.

[1] Num. 232.

digna plane quæ legatur ob hoc ipsum, de quo modo agitur. Nam nusquam expressius invenies moris antiqui vestigium in creandis episcopis, et popularibus ad id celebrandis comitiis. Imprimis ergo « (1) Congregatum a se populum » scribit, « ac partim litteras coram illis legisse, partim iis reddidisse; priores quidem, quas Theophilus ad se de illis; posteriores quas ad eos scripserat : ac sermonem instituisse, quo vel persuaderet, vel, si fieri posset, cogeret, ut de episcopo eligendo deliberarent. Verum populi studium in Paulum se non potuisse pervincere. » Cum autem vehementius instaret, ut quod acceperat in mandatis efficeret; majorem populi tumultum, vociferationemque coortam, præsertim mulierum. Itaque, ne commiseratione frangeretur, « (2) Concionem a se dimissam *ait*, et in quartum diem indictam, cum severa denuntiatione, et dirarum imprecatione, si quis mercede conductus, aut privati commodi gratia, aut favore, aut ulla re alia ductus, quæ privatim sua interesset, quidquam adversus debitam Ecclesiæ obedientiam dicere auderet. » Ubi dicta dies advenit, tum vero majores turbæ, ac contentiones extiterunt, quando et sacri præcones ægre silentium fecerunt. Demum, « (3) Libellus publice prolatus, lectusque est, quo populus obtestabatur Synesium, ut vim multitudini desineret afferre, ac deliberationem tandiu differret, dum ad Theophilum publicum de hac re decretum cum legatione mitteretur. » De episcopo itaque creando conventum populi tum habuit, et ad eum retulit Synesius.

IX. In Alexandrina ipsa Ecclesia eumdem morem obtinuisse, uti popularium ratio suffragiorum duceretur, indicat Julius papa scribens ad episcopos Arianos, qui in Antiochena erant synodo, et, Athanasio damnato, successorem ei dederant Gregorium Cappadocem. Hoc enim factum illorum incusat ideo, quod, pulso legitimo episcopo, hominem ad illam sedem miserint, « (4) neque postulatum a presbyteris, neque ab episcopis, neque a populis. » Sed et Leo primus Romanus pontifex ad Timotheum Solophaciolum scribens, qui, ejecto Timotheo Æluro, Alexandriæ a Catholicis creatus erat episcopus, gratulatur, quod a clero, ac plebe sit electus : « Unde de eo, *inquit* [1], quod instinctu fidei in fraternitatem tuam cleri, et plebis, atque omnium fidelium egit electio, universam mecum Ecclesiam Domini gaudere rescribo. » Et Epistola 103. *totius civitatis electione* factum illum ait episcopum. Quin idem Leo in epistola ad Anastasium Thessalonicensem episcopum [2], « Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri, plebisque consensus concorditer postularit, ita ut, si in aliam forte personam partium se vota diviserint, metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus et studiis juvatur, et meritis : tantum ut nullus invitis, et non petentibus ordinetur, ne plebs invita episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, et fiat minus religiosa, quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit. » Erat quidem tunc Thessalonica Romanæ diœcesis, cujus episcopo vices suas in longinquis illis Ecclesiis gubernandis committebant Romani præsules, ut Anastasio tunc Leo fecerat. Tamen, quia Græciæ civitas illa fuit, verisimile est, eadem, ac reliqua utebatur Græcia, illic instituta floruisse, generalis præsertim decreto synodi sancita.

X. Præter hæc alia quædam exempla, ac testimonia colligit R. P. Hugo Menardus in eruditis notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii papæ [3], quæ postquam ista commentati sumus, in lucem prodiere. Velut est Sardicensis canon sextus; qui de καταστάσει, id est *ordinatione* episcopi, ut vertit Dionysius, præcipit, (5) ut is eligatur, quem plebs postularit

(1) Syn. ep. 67. Ἐν αἷς τόν τε δῆμον ἐκκλησιάσας, καὶ γράμματα τὰ μὲν ἀναγνοὺς, τὰ δὲ ἀποδοὺς· τὰ μὲν γὰρ ἦν πρὸς αὐτοὺς, τὰ δὲ περὶ αὐτῶν πρὸς ἐμέ· καὶ λόγους διεξελθὼν ἐπιτηδείους εἰς ἀρχαιρεσίαν, εἰς τὸ καὶ πεῖσαι, καὶ, εἰ προχωροίη, βιάσασθαι προθέσθαι τὴν περὶ ἐπισκόπου σκέψιν, οὐκ ἐξενίκησα τοῦ δήμου τὴν περὶ τὸν εὐλαβέστατον Παῦλον σπουδήν.

(2) Ibid. Ἔλυσα τὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰς τετάρτην ἥκειν ἐπήγγειλα, ἐπαρασάμενος τὰς παλαμναιοτάτας ἀρὰς, εἴ τις ἐμμίσθως, εἴ τις κατὰ χρείαν, ἢ χάριν, ἢ ὅλως ἰδίᾳ τι διαφέρον αὐτῷ, φθέγξαιτό τι τῶν ἡκόντων εἰς τὴν τῆς ἐκκλησίας παραπομπήν.

(3) Syn. ibid. Ἐμοῦ δέ τι μεταξὺ λέγειν ἐπιχειροῦντος, ἀναπεπτύχατο γραμματιον ἐκ μέσου τοῦ πλήθους· καὶ ἐνεύχεται τις εἰς κοινὸν αὐτὸ πᾶσιν ἀναγνωσθῆναι. Τὸ δὲ ἦν ἐνορκισμὸς πρὸς ἐμὲ παύσασθαι σὺν βίᾳ τοῦ πλήθους ἀποπειρώμενον, καὶ ἀναθέσθαι τὸ σκέμμα, μέχρις ἂν αὐτοῖς γένηται πρὸς τὴν μακαριωτάτην σοῦ κεφαλὴν ὑπὲρ τούτου ψήφισμα πέμψαι, καὶ πρεσβευτήν.

(4) In epist. Julii apud Athan. in apol. 2. p. 582. et seq. Μὴ αἰτηθέντα παρὰ πρεσβυτέρων, μὴ παρ' ἐπισκόπων, μὴ παρὰ λαῶν.

(5) Sardic. can. 6. Τὰ δὲ πλήθη συναθροισθέντα παρακαλοῖεν γίγνεσθαι τὴν κατάστασιν τοῦ παρ' αὐτῶν ζητουμένου ἐπισκόπου, etc.

Mox : Τὸ ἱκανὸν τῇ βουλήσει τοῦ πλήθους χρὴ γενέσθαι.

[1] Leo P. Ep. 101.

[2] Leo Ep. 103. c. 4. — [3] Pag. 303.

in unum collecta. Tum ex Synodica concilii Nicæni, quæ Meletianæ partis episcopos jubet in mortui locum subrogare, « (1) si tamen digni habeantur, et populus eligat. » Quare, cum eadem synodus canone 4. καθίστασθαι, id est *ordinari*, ut idem vertit Dionysius, episcopum mandat ab omnibus episcopis provinciæ, vel a tribus saltem; de consecratione ipsa loquitur, vel certe populi suffragia non excludit, uti supra meminimus. Affert et alia orientalium Ecclesiarum exempla, quæ eumdem morem popularis electionis confirmant, quæ apud illum legi poterunt.

Verum utut in orientali Ecclesia renuntiati sint episcopi, hoc est sive populi plerumque suffragiis expetiti, sive ab solis episcopis creati: primum ita constat, non eodem modo semper transactam rem fuisse; sed principum maxime jussu, ac potestate, præter canones, et consuetudines, episcopos civitatibus datos esse. Quod et in Galliis, primorum maxime regum tempore, sæpius usuvenisse in annalibus proditum est, ut contra quam legibus ecclesiasticis cautum erat, atque usu receptum, electi, missique ab regibus caperentur; non liberis suffragiis episcoporum, nedum civium eligerentur antistites. Deinde longe id certissimum est, falsum et ineptum Salmasii esse commentum; qui[1] « antiquiorem, ac priorem morem fuisse Ecclesiarum *ait* ab ipsis apostolis institutum, ut primatus inter presbyteros (hoc est episcopatus, ut in eadem pagina, et sequentibus docet[2]) non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Si de solo presbyteratus ordine istud diceret, non esset arguendus. Nam paulo ante significavimus, in presbyterorum, ac clericorum adeo omnium collegiis, fuisse quoddam graduum, ac sessionum discrimen, et primatum ordinationis antiquitate tributum. At iste[3] illos ipsos primates presbyterio præpositos, et « episcopos nominatos *ait* esse κατ' ἐξοχήν, quibus primatus eo modo delatus fuisset, ex tempore ordinationis. » Doceat igitur nos, quo auctore, quo argumento persuadere poterit, episcopos priscis illis, apostolicisque temporibus, non electione creatos esse, sed ex tempore ordinationis suæ, quasi rata, et certa lege successionis esse suffectos; quemadmodum in locum primi presbyteri, vel diaconi, is qui proxime ab eo cooptatus fuerat, antiquitatis jure succedebat.

XI. Operæ pretium est eruditi hominis, et critici in paucis acuti solertiam, ac judicium intueri, cujus in hac re singulare specimen dedit. Duos enim ante se positos auctores habuit, Hieronymum, et pseudo Ambrosium, quos invicem pugnare credidit, et contraria dicere. Hieronymus in epistola 85. ad Evagrium, « Nam et Alexandriæ, *inquit*, a Marco evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat, etc. » Ab apostolorum tempore, usque ad Heraclam, et Dionysium, hoc est usque ad medium seculum fere tertium, morem hunc fuisse dicit Alexandrinæ Ecclesiæ, ut e corpore suo presbyteri unum quempiam eligerent; post Dionysium, quid deinceps illi fecerint, quove modo episcopos creaverint, non explicat. Sed ex illo ipso, quem Hieronymo refragari putat Salmasius, pseudo Ambrosio subinde declarabitur: quem ab Hieronymo neutiquam dissidere, in eoque falsum esse Salmasium, indidem constabit. Teneamus modo id, quod ex Hieronymo colligitur, Alexandriæ morem hunc in episcopis creandis jam tum ex apostolorum tempore servatum esse, ut non ordinationis prærogativa succederent, sed electione presbyterorum, qui, quem utique vellent, episcopum facerent. At pseudo Ambrosius in commentario ad caput 4. epistolæ Pauli ad Ephesios, « Primum, *inquit*, presbyteri episcopi appellabantur, ut, recedente uno, sequens ei succederet, etc. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, et esset multis scandalum. »

XII. Arbitratur Salmasius scriptorem hunc ab Hieronymo dissentire, quod hic a Marco ad Heraclam usque electione factos ait episcopos Alexandriæ; pseudo Ambrosius autem *prius ex ordinationis tempore delatum esse* dicit *primatum inter presbyteros;* postea electione creatos episcopos. Quod quidem verum si esset, ut ab Hieronymo dissideret iste, non esset, opinor, hæsitandum, utrius fides potior, et auctoritas major deberet esse. Adeo incredibiliter constat, longe digniorem esse cui crederemus, Hieronymum, quam illum nescio

(1) Epist. syn. Nic. Μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο.

[1] Salm. p. 205. — [2] Idem p. 206. 207. 273. 274.— [3] Vide p. 273. et 274.

quem scriptorem; nec obscurum, ignotumque modo, sed infamem etiam vel schismatis invidia, ut cum plerisque Salmasius existimat, vel hæresis Pelagianæ, ut nonnullis videtur [1]. Verum non est ille, ut jam dicere cœpimus, adversus Hieronymo; ac tum pulchre cum illo convenit, tum ad eum interpretandum lucis etiam aliquid affert; ut in hujus usurpando testimonio duplici, vel etiam triplici erroris capite teneatur Salmasius : dum et Hieronymo pluris illum ad veritatis auctoritatem facit; et pugnare ambos inter se perperam existimat; et quemadmodum ex uno suppleri debeat, quod minus expressum est in altero, non vidit. Horum trium quod primum est, etsi per se est notum, tamen superiori capite satis exagitavimus : nunc duo reliqua demonstranda sunt.

XIII. Scribit ementitus Ambrosius, primum ita creatos episcopos, *ut, recedente uno, sequens ei succederet.* Id sic accipiendum est, ut ex solo presbyterorum ordine tum episcopi Alexandriæ caperentur, hoc est *uno recedente*, atque e medio sublato, *sequens*, id est alter ejusdem ordinis, *succederet.* Ergo idem *sequens* est, atque *alter.* Ut ergo si ita dicam : Ex solo cardinalium collegio Pontificem Romanum ita fieri, ut, uno recedente, sequens ei succedat; nihil aliud significavero, nisi alterum ei cardinalem substitui : minime vero inde consequens erit eum, qui dignitate proximus sit ab summo Pontifice, et cooptationis tempore totius collegii primus, sine electione succedere. Sic Optatus Milevitanus in libro 2. cum de Constantini M. actis contra Donatistas locutus esset, mox de Juliano ita scribit : « Deinde alter, ut omnibus notum est, secutus imperator. » Eodem plane modo ex presbyterii corpore, et ordine creabatur Alexandrinus episcopus; idque ab ipsismet presbyteris, ut indicat Hieronymus. Ac tum *ordo, non meritum creabat episcopum* ut ait Ambrosius ille. Nam fieri poterat, ut in presbyterio nemo esset episcopatu dignus, esset autem in diaconorum ordine, aut in hoc certe longe, quam in illo honore isto dignior. Et tamen, quia non alius quam presbyter creandus erat episcopus, vel indignus, vel minus dignus erat eligendus; hoc merito displicuit, et aliter instituenda res est visa. Itaque *multorum sacerdotum judicio constitui* placuit episcopum non ex ordine, sed ex merito, hoc est etiam ex alio, quam presbyterorum ordine. In quo duo novata sunt : alterum, ut alii, quam presbyteri, creari possent episcopi : alterum, ut non a solis presbyteris eligerentur, sed etiam ab sacerdotibus, id est ab episcopis, quos proprio vocabulo *sacerdotes* interdum appellatos esse supra meminimus; et ita pseudo Ambrosium usurpasse liquet ex eo, quod a presbyteris, quos paulo ante dixit, diverse illos appellavit. Potuit et ex eadem lege, populi in eorum electione consensus adhiberi, cum antea penes presbyteros tota potestas esset.

XIV. Utriusque novi decreti, ac mutationis, haud scio, an non in Athanasii creatione extet exemplum; nam videtur ex diacono post Alexandri obitum factus episcopus. Quippe Nicæno concilio cum illo interfuit adhuc diaconus, et post concilium in eodem gradu perseverasse videtur, ut ex Synodica concilii Alexandriæ habiti in causa Athanasii colligitur; quæ refert, (1) Eusebianos ab Alexandro reditum Arii frustra impetrare conatos, in Athanasium diaconum iram suam vertisse, cujus experimentum in Nicæna synodo ceperant. Hinc ergo verisimile est, post Nicænum concilium etiamnum diaconum illum fuisse, usque ad Alexandri obitum, qui quinto post concilium mense accidit, ut in eadem apologia secunda scribit Athanasius [2]. Rursus populi suffragio eumdem creatum esse, post Alexandrum, episcopum testis est Gregorius Nazianzenus : « (2) Sic igitur, *inquit*, et ob eas causas totius populi suffragio, non autem secundum perversum exemplum, quod postmodum inolevit, neque per vim ac cædem, sed apostolice, et spiritualiter ad Marci thronum evehitur. » Habes, nisi fallor, probabilem conjecturæ nostræ rationem, et interpretationis, qua cum Hieronymo Ambrosius ille conciliatur, contra quam temere et ἀκρίτως Catharus opinatus est. Qui et ex Marci throno, ut Gregorius illum

(1) Synodica Alex. apud Athan. in apol. 2. pag. 564. E. tom. 1. Ἀλεξάνδρου δὲ διὰ τὴν εἰς Χριστὸν εὐσέβειαν μὴ δεχομένου τὸν ἀσεβῆ, εἰς Ἀθανάσιον τότε διάκονον ὄντα, ἐλυπουντο, etc. πεῖραν δὲ αὐτοῦ καὶ τῆς εὐσεβείας τῆς εἰς Χριστον λαβόντες ἐκ τῆς συνόδου τῆς κατὰ Νίκαιαν συγκροτηθείσης, ἐν οἷς ἐπαῤῥησιάζετο κατὰ τῆς ἀσεβείας τῶν Ἀρειομανιτῶν.

(2) Nazianz. orat. in S. Athan. Οὕτω μὲν οὖν καὶ διὰ ταῦτα ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντὸς, οὐ κατὰ τὸν ὕστερον νικήσαντα πονηρὸν τρόπον, οὐδὲ φωνικῶς τε καὶ τυραννικῶς, ἀλλ' Ἀποστολικῶς τε, καὶ πνευματικῶς ἐπὶ τὸν Μάρκου θρόνον ἀνάγεται.

[1] Bellar. de Scr. Eccles.

[2] Pag. 603. D.

vocat, necnon Synesius, aliique veteres, discere potest, falso abs se negari, Marcum Alexandrinæ Ecclesiæ primum episcopum fuisse.

XV. Non opus est pluribus ad inanem illam confutandam fabulam antiquæ creationis episcoporum in Alexandrina Ecclesia, tum vero in ceteris, ab apostolorum tempore, quam ex pseudo Ambrosio commentus est Salmasius; ut primatum episcoporum sola ordinationis antiquitate constitisse, sine electione diceret. Quod ne fando quidem hactenus est auditum; neque, uti spero, deinceps audietur. Invenio in Ecclesiæ veteris usu, ac moribus primatum quemdam, et πρωτοκαθεδρίαν inter episcopos, sed longe dissimilem Salmasiani illius, et ementiti. Ac dupliciter ille procedebat. Nam et inter episcopos considendi locus ex ordinationis tempore dabatur; et in quibusdam provinciis uni alicui, qui omnibus antiquior erat, primatus idem cum potestate, ac jurisdictione cedebat, ut metropolitani instar esset.

Prioris illius πρωεδρίας exempla, aut testimonia quærere supervacuum est, cum id ratio ipsa dictet, ordinem aliquem inter episcopos considendi, ac dicendæ sententiæ esse debere. Unicum tamen ad id expressum, et memorabilem Gregorii papæ locum omittere non possum ex epistola ad Syagrium Augustodunensem episcopum, cui pallium mittens, prærogativam insuper addit honoris, et ita scribit[1]: «Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, ut, metropolitæ suo per omnia loco et honore servato, Ecclesia civitatis Augustodunæ, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, et hunc sibi locum, ac ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vindicare. Ceteros vero episcopos secundum ordinationis suæ tempus, sive ad considendum in concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus, et suorum sibi prærogativam ordinum vindicare.»

XVI. Leo primus in epistola 89. de episcoporum in Galliis ordinatione loquens: «Ordinationem sibi, *inquit*, ut jam ante diximus, singuli metropolitani suarum provinciarum cum his, qui ceteros sacerdotii antiquitate præveniunt, restituto per nos sibi jure defendant. Alienum jus alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus, suis terminis sit unusquisque contentus. Et privilegium sibi debitum in alium transferre se posse, noverit non licere. Quod si quis negligens apostolicas sanctiones plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non is, cui cesserit, sed is, qui intra provinciam antiquitate episcopali ceteros prævenit sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem.» Hic ordinationis antiquitas jus quoddam episcopis tribuit in ordinationibus episcoporum cum metropolitano totius provinciæ peragendis, de quo non est hujus loci agere.

Posterior πρωτοκαθεδρία Africanæ Ecclesiæ propria fuit, «Cujus in singulis provinciis (verba sunt Leonis IX. in epistola 4.) antiquitus primates instituebantur, non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis; quibus tamen præerat unus, scilicet Carthaginensis archiepiscopus, qui etiam non incongrue dici potest metropolitanus propter Carthaginem metropolim totius Africæ.» Itaque nullus apud Afros metropolitanus erat, hoc est sedes nulla, penes quam certus, ac fixus primatus esset præter Carthaginensem, quæ velut metropolis fuit Africæ totius. Reliquæ primatum ex ejus, qui præerat, antiquitate vicissim sortitæ sunt; isque *senex* appellabatur, et primas.

XVII. De qua re plenius scripserunt alii contra Salmasium[2]; qui Africanarum Ecclesiarum morem istum nesciens, temere, uti solet, inficiari, et oppugnare est ausus. Quod sero tandem confessus est in illa dissertatione, quam contra modo scribimus; sed in hac Afrorum commemoranda consuetudine, seipsum imprudens jugulat. Nam exemplum ex ea capit πρωτοκαθεδρίας suæ, et commentitiæ, quam ab apostolorum tempore fuisse putat, ut in presbyteratu is primas, et episcopus fieret, qui ordinationis tempore præibat reliquis: «Hæc eadem ratio, *inquit*[3], diu primatum inter episcopos in multis provinciis fecit, non urbis primæ dignitas. Unde et primæ sedis vocabantur episcopi, cum alii omnes secundæ dicerentur. Ita inter presbyteros prima sedes dabatur, sive πρωτοκαθεδρία ei, qui ordinatione antiquior ceteris esset.» Ergo, si primatus ille, qui fuit in Ecclesiis apostolorum ætate, idem fuit cum isto quarumdam Ecclesiarum, id est Africanarum, primatu inter episcopos; falsum est, quod alibi in eadem dissertatione sæpius ingerit[4], presbyteros *omnes* per illud tempus, *honore et*

[1] Greg. lib. 7. Ep. 102. Ind. 2.— [2] Sirm. lib. 2 Prop. c. 9.

[3] Salm. p. 273.— [4] Idem p. 206. quod et p. 205. ait.

potestate æquales fuisse. Nam Africani illi primates instar erant metropolitanorum, qui in aliis provinciis habebantur. Hi vero in ceteros episcopos potestatem aliquam, et jurisdictionem exercebant. Nam et synodis præerant, et episcopos ordinabant, et provinciam quisque suam administrabant, et honore anteibant ceteros. Quæ omnia longe absunt ab æqualitate illa, et ἰσονομίᾳ, quam apostolorum tempore in Ecclesiis gubernandis fuisse censet in presbyterorum ordine ; et quam hodie Calvinianorum, Catharorumque factio, in quam juratus est Salmasius, quocumque pervasit, introducere conatur.

XVIII. Antequam caput hoc, librumque concludam pauca libet addere, quæ ad morem illum Alexandrinæ Ecclesiæ in eligendo episcopo spectant, quem ex Hieronymo, et falso Ambrosio supra retuli. Editus est nuper admodum ab viro docto Eutychii Alexandrini patriarchæ libellus arabicus, in quo Ecclesiæ illius origines continentur ; præsertim Marci evangelistæ historia, et conditæ ab eo illic Ecclesiæ. Cujus nonnulla extant in historia vetere S. Marci, quæ post Abdiam Babylonium vulgo solet excudi. Velut est de calceamento ipsius rupto, cum Alexandriam ingrederetur, et de sutoris manu curata, qui in resarciendo calceo illam læserat. Cujus quidem calcei rupti meminit in Polycratico Joannes Sarisberiensis [1]. Hunc sutorem nomine Ananiam scribit Eutychius primum a Marco patriarcham esse factum ; adjunctosque illi duodecim presbyteros, qui cum eo manerent : « adeo ut cum vacaret patriarchatus, eligerent unum e duodecim presbyteris ; cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, et patriarcham eum crearent : et dein virum aliquem insignem eligerent, eumque presbyterum secum constituerent loco ejus, qui sic factus est patriarcha, ut ita semper extarent duodecim. » Quem morem usque ad tempus Alexandri, cui Athanasius successit, perseverasse ait ; hunc vero, eo abolito, decrevisse, ut deinceps ab episcopis patriarcha ordinaretur, sive ex duodecim illis presbyteris, sive ex aliis, ut res tulisset.

XIX. In hac Eutychii narratione (cujusquemodi tandem est, de quo hic non disputo ; et omnino bene credulum lectorem postulat) apparet vestigium aliquod consuetudinis illius Alexandrini presbyterii, cujus falsus Ambrosius meminit, nec non Hieronymus. Sed quod a duodecim illis presbyteris refert creatum, et in mortui locum suffectum esse patriarcham ; (ita enim vocat ;) id si verum est, aut presbyteros istos episcopali ordine, ac potestate præditos fuisse necesse est, uti supra memoravi ; aut sola ibi electio, et constitutio agitur, non ordinatio et consecratio. Quamvis de hac etiam persuadere conatur eruditus interpretes in commentario ad Eutychium istum. Qui itidem, ut Trapezita Messalinus nulla re cum illo conferendus, imbecillo argumento nititur, ex judaico more, ac talmudicis ritibus sumpto, ubi impositio manus nuda cæremonia est, neque gratiæ, neque spiritalis potestatis efficax ; uti ritus omnes erant veteris legis etiam auctore Deo ab ipso Mose traditi ; nedum inanes isti, qui ab superstitiosa, et stolida gente vel instituti sunt, vel post abrogatum vetus Testamentum, sine ullo fructu retinentur.

Recordemur ejus, quod ante dixi : Christum ad novæ Sacramenta legis, ac mysteria condenda eas fere cæremonias usurpasse, quæ Judæis erant familiares, et usitatæ, ut in Sacramento, et sacrificio eucharistico ; quod ipsum et in ordinatione, ac manuum impositione contigit. Ut igitur pessime ratiocinetur, qui in eucharistico Sacramento nihil esse præter nuda, et egena elementa concludat ; quod nihil amplius apud Judæos illa eadem habuerint : ita non melius probabiliusque de manuum impositione constat illis ratio, qui nihil in Christiana sanctius, aut efficacius putant inesse, quam in judaica fuerit ; cum etsi ὕλη par utrobique sit, tamen εἶδος, et ἐνέργεια distet amborum. Postremo vetus historia Marci nihil aliud de clero ab eo constituto refert, nisi et sutorem illum, quem *Anizanum* vocat, « Alexandriæ ordinatum episcopum, (non vocat patriarcham, ut ille Eutychius,) et tres presbyteros, et septem diaconos, et alios undecim ad ecclesiasticum ministerium pertinentes ; » nec a presbyteris istis consecratum ait episcopum, quod frustra vir ille doctus non solum Eutychio suo imputat, sed etiam Walloni Messalino impostori temere asseveranti credidit. Vide quæ sequente libro, capite 6. de eadem re dicemus.

[1] Lib. 2. cap. 1.

LIBER SECUNDUS.

IN QUO THEODORETI, CHRYSOSTOMI, HIERONYMI, ET ALIORUM PATRUM SENTENTIÆ AC TESTIMONIA DE EPISCOPO, ET PRESBYTERO DECLARANTUR, ILLUSTRANTUR, ET AB CATHARORUM CALUMNIA VINDICANTUR.

—

CAPUT PRIMUM.

De Theodoreti sententia, et interpretatione Pauli. Illum videri non satis constare sibi. Ejus opinio perperam ab Salmasio accepta, et tricis atque involucris obducta panditur. Ejusdem Salmasii pugna secum. Episcopatum includere sacerdotium, sive presbyteratum : non tamen vicissim omnem presbyterum esse episcopum.

I. Nunc ad illa Salmasii convertendus animus est ac stilus, quæ de antiquorum aliquot opinione Patrum, et apostolicarum de episcopis ac presbyteris sententiarum interpretatione contra nos scripsit, Theodoreti, Chrysostomi, Hieronymi, et si quis alius est, quorum de controversia hac opiniones non satis probari mihi dixeram. Iste autem ut se ex iis salebris expediret, multum nugarum commentorumque in eum locum contulit. De Theodoreto primum agamus. Hic in commentario ad epistolam priorem ad Timotheum, ejusque caput tertium, ubi Paulus præcepta dat primum episcopo, deinde diacono, prætermissa mentione presbyteri, rationem hujus reddens asserit, « (1) Eosdem olim presbyteros appellatos, et episcopos. Quos autem episcopos hodie nominant, tunc apostolos vocasse. Procedente deinde tempore, apostolatus nomen iis, qui vere apostoli dicti sunt, reliquerunt : episcopatus autem appellationem iis imposuerunt, qui quondam apostoli nominabantur. » In hoc Theodoreti loco dixi quædam parum videri scripta probabiliter [1]. Quod nondum Catharo Trapezitæ persuadere potui. Neque hoc valde miror. Qui enim hoc genio, et ea indole factus est, ut nihil cohærens, nihil consentaneum loquatur, aut scribat unquam : sed in omnibus fœde a se ipse dissideat, et contraria invicem ac pugnantia proferre soleat, frustra hoc ab illo exigas, ut quæ dissona sunt, aut consequentia discernat. Sed jam manu sic eum deducam, ut quod videre se negat, id videat, si quibus ista videntur oculis, eos habeat, καὶ εἰ μὴ λημᾷ κολοκύντας.

II. Age enim cum ista scribit Theodoretus, « Olim eosdem vocabant presbyteros, et episcopos: qui autem nunc nominantur episcopi, eos appellabant apostolos : » vox *olim* nonne tempus illud significat, quo vivebant apostoli, et Paulus illa scribebat ? Non negat Catharus. Jam hoc etiam fatebitur, episcopi et presbyteri nomina dupliciter usurpari : ut non eodem modo Theodoreti tempore, atque *olim* accepta sint, Apostolo vivente ac scribente. Nam sub apostolis ejusdem dignitatis appellationes erant. Ea porro dignitas vel episcopalis fuit, qualis Theodoreti seculo, ac deinceps extitit, et hodieque perseverat : quæ summum in ecclesiastica hierarchia gradum obtinet, et a presbyteratu simplici diversum ; qui episcopatu inferior est. Vel hic ipse presbyteratus ordo simplicis, episcopatus quoque nomen obtinuit. Qui autem Theodoreti tempore episcopi vocabantur, in primo videlicet gradu constituti ; eos olim apostolos fuisse dictos testatur idem.

Ecquis ergo consequens esse non videt, ut, ex mente Theodoreti, *olim*, id est, apostolorum seculo, *episcopi* vox *presbyterum* signifi-

(1) Theodor. pag. 473. to. 3. Ἀλλ', ὅπερ ἔφην, τοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν ποτὲ Πρεσβυτέρους, καὶ Ἐπισκόπους· τοὺς δὲ νῦν καλουμένους Ἐπισκόπους, Ἀποστόλους ὠνόμαζον. Τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος, τὸ μὲν τῆς Ἀποστολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς Ἀποστόλοις κατέλιπον· τὴν δὲ τῆς Ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις Ἀποστόλοις ἐπέθεσαν.

[1] Lib. 1. Dissert. cap. 1. p. 5.

caret simplicem ; non episcopum, cujusmodi præ oculis Theodoretus habebat ? Huic enim nomen impositum erat apostoli. Atque hoc Salmasius diserte scribit [1] : « Nusquam enim, *inquit*, ille prodidit episcopos istos, qui et presbyteri vocantur apud Apostolum, summum gradum tenuisse . » Si olim *episcopi* vox simplicis *presbyteri* nomen fuit, ut opinatur Theodoretus, non eadem notione sumebatur ac postea Theodoreti tempore. Atqui ex ipsius confessione Theodoreti paulo post ostendetur, episcopum a Paulo usurpari de summa dignitate, quæ sit presbyteratu simplici major. Igitur si Apostolo vivente eidem et episcopi vocabantur et presbyteri, sequitur utrumque vocabulum attributum fuisse summo gradui et ordini. At ex adverso Theodoretus utrumque tunc nomen ad secundum gradum restrictum fuisse significat, qui est simplex presbyteratus.

III. Justa ergo de Theodoreto quærendi ac dubitandi causa fuit, imo conflictus illius notandi, quo secum et cum Apostolo pugnat. Uno verbo : cum scribit Theodoretus, olim nomina hæc duo , *episcopi* , et *presbyteri*, iisdem imposita fuisse ; vel sic intelligendus est, ut dicat, secundi ordinis sacerdotes vocatos esse tam episcopos , quam presbyteros, vel sic, ut primi ordinis sacerdotes utroque illo nomine designatos fuisse velit. Hoc nemo nisi Salmasius, aut Σαλμασιοειδὴς inficiari poterit.

Quocirca jure a nobis de Theodoreti mente quærendum fuit, quæ in tam ancipiti significatione nominum nonnisi ambigua videri potuit. Et quamvis exerte explicateque doceat, secundi duntaxat ordinis sacerdotes ab Apostolo duplici illo nomine vocari, episcopi, ac presbyteri ; tamen ex oratione sua, et Apostoli testimoniis, quæ ad probandam opinionem suam attulit, eorumque, quam affert, interpretatione imprudens agnovisse convincitur, presbyteros , quos et episcopos appellavit idem apostolus, primi ordinis extitisse, quales consequens ætas proprie nuncupavit episcopos. Etenim, qui episcopi simul et presbyteri intelliguntur a Paulo capite tertio prioris ad Timotheum , iidem sunt prorsus , quos Actor. 20. idem Paulus duplici hac appellatione designat : ut Theodoretus in commentario ad primum caput epistolæ ad Philippenses asserit. Atqui ex eodem Theodoreto colligitur, presbyteros illos, et episcopos, qui in Actis ita vocantur, veros episcopos fuisse, primique ordinis et gradus sacerdotes, (1) *quos Spiritus sanctus posuit episcopos regere*, vel *pascere*, ποιμαίνειν, *Ecclesiam Dei.* Nihil enim aliud videntur esse Theodoreto primi ordinis, ac veri episcopi, quam rectores Ecclesiæ, ac Dominici gregis pastores.

IV. Velut etiam cum Apostolus in illo loco primæ ad Timotheum, episcopos iisdem lineamentis designat , ut Ecclesiæ præsint , tanquam rectores, et moderatores. Idque ex illa similitudine colligitur, quam ibi posuit, cum inter alias idonei episcopi dotes hanc præscribit, *suæ domui bene præpositum.* Ex quo deinde ratiocinatur ita : (2) *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam* (id est *curam*) *habebit ?* Ubi comparatio quædam instituitur, ac proportio inter domum, sive familiam privatam, et domum Dei, quæ est Ecclesia ; tum inter utriusque præpositos, hoc est patremfamilias et episcopum. Ut igitur paterfamilias suæ domui præest, ejusque rector ac moderator, et caput est, non herili sed liberali imperio, ac potestate ; sic episcopus Ecclesiæ, quasi cuidam Dei familiæ, ac domui, præpositus est. Quæ potestas ab Apostolo his vocabulis exprimitur, προστῆναι , ἐπιμελεῖσθαι , ποιμαίνειν , οἰκονομεῖν, quæ sunt , *præesse*, *curam gerere* , *pascere, dispensare.* Quod postremum extat in epistola ad Titum. (3) *Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.*

Sed et οἰκονόμος figurate ab Christo vocatur Ecclesiæ præfectus [2]. Tales etiam sunt, quos in epistola ad Hebræos [3] Apostolus ἡγουμένους nominat, hoc est *præpositos ;* quos Theodoretus προστατεύοντας interpretatur [4]. Certe Chrysostomus de episcopis loquens, eorumque functionem et gestionem describens, eam nominat προστασίαν , et οἰκονομίαν in Homilia 70. tomi quinti [5], quæ est de S. Ignatio episcopo Antiocheno. Quocirca, cum hoc Theodoretus presbyteris illis a Paulo nominatis tribuat, ut et

(1) Act. 20. 28. Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ.

(2) 1. Tim. 3. 5. Εἰ δέ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε, πῶς ἐκκλησίας Θεοῦ ἐπιμελήσεται ;

(3) Tit. 1. 7. Δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι , ὡς Θεοῦ οἰκονόμον.

[1] Pag. 49. — [2] Luc. 12. 42. — [3] Heb. 13. 7. 17. 24.

[4] Com. ad Heb. 13. 24. — [5] Pag. 500. et 501.

episcopi sint, et οἰκονόμοι ; nonne ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν iisdem tanquam functionem propriam assignat ? Atqui hanc ipsam ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν notam, et characterem constituit veri episcopatus, qui in primo gradu collocatur ; quod inde constat.

V. In commentario ad caput tertium primæ ad Timotheum [1] scribit eos, qui primi ordinis sunt sacerdotes, et episcopi ætate sua dicebantur, olim apostolorum tem pore non episcopos vocari solitos, sed apostolos : ut Titum, et Timotheum, et Epaphroditum [2] ; qui cum veri essent episcopi, non episcopi, sed apostoli nuncupabantur. Porro de iisdem loquens in commentario ad caput primum epistolæ ad Philippenses, ac nominatim de Epaphrodito, quem Paulus diserte nominavit apostolum [3], «(1) Manifeste, *ait*, docuit episcopalem dispensationem ei fuisse creditam, cum appellationem haberet apostoli. » Ecce veri et summi ordinis episcopi, qui tunc vocati sunt apostoli, propriam et peculiarem hanc habebant administrationem, quam vocat ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν. Ergo et presbyteri illi, atque episcopi in epistolis ad Titum et Timotheum ab Apostolo nominati, eademque nota et functione præditi, ut testatur Paulus, adstipulante Theodoreto, prorsus veri episcopi fuerunt, et in primo gradu reponendi. Dissentit igitur a seipso Theodoretus, et contra atque ex ejus sermone colligitur, verbo asserit episcopos et presbyteros apud Paulum pro secundi ordinis accipi sacerdotibus. Quinetiam ad illa verba Pauli [4], *Adversus presbyterum accusationem noli recipere*, etc. presbyterum videri potest pro summo ordine, id est episcopo sumpsisse. Sic enim rationem illius apostolici mandati reddidit : « (2) Contigit enim ipsum Ecclesiæ præfecturam gerentem peccantes aliquos offendere ; ob idque nonnullos infesto in illum animo calumniam machinari. » Cum ergo προστασία τῆς ἐκκλησίας, ut paulo ante diximus, pro episcopatu ab Chrysostomo sumatur verisimile est ex aliis ejusdem Theodoreti locis, quæ attulimus, presbyterum ibi primi ordinis sacerdotem intellexisse. Quas omnes ob causas scripseram, non satis consentaneum sibi videri Theodoretum.

VI. At Salmasius, dum propositam a me quæstionem eludere, ac Theodoretum explicare studet, horrendum in modum et seipsum et Theodoretum implicat ; ac per anfractus et circuitus orationem contorquens, cum multum loquatur, nihil omnino dicit. Quid autem homine hoc facias, qui eadem de re ait, ac negat ; et secum magis, quam cum adversario tumultuatur, ac rixas agit ? Hoc igitur in loco, et in Theodoreti exponenda sententia sic a seipso dissidere dico Salmasium, ut cum Theodoretum propugnandum susceperit, ejusque, contra quam fecimus, interpretari sententiam velit, duo illi affingat contraria invicemque pugnantia. Nam et ab eo constitui ait episcopos et presbyteros ab Apostolo memoratos in secundo gradu, proque simplicibus haberi sacerdotibus ; et hos ipsos nihilominus asserit ab eodem Theodoreto primo in gradu collocari.

Pagina 32. dissertationis, Messaliano-Salmasius asserit Theodoretum, cum ait, « eosdem tunc appellatos esse episcopos, et presbyteros, non aliam tunc subjectam notionem utrique nomini fuisse, quam nunc est. » « Nec aliter, *inquit*, eas voces sumpsit Theodoretus, quam quomodo sua ætate accipiebantur. Quid igitur opus quasi in re incerta et ambigua dubitare, ac titubare ? » Vide ergo quid ex eo sequatur. Ætate Theodoreti ea notio erat *episcopi*, ut primi, summique ordinis sacerdotium significaret : quod hodieque perseverat. *Presbyteri* autem vocabulum secundi erat ordinis, hoc est sacerdotii simplicis. Igitur, ex opinione Cathari, Theodoretus putavit apostolorum tempore, atque a Paulo ipso nomina hæc sic usurpata esse, ut *episcopus*, summum antistitem ; *presbyter*, sacerdotem simplicem significaret. Quod aperte est falsum. Nam non diversa, sed una, et eadem notione ambo illa nomina Theodoretus accepit, cum scripsit, olim eosdem et presbyteros vocatos, et episcopos : idque postea mutatum fuisse. Quinetiam rationem adjicit [5], cur non possint *episcopi* vocabulo apud Paulum intelligi primi ordinis, ac veri *episcopi*, nempe quod plures in una Ecclesia presbyteros, et eosdem episcopos fuisse demonstrat : non pos-

(1) Theodor. pag. 323. Σαφῶς τοίνυν ἐδίδαξεν, ὡς τὴν ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν αὐτὸς ἐπεπίστευτο, ἔχων Ἀποστόλου προσηγορίαν.

(2) Theodoret. ad 1. Tim. cap. 5. ver. 19. Συμβαίνει γὰρ ἐκκλησίας αὐτὸν προστασίαν πεπιστεύμενον, καὶ λυπῆσαι τῶν ἁμαρτανόντων τινὰς, εἶτα ἐντεῦθεν ἐκείνους δυσμενῶς διατεθέντας συκοφαντίαν ὑφῆναι.

[1] Pag. 473. — [2] Idem pag. 474. — [3] Phil. 2. 25. — [4] 1. Tim. 5. 19.

[5] Theodor. in cap. 1. ad Phil. pag. 323. et in cap. 1. ad Tit. pag. 509.

sunt autem plures esse in eadem urbe, et Ecclesia vere ac proprie dicti episcopi. Unde planum est, Theodoretum episcopi nomine simplicem a Paulo designari putasse presbyterum.

VII. Nec longe postea [1], Salmasius, imo in eadem pagina, prius illud rescidit, et contrarium ei statuit : *Episcopi* et *presbyteri* vocabula non duos significare, sed unum tantum ordinem ; eumque cujusmodi apostolorum ætate fuit, videlicet summum, in quo veri sunt episcopi. Atque in me propterea impotentius effervescit, quod inquirendum putaverim, « Utrum episcopi nomine intellexerit Theodoretus eum, qui sic hodie vocatur ; an presbyterum eo sensu, quem hodierna novit Ecclesia : cum scire debuerim, utriusque appellationis eamdem vim, potestatem, dignitatem, ac functionem fuisse. » Mox : « In synonymia, *inquit*, harum duarum vocum, cum idem utraque sonet ac valeat in apostolorum scriptis, et ejusdem personæ utraque munus eorum temporibus designaverit, qui tibi libet quærere, an alterum significaverit, quæ utrumque significavit ? » Hic episcopum et presbyterum de uno eodemque gradu apud Apostolum interpretari vult, qualis erat, cum Paulus ista scriberet; nimirum ut ambo summum designarent Ecclesiæ præsidem. In quo superiora illa sua refellit, et a Theodoreti sensu nihilominus aberrat. Tandem pag. 48. et 49. utrumque a se positum retexit, et aliter Theodoreti mentem explicat, asseritque, « Apostolos episcopali gradu fuisse præditos ; episcopos vero pro sacerdotibus secundi ordinis habitos. » In quo fatetur, « Ita sentientem Theodoretum cum Apostolo pugnare. Sed falsum esse (quod dixeram) a seipso dissentire. Nusquam enim ille prodidit, episcopos istos, qui presbyteri vocantur apud Apostolum, summum gradum tenuisse. » Vides balbutiem hominis, ac desultoriam levitatem.

VIII. Cum hæc unus omnia dicat Salmasius tam dissona, tamque invicem abhorrentia ; tum in eo potissimum illius hæret, habitatque disputatio, quod secundo loco dictum ab illo posui, et quod ejusmodi esse dicit [2], « ut, si sic Theodoretum interpretemur, ut omnino necesse est, tum locus, qui mihi videbatur prorsus inextricabilis, omnino extricetur. » Videamus id cujusmodi sit. Profecto meras tricas, et labyrinthos, ac bonæ sanæque mentis inanes gerras, et offutias audiemus. « Episcopus, *inquit*, ac presbyter unius atque ejusdem curationis et functionis nomina fuere synonyma sub apostolis, quam eadem persona sustinebat. Diversa tum erant unius rei, et officii nomina in eamdem personam congruentia. Postea divisa sunt munia, et officia, et in duos distributa, quæ unus gerebat. Sic etiam distincta nomina sunt, quæ rem unam, et unum munus antiquitus designabant. Ita alius factus est episcopus, alius presbyter, cum olim unus et idem esset presbyter, et episcopus. Cum igitur doceat Theodoretus, olim eosdem vocatos esse presbyteros, et episcopos, stultum est quærere, utrum episcopum intelligi oporteat, qui hodie ita vocatur ; an ista duo vocabula, episcopus et presbyter, eum significent, qui nunc presbyter solet vocari. » Atqui tantum abest, ut hoc pacto Theodoreti locum extrices, ut impeditiorem reddas, et affingas illi eorum, quæ scribit sentitque, contraria.

IX. Nam Theodoretus, quod nemo, qui attente legerit, in dubium vocet, quos Apostolus promiscue episcopos et presbyteros appellat, eos ipsos putat non primi ordinis fuisse sacerdotes, quos sua ætate proprie ait episcopos vocari, et quales ad hanc diem in Ecclesia perseverant; sed inferioris, ac secundi, ut paulo ante probavimus, et tute ipse fateris [3]. Quod si est ita, falsum est quod ait, Theodoretum existimasse, episcopi et presbyteri nomine tam episcopum verum, ac primi gradus, quam presbyterum secundi intellexisse Paulum. Quod et pessime argumentando sic conaris ostendere [4] : « Si illa duo quippe vocabula apostolicorum temporum, quæ unum idemque denotabant officium, appellationes fuisse dicamus unius illius presbyteri, qui nunc sic vocatur, et post episcopum secundas obtinet; ex eo sequitur, nullos apostolica tempora novisse episcopos, sed solos presbyteros, quales hodie sunt, in secundo ordine positos. Sin vero episcopi nomine antiquo, et apostolico intelligamus ejus generis episcopum, qualis hodierno tempore notus est; ex eo consequenter dicetur, nullum fuisse apostolorum ævo presbyterorum ex illo genere, qui nunc in ordine constituti sunt. Atqui certum est, eo tempore cum episcopi, tum presbyteri nomina in usu fuisse. Aut ergo diversorum munerum appellationes fuere, aut unius et ejusdem. At constat, unius et ejusdem cum muneris, tum personæ fuisse nomina, quæ postea factæ sunt duorum mu-

[1] Salm. pag. 33. et 34. — [2] Salm. pag. 34. — [3] Pag. 48. et 49. — [4] Salm. pag. 35.

nerum, et duarum personarum diversæ appellationes. Aut igitur, cum apostoli vivebant, inania illa nomina sine re fuerunt; aut presbyter ac episcopus in una persona ex vero fuit, qui nunc est verus in duabus diversis personis. Concludamus itaque, non horum alterutrum existimasse Theodoretum, necesse esse, sed utrumque. » Hæc Salmasius, quæ si vel ipse, vel quisquam alius capere potest, ego me victum fatebor.

X. Enimvero talia ista sunt, quæ ad extricandum Theodoreti locum attulit, ut ab omni destituta sensu impediant magis et irretiant lectorum animos. Vide enim, quanta sub illis portenta lateant. Duo illa, quorum alterutrum dici a Theodoreto necesse esse scripseram, cum ait, *olim eosdem presbyteros appellatos, et episcopos*, hujusmodi sunt : Aut episcopum eum, qui primi ordinis est et gradus, etiam presbyterum ab Apostolo vocari ita, ut vocabula ista unum illum significent primi ordinis sacerdotem; aut episcopum et presbyterum nominari unum, et eumdem sacerdotem, qui est secundi ordinis. Salmasius utrumque ait existimasse Theodoretum, non horum alterutrum. Igitur ab Apostolo credidit eum nominari episcopum et presbyterum, qui primi esset, ac secundi ordinis. In quo primum habet contradicentem Theodoretum, qui scribit, apostolorum tempore, cum iidem vocarentur episcopi et presbyteri, eos, qui nunc episcopi nominantur, non episcopos appellari solitos, sed apostolos; postea vero nomen apostolorum relictum esse veris proprieque dictis apostolis ; eos autem, qui hactenus dicebantur apostoli, et primi erant ordinis sacerdotes, nuncupari episcopos cœpisse : quod ipsum ætate perseverasse sua significat. Tum addit ad illud probandum, non posse veros episcopos intelligi ab Apostolo, quos episcopos pariter et presbyteros appellat, quia in una civitate plures esse nequeunt episcopi ; at Paulus in una plures fuisse demonstrat. Quin et Salmasius ipse [1], quod jam dixi, Theodoretum fatetur « Episcopos affirmare pro secundi ordinis sacerdotibus apud Apostolum haberi ; » in eoque *cum Apostolo pugnare*, non tamen secum, quia nusquam aliter sentit. Qui hoc dicit, profecto, si quod dicit intelligit , non potest arbitrari , utrumque velle Theodoretum, ut Apostolus episcopi nomine verum episcopum significet, et presbyteri nomine verum item , simplicemque presbyterum, hoc est τοὺς νῦν, ut ille loquitur, et quales erant ipsius ætate; et tamen ambobus istis nominibus solos ordinis secundi sacerdotes expresserit. Hæc enim ἀσύστατα sunt, et se mutuo collidunt.

XI. Ac si paulo attentius, quam fecit ipse, Cathari verba, et propositum, ac progressum argumentationis inspicias, simile quiddam in iis ostenti reperies. Etenim cum adversum nos ista scriberet, eum opinor, quæ a nobis erant posita, opugnare ac convincere voluisse. Nostra porro sunt hæc. Aiebamus, Theodoretum, cum olim episcopos ac presbyteros eosdem vocatos ab Apostolo scribit, vel episcopos intelligere in primo gradu sacerdotii positos, quales erant ætate Theodoreti; ut hos ipsos promiscue episcopos et presbyteros dici a Paulo crediderit : vel utroque vocabulo intellexisse secundi ordinis sacerdotes, cum, qui in primo ordine censentur, apostoli ante, ac Paulo vivente, nominati fuerint; nondum episcopi : quod nomen postea sunt adepti. Salmasius ex adverso contendit, Theodoretum non *horum duorum alterum existimasse, sed utrumque*. Hoc vero nihil aliud est dicere, nisi Theodoretum putasse, episcopos, qui apud Apostolum nominantur, episcopos fuisse, et non fuisse episcopos ; item presbyteros fuisse, et non fuisse presbyteros. Etenim duo illa membra nostræ disjunctionis opposita invicem, et contraria sunt : quorum prius episcopos continet, qui in primo gradu sunt, hoc est non simplices sacerdotes ; qui quatenus presbyteri vocati sunt, hæc ipsa *presbyteri* vox, non simplicem, sed primi perinde gradus sacerdotem designat : posterius vero simplices tantummodo sacerdotes, sive presbyteros secundi gradus, non autem primi, id est proprie dictos episcopos complectitur. Quocirca Salmasius, qui utramque divisionis partem copulat, et a Theodoreto simul affirmari statuit, hunc illi putidum, barbarumque sensum opinionis affingit, ut ab Apostolo nominatos episcopos existimet veros fuisse, et non fuisse veros, id est primi gradus et ordinis episcopos; itemque simplices fuisse, et non fuisse simplices presbyteros.

XII. Nam ut si dicenti cuipiam Socratem vel esse ratione præditum animal, vel irrationale, contradiceret, non alterutrum esse, sed utrumque asserens : is Socratem et hominem esse diceret, et non esse hominem ; esse rationalem, et non esse ; quoniam in utraque specie inest alterius negatio. Sic in nostra disjunctione, quandoquidem duæ illæ velut

[1] Pag. 49.

oppositæ ponuntur species : episcopus primi ordinis sacerdos, sive non simplex presbyter; et sacerdos, sive presbyter simplex, ac secundi ordinis, non primi : qui commemoratos ab Apostolo episcopos et presbyteros non unius definiti gradus, sed utriusque fuisse vult, hic in illud incurrit absonum, et inextricabile, quod dixi. Ac licet episcopus verus etiam sacerdos sit, non tamen est simplex; sacerdos enim simplex non est episcopus. At in nostra divisione non episcopo præcise sacerdos opponitur, sed idem qua simplex est; quemadmodum sub eodem animalis genere homini brutum opponitur, non qua animal est, ac sensus particeps, sed quatenus irrationale est. Hæc si discernere ipse propter judicandi ratiocinandique inscitiam non potest, adhibeat, quos volet, ex amicis dijudicandi peritos : nihil hic a me callide, ac sophistice esse positum inveniet; sed aperte, plane, sine fuco et fallacia, quod ejus verbis, ac decretis consentaneum sit, esse conclusum.

XIII. Ac ne fortassis erret, et in ὁμωνυμίᾳ vocum latebram quærat, scire volo lectorem meum , vel potius recordari , quod antea scripsi, πρεσβυτέρου vocabulum dupliciter usurpari : primo ut sit honoris, ac dignationis vox, in hunc usum et significationem ab ætate translata : deinde ut certi ordinis et gradus ecclesiastici propria sit. Priore modo tum est accepta, cum summo gradui tributa est, imo vero quando huic cum secundo communis fuit; ut tam episcopi, quam simplices sacerdotes presbyteri vocarentur; quod etiam post apostolorum tempora perseveravit. Posterior vero modus tandem invaluit, ut presbyteri soli simplices appellarentur sacerdotes, qui episcopi non erant; ac tum communis utrique ordinis nomen non presbyteratus, sed sacerdotium esse cœpit. Jam vero in hac nostra controversia dum quæritur, iidemne fuerint apostolorum ætate presbyteri et episcopi, non de solis vocibus agitur. Siquidem extra controversiam est, presbyteros et episcopos passim vocatos esse summi, atque primi ordinis sacerdotes. Sed de ordinibus ipsis, et gradibus inquiritur, quocumque tandem vocabulo designati fuerint. Itaque, cum in disceptationem ambo illi gradus veniunt, et presbyterum ab episcopo discernimus, presbyterum simplicem sacerdotem intelligimus, et hujusmodi, qui non sit episcopus, hoc est qui sic in primo gradu censetur, ut in secundo neutiquam habeatur; non quod sacerdos et ipse non est, sed quia non est sacerdos simplex. At presbyter in hac disputatione non universe sacerdotem significat, sed simplicem, et qui non est episcopus. Inest igitur in alterutro remotio quædam alterius, ac negatio.

CAPUT SECUNDUM.

De episcopo rursus, ac presbytero; quomodo hic in illo contineatur, et quatenus invicem distent. Salmasii in eo alsa ratio. De Theodoreto rursus agitur; quem iste explicare studens intricat. De apostolis judaicis, et secundi ordinis post majores ab Christo institutos. Epaphroditus quo sensu apostolus dicatur a Paulo.

I. Hoc vocabuli *presbyteratus* animadverso usu, ac discrimine, tota Salmasii contentio in fumos, ac ventos abibit. Cujus illud imprimis confutatum jam a nobis est, quod in eadem episcopi persona diversos ordines intelligere, ac distinguere nequiverit; sed quod in unum convenirent, idcirco unum et eumdem ordinem per se omnes esse crediderit. « Diversa tum erant (ait in eo Dissertationis loco, ex quo priora illa citavimus [1]) unius rei, et officii nomina in eamdem personam congruentia. Postea divisa sunt munia et officia, et in duos distributa, quæ unus olim gerebat. Sic etiam distincta nomina sunt, quæ rem unam, et unum munus antiquitus designabant. Ita alius factus est episcopus, alius presbyter, cum olim unus et idem esset presbyter, et episcopus. » Possunt ista vera esse, si ad eam formulam exigantur, quam paulo ante posui. At ex Salmasii instituto, et scopo falsa sunt.

[1] Salm. pag. 30.

Presbyteri vox, si honoris ac dignitatis est, unius ejusdemque rei, et officii nomen esse potuit, hoc est episcopalis, ac primi ordinis; quanquam subinde cum secundo ordine communicatum est. Sin est ut, omissa verbi controversia, de re ipsa loquimur, tres in Ecclesia dico, ex apostolica, divinaque institutione, primarios esse ordines sacros; diversos invicem et separabiles, sive reipsa et *actu*, ut loquuntur, disjuncti sunt, sive in unam eamdemque personam simul omnes confluunt. Ex quibus totidem hierarchici, et ecclesiastici βαθμοὶ, id est *gradus*, constituti, episcopus, presbyter et minister. Episcopus omnes in se, uti dictum est, ordines continet, hoc est sacramentum et characterem in se habet inferiorum omnium. Peculiarem tamen βαθμὸν, id est *gradum*, et *ordinem*, qua *ordo* non sacramenti, sed gradus et partis appellatio est, occupat. Non enim secundi gradus, aut tertii dicitur episcopus, sed primi; quamvis eminentia quadam dignitatis, et δυνάμει ceteros complectitur. Ita presbyter inferiores comprehendens, secundi proprie ordinis esse dicitur, non primi, quia non est episcopus; non tertii, quia, etsi hujus sacramentum et characterem continet, non tamen solum.

II. Quam ad rem explicandam non minus aptum, quam usitatum exemplum de viventium genere petitur. Tres enim gradus sunt τῶν ἐμψύχων, id est *animatorum*. Primus et infimus est eorum, quæ nonnisi vegetantia sunt, ut stirpes. Secundus est sensu præditorum. Postremus et summus est eorum, quæ rationem habent, ut sunt homines. Horum si quis absolute requirat, quis in secundo gradu sit, nemo esse dicat hominem; nam etsi sensu et ipse pollet, non tamen solo eo censetur. Quoties autem tres illæ viventium species inter se comparantur, excludunt se mutuo, et εἰδικαῖς διαφοραῖς, quas *specificas differentias* dialectici nominant, a se invicem separantur. Ita fit, ut *sensum habens*, quod est τὸ αἰσθητὸν, qua est in homine, cum ratione conjunctum implicatumque sit; ut autem in brutis inest animantibus, ἄλογον sit, id est rationis expers. Ita secundus gradus *sentientibus* constat, non præcise et absolute, sed quatenus ratione carent. Eodem modo episcopus et presbyter, qua graduum nomina sunt, invicem distant. Ac licet quod in simplici est sacerdote, id est presbytero, id episcopatui insitum sit, nimirum sacerdotium ipsum, et in utrumque Christi corpus verum, et mysticum : ordinis potestas (ut vulgo loqui solent) non est tamen *una res, et officium unum,* nisi κατὰ τὸ ὑποκείμενον, hoc est *subjecto*, et, quod dici consuevit, *materialiter ;* cum *formaliter* (ut Scholæ itidem usurpant, Græci vero, τῇ ἐπινοίᾳ, vel λόγῳ, id est *ratione*) differant etiam in una, et eadem episcopi persona. Ex quo Catharus vapulat, qui sic de illis ordinibus loquitur, tanquam nihil præter munia quædam externa sint, et gestiones, sive curationes, quæ pro libitu modo uni plures, modo singulis singulæ mandantur. « Ita alius, *inquit*, factus est episcopus, alius presbyter, cum olim unus, et idem esset presbyter et episcopus. »

III. Homo minime malus, quod apud Catharos, et Calvinianos suos fieri vidit, et cui insuevit a puero, idem in catholica, et antiqua Ecclesia factum credidit. Illic enim ex sartore, aut vèteramentario, vel fartore, cetario, aut vili quopiam opifice repente fit episcopus, quem *superintendentem* vocant; vel πρεσβύτερος, id est *senior*, aut *antiquus : et momento turbinis exit Marcus Dama.* Mox si sic visum erit, in ordinem cogetur, et ab hac curatione detractus, redibit ad pristinum. Ejusmodi ergo Salmasius negotium putat fuisse vetere in Ecclesia episcopatus, ac presbyteratus. Hinc fatua et ridicula ista comparatio, quam ad mentem suam explicandam adhibet [1] : « Obvio exemplo id comprobemus, *inquit*. Hodie officium est, quod qui gerit, aquarum et saltuum magister nuncupatur. Unus idemque has duas habet provincias, aquariam, et saltuariam. Si duæ fiant, ac dividantur, ut uni tribuatur aquaria, alteri saltuaria, efficientur duo officia separata, unum curatoris aquarum, alterum curatoris saltuum. Nunc duo sunt diversa munia episcopi et presbyteri. Ad episcopum ordinatio proprie pertinet. Ad presbyterum alia munia ecclesiastica. Olim unus hæc omnia obibat, qui et episcopus et presbyter simul appellabatur; quia scilicet agebat unus, quæ duo nunc faciunt, sub diversis appellationibus. » Quam belle inter se ista congruant, ex eo potest intelligi. Sic idem est curator aquarius, et saltuarius, quomodo est idem salsamentarius, exempli causa, et *superintendens,* sive *antiquus* in Calviniana parte. Utrobique duo illa sic in unum caput coeunt, ut a se divelli mutuo possint, neque necessario conjuncta sint. At episcopalis ordo sine sacerdotali ordine ac sacramento esse nequit; quo in sacramento

[1] Salm. pag. 36.

presbyteratus natura, et οὐσία consistit; quamvis sine episcopatu presbyteratus, et sacerdotium constet. Non est igitur eadem ratio episcopi, ac presbyteri, quæ *curatoris aquarii*, et *saltuarii*. Nam hæc duo, postquam divisa fuerint, non sunt invicem conjuncta, quia neutrum in altero necessario continetur.

IV. Ad summam falsum est, quod Catharus iste Calvinianæ sectæ innutritus ac dogmati, nihil esse putat aliud episcopatum, et presbyteratum, præter munia quædam externa, et officia; quæ pro hominum arbitratu in eumdem hominem conferri, vel in plures dividi possunt. Demonstratum enim est superiore in libro, capite tertio, duos illos ordines ex instituto Christi, ac jure divino esse diversos, (tametsi in majore comprehendatur minor,) et utrumque præter externum munus, ac ministerium, internum quoddam habere sacramentum et characterem, qui nullo scelere, ac pravitate deleri potest, ut ordinari de integro necesse sit; quod perinde in Ordinis, atque in Baptismi sacramento fieri, ex Augustino illic ostendimus. Non est igitur arbitraria utriusque functio, οὐσιώδης illa et διακριτικὴ, cujusmodi in episcopo est ordinatio, et χειροτονία; quam nemo sine episcopali consecratione nec administrare debet, nec potest. In sacerdote vero tam simplici, qui proprie presbyter dicitur, quam cum episcopatu conjuncto, ipsa Dominici corporis ac sanguinis est confectio, necnon peccatorum reconciliatio, quantum ad eam, quam vocant, ordinis potestatem attinet.

V. Redeo jam ad Theodoretum, in quo extricando tricatur, et nugatur Salmasius. Scripsit ille, apostolorum ævo episcopi ac presbyteri nomina uni et eidem attributa esse ordini, et gradui, qui secundus fuit, hoc est presbyteris simplicibus. Quod necessariis argumentis antea probavimus, et fatetur ipse Salmasius [1]: qui hac ex parte repugnare illum Apostolo dicit; ac me adeo reprehendit, quod utrumque vocabulum pro summo gradu positum ab Theodoreto scripseram. Non negabit igitur Salmasius, Theodoretum in commentario ad caput tertium prioris ad Timotheum, affirmare, olim episcopos et presbyteros appellatos esse sacerdotes secundi gradus, non autem primi. Qui autem primo in gradu locabantur, et episcopi postea proprie vocati sunt, eos tunc apostolos nominatos fuisse scribit idem Theodoretus. Quod si quispiam diceret, hunc ipsum episcopos et presbyteros putasse olim vocatos primi ordinis sacerdotes; ex adverso illud objeceram, nihil jam relinqui apostolorum vocabulo, quo eos nominari solitos scripsit, qui in primo erant gradu, et episcopi postea sunt dicti. Quod sane est invictum argumentum, quo efficitur, Theodoretum solos secundi ordinis sacerdotes existimasse nuncupari a Paulo presbyteros, et episcopos.

VI. At Salmasius et sui, et Theodoreti, et communis sensus oblitus, illud opponentibus nobis ita respondet, tanquam Theodoretus arbitretur, apostolos, episcopos, et presbyteros unum et eumdem significare primum ordinem et gradum. Rem incredibilem, et stuporis inauditi illius verbis exponam [2]. « Pro Theodoreto nos tibi respondebimus, *inquit*. Sane voluerit ille, etiam episcopos et presbyteros appellatos esse, qui nunc episcopi sunt, omnium ordinum primates. Quid inde absurdi consequetur? » Quæris, quid ex eo sequatur absurdi? Hoc videlicet: quod a seipso turpissime dissideat; quod contraria dicat, et repugnantia: quo nullum absurdum majus, aut indignius homini bene sano et sapienti potest objici. Cujus tu quidem vitii sensum ac pudorem propter assiduitatem jam in teipso capere desiisti. An tu negare potes, Theodoretum ita scripsisse, sacerdotes primi ordinis, qui episcopi postea nominati sunt, olim, id est Pauli ætate, vocatos esse apostolos; episcopos autem, et presbyteros, qui in sacerdotio secundas tenebant? Nonne de episcopis et presbyteris tute illud ipse scripsisti [3]? Quorsum igitur attinet probare [4], eosdem et apostolos, et episcopos, et presbyteros ex Apostoli, et Theodoreti mente tum extitisse? Quid ista sibi vult ἀλογία, et colluvies orationis? Num vero dubium est cuiquam, an apostoli Christi, episcopi omnes, et presbyteri fuerint? Aut non sæpius decantatum illud est, inferiores omnes ordines in summo comprehendi? Itaque, quod in illo demonstrando operam posuisti [5], hoc unum assecutus es, ut et frustra laborares, et teipsum refelleres, ac mentitum in aliis esse monstrares.

VII. At etiam quod scribit Theodoretus, *Qui nunc vocantur episcopi, eos olim apostolos esse dictos*, quam est Catharus absone interpretatus, et inepte! Hoc enim sensu dictum esse vult: Olim episcopos, quales Theodoreti seculo, et hodieque sunt, qui singuli singulis præsunt Ecclesiis, ignotos apostolo-

[1] Pag. 49. — [2] Salm. p. 37. et seq.

[3] Pag. 48. et 49. — [4] Item p. 38. et 39. — [5] Ibid.

rum tempore fuisse. « Hæc mens est, *inquit* [1], Theodoreti : qui nunc sunt episcopi cum potestate et auctoritate supra presbyteros eminente, non tunc fuisse apostolis notos, cum episcopi iidem et presbyteri essent, ac dicerentur. Episcopos enim illos, presbyterosque simul dictos, quales olim constituebant in singulis civitatibus apostoli, pares inter se omnes fuisse, neminem superiorem agnovisse. Eos igitur, qui nunc sunt episcopi cum hac præeminentia supra presbyteros, olim apostolos esse nominatos. » Mox apostolos ait esse duum generum ; alios primos, secundos alios. Illi ab Christo missi et electi ; secundi ab ipsis apostolis. Qui, prout necesse videbatur, varias illos in provincias, civitatesque mittebant, ad constituendas, vel ordinandas Ecclesias. Neque vero certis illi sedibus, aut Ecclesiis erant affixi, sed huc illucque destinabantur, ac totis provinciis ad præstitutum tempus præerant : quales fuere Timotheus, Titus, Linus, Clemens. Omnes enim isti συνεργοὶ, et adjutores verorum fuere, ac summorum apostolorum ; ac presbyteros, et eosdem episcopos ubique constituebant pari omnes potestate præditos, eaque non simplicium presbyterorum propria, sed episcopali. In hos ergo temporariam potestatem, ac jurisdictionem exercebant apostoli secundi ordinis ; quos idcirco Theodoretus ait, cum apostoli tunc nominarentur, postea episcopos esse dictos. Hanc secundorum, et vagantium, nec hærentium usquam apostolorum fabulam superiore libro confutavimus [2]. Hoc vero loco vix est credibile, quantum, et quam stupidum sit unius hominis a seipso dissidium.

VIII. Etenim Theodoreti utique declarare sensum in animo habuit. At ille primum apostolos vocatos esse dicit τοὺς νῦν καλουμένους Ἐπισκόπους, *episcopos eos, cujusmodi nunc vocantur*, hoc est quos præ oculis habebat ; non itaque cursores, et ambulones nescio quos : quales non erant episcopi ætate Theodoreti ; sed certæ sedis episcopos intelligi voluit.

Deinde, quod scribit Theodoretus, *procedente tempore, apostoli nomen veris apostolis esse relictum ; episcopi vero iis impositum, qui quondam apostoli dicebantur*, ridicula sententia depravat ; tanquam ea mens Theodoreti sit, illos ipsos veteres sanctos, ut Titum, et Timotheum, et reliquos, qui apostoli vocabantur primo illo seculo, et episcopi erant, inferioribus presbyteris, iisdemque episcopis præsidentes ; qui plures in singulis Ecclesiis pari potestate constituebantur : istos, inquam, discipulos apostolorum desiisse apostolos vocari, ac deinceps nominatos episcopos. « Hinc ergo et Titum, et Timotheum, *inquit* [3], qui Pauli temporibus pro apostolis erant, et sic nominabantur, episcopos posteritas appellare cœpit, posteaquam episcoporum dignitas supra presbyteros assurrexit. Sic ipse Theodoretus Titum episcopum Cretæ appellat, cui et episcopos ab eo ex mandato Pauli constitutos subjicit. Sic Timotheum episcopum Ephesi vocavit. »

Atqui joculare istud est putare ab Theodoreto veteres illos jamdiu fato functos, quasi regradatos esse, et in ordinem redactos ; ut tanto eis intervallo prærogativa illa nominis, ac dignitas eriperetur, quam viventes obtinuerant, et in qua decesserant. Hoc esset mortuis, et cum Christo regnantibus invidere sanctis, et Catharos, hagiomachos, ac Salmasios imitari. Non hoc Theodoretus voluit, neque cogitavit unquam. Hoc ergo dicit : « Iis qui olim apostoli vocabantur, cum reipsa essent episcopi ; hoc est episcopali ordini, detracto apostoli vocabulo, episcopi esse nomen impositum : apostoli vero nomen solis illis antiquis relictum ; » ut nemo deinceps episcoporum apostolus vocaretur eo ipso, quod episcopus esset : quod in usu antea fuerat. Hæc est vera, et indubitata Theodoreti sententia.

IX. Nam, quod ad ἐπίστασιν illam approbandam ait, Titum episcopum Cretæ, Timotheum Ephesi episcopum nominari ; ut hæc argumentatio pondus aliquod habeat, oportet apostolos ab Theodoreto eosdem illos minime vocari. Nam si apostolos non minus, quam episcopos appellat, non magis concludi ex Theodoreto debet, illos desiisse apostolos nuncupari, quia dicuntur episcopi ; quam episcopos non amplius dici, quia vocantur apostoli. Atqui iidem illi ab Theodoreto apostoli nominantur iis verbis ; cum de Epaphrodito loquitur, quem Paulus Philippensium apostolum vocat [4]. « (1) Ita, *inquit*, et Cretensium Titus, et Asianorum Timotheus apostoli. » Utrum autem episcopos duos istos nominet, quod affirmat Salmasius, equidem non memini. Neque tamen negare audeo, et locum ubi ita vocet indicari cupio. Ac tametsi alicubi sic appellet, nihil hoc ad ine-

1. Theodor. in cap. 3. ep. 1. ad Tim. pag. 474.

[1] Sal. p. 39. et 40. — [2] Cap. 5. et seq. — [3] Sal. p. 52. — [4] Phil. 2.

ptam conjecturam fulciendam valet; cujus insuper fidem elevat auctor ejus ipse Salmasius, ac levitatem suam, et ἀκρισίαν insigniter traducit. Siquidem paucis ante paginis [1] Timotheum et Lucam, adeoque vagos illos, et huc illucque discurrentes episcopos probat apostolos a veteribus dictos esse. Quorum ex veterum numero solum Theophanem profert, qui scribit, anno 20. Justiniani « (1) celebrata esse Encænia sacrarum reliquiarum Andreæ, Lucæ, ac Timothei sanctorum apostolorum. » Ad quæ Salmasius : « Vides, *inquit*, Lucam, et Timotheum apostolos cum Andrea vocari. » At o bone ! jam oblitus es non amplius vocatos illos apostolos, *postquam episcoporum dignitas supra presbyteros assurrexit :* quod ex tua interpretatione asseveranti Theodoreto suffragator accedis ; et argumentum insuper adjicis [2], quod « Titum et Timotheum, qui Pauli temporibus pro apostolis erant, et sic nominabantur, episcopos posteritas appellare cœpit. » Atqui et apostolos vocare perseveravit, ut tu ipse demonstras ex Theophane, qui multo Theodoreto posterior est ; cui et Philostorgium [3], cum ista scriberem, adstipulari videbam in Excerptis libri tertii, ubi Τιμόθεον τὸν Ἀπόστολον simpliciter nominat, ejusque, ut et Andreæ, ac Lucæ reliquias a Constantio translatas refert in magnam basilicam Constantinopoli a se constructam. Numquid igitur causæ est, quin, quid dicas, et quid affirmes, negesve, nescire te, et ad miraculum esse non ἀειλόγον tantum fateare, sed ἄλογον, et βαττολόγον ?

X. De apostolis, eorumque tum appellatione, tum natura, et proprietate quantum satis erat, exposui in libro superiore [4]. Erant illi apud Judæos in usu Christi tempore, a quibus nominis et functionis ille similitudinem transtulisse videtur in familiam suam, et Ecclesiam. Proprie nuntii in Synagoga fuere, qui ad varia ministeria obeunda mittebantur, sive nuntiandi tantummodo gratia, ut qui ad novam Lunam visam a speculatoribus per Judææ oppida nuntianda templo stante destinati sunt, quos שלוחים, vel שליחים vocabant : ut est in talmudicis Digestis, tractatu de Anni capite, et apud Mosem Maiemonidem in eodem tractatu operis Mischnech, et ejus, quod *Iad* inscribitur. Sive cum aliqua curatione, ac munere gerendo : velut æris collatitii per Synagogas exigendi, et in iisdem constituendæ disciplinæ ; quales a patriarchis *apostoli* mittebantur, ut Epiphanius in Ebionitarum hæresi testatur. Horum igitur exemplo Christus tum apostolos illos primarios duodecim, tum alios in Ecclesia sua deinceps instituit cum potestate, jurisdictione, curationeque aliqua. Sed inter hos summates aliqui fuerunt, proprieque dicti, quibus a Christo amplissima est credita potestas. Alii minores et secundi : qui Christianæ importandæ fidei gratia civitates, ac provincias obibant, partim a Christo, ac Spiritu sancto destinati, partim ab majoribus apostolis. Neque vero pari omnes potestate instructi erant, aut episcopali ordine, ac charactere prædíti. Præsertim si verum est, quod Chrysostomus, ac Theodoretus, aliique sentiunt, ut capite illo quinto diximus, omnes Christi discipulos, etiam quos Septuaginta vocant, apostolatus illo vocabulo, ac dignitate censeri. Quibus favet Eusebius in libro primo Historiæ, capite 12. Nam septuaginta istos ab episcopis secernunt, et ad presbyteros simplices, quosdam etiam ad diaconos relegant veterum aliqui. Quos Petrus Damiani secutus [5], « Sicut episcopi duodecim, *inquit*, apostolorum noscuntur obtinere primatum : ita et sacerdotes Ecclesiæ septuaginta discipulorum ordinem repræsentant. »

XI. Quamobrem vacillat Salmasii fides asseverantis, omnes illos secundi ordinis apostolos episcopos fuisse, et eos videlicet, qui ab Theodoreto designantur, cum ait, apostolos olim dictos esse, qui ætate sua nominabantur episcopi. Quid quod Paulus ipse Titum discipulum suum, quem Salmasius unum facit ex minoribus illis apostolis, et Theodoretus ipse apostolum potius, quam episcopum vocatum esse docuit, apostolum fuisse haud obscure negat, cum eum discernit ab apostolis ? *Sive pro Tito*, inquit [6], *qui est socius meus, et adjutor, sive fratres nostri apostoli Ecclesiarum gloria Christi.* Nonne falsa ex eo Salmasii opinio convincitur, promiscue omnes apostolos facientis, qui ad ordinandas, regendasque ad tempus Ecclesias a primoribus apostolis missi fuerunt ?

Neque vero apostolos illos secundarios nomen inde sortitos arbitror, quod a majoribus mitterentur ; sed quod ministerii ac functionis genere ipso primores istos, ac veros imitarentur, maxime in Christi prædicanda fide ac

(1) Theoph. Τῷ δὲ Ἰουλίῳ μηνὶ, καὶ ἡμέρᾳ τρίτῃ γεγόνασι τὰ ἐγκαίνια τῶν ἁγίων λειψάνων, Ἀνδρέα, Λουκᾶ, καὶ Τιμοθέου τῶν ἁγίων Ἀποστόλων.

[1] Pag. 43. — [2] Salm. p. 52. — [3] Phil. p. 24. — [4] Cap. 5. et seq. — [5] Opus. 27 c. 3. — [6] 2. Cor. 8. 23.

notitia, eoque munere extraordinariis factis, ac miraculis approbando. Nam et si quis ex plebe discipulorum ab Christo, et Spiritu sancto ad apostolica ministeria peragenda destinaretur ἀμέσως, et sine interventu principum apostolorum, dici nihilominus posset apostolus. Velut Philippus, qui ad eunuchum erudiendum baptizandumque missus est; ac pro eo atque potestas illa esset, quam acciperet, ita primi, aut secundi ordinis haberetur. Non enim missionis modo, sed ordinis, ac potestatis metienda est apostoli dignitas, ut jam supra memoravi. Hinc est, quod episcoporum ordo nonnunquam apud antiquos apostolicus vocaretur; et episcopi, apostoli : ut Valentinus ad Augustinum scribens, ejus vocat apostolatum Epistola 261. Atque idem successores apostolorum esse dicuntur, quod in sua quisque diœcesi potestatem exercet apostolicæ similem. Romanus vero Pontifex, qui unus per orbem terrarum plenam habet, et sine loci ac jurisdictionis exceptione integram potestatem, hodie solus fere et κατ' ἐξοχὴν apostolicus, et sedes ejus atque functio apostolica nominatur; non quod externa aliqua, et extraordinaria missione a Deo vel ab homine destinetur, ut olim proprie dicti apostoli, sed ob potestatem, quæ penes apostolos erat, et in eos ex *personali*, ut ita loquar, missione derivata fuerat.

XII. Hinc etiam complures sancti, qui primi gentibus ac populis quibusdam Evangelium intulerunt, eorum apostoli passim nominantur, recentioribus etiam temporibus, et a primis illis apostolicisque longius distantibus. Ut Bonifacius Moguntinæ primus sedis antistes Germaniæ apostolus dicitur; et a Beda Gregorius M. Anglorum apostolus, cum nunquam in eam insulam pedem posuerit. Adeo cum Evangelii prædicandi, et homines Christianam ad fidem adducendi officio, ac potestate, etiam per alios administrata, conjuncta vox est apostoli potius, quam cum missione, a qua originem tamen accepit. Ob id Esaiam prophetam Cyrillus Alexandrinus refert, « (1) non prophetica sola gratia fuisse præditum, sed apostolocis etiam ornamentis insignem. Etenim simul et propheta est, et apostolus, atque evangelicorum præconiorum neutiquam expertes in libro suo sermones instituet. » Ut vel ex eo constet, falli opinione sua Catharum, dum nimis anguste, ac præfracte nominis aucupatur etymon; ut, quoniam a *missione* deducta est *apostoli* vox, nullum appellari eo vocabulo patiatur, nisi missum, et quatenus secundi ordinis est, ad nutum et imperium majoris ambulantem, et tanquam cursualem nullibi consistentem, nec in una sede morantem. Quod otiosum, ineptumque commentum et exemplis antiquioris ævi, et communi ipso sensu ac judicio, et auctoritatum, argumentorumve, quibus nitatur, inopia damnatum, ac rejectum per seipsum concidit.

Nam quod Epaphroditum, quem Paulus Philippensium episcopum nuncupat, missu Pauli episcopos apud illos creasse scribit [1], ob idque vocari apostolum; id ex cerebro suo, si ullum tamen habet in capite, confictum, non auctore ullo testatum attulit.

XIII. Majoris hoc et inscitiæ, et temeritatis est, quod ex Theodoreto de eodem Epaphrodito colligit, et suam videlicet illi hæresim affingit. « Apparet, *inquit* [2], eum existimasse, episcopos illius ævi non fuisse majores presbyteris, sed pares, et sub utroque nomine eosdem sic subditos fuisse apostolis, ut postea presbyteri subjecti sunt episcopis. Quod etiam in eamdem epistolam ad caput secundum clarius significavit, ubi Epaphroditum apostolum de eo genere apostolatus exponit, cui Ecclesiæ a majoribus et veris apostolis gubernandæ credebantur. » Ac subinde Theodoreti verbis exscriptis, « Video, *inquit* [3], apostolum Epaphroditum a Theodoreto accipi de eo genere apostolorum, quos sub apostolis vicem episcoporum habuisse dicit, cum tunc episcopi locum tenerent presbyterorum. » Theodoretus, ut supra necessariis argumentis evicimus, arbitratur ab apostolo Paulo episcopi ac presbyteri nomina duo tribui sacerdotibus ordinis secundi, quos ætate sua presbyteros vocabant; ordinis vero primi sacerdotes, qui Theodoreti seculo episcopi, ut et hodie, dicebantur, apostolos nuncupatos esse tempore Pauli. Qui aliter de Theodoreto sentit, quantum ex verbis ejus et κατὰ τὸ ῥητὸν judicari potest, prorsus aberrat cum Salmasio. Quare

(1) Cyr. præfat. in Esa. in fine. Ὥστε μοι δοκεῖ στεφανοῦν εὖ μάλα τὸν μακάριον προφήτην Ἡσαΐαν, οὐχὶ τῇ τῆς προφητείας χάριτι μόνῃ, ἀλλὰ γὰρ καὶ τοῖς ἀποστολικοῖς αὐχήμασιν. Ἐν ταὐτῷ γάρ ἐστι προφήτης τε ἅμα, καὶ Ἀπόστολος, καὶ τῆς τῶν εὐαγγελικῶν κηρυγμάτων φαιδρότητος οὐκ ἠμοιρηκότας τοὺς τῆς ἑαυτοῦ συγγραφῆς ποιήσεται λόγους.

[1] Salm. pag. 107. et 108.

[2] Salm. p. 59. — [3] Idem p. 60.

ridiculum est, quod iste dicit, Theodoretum « existimasse, episcopos illius ævi pares fuisse presbyteris. » Nam par nemo est alteri, nisi ab eo distinctus. Ac presbyteri illi Theodoreti ab episcopis diversi non erant. Nam unus, et idem secundi ordinis sacerdos, presbyter, et episcopus appellabatur, ex Theodoreti sententia. Proinde non qui ætate Theodoreti sub iisdem appellationibus distincti erant ordine, apostolorum ævo ejusdem fuisse ordinis ab illo dicuntur; sed nomine et re discrepasse, quod primi ordinis sacerdotes apostoli, secundi ordinis episcopi et presbyteri nominati sunt. Vide loca ipsa Theodoreti, quæ supra descripsimus.

XIV. An non ipse ad initium epistolæ ad Philippenses, Epaphroditum apostolum ea de causa nominatum ait, « (1) quod episcopale munus et administrationem sibi commissam habebat cum appellatione apostoli? » Et in eo loco, quem citat Salmasius, « (2) Apostolum *inquit*, Epaphroditum vocavit, eo quod ipsorum illi commissa cura fuerat. Ut ex eo manifeste constet, sub eo fuisse episcopos illos, qui in proœmio epistolæ ita vocantur, utpote qui presbyteri ordinem implebant. » In epistolæ proœmio et inscriptione, Paulus et Timotheus sanctos omnes salutant, σὺν ἐπισκόποις, καὶ διακόνοις, *cum episcopis, et diaconis,* nulla mentione facta presbyterorum. Salmasius ἐν τῷ προοιμίῳ ita reddit, ut sit *in principio;* quod ambiguum est, et falsum, si ad apostolorum prima tempora referatur, ut videtur iste voluisse. Sed dixisset potius ἐν ἀρχῇ, vel ποτὲ, id est *olim*, si hoc Paulus intellexisset. Omnino epistolæ ipsius exordium Theodoretus significat; qui et aperte demonstrat, Epaphroditum idcirco apostolum esse dictum, quod episcopale munus obiret, et tanquam pastor Philippensium Ecclesiæ curam, et præfecturam gereret: sub quo erant episcopi, (iidemque presbyteri vocati,) qui in exordio epistolæ memorantur; a quibus, ut et a diaconis, reliquoque fideli populo missus erat ad Paulum Epaphroditus cum pecuniis, qui illius necessitati subveniret. Qua de causa Paulum aiunt Græcorum interpretes epistolam, quam per Epaphroditum redeuntem ad illos dedit, episcopis, id est presbyteris, et diaconis, non autem primario antistiti, qui tunc apostolus nuncupabatur, inscripsisse; quod is ille ipse erat Epaphroditus, quem cum litteris ad eos mittebat.

XV. Atenim Salmasius « de Epaphrodito a Philippensium episcopis ad Paulum misso falsum esse » dejerat [1]: et hunc errorem Græcos « ex loco Pauli perperam intellecto sumpsisse; ubi apostolus Philippensium vocatur Epaphroditus [2], cum dicit, necessarium existimasse, Epaphroditum adjutorem suum, et commilitonem, eorum autem apostolum, et suæ necessitatis administrum ad eos mittere. Dicit simpliciter, Necessarium putavi mittere ad vos; mittere, inquam, non remittere. Ita locutus esset, si prius eum ad se misissent. » Quid impeditioribus in locis faciet, qui in tam plano ac facili totius corporis ruina provolvitur? Ergone missus ad apostolum Paulum non erat Epaphroditus a Philippensibus? Ab iis, inquam, quibus istam epistolam scripsit? Qui sunt autem illi? Nonne ii, quos appellat *initio* epistolæ, hoc est ἐν τῷ προοιμίῳ, ut Theodoretus loquitur, et quibus inscribitur? *Paulus*, inquit, *et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis, et diaconis : gratia vobis*, etc. Hi sunt, ad quos hanc epistolam dirigit Apostolus. At eosdem illos per Epaphroditum ad se misisse pecunias, quo necessitati suæ subvenirent, testatur idem Apostolus sub epistolæ finem [3]. *Repletus sum*, inquit, *acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis.* Igitur missus est ad Paulum Epaphroditus, ut pecunias ad eum portaret, ab episcopis et diaconis Philippensis Ecclesiæ; vel solis, si est illa vera lectio, quam Chrysostomus, et Theophylactus sequuntur, συνεπισκόποις καὶ διακόνοις, *sanctis coepiscopis et diaconis.* Vel ab his pariter, ac civibus aliis, si, quod in vulgatis codicibus græcis extat, σὺν ἐπισκόποις legas: ut et *sanctis*, id est Christianis e populo, et episcopis, ac diaconis inscripta sit epistola. Œcumenius priorem lectionem cum Chrysostomo amplexus videtur, etsi altera in illius contextu perperam habetur. Nam itidem ut Chrysostomus interpretatur; et quæ dicit, ad alteram minime congruunt. Ut cum rationem reddit, cur Paulus initio non se apostolum nominet. Quod eo

(1) Theod. pag. 323. Σαφῶς τοίνυν ἐδίδαξεν, ὡς τὴν ἐπισκοπικὴν οἰκονομίαν αὐτὸς ἐπεπίστευτο, ἔχων Ἀποστόλου προσηγορίαν.

(2) Idem pag. 333. Ἀπόστολον δὲ αὐτὸν κέκληκεν αὐτῶν, ὡς τὴν ἐπιμέλειαν αὐτῶν ἐμπεπιστευμένον. Ὡς εἶναι δῆλον, ὅτι ὑπὸ τοῦτον ἐτέλουν οἱ ἐν τῷ προοιμίῳ κληθέντες Ἐπίσκοποι, τοῦ πρεσβυτέρου δηλονότι τὴν τάξιν πληροῦντες.

[1] Salm. pag. 107.

[2] Phil. 2. 25. — [3] Phil. 4. 18.

fecisse scribit, (1) quod ad collegas suos, et ὁμοτίμους scriberet, id est ad clerum, a quo missus erat Epaphroditus. Prorsus itaque a clericis Philippensibus Epaphroditus episcopus allegatus erat cum ære collatitio. Quem et illorum episcopum fuisse volunt iidem Græci, maxime Theodoretus, sed sub apostoli nomine. Propterea duplici vocabulo designatur a Paulo [1], *apostoli*, et *ministri necessitatis*. Nam *apostolum* idem esse, atque *episcopum* Theodoretus credidit. Ministrum vero necessitatis vocat, « (2) quoniam per ipsum necessaria Paulo subsidia miserant, » ut ait OEcumenius.

CAPUT TERTIUM.

De Chrysostomo propugnantur illa, quæ in Dissertationibus scripta sunt. Pessime ab Salmasio mens illius accepta. Presbyteros et episcopos apud Paulum interpretari ab eo de secundi ordinis sacerdotibus. Salmasii calumnia, et ἀπροσεξία. De Epiphanio ejusdem hallucinatio. Recte illius a nobis explicatam esse sententiam. Salmasium vero a seipso dissentire.

I. Qui in explananda Theodoreti mente ac sententia tam futilem se probavit, non est, quod in ceteris feliciorem speremus fore. Ex quibus proxime ab Theodoreto positus a nobis est Chrysostomus in Dissertationibus ecclesiasticis. Ubi ostendimus, hanc illius fuisse mentem, episcopos a Paulo memoratos in epistola ad Philippenses, simplices haberi, ac secundi ordinis sacerdotes plane : ut Theodoretum intellexisse antea demonstravimus. Quod nondum Messalino-Salmasius capere potest; cujus tantus est stupor, ut cum eadem, quæ Chrysostomus ac reliqui post ipsum de presbyteris et episcopis prodiderunt, Theodoretus sentiat; cumque eodem, atque illi probet argumento, non significari apud Paulum primi ordinis antistites, quod in eadem urbe et Ecclesia plures esse non debeant episcopi; tamen iste Theodoretum neget episcopos interpretari presbyteros simplices, sed vagos nescio quos, et errones, episcopos simul, et apostolos secundos.

At etiam inconstantiam nobis objicit homo dictorum, ac decretorum suorum apprime retinens [2], quod, cum « supra ex Apostolo defenderim, episcopi nomen et episcopatus pro summo gradu poni, » cum de Chrysostomo ago, « ex eo probare contendam, episcopos ab Apostolo memoratos non esse episcopos proprie dictos, sed simplices presbyteros, quos tunc episcopos appellare mos fuit. » Hoc vero prorsus illud est, quod de homine isto animadverti sæpe, ac monui : Nihil eum minus cum scribit, quam quid scribat attendere; adeo raptim et incogitans obvia quæque arripit, et infarcit, tum in legendo eumdem morem tenet. Eo fit, ut præ celeritate, et assiduitate currendi, hoc ipsum, quod leporibus evenire Xenophon ait, illi accidat; uti hebeti sit oculorum acie, nec plene, accurateque videat.

II. Omnino ut in ceteris, sic in hoc loco stultividum se esse probat, in quo de Chrysostomo nos arguit. Quid enim non constanter a me factum? aut in quo a me ipse dissentio? Episcopatum a presbyteratu, id est ordinem ab ordine, gradum a gradu et hodie discrepare, et ab apostolorum tempore perpetuo discrepasse dixi semper, neque contrarium ullo loco docui. Dixi deinde, Chrysostomum videri episcopos ab apostolo commemoratos pro simplicibus habere presbyteris itidem, ut græcos interpretes reliquos; quos etiam singulos eo nomine redargui, quod Apostoli mentem

(1) OECUM. Ἐνταῦθα ὡς πρὸς ὁμοτίμους ἐπιστέλλων οὐ τίθησιν αὐτοῦ τὸ ἀξίωμα, τουτέστι τὴν ἀποστολήν.

MOX : Τί δή ποτε ὧδε τῷ κλήρῳ γράφει, οὐκ ἔχων ἔθος; ὅτι αὐτοὶ οἱ κληρικοὶ ἦσαν τὸν Ἐπαφρόδιτον πεμψάντες σὺν τοῖς ἀναλώμασι.

(2) OECUM. in 2. ad Philipp. ver. 25. Δι' αὐτοῦ γὰρ ἦσαν αὐτῷ τὰ πρὸς χρείαν πέμψαντες.

[1] Phil. 2. 25.

[2] Salm. c. 2. p. 83.

aliter, ac res erat, interpretati sunt. Laudavi autem in eo, et approbavi, quod ordines illos duos non invicem miscerent, sed distinctos, ut erant, revera constituerent. Postremo conciliandi viam hanc inivimus, ut esse quidem per se diversos illos gradus, ordinesque fateremur, sed in eamdem concurrisse personam; ac qui presbyteri ab Apostolo vocantur, iidem essent et episcopi, non vocabulo tantum, sed reipsa quoque. Ita tum clerus in his Ecclesiis, ad quas epistolas istas misit Apostolus, ex primi ordinis sacerdotibus constabat. Hæc nostra sententia fuit; cui tu meras nugas, et inscitas fabulas opponis. Ridiculum vero est, quod me ex Chrysostomo probare dicis, episcopos pro simplicibus sacerdotibus accipi; idque superiori opinioni esse contrarium. At ὦ κέπφε, num contrarius est sibi, qui sententiæ suæ adversam exponit alteram, et expositam mox refellit? Qui hoc putat, ἁλσί διασμηχθείς ὄναιτ' ἂν οὑτοσί.

III. Ergo episcopos et presbyteros, quos Apostolus nominat, primi ordinis fuisse sacerdotes ratus est Chrysostomus, aliique Græci, ut OEcumenius, Theophylactus. Adde etiam Theodoretum, cujus verba non aliud significare, si ea intelligeres, mecum ipse faterere. Sed non intelligis. Quod cur miremur, cum ne te ipse quidem capias? Nisi forte capere istud est, et intelligere quid dicas, illa ipsa quæ dicis, ubi dixeris, ibidem ut absurda damnare, ac refellere. Hoc enim illo in loco facis, in quo Chrysostomum, ac reliquos arguis. Reprehendis enim ipsos, non ea parte, qua peccarunt, in quo illos etiam notavimus; sed in quo verissime sentiunt, et cui tute postea subscribis. Quamobrem quidquid ad illos falsi convincendos accumulas, quod sane est levissimum, imo nullum penitus; id, si valeret, contra te primum valeret. Negas enim, verum hoc esse, quod asserunt, *Unum singulis præfuisse civitatibus episcopum;* quod tu tamen ipse diserte postmodum doces [1]. Presbyterorum collegio præfuisse unum aliquem scribis, primatum inter eos habentem, et κατ' ἐξοχὴν vocatum episcopum; cum nihilominus etiam reliqui presbyteri appellarentur episcopi. Quam tu rationem, et communionem nominis, ubi est dispar, et inæqualis dignitas ac potestas, adeo judicas absurdam, et abhorrentem pagina 85. et sequentibus, ut eo utaris argumento ad Græcos convincendos, qui, cum presbyteros omnes vocari solitos episcopos putent, unum tamen aliquem supra ceteros auctoritate ac potestate excelluisse sentiant. Sed de hoc tuo conflictu, et horribili cæcitate atque ἐμβροντησίᾳ supra est actum cap. 12. libri superioris. Itaque hoc loco *verbum non amplius addam*, teque tuis in nugis, ac titivillitiis volutari, et implicari sinam.

IV. Jam quod, uti tecum pugnare te luce ipsa clarius ostendi, sic me vicissim a meipso dissidere clamitas; incredibiliter erras, et errandi causam habes illam eamdem, quam et repugnandi tibi, in tanta imbecillitate judicii inconsultam celeritatem, ac præcipitem. Non sunt, ὦ οὗτος, illa contraria duo, quæ tu adversari invicem putas, sed maxime consentanea, et cohærentia. Quorum alterum est, episcopos et presbyteros, quos Apostolus nominat, primi ordinis sacerdotes videri, ac plures in eadem Ecclesia collocatos in quibusdam Ecclesiis, sub ipsa Christianismi primordia. Alterum, episcopatum et presbyteratum, qua ordines sunt, ex se naturaque sua, et οὐσιώδει functione differre mutuo: et errare illos, hoc est te, tuique similes Catharos, et Puritanos, qui unum eumdemque βαθμὸν, et ordinem ex apostolorum, ipsiusque Christi Domini instituto esse prædicant; adeo ut duo non amplius sacri ordines sint, episcopi, sive presbyteri, et diaconi, contra quam vetera omnia concilia, et apostolicis proximi temporibus Patres, et Catholici hactenus omnes arbitrati, atque usu ipso testati sunt.

Disce iterum hic, quod et supra jam edoctus es: Primum vocem ipsam *presbyteri* non sic a nobis accipi, cum dicimus episcopatum, et presbyteratum distinctos esse ordines, ac cum Paulus et alii deinceps presbyterum eum nominant, qui est episcopus. Illic enim ordinis et gradus esse vocabulum; hic autem reverentiæ, honoris, et dignitatis. Quare non sequitur, si Paulus, ac Lucas presbyterum appellant eum, qui revera esset episcopus, episcopatus et presbyteratus ordines unum illos, et eumdem esse voluisse.

V. Sic, exempli gratia, Romæ *Prætor* olim commune fuit nomen majorum omnium magistratuum, *qui jure et exercitu præirent*, ut scribit Varro [2]. Vel ita dictus, *qui præiret exercitui imperator ab imperio populi.* Unde et *prætorium* in castris, ubi Imperatoris tabernaculum erat, et *prætoria porta, cohorsque prætoria.* Post vero peculiaris in magistratus vocabulum transiit. Nec recte ratiocinaretur,

[1] Salm. pag. 273. et seq.

[2] Lib. 4. de ling. Lat.

qui ex eo, quod illos, qui consules postea dicti sunt, olim prætores vocatos esse legeret, ut nominatim Festus adnotat [1], concluderet, eumdem apud Romanos fuisse prætorem, et consulem. Nam prætor primo illo, et antiquiore modo, non certi magistratus nomen, sed universe et infinite majoris omnis fuit: posteriore vero, in quo cum consule comparatur, unum et peculiarem aliquem designat, consulatu minorem. Non dispar est ejus ratio, de quo modo agitur; ὁ πρεσβύτερος, qua dignitatis, et honoris duntaxat appellatio est, utrique communis fuit, hoc est primo et secundo ordini, sive in eadem persona reperirentur, sive in diversis. Quemadmodum etiam *sacerdotis* nomen utrique ordini tributum est, ac diutius in primo constitit, quam *presbyteri*. Nam *presbyteri* vox tandem in solo resedit ordine secundo: cum *sacerdos* in primo perseveraret, nec minus tamen ad secundum pertineret; cum et vocabula ἱερεῖς, et ἱερωσύνη utriusque gradus sacerdotio convenerint. Ecquis autem, præter Catharos impurosque Puritanos, quorum e grege Salmasius est, unum et eumdem dicat ordinem et gradum esse sacerdotem simplicem, et episcopum, ex ordinatione Christi et apostolica traditione? Idem est de *presbyteri* appellatione judicium; quæ vox ab communi ambobus significatione ad propriam ordinis secundi translata est, atque restricta. Neque propterea de natura ipsa, proprietateque duorum illorum ordinum decessit aliquid; nec eo minus distincti invicem sunt et ordinatione Christi, et apostolica traditione, et usu, ac decreto catholicæ Ecclesiæ. Distincti, inquam, ex sese, naturaque sua, et κατὰ τὸ εἶδος, vel οὐσιαν; quamvis κατὰ τὸ ὑποκείμενον unum et idem sint in uno ac singulari Ecclesiæ pastore, qui est episcopus, et olim in clero fuerint, cum sub exortum Christianismi, presbyteri iidem, et episcopi in eo censerentur.

VI. Hac luce distinctionis inscitiæ tuæ caligo discutitur, quæ in unius cavillatione voculæ miras, et pueriles tragœdias excitavit. Sed quid tibi, oro, venit in mentem, uti de me mentiri tam insigniter auderes? Scribis enim [2], concessisse me, « Consuetudine potius Ecclesiæ, et humano quodam jure, quam divino, presbyteri et episcopi constare differentiam. » Non te calumniæ, ac falsitatis pudet? Ubi enim scriptum a me istud est? Tu paginam Dissertationum mearum ostendis 44. Et *quam in ea diversus sim ab eo, qui fui pagina* 13, jubes agnoscere. Ego vero, in utraque, et in ceteris idem constanter docui; nec ea, quæ ibidem dixi, quia capere non potes, ideo sum a te reprehendendus: « Tanquam si lunam veterem, vel novam (ut cum Augustino loquar [3]) sidusve aliquod minime clarum velles videre, quod ego intento digito demonstrarem; tibi autem nec ad ipsum digitum meum videndum sufficiens esset acies oculorum: non propterea mihi succensere deberes. »

Age vero in illa pagina 44. quid tandem diversum ab altera positum est? Nam in ea verba illa sunt, quibus *concessisse me* dicis, quod alio in loco negavi. Hic vero tua hic, Salmasi, jocularis oscitantia tenetur. Nam quæ tu mihi objicis, non mea illa sunt, sed Hieronymi, et ejus doctrinæ consectaria; nec a me relata sic, ut probarem, sed ut refellerem, vel ut explicarem potius, et ad communem, ac catholicam sententiam accommodarem. Hoc igitur non inter erroris argumenta mei, sed inter stuporis tui exempla numeres licet. Perinde enim hic in reprehendendo me facis, ac si Paulum illius dicti reum citares [4]: *Faciamus bona, ut inde veniant mala.* Quod totidem quidem verbis ab illo scriptum est; sed ex aliena persona, non ex sua.

Divini plane juris esse dixi semper episcopi ac presbyteri discrimen, qua nomina sunt ecclesiasticorum ordinum, atque graduum; idque in illa ipsa docui pagina, quam commemoras, quadragesima quarta; ubi « integram manere » scripsi « ordinum distinctionem, et quidem divinitus constitutam, non sola consuetudine; » eo quod, etiam ex Hieronymo, « salva esset ordinandi potestas penes solos episcopos. » Quod autem « unus in singulis civitatibus, et Ecclesiis esset episcopus, id non jure divino, sed Ecclesiæ auctoritate, Conciliorumque sanctionibus decretum esse » dixi.

VII. Nihil igitur in Chrysostomo vidit Catharus; et ea, quæ non erant, in me vidit; ac, quod ei non insolens est, errore lapsus est fœdissimo. Nunc in Epiphanio similem eumdem fuisse sui monstrabimus. Credidit sanctissimus ille Pater [5], episcopum, et presbyterum apud Paulum sic usurpari, ut ætate sua fiebat, hoc est illum primi ordinis, hunc secundi significare sacerdotem: in quo ab superioribus dissentit. Porro apostolos idem existimat, recenti adhuc Christianismo, non ubique

[1] In voce *Prætoria porta*. — [2] Salm. pag. 100.

[3] Aug. Prol. in libros de Doctrina Chris. — [4] Rom. 3. 8. — [5] Epiph. Hær. 75. § 5.

justum clerum, ac suis constantem partibus instituisse; sed alicubi solos presbyteros, et diaconos sine episcopo, alibi unum episcopum cum diaconis, absque presbyteris. Quam Epiphanii sententiam per seipsam dixi esse veram, quatenus de illis ordinibus absolute, ac præcise loquitur; sed non satis ad Paulum accommodatam videri. Omnino enim episcopos et presbyteros a Paulo nominari primi ordinis sacerdotes.

Sed eam narrationem, quam veram esse judicaram, ait esse falsissimam homo cumprimis gravis, et consideratus Salmasius. Quod cum dicit, tum se ipse falsi coarguit. Nam et idem asserit; et huic, quod asseverat, contrarium itidem affirmat: ut quocumque se vertat, hærere, constringique illum necesse sit, ac sua confessione jugulari. Expendamus singulas Epiphanianæ sententiæ partes.

VIII. Credere me dixeram [1], id quod scribit Epiphanius, « pro multitudine populi plures, paucioresve sacrorum institutos ministros, ac nonnunquam solum impositum episcopum ibi, ubi grex pusillus erat. » Quærit Catharus [2], num efficiam inde, « distinctos tunc fuisse ordines episcoporum, et presbyterorum. » Stulta quæstio. Primum non eo citatus a me est Epiphanius, ut ex hujus auctoritate probarem, distinctos invicem istos ordines fuisse. Non quod non idipsum adstruat; prorsus enim hoc dicit; sed quod personis, ac τῷ ὑποκειμένῳ diversos ibi esse putat, ubi unum esse videntur. Quos enim Apostolus nominat episcopos, et presbyteros, eos in clero distincta tum fuisse capita censet Epiphanius; in quo illi non assentior. Quare non in eum finem Epiphanium citavi, ut inde colligerem, apostolorum tempore duos illos ordines a se mutuo distinctos fuisse; sed ut ejus opinionem expenderem; doceremque quatenus vera quidem illa sit, sed ad propositam ex Apostolo quæstionem explicandam non satis apta videatur. Deinde quod ab illo vere esse dictum asserui, falsissimum autem Salmasius vocat, id affirmat etiam iste ipse, qui falsitatis arguit, Salmasius. Etenim idem ex apostolorum instituto presbyterum fuisse, quod episcopum, illius est sententia; hoc est unum esse ambos, et eumdem ordinem. Cum ergo in aliquibus locis « potuisse » concedit [3], « et presbyterum constitui unicum, si res ita tulisset, et conditio loci; » quid aliud, quam unum imponi potuisse dicit episcopum? Quod si idem ille locus numero Christianorum augeretur postea, ut unus ad ministerium non sufficeret presbyter, idemque, ut iste fatetur, episcopus; profecto plures alii adjungendi fuerunt presbyteri simul et episcopi. Sic enim nonnunquam evenisse legimus, ut in quibus Ecclesiis, propter paucitatem, initio nonnisi unus constitutus est presbyter, postmodum, crescente fidelium multitudine, tum plures annumerati sint clerici, tum episcopalis ibi sedes instituta fuerit. Quid ergo habet iste, quod de Epiphanio queratur, aut de me, qui hoc idem, quod ille, dicimus; etsi, non ut ille, dissidemus ipsi a nobis, et pugnantia loquimur?

IX. Sed calcibus deinceps petere pergit virum sanctissimum, et inscitiæ, ac falsitatis reum peragere; hoc est quæ sibi propriæ, et germanissimæ notæ sunt, in eum conferre. Scribit Epiphanius, non potuisse apostolos statim ad perfectum omnia constituere, id est universa, quæ ad absolutam formam pertinent ecclesiasticæ communitatis ac reipublicæ, omnibus in locis ordinare; sed paulatim ab inchoatis, et rudibus initiis ad ultimam operis expolitionem structuram evangelicam esse perductam. Cum igitur episcopos alicubi constitui Christianorum paucitas nondum sineret, presbyteris fuisse contentos; aut unum duntaxat episcopum sine presbyteris ibi præposuisse. Hoc ego, cum alioqui verissimum sit, non tamen ad Apostolum, ac propositam quæstionem facere dixi. Sed instat Catharus [4], et otiosa percontatione moras injicit. Quærit, « Cur apostoli tunc non potuerunt omnia, quæ ad regimen Ecclesiæ optimum instituendum facerent, excogitare; » ac multa deinceps nugatur, ut solet, tanquam, « in apostolis defectus argui inde possit ad πολιτείαν perfectam instituendam. » En Salmasianum acumen, jecurque criticum. Quærendum vero ab eo vicissim, cur haud rerum universitatem Deus non repente perfectam, et ad plenum elaboratam condiderit? cur molem initio confusam, et indigestam procreare maluerit? terram ornatu ac cultu carentem? aerem nulla luce vestitum? vastam, et per omnia diffusam aquarum voraginem? An ergo facilius fuit Conditori inculta illa et horrida, quam elegantia, et perfecta fabricare? *Sed cur Deus tunc non potuit omnia, quæ ad mundi statum optimum instituendum facerent, excogitare?* Quæ ratio potest afferri hujus illius ἀδυναμίας in optima, et perfecta forma invenienda, et sta-

[1] Lib. 2. Dissert. c. 1. p. 15. — [2] Salm. pag. 102. [3] Salm. pag. 105. — [4] Salm. pag. 108.

tuenda? Voluisse eum, nec potuisse quod vellet efficere, quis credat? Ad hæc, cur cæcum hominem oblatum sibi Christus non ex toto primum sanavit, sed ex dimidio [1]; ut non penitus aspiceret, sed *homines* initio *videret velut arbores ambulantes?* Quid attinebat iterato illi manus imponere, et visum plene restituere, *ut clare videret omnia?* An non facile fuit Christo, cum primum *in illum expuit, et manus imposuit,* integram illi repræsentare sanitatem? Cum mihi ad ista Salmasius responderit, tum eum dignum putabo, cui otiosa et ludicra sciscitanti pro Epiphanio respondeam. Sed hujusmodi contra communes notiones, humanumque sensum vitia rationis quotidiana sunt homini logistisces imperito.

X. Adscribatur et hoc ad cetera, quibus illius dissertatio scatet, ἐναντιώματα, quod cum ita confidenter asseverasset [2], « Nullibi unum episcopum, et solum imposuisse apostolos constare; » postea [3], « In pagis, *inquit*, aut vicis, vel pusillis oppidis, quales κώμας, aut κωμοπόλεις vocabant Græci, unum aliquem presbyterum per illa præcipue tempora, quibus non magnus erat numerus fidelium, suffecisse verisimile est. » Quomodo in paganis Ecclesiis unus presbyter fuit, quem et eumdem fuisse putat episcopum, si nullibi unus fuit episcopus? Nam pagorum episcopos illos, quos Græci χωρεπισκόπους vocant, *ab antiquo, et apostolico seculo* extitisse, et inde appellationem episcopi traxisse, Salmasius idem asserit [4].

Postremo [5] de Epiphanii loco stulte et incassum ariolatur, tanquam fraudulenter, et nescio quid insidiarum struens, depravate verba illius exscripserim ex Hæresi Aerianorum; ubi episcopi a presbytero discrimen in eo ponit Epiphanius, quod illorum τάξις sit πατέρων γεννητική. Πατέρας γὰρ ἡ Ἐκκλησία γεννᾷ. Ubi τῇ Ἐκκλησίᾳ sine dubio scribendum, ut in Epiphanio olim edidimus. Verum pro eo, uti fit, in dissertatione mendum illud obrepsit; quod contextus vitium in extemporalem versionem, tum cum dissertationem elucubrarem, aliud agentibus nobis transiit. Hos incuriæ nævos, et papulas cupide delingit Salmasius, et Ἄλλους ἰᾶται αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. Cetera in Epiphanio παρεγχειρήματα Cathari postea resumemus.

CAPUT QUARTUM.

De Hieronymo : cujus sententiam depravat Salmasius. Quatenus idem cum Chrysostomo sentiat, aut ab eo dissideat. Duo illius loca proponuntur et explicantur. Salmasii abnormis a seipso dissensio. Hieronymi sententia plenius excussa in epistola ad Evagrium : et in commentariis ad epistolam Pauli ad Titum.

I. Ab Epiphanio itidem, ut in Dissertationibus ecclesiasticis, ad Hieronymum transibimus; quem *suum esse*, hoc est juxta ac se Catharum et Puritanum, Salmasius affirmat. Hoc etiam restabat, ut post mortem vir sanctissimus tanto dedecore, et ignominia notaretur, et in communionem cogeretur sectæ fœdissimæ; quæ Deo, et hominibus exosa, nihil præter amborum odium spirat. Sed errat videlicet ὁ Καθαρὸς, et de Hieronymo nihilo plus veri sapit, quam de Epiphanio, Chrysostomo, ac Theodoreto, ac scriptoribus plerisque omnibus, quos commentando attigit; quorum ad perniciem et noxam stilum inter criticos pridem movere instituit. Hieronymus, inquam, totam Puritanorum nationem suo testimonio conturbat, et inter hos, præque omnibus Salmasium, triplici maxime capite. Primum [6] quod « a Marci evangelistæ tempore, Alexandriæ semper unum in excelsiori gradu collocatum fuisse *ait* episcopum. » Deinde quod hunc eumdem « a presbyteris electum » scribit. Postremo quod penes solum episcopum *ordinationis* jus esse docet, quod presbyteri non habent. Hæc si tria fateri vult Salmasius, suum esse jactet Hieronymum. Tametsi de primo consentit interdum, et, ut in more habet, duo asserit contraria : fuisse olim, et non fuisse apostolorum ætate singularem in unaquaque Ecclesia præsidem, et episcopum. Quare si, hac omissa puerili, et indigna docto homine decretorum inconstantia, unum tan-

[1] Marci 8. 4. — [2] Salm. p. 112. — [3] Pag. 225. — [4] Pag 226. — [5] Salm. p. 330. — [6] Hier. ep. 85.

dem aliquando sapere, id est resipiscere voluerit, qua parte καθαρὸς esse desinet, ea concordem habebit Hieronymum. Sed vereor, ut hoc a se impetrare possit. Mallet enim quidvis audire, ac loqui, quam ingenue confiteri se esse deceptum. Itaque quod de se agnoscere non vult, hoc de eo persuadebimus aliis, et ab Hieronymi mente longe illum aberrasse monstrabimus.

II. Scripseram in Dissertationibus ecclesiasticis [1], Hieronymum consentire cum Chrysostomo in reddenda ratione, cur Apostolus ad Timotheum et Titum scribens, postquam de episcopis egit, statim ad diaconos transeat, omissis presbyteris. Itaque quidquid contra Chrysostomum objici potest, cur ad Apostoli sensum minime congruat, id non minus valere adversus Hieronymum. Non dixi, quod me dixisse mentitur Salmasius [2]: « Hieronymum nihil plus dicere de episcopis, quam Chrysostomum; et eamdem omnino hujus, atque illius esse sententiam. » Neque, hoc posito, conclusi, quod me concludere mentitur Salmasius: « Ideo dicis, *ait*, Hieronymum eodem modo explicare, rationem eamdem reddere, cur Paulus, ubi de episcopis egit, omissis presbyteris, statim transeat ad diaconos, quam Chrysostomus reddidit. » Tolle illud *ideo*, quod falso ad meam sententiam affingis; et dixisse me quod scribis fatebor, « Eodem modo explicare Hieronymum, ac Chrysostomum, cur Paulus ab episcopis statim ad diaconos labitur, non interjectis presbyteris. » Hoc vero non ideo dico, *quod nihil plussentiat de episcopis Hieronymus, quam Chrysostomus, et eadem sit utriusque sententia.* Falsarium te, et παραχαρακτὴν alienæ sententiæ, uti nummorum ἀδόκιμον Trapezitam, arguunt illa ipsa, quæ tu ex me verba describis, *Quin etiam quod Paulus in epistolis ad Timotheum et Titum*, etc. Vox *quin etiam*, additum quod sequitur ad antecedentia, non ex antecedentibus illatum esse demonstrat.

III. Duo scripta sunt ab Chrysostomo diversis in locis haud satis invicem consentanea, quæ in Dissertationibus posui. Primum in homilia prima in epistolam ad Philippenses rationem exponit, cur Apostolus solis episcopis, et diaconis epistolam inscripsit; ac docet presbyteros tunc et episcopos ordinis ejusdem nomina fuisse; et quidem secundi, non primi, penes quem vocabulum episcopi resedit: quod eo argumento probat, quia plures ordinis hujus, id est episcopi, in una civitate esse nequeunt; at Philippis erant plures. Itaque presbyteros et episcopos pro simplicibus accipi sacerdotibus ibi credidit. At in homilia 11. in epistolam primam ad Timotheum, causam itidem explicans, cur Paulus, post data episcopis præcepta, ad diaconos transiisset, omissis presbyteris; non unius ordinis episcopos et presbyteros constituit, sed diversi; et majoris ac dignioris episcopos: tametsi parvo discrimine separari eos adstruat, hoc est minore, quam ab episcopis diaconos. Ideo factum esse dicit, ut quæ documenta episcopis tradidit, ad presbyteros pertinere tacite voluerit Apostolus. Discerni autem hoc solo invicem ait episcopos, et presbyteros, quod illi ordinandi jus habent, isti non habent. Verba Chrysostomi: « (1) Cur ita? (hoc est, cur prætermissis presbyteris, ab episcopis transilit ad diaconos?) Nimirum quia non latum est inter utrosque discrimen. Nam et presbyteri docendi suscepere munus, et Ecclesiæ præfecturam. Ac quæcumque de episcopis dixit, eadem et presbyteris conveniunt. Sola enim impositione manuum superiores sunt episcopi, et hoc uno videntur excellere presbyteros. » Hic non eadem est Chrysostomi, atque in priore loco de episcopis opinio. Nam illic manifeste secundi ordinis sacerdotes, utroque appellari nomine censuit, nempe ejusmodi, qui plures in una Ecclesia esse poterant; quod non poterant ordinis primi sacerdotes: at istic episcopos a Paulo primum in ordinem referri putat, presbyteros in secundum; quippe priores jus habere manus imponendi, et ordinandi, quod presbyteri non habent.

IV. His germana sunt et consentanea, quæ in Epistola 85. scripsit Hieronymus, ubi presbyteros suppares episcopis facit; non eosdem tamen cum ipsis, neque prorsus æquales, sed illo ipso discrimine separatos, et inferiores, quod Chrysostomus refert, ordinatione scilicet, impositioneque manuum. « Quid enim « facit, excepta ordinatione, episcopus, *inquit*, quod presbyter non faciat? » Tum causam

(1) Chrys. hom. 11. in 1. ad Tim. cap. 3. p. 289. Τί δήποτε; ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον αὐτῶν, καὶ τῶν Ἐπισκόπων. Καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς Ἐκκλησίας· καὶ τὸ περὶ Ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις ἁρμόττει. Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνῳ δεινοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.

[1] Lib. 1. c. 1. p. 18.

[2] Pag. 114.

affert eamdem, quam Chrysostomus, cur Paulus mentionem episcoporum duntaxat, et diaconorum faciat, non presbyterorum: « Unde et ad Titum, et ad Timotheum, *ait*, de ordinatione episcopi, et diaconi dicitur: de presbyteris omnino reticetur, quia in episcopo et presbyter continetur. » Cum hæc luce ipsa clarius appareant, et in legentium oculos incurrant, qua fronte Salmasius vellicare hoc audet, quod « Hieronymum » dixi « eodem modo explicare, et rationem eamdem reddere, cur Paulus, ubi de episcopis egit, omissis presbyteris, statim transeat ad diaconos, quam Chrysostomus reddidit? » Sane verissimum istud est, nec negare posset, si cor haberet cum oculis, quibus legeret illa Salmasius.

Neque vero propterea dixi Chrysostomum et Hieronymum episcopos, et presbyteros apud Paulum eodem interpretari modo. Nam ille utroque nomine, ut dixi, secundi ordinis sacerdotes ibi significari credidit, homilia prima in epistolam ad Philippenses. At homilia secunda in priorem ad Timotheum, episcopos primi, presbyteros secundi ordinis esse sacerdotes asserit, in quo cum Hieronymo convenit. Quare eodem utrumque summoveri argumento dixi, quatenus presbyteros in ea ad Timotheum pro simplicibus usurpari sacerdotibus, communiter existimant, cum sit probabilius, primi ordinis esse non minus, quam episcopos.

V. Quod cum dicimus, longe ego, et duo illi sanctissimi Patres ab Puritano fermento absumus; quo tota illa massa coacuit. Non enim unus et idem ordo cum episcopatu presbyteratus ab illis esse perhibetur, nec apostolorum fuisse tempore, quamvis in unum congruerent. In quo fatali inscitia semper errat Salmasius. Uterque porro imponendi manus, et ordinandi jus in solo agnoscit episcopo, presbytero detrahit. Frustra est autem Catharus [1], et ad συκίνην ἐπικουρίαν respicit, dum hæc Hieronymi verba; *Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* ad ipsius ætatem Hieronymi contrahit; tanquam apostolorum tempore presbyteris ordinare licuerit. Sed inepta est ex vocis ambiguitate contentio. Presbyter enim aut ita sumitur, ut sit venerationis, ac dignitatis appellatio; aut ita, ut gradum, ordinemque significet secundi sacerdotii, et episcopatu minoris. Si primo modo capitur, cum episcopus presbyter quoque diceretur, certum est, ordinandi jus fuisse penes presbyterum, quod idem est, ac penes episcopum. Sin posteriore usurpes modo, neque apostolorum seculo, nec ullo unquam deinceps alio, ordinare potuit presbyter; et absoluta est Hieronymi sententia. Quod si ex instituto Christi, et propagata per apostolos traditione divina unus in Ecclesia tantum esset ordo duplici illi nomini subjectus; nullus sine episcopali potestate, et ordinandi jure creari presbyter potuisset, ut supra demonstravimus. Quod ergo presbyterum ordinare posse negat Hieronymus, episcopum solum id posse confirmat; diversos, et inæquales ordines ex sese, et auctore habitos Christo, perspicue declarat. Præterea, quod scribit Hieronymus, *excepta ordinatione* nihil præcipuum episcopo inesse supra presbyterum, ad illud tempus convenire debet, quo episcopus presbytero major esse cœpit, et dignitate superior; quod etiam Catharus affirmat. Atqui apostolorum tempore Alexandriæ saltem unus semper e presbyterorum collegio electus est episcopus, qui iisdem illis præesset. Tum idem in aliis omnibus Ecclesiis esse factum, Salmasius ipse alibi confitetur [2]. Igitur apostolorum etiam ætate penes solos episcopos, hoc est primi ordinis sacerdotes jus imponendarum manuum et ordinandi fuit.

VI. Hoc loco necesse esse video de Hieronymi sententia paulo latius disserere, ut et tanti viri nomen ac decus contaminari non patiar sacrilega communione Puritanæ, ac Salmasianæ factionis; et hujus ipsius Messaliano-Cathari garrulitatem, atque audaciam comprimam.

Duo sunt loca præcipua, in quibus Hieronymus de episcopi ac presbyteri discrimine ex professo disseruit: alter est in epistola ad Evagrium, quæ est octogesima quinta: alter in commentario ad caput primum epistolæ ad Titum. De utroque separatim, et ordine agemus, orsi ab eo, quem primum posuimus. Scribendi ad Evagrium occasio quæ fuerit Hieronymo, multum interest scire. Eam sic initio exponit ipse: « Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est episcopis anteferret. » Quibus autem presbyteris? Hoc enim ante omnia constituendum est. Duplex enim genus presbyterorum ab Hieronymo statui, Salmasio videtur [3]: quorum alios *antiquiores* vocat, « qui nihilo inferiores erant episcopis, » quales apostolorum temporibus extitere: alios

[1] Salm. pag. 118.

[2] Pag. 273. et 274. — [3] Cap. 5. p. 287.

recentiores, « qui inferiores erant episcopis ; » uti postea esse cœperunt, cum jam unum eligi ex omnibus, et Ecclesiæ præfici placuisset. Horum igitur duorum generum utrum tandem intelligit Hieronymus, cum presbyteris diaconos anteferri queritur ? An hoc ridiculum est quærere, cum sit manifestum, de iis agi presbyteris, qui tum erant, et quibus anteponebantur ejusdem temporis diaconi? Illi plane designantur ab Hieronymo presbyteri, quos videbat oculis, et quorum unus erat, si jam initiatus erat huic ordini, quales episcopi non erant, sed sacerdotes simplices. Hos, inquam, *presbyteros* esse ait *episcopos*, id est æquales episcopis : non antiquiores illos apostolorum temporum ; qui, cujusmodi eos facit Salmasius, non episcopis æquales, sed episcopi fuerunt.

VII. Quod si vel dubitare de eo ridiculum est, utros Hieronymus presbyteros intelligat, cum tam aperta sit illius oratio ; quanto ineptius est etiam illud affirmare, antiquiores ibi significari, et apostolicæ ætatis presbyteros, non recentiores, quos præ oculis habebat Hieronymus? Quæ est Salmasii acuti critici sententia; qui tortuosa et perplexa verborum interpretatione pueriliter illusit gravissimo, et eruditissimo Patri, ac totum depravavit illius epistolæ sensum. « Ut ostendat, *inquit*[1], quam sine ratione diaconi presbyteris se prælatos vellent, primo docet, presbyteros olim eosdem cum episcopis fuisse, nullo omnino potestatis, et auctoritatis inter utrosque interjecto discrimine. Ne tum quidem, cum distinctus esset ordo episcopatus, et presbyteratus, alio discrimine eam differentiam constitisse, nisi ordinandi potestate. » Quocirca duo ab Hieronymo discerni tempora putat; totidemque presbyterorum genera, ut alios apostolici temporis exprimat, alios recentioris, ac sui. De priori genere verba hæc illius accipit, quæ ex initio epistolæ retuli, in quibus *quemdam* ait *diaconos presbyteris, id est episcopis anteferre.* De posteriori vero, quæ interjectis aliquot sequuntur ; *Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* At est ejusmodi hæc expositio, ut vel ab Heraclito risum exprimat. Quid enim ? Ille nescio quis, cujus vecordiam notat Hieronymus, quod diaconos presbyteris potiores ducebat, num tandem iis solis diaconos anteferebat presbyteris, qui olim ante aliquot secula apostolorum ætate vixerant, et qui tribus jam seculis in rerum natura esse desierant? Nam in illis ordinibus mutationem esse factam, et presbyteros infra episcopos redigi cœpisse sub initium secundi seculi, Salmasius existimat, ut supra memini; unde antiquiores illi primi generis presbyteri jam nusquam erant, cum ista commentabatur Hieronymus.

VIII. Quare, ut ad diaconos, cujusmodi temporibus erant Hieronymi, vecors ille respiciebat, cum eos anteponeret presbyteris : sic presbyteros non alios cum illis contendebat, quam qui tunc in Ecclesia versabantur; non ignotos, et ex antiquitatis memoria repetitos, quasi cum larvis, ac lemuribus certare vellet. Nec dubium est, quin utrosque similiter, et eosdem, atque ille, quicum agebat, sibi proposuerit Hieronymus, hoc est sui temporis ut diaconos, ita presbyteros. Aut quid ineptius hac sententia fuerit, quæ ex Salmasii opinione apud Hieronymum concipienda sic esset ? *Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris,* id est iis, qui episcopi olim ante trecentos annos fuerant, sed amplius non erant, *anteferrent.* Nonne hoc ipsum, quod ab episcopali fastigio dejecti, et in inferiorem locum redacti, ac *regradati* fuissent presbyteri, plausibilem nebuloni isti argumenti speciem dedisset, ut illis diaconos anteferret, qui loco moti nunquam fuerant, sed ad majorem etiam dignitatem, splendoremque profecerant ? Ergo quibus presbyteris anteferebat diaconos, hoc est præsentibus, et vivis, vulgoque cognitis, eos Hieronymus episcopos nominat, non *cascos* illos, et obsoletos, ac solis notos eruditis. Ad eosdem referri omnia illa credidit, quæ deinde ex epistolis Pauli ad Philippenses, ad Timotheum, ad Titum, ex Actis, ex Petri itidem, ac Joannis epistolis de presbyteris dicta commemorat. Tum eosdem presbyteros ait, « unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum episcopum nominasse Alexandriæ, a Marco usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos. » De iisdem presbyteris et ista scribit : « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod non faciat presbyter ? » De eodem postremo genere presbyterorum intelligendus est, cum dicit, idcirco Paulum, postquam episcopo præcepta dedit, ad diaconum transisse, « de presbyteris omnino reticuisse, quia in episcopo et presbyter continetur. » Non alia mens, et oratio esse potuit Hieronymi, nisi inconcinne ac putide sapere illum, ac loqui putemus ; quod de tanto viro suspicari dementis sit, ac sacrilegi. Quonam

[1] Salm. ib. pag. 289.

vero pacto sit intelligendum, quod ait, presbyterum ejusmodi, qui ætate jam ipsius erat, eumdem esse cum episcopo, dicam postea, ubi alterum locum illius ex commentariis in epistolam ad Titum exposuero.

IX. Hieronymus in commentariis istis, agens de eo, quod Paulus ad Titum scribens hortatur ipsum, ut presbyteros per civitates constituat, quos subinde episcopi nomine designat, primum adnotat, « Eumdem esse presbyterum, qui et episcopus est; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesias gubernatas esse. Postquam vero unusquisque, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum esse, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. » Deinde, pluribus allatis Scripturæ testimoniis, quibus presbyteros appellari episcopos affirmat, « Sicut ergo presbyteri sciunt, *inquit*, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores, et in communi debere Ecclesiam regere. » Hæc Hieronymi præcipua loca sunt, ex quibus Calvinus, aliique Romanæ communionis hostes, et horum pedissequus Salmasius ostendi putant, presbyterum, et episcopum unius, et ejusdem ordinis esse vocabula, nec ullum inter ambos esse discrimen. Quod Salmasius de solo apostolorum tempore intellexisse putat Hieronymum, non de consequenti, cum jam supra presbyteros constitutus esset unus, qui episcopus vocabatur. Tum enim ordines cœpisse distingui. In quo, quam ad prodigium usque occæcata mens illius fuerit, et ut sibi ipse fœdissime contradicat, planum est ex iis quæ superius explicavimus [1]. Sed et nunc in isto ipso loco capitis quinti dissertationis Wallo-Messalianæ, ad eumdem scopulum inscitiæ turpe naufragium fecit, cum adversum me de Hieronymi verbis, ac sententia contenderet.

X. Scriptum a nobis fuerat [2], Hieronymum indicare, « Presbyteros illos antiquiores nihilo fuisse inferiores episcopis; atque ex suo corpore unum aliquem elegisse, qui præesset omnibus, uti schismati obviam iretur. » Hoc Salmasius impugnans negat [3], eamdem fuisse rationem apostolicorum temporum, quæ Hieronymi ætate postea fuit: « Dum antiquiores illi presbyteri fuere, qui nihilo inferiores erant episcopis, EX SUO CORPORE NUNQUAM UNUM ELIGERE SOLITI SUNT, QUI PRÆESSET CETERIS. Ubi autem unus ex numero plurium eligi cœptus est, qui omnibus præponeretur, non amplius pristina æqualitas servata est, et ab eo tempore cœperunt presbyteri inferiores esse episcopis. » Hoc non alius, quam Salmasius ipsemet refellit proxime antecedenti capite [4], ubi Hieronymum redarguit, qui « a Marci temporibus morem hunc Alexandrinæ Ecclesiæ repetit, ut presbyteri ex suo corpore eligerent, qui episcopus fieret, et ceteris præesset; cum antiquior ac prior mos fuerit Ecclesiarum, ab ipsis apostolis institutus, UT PRIMATUS INTER PRESBYTEROS NON EX ELECTIONE DECERNERETUR, SED EX ORDINATIONIS TEMPORE SENIORI DEFERRETUR. » Tum postea [5] conjecturam facit, electos illos ex presbyterorum corpore, « quibus primatus eo modo delatus esset, episcopos κατ' ἐξοχὴν nominatos esse, cum ceteri nuncuparentur presbyteri. » Imo et illos primos vocatos episcopos non minus appellatos presbyteros; uti cum Athenis novem essent ἄρχοντες, unus tamen insigniter nominatus est ὁ ἄρχων. De qua Salmasii repugnantia fuse in primo libro dictum est. Sane nihil de Hieronymi mente et interpretatione scripsit iste contra nos, cui non contrariis ipsiusmet sententiis, ac nostrarum, quibus pueriliter irascitur, insultatque, similibus occurri possit; ut non major illius sit mecum, quam secum ipsius contentio. Sed hoc tantisper seposito nugatore, de Hieronymi mente dicamus, quæ nobis probabilia maxime videntur; quibus expositis, tum aberrantem illum in viam denuo revocare conabimur.

[1] Lib. 1. cap. 13. — [2] Lib. 1. Dissert. Eccles. c. 3. p. 34. — [3] Sal. m. p. 287. — [4] P. 205. et seq. — [5] P. 273. et seq.

CAPUT QUINTUM.

Explicatur Hieronymi sententia de episcopis, et presbyteris. Episcopi nomen, et hujus origo diligentius exponitur. Certus Athenis magistratus ea voce designatus. Hieronymus cum episcopum, ac presbyterum eumdem dicit, solam externam Ecclesiæ gubernationem respicere. Multum ab hæreticorum opinione distare ipsum. Duplex ratio interpretandi Apostoli probabilis. Ridicula Salmasii quiritatio de institutione episcoporum ex Hieronymi sententia. Res interdum optimæ ex malorum occasione ortum accipiunt.

I. Diu est, quod catholicos theologos anxios et sollicitos habent Hieronymi loca illa duo, quæ antecedenti capite descripsimus. Ibi enim presbyteros inter et episcopos nullum videtur statuere discrimen, sed paris ambos ejusdemque ordinis, ac dignitatis esse velle. Quod quia falsum, et sanæ, orthodoxæque fidei, ac decretis Conciliorum, et Patrum antiquorum placitis contrarium est; merito ab hujus contagione erroris, et invidia sanctissimum virum eripere pro se quisque operam adhibuit. Ita quippe de Ecclesia, et Christiano nomine ille meritus est, ut eum ab tali suspicione purum et immunem reddi, catholici ac veri dogmatis intersit. Quanquam enim uno in capite, quamlibet nobili et illustri, summa fidei, qua Christiani et Catholici sumus, non vertitur; nec, si paululum in ea re, de qua agitur, ab illius regula discedat Hieronymus, præponderare hujus, quantacumque sit, auctoritas debet : non est tamen facile deserendus; neque tolerandum nobis est, ut ob incerta, et ambigua illius dicta, certa nomini ejus invidia confletur. Ut enim prudenter admonet Philippus abbas Bonæ spei [1], « Etsi ibi aliquid invenitur, quod per se consideratum debet forsitan accusari; potest, nisi fallor, consideratis præcedentibus vel consequentibus, excusari; et ad condemnandum quemvis librum, non est prætendenda duarum, vel unius scrupulositas dictionis, sed consideranda totius series lectionis. Nusquam enim simul omnia possunt dici, et sunt nonnulla, quibus singularibus potest merito contradici; sed cum omnia pariter attenduntur, quæ videbantur respuenda, plerumque præsidio circumjacentium muniuntur. » Quo in genere Michaelis Medinæ merito notandam dixi [2] esse temeritatem, qui non hunc solum, sed etiam Ambrosium, Augustinmm, Chrysostomum, Theodoretum, aliosque veteres in eamdem causam, ac damnationem includit cum Aerio, Waldensibus, ac Joanne demum Wiclefo; quibus adjungendus est Lutherus, Calvinus, eorumque posteri, et qui horum confidentissimus habendus est Salmasius. Nam nemo est istorum omnium, qui cum episcopalem ordinem nihilo majorem esse presbyteratu sentiat, ut ex institutione Christi, et apostolica traditione unus idemque sit; tum hujus auctorem testemque sententiæ non subinde appellet Hieronymum.

II. Sed si accurate mentem ipsius, et menti consentanea verba spectemus, quod deinceps facere decrevi; minime dubitabimus, quin illorum de tanto viro vana sit, et falsa gloriatio. Non enim existimavit unquam, aut vero scripsit, unum et eumdem in Ecclesia institutum ordinem, aut ab apostolis traditum fuisse, qui postea divisus, et in duos distractus sit, episcopatum, et presbyteratum; verum duos, ut sunt, et erant illius tempore, sic a Christo constitutos esse. Quatenus autem in unum conflasse, et pro eodem habuisse visus est, ejus nobis exponenda ratio est.

Duo in episcopali nomine ac dignitate discernenda sunt. Alterum ordo ipse, sive character, quo ad certa effecta potestatem accipiunt, præsertim ad ordinandos episcopos alios, et presbyteros. Ita enim Epiphanius discrimen hoc episcopatus presbyteratusque definit in Hæresi Aerianorum; quod « (1) prior ordo gignendorum patrum Ecclesiæ vim et potentiam habeat; posterior non patres, sed filios Ecclesiæ generet. » Patres autem intelligit presbyteros, et episcopos etiam, qui ab episcopis ordinantur; filios vero Christianos, qui per baptismum generantur a presbyteris. Alterum est regendi mystici, ut vocant, corporis Christi potestas, et jurisdictio, hoc est

(1) EPIPH. hær. 75. Ἡ μὲν γάρ ἐστι Πατέρων γεννητικὴ τάξις· Πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ἡ δὲ Πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διὰ τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ Ἐκκλησίᾳ.

[1] Phil. Ep. 5. p. 25.

[2] Lib. 1. Dissert. Eccles. c. 3.

Ecclesiæ gubernandæ, tam in iis, quæ ad disciplinam, legesque pertinent, quibus sacra respublica continetur, quam ejus ærario curando, ac bonis et fortunis administrandis. Harum partium duarum, quibus episcopalis ordo constat, posterior, etsi est inferior, appellationi dedit originem. Nam ἐπίσκοπος proprie est curator rei cujuspiam, non sine potestate, ac functione aliqua circa rem illam. Quæ si est ratione prædita, tum ad *inspectionem* auctoritas accedit, et jurisdictio.

III. Quare apud Hesychium ἐπίσκοπος dicitur, βασιλεὺς, et φύλαξ, tum *rex*, tum *custos*. Aristophanes quoque in Avibus ἐπίσκοπον pro magistratu quodam accipit, qui cum potestate mittebatur in provincias ad rerum statum inspiciendum, et ordinandum. Ibi enim inter dramatis personas unus est ὁ ἐπίσκοπος, ad novam inspiciendam civitatem sortito destinatus, qui sic loquitur :

> Ἐπι. Ἐπίσκοπος ἥκω δεῦρο, τῷ κυάμῳ λαχὼν
> Εἰς τὰς νεφελοκοκκυγίας.

[1] Epi. Episcopus ego huc venio, sortitu fabæ
Ad Nephelococcygias.

Quem locum enarrans Scholiastes observat, « (1) Eos, qui ab Atheniensibus ad civitates mittebantur imperio suo subjectas, ut rerum ibi statum inspicerent, episcopos, et custodes esse dictos ; quos Lacedæmonii harmostas vocabant. » Quæ ex Harpocratione transcripsit, ut et Suidas.

Jam illud notissimum est, Ἁρμοστὰς curationem habuisse cum amplissima potestate, qualem apud Romanos proconsules, aut prætores habuere, qui stante Republica in provincias mittebantur ; vel ut præsides, ceterique provinciales magistratus sub imperatoribus. Harpocratio *harmostas* exponit « (2) magistratus, qui a Lacedæmoniis ad urbes sibi subjectas mittebantur. » Hesychius *harmostam* interpretatur « (3) curatorem missum ad civitatem subjectam. » Quin etiam Julius Pollux (4) inter vocabula, quibus agonum præfecti nominantur, ἐπίσκοπον numerat. Ex quibus ὁ θηρολέκτης, et vocabulorum ac syllabarum legulus, Catharus Trapezita refellitur [2], qui episcopos ex vi nominis, et proprietate, contendit non habuisse potestatem, aut dignitatem, sed solam curationem, et administrationem. Quem quidem in Dissertationum primo libro confutavimus [3], et rursus cum eo agemus postea.

Igitur qui Ecclesiæ præerant, ac tam ipsam, quam res ejus administrabant, ἐπίσκοποι initio vocati sunt : non qualescumque clerici, ac ministri ; qui curationem, et præfecturam aliquam utique gerebant, sed sine jurisdictione ac potestate, quam in homines exercerent. Nec minus etiam πρεσβύτεροι vocati sunt, non tam ab ætate (etsi primaria inde nominis impositio ducitur) quam ab veneratione, ac dignitate.

IV. Hieronymus qui episcopum et presbyterum eumdem esse scripsit, solam externam in episcopo curationem, potestatemque spectavit, hoc est administrandæ, ac gubernandæ Ecclesiæ functionem, non ordinem, et characterem ; quo quidem differre hunc a presbytero, eoque longe præstantiorem esse non dubitavit. Quemadmodum episcopus, postquam sponte sede sua cessit, et in ordinem redactus est, jurisdictione caret, hoc est externa gestione, ac potestate pascendi gregis et regendi, et, si erret, ad officium suum pœnarum severitate revocandi. Non enim leges populo privatim præscribere potest, neque *censuris*, quas vocant, in delinquentes animadvertere ; neque tamen propterea episcopus esse desinit : quo nomine presbyteris omnibus antecellit, etiam iis, qui externam habent jurisdictionem, ac potestatem, cujusmodi sunt parœci, quos *curatos* nominant.

Legebat apud Apostolum sanctus Doctor, episcopos et presbyteros promiscue nuncupari ; tum ab iisdem numero pluribus in commune [4] *regi Ecclesiam Dei*. Utroque porro nomine designari ab illo pastores, et præsides Ecclesiæ. Quare id, quod erat consequens, ex eo conclusit, eosdem olim presbyteros, et episcopos fuisse, quod ad officium et gubernandi potestatem attinet, non autem ordine ac charactere, et interiori potestate, quam in episcopo diversam, ac multo sublimiorem agnovit. Non enim, ut Salmasius putat, presbyteros, quos cum episcopis confert, episcopali ordinatione præditos fuisse voluit ; imo

(1) SCHOL. Οἱ παρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι, ἐπίσκοποι, καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο. Οὓς οἱ Λάκωνες ἁρμοστὰς ἔλεγον.

(2) HARPOCR. Ἁρμοσταὶ, οἱ ὑπὸ Λακεδαιμονίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἄρχοντες ἐκπεμπόμενοι.

(3) HESYCH. Ἁρμοστὴς ὁ πεμπόμενος ἐπιμελητὴς εἰς ὑπήκοον πόλιν.

(4) POLLUX lib. 3. cap. 3. Ἀγωνοθέται, ἀθλοθέται, ἀγώνων διαθέται, ἄθλων ἐπιμεληταὶ, ἔφοροι, ἐπόπται, προστάται, ἐπίσκοποι.

[1] Aristoph. in Avib. — [2] Lib. defen. Trap. p. 412.

[3] Cap. 4. — [4] Act. 20.

hanc nominatim excipit in epistola 85. Restat igitur, ut solam in utrisque jurisdictionem, et externam administrationem respexerit.

V. Possunt hæc, quæ dixi, ex Hieronymi verbis ipsis sine ulla ambiguitate monstrari. Imprimis presbyteros ab eo non episcopali charactere insignitos intelligi, sed sacerdotes simplices, jam antea probavimus; et aliter sentientis Salmasii inscitiam convicimus. Hos enim presbyteros commemorat Hieronymus, quos diaconis ætate sua nonnulli posteriores habebant, hoc est qui tum erant in Ecclesia, cum ista scribebat; non antiquos illos, qui nusquam erant, ut cum iis de gradu, ac dignitate diaconi contenderent. Deinde veros, proprieque vocatos episcopos, etiam temporibus apostolicis, non fuisse plures existimat in una Ecclesia, cum plures fuisse fateatur presbyteros. Nam cum ad probandum, eumdem apud Paulum esse presbyterum et episcopum, attulisset Actorum locum ex 20. capite, ubi presbyteri nominantur episcopi, statim ei, quod opponi poterat, occurrit: « Ac ne quis, *inquit*, contentiose in Ecclesia plures episcopos fuisse contendat; audi et aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eumdem esse episcopum, et presbyterum. » Dicat, obsecro, Salmasius, si Hieronymo visum erat presbyteros in eodem cum episcopis ordine ac gradu tum fuisse, et episcopalem characterem habuisse; quandoquidem in una Ecclesia presbyteri erant plures quod ex Actorum loco illo didicerat; cur episcopos esse plures negaverit. Nonne sole ipso clarius lucet, presbyteros partim diversos, partim eosdem cum episcopis ab Hieronymo censeri, atque ordine quidem, et charactere distingui; gubernandi vero et administrandi munere his illos exæquari?

VI. In commentario ad caput primum epistolæ ad Titum, « Episcopum et presbyterum unum esse *ait*, et aliud ætatis, aliud nomen officii. » Episcopatum ergo officii nomen esse vult, hoc est curationis, et gubernationis. Ac principio quidem sub apostolis Ecclesiam in commune administrasse putat episcopos, et presbyteros, hoc est utriusque ordinis sacerdotes, primi ac secundi, qui communi vocabulo a cura, inspectione, et administratione Ecclesiæ nuncupati sunt episcopi simul et presbyteri; adeo ut ordinatione, gradu, et sacerdotii genere distarent. Cujus discriminis caput in eo constituit, quod in eadem epistola nominatim excipit; nempe in *ordinandi potestate*, hoc est conferendi sacramentum Ordinis per impositionem manuum. « Quid enim facit, *inquit*, excepta ordinatione, episcopus, quod non faciat presbyter? » Ergo in eo solo unum est cum episcopo presbyter, quod cum illo facere potest; in eo vero diversus est, quod solus potest episcopus facere, presbyter non potest. Hoc itaque seposito, reliquæ partes episcopatus cum presbytero communicatæ sunt, ut putavit Hieronymus. Quanquam illud videri potest κατ' αὔξησιν, ut multa alia, dixisse, cum pleraque alia functionis episcopalis nunquam a presbyteris usurpata legantur. Sed quod præcipuum est illius ordinis, Ecclesiæ gubernatio, legum decretorumque sanctio, Sacramentorum administratio, quæ in usu erant quotidiano; et ordinatione, ut jam docuimus, excepta; scelerum coercitio, et ob ea pœnarum inflictio, ut excommunicationis, et rejectionis ab Ecclesiæ aditu, et similium: hæc, inquam, et alia complura, quibus disciplina Christianæ communitatis, ac reipublicæ continetur, presbyterorum collegium curasse, ac totius Ecclesiæ rectionem habuisse, Hieronymus arbitratus est; ita ut nemo tum unus suopte nomine, et auctoritate illa præstaret, sed in commune omnia, deque totius collegii sententia fierent. Postea vero, cum in partes, et contraria studia divisus esset populus; uti dicerent[1], *Ego sum Pauli*, *ego Apollo*, *ego autem Cephæ*, «[2] paulatim, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. »

Hæc cum diserte scribat Hieronymus, non obscure significat, presbyteros, hoc est secundi ordinis sacerdotes, eatenus se episcopos fuisse dicere, quod τὴν ἐπισκοπήν, id est Ecclesiarum curam, et administrationem penes se haberent. De ordinandi potestate, ac præcipua, et οὐσιώδει episcopatus proprietate, conditioneque nihil dixit Hieronymus: imo expresse hanc excepit, ac presbyteris ademit; non aliis, quam quos episcopis pares, et eosdem visus est facere.

VII. Nos in eo dissentiebamus ab Hieronymo, quod presbyteros, eosdemque episcopos a Paulo nominatos, primi ordinis fuisse suspicabamur, non secundi, simplicive sacerdotio præditos. Utcumque vero res habet, perspicuum est, longo intervallo distare sanctum virum ab Aeriana, Waldensi, Wiclefiana, Lutherana, Calviniana, et Salmasiana pestilentia; neque, ut illi faciunt, inter presbyteratum, et episcopatum discrimen omne sustu-

[1] 1. Cor. 1.

[2] Hier. in c. 1. ad Tit. et Ep 185.

lisse. Proindeque temere hanc labem adspersisse nomini illius, ut et aliorum veterum Patrum, Michaelem Medinam, qui eamdem istorum, atque hæreticorum illorum causam esse falso credidit. Nec illud animadvertit, quanti ad eam diluendam suspicionem momenti sit, quod ordinandi potestatem solis episcopis vindicat Hieronymus, nec aliud in episcopatu proponit sibi, præter externam administrationem, et usum jurisdictionis. Quam penes unum residere, et ab eo duntaxat exerceri, non putavit juris esse divini, sed ecclesiasticæ consuetudinis. Ex quo ita conclusit [1] : « Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere; imitantes Moysem, qui, cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret. » Ex his verbis, et exemplo Mosis, quo utitur, evidens est, agi hic de episcopali tantummodo jurisdictione, ac judiciaria potestate, id est externa ordinis functione. Cujus cum minoris gradus sacerdotibus communicatio, amplissimi sacerdotii dignitati, ac majestati nihil detraxit. Quemadmodum, etsi Moses in consortium jurisdictionis, ac judiciariæ functionis septuaginta illos ascivit, auctoritatem tamen retinuit, ac potestatem tum in populum universum, tum in illos etiam, quos in collegium propemodum summæ illius potestatis assumpserat.

Quapropter etsi primis illis temporibus apostolorum unum in singulis Ecclesiis præsidem, ac principem fuisse demus, episcopum, ac presbyterorum συλλειτουργῶν caput; nihil huic obesset, quod Hieronymus asseverat, parem, et eamdem in omnibus fuisse potestatem cum appellatione communi, non divisis ac seorsim sumptis, sed ut cœtum, ac collegium, id est presbyterium conjuncti facerent.

VIII. Mihi vero propius modo hanc in rem intuenti non improbabilis videtur illa Hieronymi sententia; et ad eam quæstionem, quæ ex Apostolo mota est, explicandam satis idonea. Ut cum illud in controversiam adducatur, idemne sit ex apostolico instituto episcopus, et presbyter; cumque dubitandi causa ex eo justa sit, quod apostolus maxime Paulus eosdem, quos presbyteros nominat, subinde vocet episcopos; ac pastores, Ecclesiæque præsides, et præpositos esse significet : duo sint probabiles respondendi modi, quibus catholico dogmati, quod distinctos a se invicem ordines illos statuit, nihil repugnare apostolica illa dicta monstremus. Primus est ille, quem in Dissertationibus ecclesiasticis exposuimus : presbyteros olim eosdem et episcopos, hoc est primi ordinis sacerdotes esse factos, ac plures iis in Ecclesiis positos, de quibus illis in Apostoli locis mentio fit. Quod neque diuturnum fuerit, nec ubique fortassis institutum. De quo vide quæ in illo libro disseruimus [2].

Posterior modus est, quem ex Hieronymi dictis, ac prudenti conjectura hoc in capite confecimus : presbyteros, quos Apostolus commemorat, non primi ordinis, sed secundi duntaxat sacerdotes fuisse; verum in gubernanda, et administranda Ecclesia episcopales implesse partes, et illam communi consilio, et auctoritate rexisse, eosdemque simul et presbyteros, et episcopos appellatos esse. Quod perinde, ut in priore sententia dixi, sub initium duntaxat Christianismi usurpatum esse verisimile est; cum paulo post, ipsisque adeo superstitibus apostolis, id factum sit, quod Hieronymus indicat, ut ad vitandum schisma omnis in unum transferretur auctoritas, et gubernandi potestas.

IX. Neque vero mirum illud, aut incredibile videri debet, primò cujusque fundatæ Ecclesiæ tempore nondum quempiam unum præsidem, ac proprie dictum episcopum ibi constitutum fuisse; sed presbyteros simplices, id est secundi ordinis sacerdotes tantisper impositos, qui Sacramenta ministrarent. Nam Samariæ, cum primum Christiana fides, et Ecclesia coaluit, Philippi unius e discipulis opera, nullus adhuc episcopus erat, cum [3] *Apostoli, qui erant, miserunt ad eos Petrum et Joannem*, qui episcopale ibi munus implerent, hoc est sacramento Confirmationis baptizatos initiarent.

Ad hunc modum credibile est, Corinthi, Ephesi, et in aliis quibusdam civitatibus, et Ecclesiis recens ab apostolo Paulo, vel aliorum opera conditis, nullos interim veros institutos episcopos, sed presbyteros tantum, ac diaconos : atque ad ea munera, quæ primi ordinis antistitem postulabant, identidem apostolos accurrisse; vel ab illis ordinatos episcopos, perque varia loca dimissos; donec in una aliqua sede tum ipsi domicilium figerent, tum alii per civitates episcopi crearentur. Quæ, ut

[1] Hier. in cap. 1. ad Tit

[2] Lib. 1. Dissert. Eccles. cap 2. — [3] Act. 8 14.

dixi, minime diuturna, saltem plerisque in locis extiterunt. In hanc opinionem, præter Hieronymum Chrysostomus etiam, Theodoretus, ac græci plerique concurrunt interpretes; nec habet quidquam, quod merito displiceat antiquitatis ecclesiasticæ peritis, aut alienorum ab catholica communione judicia reformidet.

Etenim quæcumque de episcopis, iisdemque presbyteris nominatis, Apostolus dixit, ea possunt probabili interpretatione de simplicibus accipi sacerdotibus, qui pro veris episcopis interim populos, atque Ecclesias administrabant, et ea munera præstabant, quæ habet hic ordo cum illis communia; ut sunt hodieque quos *parochos*, et a cura *curatos* vulgo nominant. Nam et isti pro suo modulo populos pascunt, gregique Dominico præsunt, et pro illorum animis rationem reddunt; et citra ordinationem, impositionemque manuum, quam *sacramentalem* vocant, aut si qua sunt alia, quæ sunt rarioris usus, et in episcopi adventum differri commode queunt, vicem episcopi supplere possunt.

X. Hujus gubernationis formulam in Alexandrina Ecclesia observare licet, in qua præ ceteris parœciarum ex antiquo usus obtinuit, ut scribit Epiphanius in Arianorum hæresi. Nam Ecclesias in illa urbe complures presbyteris commissas esse refert, qui synaxes ibi celebrantes populum suum instituebant. Quinetiam per agros Ecclesiæ nonnunquam ab simplicibus presbyteris regebantur: de quo postea, cum de chorepiscopis agemus. Tales itaque pastores jure censentur; et *episcopi* nominati, possunt ab Apostolo videri, quasi *gregis inspectores*. Sane Leo primus simplicibus presbyteris curam minorum Ecclesiarum committi jubet [1]. « Illud, *inquit*, sane, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus, canonum statuta servari: ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, et ubi ante non fuerunt, episcopi consecrentur, cum ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, presbyterorum cura sufficiat; episcopalia autem gubernacula nonnisi majoribus populis, et frequentioribus civitatibus oporteat præsidere. » Multa de hoc argumento diligenter collecta videri possunt apud Joannem Filesacum theologum Parisiensem in libro de Parœciarum origine [2]. Quibus adjungi potest illud, quod de Alexandrinæ Ecclesiæ patriarchatu memoriæ prodit Eutychius nuper a Seldeno editus. Is auctor asserit, ab Hanania primo illius urbis episcopo, et vero patriarcha, quem Marcus ordinavit, nullos deinceps in Ægypti provinciis episcopos fuisse usque ad Demetrium, qui Origenis tempore Alexandriæ præfuit. Quo intervallo solus Alexandriæ episcopus toti Ægypto præsidebat, rectores sub se habens singularum Ecclesiarum presbyteros. Primum autem Demetrium ait tres episcopos creasse; post hunc autem, Heraclam ordinasse viginti.

XI. Hoc si verum est, apparet quemadmodum apostolorum ætate potuerint Ecclesiis, recens præsertim constitutis, præponi presbyteri simplices, non episcopi; eoque modo probabiliter explicari posse loca illa Scripturæ, in quibus presbyteri, iidemque episcopi dicti, Ecclesiarum pastores et administri memorantur; ut nonnisi secundi ordinis fuerint sacerdotes, qui plures in eadem Ecclesia collocarentur, et presbyterium facerent.

Ceterum brevi, ut dixi, post tempore, rerum ecclesiasticarum cura, et gubernatio a pluribus ad unum translata est, cui et episcopi nomen attributum κατ' ἐξοχήν, ut vel ipse confitetur Salmasius [3], quando et ordine ab illo proximi presbyteri nominati sunt, et episcopi desiere dici; cum tamen primi ordinis sacerdotes interdum etiam presbyteri vocati sint, ut ex Irenæo supra demonstravimus. Extant veteres bene multi canones, quibus administrationis Ecclesiæ summa ad episcopum revocatur, tanquam supremum moderatorem; cujus injussu nihil a presbyteris, inferioribusque clericis fieri liceat. « (1) Presbyteri et diaconi (ait Canon inter apostolicos 39.) præter episcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus ipsi commissus est; et pro animabus eorum hic redditurus est rationem. » Cujus canonis titulum ita Dionysius exiguus concipit: « Ut tantum curam rerum ecclesiasticarum episcopus habeat. » Et canone 41. « (2) Præcipimus, ut in potestate sua episcopus Ecclesiæ res habeat. » Sunt et alii complures eadem de re canones editi, quibus Ecclesiarum

(1) Can. 39. apost. Οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ Κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος.

(2) Ibid. can. 41. Προστάσσομεν τὸν ἐπισκόπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων.

[1] Leo Ep. 87. c. 2.

[2] Cap. 4. p. 60. et seq. — [3] P. 274.

in solidum cura unicis committitur episcopis, ac nominatim bonorum, et ærarii totius ecclesiastici. Vide quæ in Dissertationibus ecclesiasticis de hoc argumento disputavimus [1].

XII. Quod autem Hieronymus scribit [2], episcopos eo more constitutos Alexandriæ, ut presbyteri de suo corpore quempiam eligerent, et in excelsiore gradu collocarent; tum quod omnino « unum *ait* electum esse, qui ceteris præponeretur in schismatis remedium : » ex eo constat, majorem illius opinione episcopum esse presbytero; neque præfracte ac rigide verba ejus accipienda, cum scribit : « Male diaconos presbyteris, id est episcopis anteferri, » tanquam idem inter se prorsus ambo sint. Etenim, quod in eadem epistola sub finem asserit, « Qui provehitur, de minori ad majus provehitur. » Quare si e presbytero ordinatus est episcopus, æquales inter se non fuerunt; sed hic illo sine controversia major. Restat igitur, ut presbyteros eosdem episcopos nominet, etiam ætatis suæ, propter antiquam prærogativam, ac functionem, quam apostolorum tempore, et sub Ecclesiæ primordium habuerunt, ut Ecclesiam pari, atque episcopi deinceps fecerunt, potestate regerent. Quasi presbyteratus ex natura sua, et Ecclesiæ detracta consuetudine, juris illius, et officii capax sit. Hunc enim ordinem tum ratione solius externæ, ut jam diximus, administrationis ac regiminis, spectavit Hieronymus; tum ejus, quod illi per se convenire potest. Ita quidem ille; cui hac ex parte non consentio, quod vel regendæ Ecclesiæ potestatem, externamque gubernationem *sola consuetudine, non dispositionis Dominicæ veritate* episcopis tribuit. Hos enim divino jure præpositos Ecclesiæ arbitror, saltem in commune, ac generatim. De quo scio quæstionem agitari inter theologos, quæ est alterius loci. Sed qualiscumque de eo sententia sit Hieronymi, nihil ex eo detrimenti catholica pars accipit : neque Puritanorum inde fit causa potior; quia certo liquet, non ea ratione conferri cum presbyteris episcopos, qua præcipue sunt episcopi, id est primi ordinis antistites; sed ea duntaxat, quæ inferior esse, nec tam proprie ad illius gradus essentiam pertinere visa est Hieronymo.

Ad hanc verissimam, et firmissimam interpretationem nostram, Cathari impetus omnes, et assultus fracti, illisique concidunt. Meminerit hoc unum lector, quatenus inter utrumque ordinem comparationem illam instituat Hieronymus, et qua parte illos invicem exæquatos aliquando fuisse dicat; ac quid vicissim habere in æqualitate illa dissimile. Non enim sic eumdem esse cum episcopo presbyterum docuit ille, ut non interim, quam lato invicem intervallo distarent, isto ipso loco significarit.

XIII. Etenim episcopalis dignitatis patrocinium sumit; et mihi, quod eam imminuerim, irascitur Salmasius. Hoc illud nimirum est, quod in energumenis sæpe accidit, ut insessores illorum, divinæ majestatis et gloriæ, ac catholicæ testes fidei prædicatoresque repente fiant. Ecquod igitur meum est in episcopos acerbe dictum? Hoc ipsum quod Hieronymus duobus illis in locis diserte expresseque scripsit, quod nec de episcopis ipsis necesse est intelligi, et ut ad eos referatur, nihil habet injuriæ, aut offensionis. Dixi [3], primis apostolorum temporibus « plures in eadem Ecclesia, velut Ephesina, episcopos fuisse. Hoc tum simplices (addidi mox) recens ortæ mores Ecclesiæ ferebant, nondum ambitione, et honorum cupiditate, malisque ceteris artibus, depravatis Christianorum animis. Posteaquam vero pristina illa charitas, et imitandi Christi, amplectendæque modestiæ et humilitatis refrixit ardor, tum, quod Hieronymus scribit, ad tollendas simultates, et in schismatis remedium, unum aliquem e turba presbyterorum eligi placuit, qui præesset reliquis. » Ad hæc verba, quasi circulator quidam in triviis, conclamans, et omnes ad se convocans Salmasius [4], « Concurrite, *inquit*, omnes præsules, episcopi. Salmasius ipse de ὁμοτιμίᾳ episcoporum, et presbyterorum disserens, deque recentioris Ecclesiæ instituto, unum episcopum multis presbyteris imponentis, non meliora, nec veriora scripsit, nec tam injuriosa ordini episcoporum, ut nunc sunt. » Ergone quibus te *nec meliora, nec veriora scripsisse* dicis, quæ proinde *optimis* , *et verissimis* meliora, et veriora esse debent; quia te nonnisi *optima et verissima* scribere, quæ tua de te est opinio, judicas : illa, inquam, eadem *injuriosa ordini episcoporum* esse palam asseveras? Obsecro te, quod tandem tuum judicium, aut quis in te communis est sensus? Hic ubi gratificari te episcoporum ordini velle significas, ac me, quod *injuriosa* quædam in eos dixerim, reum apud illos facis; postquam eos ad audiendum vocasti, tum et injuriosa te in illos scripsisse

[1] Lib. 1 cap. 6 — [2] Epist. 85.

[3] Disser. lib. 1. c. 2. p. 25. — [4] Salm. 165.

profiteris, et ea ipsa, quæ dixi, optima esse testaris, ac verissima. Atqui nec *injuriosa* sunt illa, quæ scripsi, nec tuorum similia; et quid dixeris, ac scripseris, ne tu ipse quidem certo scis, aut potes dicere Nam et omnia dicis, et nihil dicis; quia contraria, pugnantia, et ἀσύστατα dicis: nec ex istis nugis, ac sordibus liquidi aliquid, ac defæcati potest exprimi.

XIV. Sed ut per singula tuam illam κεφυζαν abstergam, age quid aliud scriptum istic est a me, præterquam ab Hieronymo proditum est in epistola 85. et in commentariis ad eam, quæ est ad Titum? Nonne, cum presbyteri in commune omnes Ecclesiam regerent, « postea unum electum esse » scribit in epistola, « qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet? » In commentario vero, « Antequam diaboli instinctu, *ait*, studia in religione fierent, et diceretur in populis[1]. *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*; communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. » Ac paulo post, « Apud veteres eosdem fuisse » dicit « presbyteros, quos et episcopos. Paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. » Numquid his consentanea sunt nostra illa, quæ tu allatras?

Hoc enim, quod stulte criminaris in me[2], istud est, quod « ab ambitione, honorum cupiditate, ceterisque malis artibus, quibus depravati sunt Christianorum animi, originem traxisse » dixi « discrimen episcopos inter et presbyteros. » Tum ita colligis: « Inde ergo cœpit vestræ auctoritatis, et potestatis supra reliquos presbyteros origo ab immodestia, a superbia, charitatis frigore, et ab omnibus vitiis, humilitatis, modestiæ, simplicitatis Christianæ contrariis. Si hæ causæ fecerunt, ut unus e multis electus ceteris præponeretur, qui episcopus dictus est; quam longe ab dispositione divina abest hæc institutio! »

XV. Tua hæc jejuna, et enecta, ac velut ex puerili declamatiuncula excerpta querimonia, captum te oculis istis arguit, quibus quod congruens, ac decorum est videtur. Quam enim multa ibi pecces, si tamen capere hoc potes, accipe. Primum quidquid illud est, quod accusas, non meum est, sed Hieronymi. Scribit hic in commentario in epistolam ad Titum, « eumdem hactenus fuisse presbyterum, et episcopum, antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, etc. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; tum in toto orbe decretum esse, ut unus de presbyteris electus superponeretur. » Diaboli ait instinctu in Ecclesiam irrepsisse mala tanta, quorum ad remedium introducta est illa consuetudo, ut ad unum potestas redigeretur, quæ in multos dispertita fuerat. Dic, sodes, an non *instinctu illo diaboli, partium studiis istis charitas, et imitandi Christi, amplectendæque modestiæ, et humilitatis refrixit amor*: quas ad pestes curandas institutum unius esse magisterium affirmat Hieronymus? Certe *schismata*, quod sciam, et factiones, ac studia partium, cum charitate, modestia, et humilitate non bene conveniunt[3]. *Manifesta sunt enim opera carnis, quæ sunt*, inter cetera, *inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ*. His *fructus Spiritus* opponitur ex adverso, *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia*. Propter superiora mala, quæ Christianorum animos pervaserant, decretum illud esse factum refert Hieronymus. Ais, an negas? Si negas, tum te mendacii, aut stuporis illius verba ipsa convincent. Dum enim, antequam *diaboli instinctu* illa studia partium, id est schismata fierent, penes multos presbyteros regimen Ecclesiæ fuisse dicit: jam illa facta schismata esse demonstrat, quando decretum de uno præside constituendo est editum. Sin fateris, profecto in eadem mecum causa est Hieronymus; nec habes, cur mihi potissimum succenseas.

XVI. Quibus porro tu oculis locum illum Hieronymi legisti, cum eum dixeris[4] « ab Ecclesiæ consuetudine, et humani juris regula hunc primatum, et hanc prærogativam episcoporum ortum duxisse » scribere: idque mihi dicere satis esse debuisse, quasi hanc ille causam unicam attulerit, non etiam alteram, quam dixi, cur unus sit Ecclesiæ præpositus ubique terrarum? Qua te rapiditate, et incuria prætervolasse totam illam Hieronymi sententiam oportet, qui hoc non adverteris, dici ab eo, « Postquam unusquisque suos putabat

[1] 1 Cor. 1. — [2] Salm. p.

[3] Gal. 5, 19. — [4] Salm. p. 58.

esse, non Christi, quos baptizaverat, tum in toto orbe decretum esse, ut unus de presbyteris electus superponeretur, » hoc est fieret episcopus? An tu illos existimas, qui suos esse, non Christi, putabant quos baptizaverant, ab ambitione et honorum cupiditate vacuos animos habuisse; vel in eis non refrixisse modestiæ, et humilitatis amorem? Ecquid autem injuriæ, aut dedecoris ex eo conflari episcopis censes ab Hieronymo, quod ideo singulares per Ecclesiam quamque præsides constitutos asserit, ut illis contentionibus, ac dissidiis modus adhiberetur? Sane, ut tua ratio est, et argumentandi forma, sic in animo videris habuisse; quidquid ejusmodi est, ut ejus instituendi causa, malo ex aliquo atque vitio, morumque corruptela manaverit, id ejusdemmodi esse, hoc est malum, atque vitiosum. Nam nisi ita persuasum habuisses, nunquam id vitio verteres, quod ex disciplinæ corruptione decretum illud extitisse de uno præficiendo narratum est ab Hieronymo; nec tam insulse paratragœdiares, cum hac δεινώσει, « A malis vero artibus, et corruptione animorum, et totius Ecclesiæ depravatione, vitiorumque in locum virtutum Christianarum subrogatione, initium ejus et institutum arcessere; hoc vero non ferendum episcopis, si majestatis suæ comiter ab omnibus conservandæ curam agere velint. » Ignoras scilicet, quanta bona quantis ex malis initium habuerunt; et illud docendus es, quod quotidie pueri in scholis audiebamus, ex malis moribus bonas leges oriri. Aut istud [1] : « Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges, quæ iis modum facerent. » Quid execrabilius peccatis hominum, ac sceleribus? At hæc rei vel optimæ causam dederunt, Christi in terras adventui, et morti propter peccatores ab eo susceptæ. *Propter scelus,* inquit [2], *populi mei percussi eum.* Et Apostolus [3], *Traditus est propter delicta nostra.*

XVII. Poteras eodem argumentandi genere, quo in me et Hieronymum usus es, Apostolum urgere, et blasphemiæ reum arcessere, quod, cur traditus sit, ac passus, et ante Deus homo factus, causam esse dixerit improbitatem hominum, eoque dicto majestati divinæ injuriam fecerit. Dixine plus semel ratiocinandi te inscitia labi sæpius, et in pudendos errores incidere? Hoc te loco idipsum scito commisisse. Nam quod nescis, cum oriri aliquid ex alio dicimus, id bifariam sumitur. Aut enim tanquam ex causa sic proprie dicta, ac per se conferente quippiam in rem effectam, ut cum equus ex equo, homo ex homine gignitur; aut ex accidente duntaxat, nec tam causa, quam occasio unum est alterius. Priore modo qualitas originis ad effectæ rei æstimationem pertinet. Itaque Christus [4], *Omnis,* inquit, *arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* Posteriore vero aliter usuvenit. Nam pessimis ex rebus sæpe existunt optimæ. Tale est, quod de episcopis scripsit Hieronymus. Non enim putavit corruptelam morum in Christianis, et ambitionem quorumdam per se proprieque singularem Ecclesiæ peperisse magistratum, sed occasionem ei præbuisse. Hæc, si cum alio mihi res esset homine saltem vulgariter docto, ne littera quidem attigissem. Nunc te illorum ignoratione video supra modum exarsisse, atque in frivolas, et ineptas conquestiones erupisse; quod necesse non fuit.

XVIII. Denique, ut ne longius insanire, ac miscere omnia pergat Catharus, iterum admonendus nobis ejus est, quod passim antea suggessimus; sed non sæpius, quam necesse est, ut est illius captus, quocum contendimus. Nostra est igitur ista ratio : Duos in Ecclesia gradus et ordines ex sese, ac natura sua distinctos instituisse Christum, et apostolis tradidisse, primum, secundumque sacerdotium : sed ita tamen, ut illorum usum, distributionemque moderarentur pro sua prudentia, et ut tempus tulisset; hoc est ut vel ambos personis itidem, ut natura sunt, separatos conferrent, vel ambos in idem caput contraherent. Itaque principio iis de causis, quas in Dissertationum primo libro attuli, presbyteros eosdem et episcopos creasse, quibus apostoli præerant, et eodem loco illis erant, quibus secundo ordini deinde primi ordinis antistites. Postea, cum in Ecclesia scindi populus in contraria studia cœpisset, et in hunc alii, in istum alii propensiores essent, quod jam, Paulo ipso vidente ac gemente, contigisse testatur ipsemet initio prioris ad Corinthios; tum vero, suaviter hoc divina gubernante providentia, unum aliquem e pluribus electum, qui toti presbyterio, et Ecclesiæ adeo præesset omni. Ad eum modum conciliari posse illa judicavimus, quæ ab Hieronymo litteris prodita nonnihil offen-

[1] Liv. lib. 4. Dec. 4. — [2] Esa. 53. 8. — [3] Rom. 4. 25. — [4] Matt. 7. 17.

sionis habere videbantur. Meminerit ergo, si potest, Salmasius quatenus ordines illos vel diversos invicem, vel in unum collectos, ac conjunctos esse defendimus ; neque vel quod intelligit calumniose dissimulet ; vel quod nondum capit, priusquam noverit, imperite damnare audeat. Simul illum alterum Hieronymi interpretandi, conciliandique modum, quem superius hoc in capite proposui, præ oculis habeat ; atque utrum volet, non quisquiliis istis grammaticarum observationum, sed robustis ac solidis argumentis refellat.

CAPUT SEXTUM.

Aerii hæretici opinio declaratur : quæ Puritanorum prælusit hæresi. Salmasius pessime illam interpretatur. Ostenditur Aerium penes simplicem presbyterum existimasse ordinandi esse potestatem : tametsi injuste usu illius interdiceretur ab episcopis. De manuum impositione. Quid differant inter se *χειροθεσία*, et *χειροτονία*. Variæ manuum impositiones. Salmasii error, qui impositionem manuum in Confirmatione putavit a presbyteris usurpatam. De alia impositione manuum presbyterali in occidentali Ecclesia instituta.

I. Nunc antecedentis doctrinæ, disputationisque fructum colligam, quem in ea præcipue mihi destinaveram, ut Hieronymi juxta, et Epiphanii qualemcumque sententiam procul abesse demonstrem ab nefandæ contagione hæresis, quam Aerius olim, postea Calvinus, ac deterrimi omnium Puritani, et horum unus Salmasius amplexi sunt. Habebit autem hujus argumenti tractatio potissimam quæstionis, et controversiæ, cui hoc opus dicavimus, explanationem, una cum admirabili veterum inter se, quod ad catholicum dogma pertinet, consensione ac concordia ; tametsi aliis in capitibus, quæ incidentia dici possunt, invicem dissidere videantur. Sed prius Aerii quæ fuerit hæresis, fundamenti loco constituendum est.

Epiphanius in Hæresi 75. late illius historiam, ac dogmata describit. E quibus, quod ad rem nostram attinet, de episcopo ac presbytero ita eum sensisse narrat : « (1) Nulla re hoc illum esse præstantiorem. » Et, « (2) Erat, *inquit*, illius dogma præter hominis captum furiosum, et immane. Imprimis enim : quanam, inquit, in re presbytero episcopus antecellit ? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor, ac dignitas. Manus imponit episcopus ; imponit etiam presbyter. Baptizat episcopus ; idem facit et presbyter. Sacrificium celebrat episcopus ; non minus hoc facit et presbyter. Episcopus in cathedra sedet ; sedet et presbyter. »

II. Tale ergo nebulonis istius dogma fuit, quod *supra hominis captum*, *furiosum et immane* vocat Epiphanius ; cujusmodi nunc et Salmasii, ac Puritanorum omnium : non esse distinctum episcopatum a presbyteratu, sed unum et eumdem esse ordinem. Unde et præcipuum, atque οὐσιῶδες discrimen utriusque tollebat, quod ex Epiphanio et Hieronymo supra commemoravimus, in eo positum, quod manus ad ordinationem imponebat episcopus, non autem presbyter. Ambos enim χειροθετεῖν, id est *manus imponere* in ordinandis presbyteris, asserebat ille. Cujus patrocinium adversus Epiphanium sumpsit Salmasius, in cap. 5. dissertationis ; ubi de Aerio longam disputationem expromit, quam merito sentinam quamdam esse dixeris, in quam omnes non solum inscitiæ, hallucinationumque suarum, sed etiam impietatis hæreticæ sordes, et in sanctos temulentæ proterviæ congessit. Ibi quæcumque contra Puritanorum archetypam hæresim, et hujus auctorem pie et catholice, adeoque verissime scripsit Epiphanius, « Nihil

(1) EPIPH. in synopsi lib. 3. tom. 1. et Anaceph. Φάσκει δὲ μηδὲν εἶναι διαφορώτερον Ἐπίσκοπον τοῦ Πρεσβυτέρου.

(2) Id. hær. 75. num. 3. pag. 907. Ἦν δὲ αὐτοῦ ὁ λόγος μανιώδης μᾶλλον ὑπὲρ ἄνθρωπίνην [illegible]. Καὶ φησι· τί ἐστιν Ἐπίσκοπος πρὸς Πρεσβύτερον; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου. Μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία, φησί, τιμὴ, καὶ ἀξίωμα. Χειροθετεῖ, φησὶν, Ἐπίσκοπος· ἀλλὰ καὶ ὁ Πρεσβύτερος. Λουτρὸν δίδωσιν ὁ Ἐπίσκοπος· ὁμοίως καὶ ὁ Πρεσβύτερος. Τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας ποιεῖ ὁ Ἐπίσκοπος· καὶ ὁ Πρεσβύτερος ὡσαύτως· καθέζεται ὁ Ἐπίσκοπος ἐπὶ τοῦ θρόνου· καθέζεται καὶ ὁ Πρεσβύτερος.

esse » dicit [1], « nisi debiles, et ineptas objectiones, quæ per se ruunt. » Item [2] : « Quæ de amentia, *inquit*, et stoliditate Aerii Epiphanius imprudenter, et inscite effutiit, etc. » Pergit deinde furere, et ex sectæ suæ sacramento, in episcopos, presbyteros, et ceteros ecclesiasticos ordines perbacchari. Quos omnes humano jure, atque arbitrio constare dicit. Sacerdotes cum sacrificio tollit e medio. Laicis consecrandi jus tribuit. Episcopis jurisdictionem adimit; germanum se inscribit Arianum, Waldensem, Wiclefistam, et quidvis denique.

> Omnia transformat sese in miracula rerum ;
> Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
> Squamosusque draco, et fulva cervice leæna.

Sed nos varium et multiforme monstrum hoc *correptum manibus, vinclisque tenebimus; et quanto magis formas se vertet in omnes, tanto magis tenacia vincla contendemus.*

III. Ut ergo singulatim illius peccata castigemus, primum hoc procedat in medium, quod Aerium negat presbyterum episcopo parem, æqualemque fecisse. Etenim in hoc incumbit Salmasius, ut hæreticum istum doceat in eadem fuisse causa cum Hieronymo ; ac perinde, ut hic fopinatus est, apostolorum duntaxat ætate dixisse unum ambos ordinem fuisse, qui humano deinde jure, et arbitratu sit factus duplex. « Non dixit Aerius, *inquit* [3], episcopum ordinare, similiter et presbyterum. Ergo etiam sensit ille haud minus, quam Hieronymus, ab episcopis solis ordinationes fieri. Non enim is, ut dixi, tam imperitus rerum, morumque sui seculi fuit, ut nescierit, suo tempore ordinationes a solis episcopis fieri solitas ; neque tam stulte nequam, ut dissimularit, aut negarit. » Quare de solo hunc apostolorum tempore pugnasse vult, quo unum tantummodo putavit ordinem fuisse, non eo, quo vivebat. Sed hoc falsissime Salmasius, et contra mentem Epiphanii, qui Aerii sic hæresim enarrat, et concipit, ut præsenti usus tempore dicat, μηδὲν εἶναι διαφορώτερον, *nulla re esse præstantiorem* episcopum presbytero. Quod expressius in libro de Hæresibus legitur qui inter opera Damasceni extat, et ex Epiphanii Breviario hæresum, quæ ἀνακεφαλαίωσις vocatur, descriptus est ab ipso, ut credibile est, Damasceno, qui illius catalogum recentioribus auxit hæresibus. Ibi ergo sic de Aerio proditum est : « (1) Affirmat, nihil discrepare presbyterum ab episcopo. » Non presbyterum, qui olim fuerat, nec jam amplius erat ; sed quem præ oculis habebat, et coram in Ecclesia versari sciebat, nihil ab episcopo differre credidit. Nec tam acerbe in eum invectus esset Epiphanius ; neque furiosam, et fanaticam supra modum humani captus illius hæresim esse diceret, si, quod Aerii patronus falso asserit, de solis antiquis, nec jam ullibi extantibus presbyteris ita sentiret ; qui autem ætate sua vivebant, eos inferiores episcopis agnosceret.

IV. Quocirca sic necesse est Aerii dogma Salmasius interpretetur : presbyterum olim sub apostolis plane eumdem, atque episcopum fuisse, nullaque re discrepantem ; nec minus ordinandi jus ac potestatem habuisse. Ideoque pristinam, et apostolicam ad formam esse redeundum ; ac discrimen inter illos omne tollendum, restituto usu potestatis illius. Hujusmodi fuisse opinionem Aerii ex Epiphanii sententia, dicat oportet Aerianus Salmasius, si ex humano sensu loquitur. Alioqui nec Epiphanii verba probabilem ullam interpretationem admittunt ; neque causa satis idonea fuit, cur illius hæresim tantopere detestaretur Epiphanius, si de prisci tantummodo seculi more loqueretur, nec innovandum aliquid in recepto ab Ecclesia et inveterato jam usu putasset. Atque hoc tandem vi veritatis, communisque rationis extortum sibi ægre, ac titubanter fatetur Salmasius [4] : « Hoc fortasse interfuit, *ait*, Aerii inter et Hieronymi sententiam, quod ille censebat, revocandum in Ecclesiam antiquum, et ab apostolis institutum morem, qui unis iisdemque episcopis, ac presbyteris, et numero pluribus, paribusque potestate Ecclesias regendas committebant; Hieronymus autem non temere recedendum ab usu post apostolorum tempora in Ecclesiam recepto putasset : cujus introducendi gravissimam, et maximam causam fuisse judicabat, schismatum nempe evitationem. » Fortasse, inquit, quod sine ulla cunctatione certum est, quodque diserte scriptum est ab Epiphanio, propositum Aerio fuisse hoc idem, quod hodie Puritanis magnis, ac minutis, et horum uni Salmasio : episcopos in ordinem redigere, ac dignitate sua, et ornamentis omnibus spoliare, quibus supra presbyteros eminent ; eo quod ex sese, ac natura

(1) DAM. de Hæres. Φάσκει δὲ οὐδὲν διαφέρειν Πρεσβύτερον Ἐπισκόπου.

[1] Salm. pag. 338 — [2] Ibid. pag. 311. — [3] Ibid. pag. 322.— [4] Ibid. pag. 329.

sua, institutoque Christi, nihil habent, quo presbyteris, sive secundi ordinis sacerdotibus antecellant. Hoc caput nefarii dogmatis : cujus gratia vapulavit ab Epiphanio, et ab Ecclesiæ catholicæ communione proscriptus est, et inter hæreticos habitus Aerius.

V. Verum in episcopali ordinatione duo distinguenda sunt : alterum, jus, et potestas conferendi sacramenti, et ordinandi : alterum, juris illius ac potestatis usus et functio. Utrumque primis Ecclesiæ temporibus penes presbyteros perinde, atque episcopos fuisse censebat Aerius. Postea vero, per episcoporum tyrannidem usu detracto, solam in presbyteris mansisse potestatem. Quippe nonnisi unum, et eumdem gradum, ordinemque esse ambos illos, episcopum, et presbyterum; nec sine hujus injuria, et grandi scelere, ac contra institutum Christi, et apostolorum, episcopos ordinationem sibi usurpare solis, ac negare presbyteros potestatem illius habere. Sic illa hæretici verba, quæ refert Epiphanius [1], accipienda sunt : quibus nihil differre ait ab episcopo presbyterum, et unum esse ordinem; ac proinde, « si episcopus manus imponit, etiam imponere presbyterum. » Nam χειροθετεῖ ὁ Πρεσβύτερος id valet, *Jus habet imponendarum manuum.* Actio, inquam, ipsa χειροθεσίας pro *potestate,* et δυνάμει sumitur. Ita paulo post χειροθεσίαν vocat Epiphanius jus et potestatem exercendæ manuum impositionis, cum ait, presbyterum non habere χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν, hoc est *potestatem impositionis manuum ordinatricis.* Hoc modo jurisconsulti solent dicere, *habere actionem,* vel *dare actionem* pro eo, quod est *habere,* vel *dare jus agendi, et prosequendæ litis in judicio.* Respiciebat autem Aerius ad illum Apostoli locum [2], in quo Timotheum admonet, *non negligere gratiam, quæ data est ipsi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Ex quo argumentum ducebat, χειροθετεῖν, hoc est *ordinare* posse nihilo secius, atque episcopum.

VI. Neque vero dicebat hoc, quod falso illi Salmasius affingit, fuisse temporibus apostolorum unum eumdemque ordinem episcopi, ac presbyteri; postea vero duos ex uno esse factos : nec ad probandam opinionem suam, dotem illam, et conditionem presbyteratus asserebat, quæ esse in eo desiisset, ac nonnisi priscis temporibus extitisset. Sed eo potius nitebatur, quod in illo adhuc inerat commune cum episcopo; cujusmodi est ordinandi potestas, quæ illi detrahi non posset, quamvis usus esset ademptus. In quo illi ab Epiphanio, Hieronymo, Chrysostomo, et catholica omni Ecclesia reclamatum est; quæ non modo licere hoc, sed ne effectum quidem habere omnino posse judicavit, agente inferioris ordinis sacerdote : quod adversus Catharum postea demonstrabitur. Qui interim eo velut manu deducendus est, ut intelligat, Aerium, cum episcopo parem esse diceret presbyterum, non ad hujus pristina ornamenta respexisse, quæ jam usu obsoleverant; nec æqualem tantummodo fuisse quondam, sed etiamnum suo esse tempore voluisse; ac denique eadem penes ambos jura, paremque esse potestatem existimasse, etsi usu esset interdictus presbyter. Quod homini non prorsus hebeti, et quæ legit utcumque capienti facile persuadebitur. « (1) Nihil, aiebat Aerius, differt ab episcopo presbyter. Nulla in re diversus est. » Hæc sunt præsentis temporis, et quod significant, non in re fuisse, sed esse adhuc ostendunt. Ergo episcopos et presbyteros, quales nosse poterat, æquales et ejusdem ordinis constituebat. « (2) Unus, *inquiebat,* est ordo; unus honor; una dignitas amborum. » Non dicit fuisse tempore apostolorum unum ordinem, et honorem, ac dignitatem; sed esse. Quod cum ita se habere ex communi hominum æstimatione, ac judicio asseverare non potuerit; ne voluisse quidem inde perspicuum est, quod propterea catholicæ iratus Ecclesiæ, sese ab ejus communione disjunxerit, quod aliter, ac fieri oportebat, de utroque statueret, ac presbytero anteferret episcopum.

VII. Hunc igitur, ut falso putabat, errorem oppugnare volens Aerius, non ea proferebat insignia presbyteratus, quæ antiquitus huic inerant, sed obliterata jam erant contraria consuetudine; multo minus etiam ad illa provocabat, quæ in presbyteris cernebantur minora, quam in episcopis, longeque deterioris notæ. Non ita fatuus erat Aerius, ut hoc argumento causam probaret suam, quo eam potius labefactaret; nec tam obesæ naris, tamque plumbeus erat, quam est Catharus, qui vel hoc animo concepit, vel persuadere se aliis

(1) Epiph. in Anaceph. Οὐδὲν διαφέρει. Et in hær. 75. Οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου.

(2) Ibidem. Μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία τιμὴ, καὶ ἓν ἀξίωμα.

[1] Cit. sup. § 1.

[2] 1. Tim. 4. 14.

posse credidit : Aerium, qui demonstrare vellet, presbyterum in omnibus æqualem esse, nec ulla re inferiorem episcopo, iis ad fidem faciendam indiciis uti, ex quibus contrarium potius efficeret. Inter illa, quæ episcopatus maxime propria sunt, præcipuum Aerii tempore, hoc est Epiphanii et Hieronymi, necnon Chrysostomi; (scribit enim Epiphanius, Aerium adhuc in vivis extitisse, cum Panarium suum scriberet; quod quidem anno 375. auspicatus est;) illorum igitur ætate primaria nota, et διακριτικὴ, qua episcopus a presbytero distabat, fuit jus imponendarum manuum ad ordinandum : quod iidem illi tres affirmant. Quare si quis presbyterum ab episcopo nullo separari discrimine probare vellet, ac cetera utrique paria commemoraret, illo prætermisso, in quo episcopalis ordinis natura potissimum sita est; non assensum ab eruditis, sed ludibrium colligeret. Hoc Aerium non fecisse, ex Epiphanii narratione liquet; fecisse, sola ex conjectura, et ingenio suo, quod magnum non habet, fingit Catharus. Sed excepta ordinandi potestate, non illud obtinebat, quod volebat Aerius, eumdem ordinem esse presbyteratum, et episcopatum. Quatuor episcopatus jura recensebat Aerius apud Epiphanium, quæ cum presbyteratu communia illi esse contendebat : impositionem manuum, baptizandi functionem, Sacrificii oblationem, sessionem in cathedra.

VIII. Salmasius χειροθεσίαν, id est *manuum impositionem*, quam competere presbytero Aerius asserebat, « non illam esse specialem » putat [1], « quæ ordinationi competit, sed in genere. » Cujusmodi plures erant maxime in danda pœnitentia, hoc est peccatoribus ad pœnitentiam admittendis, aut, ea jam obita, reconciliandis; quod utrumque per impositionem manuum fieri consueverat, ut alibi diximus, et suo loco pluribus exponetur. Sed ista manuum impositio non illa est, qua consecrantur, ordinanturque clerici, quæque episcopo convenit; et cujus δύναμιν nisi presbytero inesse monstraret Aerius, non eumdem amborum ordinem esse suadere posset. Fuit et alia manuum impositio in ordinatione presbyterorum a presbyteris adhibita, de qua mox : sed non ordinatrix, hoc est presbyteros faciens, et consecrans, qualis sola episcopalis est habita. Hanc Græci χειροτονίαν proprie vocare solent. Ex quo Salmasius argumentatur, Aerium non putasse ordinatricem illam manuum impositionem penes presbyterum fuisse suo tempore, quamvis apostolorum seculo fuisset; quod χειροθετεῖν, non χειροτονεῖν dixerit Aerius. Verum cum tanquam episcopatus notam commemorarit illam hæreticus iste, cujus in societatem presbyterum vocabat; non est dubitandum, quin ordinatricem manuum impositionem intelligi voluerit, potestate duntaxat in isto residentem, ut dixi sæpe, non actu.

IX. Inter χειροτονίαν, et χειροθεσίαν nonnihil interest; χειροτονία proprie *manuum extensionem* significat; χειροθεσία *manuum impositionem*. Prior non semper *sacratam actionem* exprimit. Est enim interdum laicorum propria, eorumve, qui ordinandi jure ac potestate carebant. Zonaras, et Balsamo in commentariis ad primum Canonem apostolorum, duplicem illam χειροτονίαν explicant : alteram, quam sic describit Zonaras, ut sit « (1) absolutio precum, sanctique Spiritus invocatio, dum aliquis ad sacerdotium consecratur; quæ inde dicta est, quod pontifex manu extenta benedicat ei, qui ordinatur. » Subjicit aliam vocis potestatem, ut simplicem electionem significet, quæ olim etiam a populo fiebat. Vide et quæ iidem ambo ad canonem 4. Nicænum adnotant, et ad 5. canonem Laodicenum.

Χειροθεσία vero nonnisi sacra est manuum impositio, ac pro χειροτονίᾳ prioris notionis, et episcopali sæpe sumitur. Zonaras ad canonem Nicænæ synodi quartum, observat (2) in canone primo apostolico, χειροτονίαν significare *consecrationem, et* χειροθεσίαν, id est *impositionem manuum;* in Nicæno vero quarto significare *suffragium, et electionem.* Epiphanius in expositione fidei catholicæ [2], quæ est in fine Panarii, vocat ἐπισκοπῆς χειροτεσίαν *consecrationem ad episcopatum, per impositionem manuum.* Et in Aerianorum Hæresi, quæ est 75. χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν, hoc est *impositionem manuum*, « quæ jus tribuat creandorum episcoporum. » Sic enim Glossarium vetus, χειροτονητὴς *creator*, χειροτονία *creatio*. Sed addit *procreatio, creatura :* quæ non puto satis con-

(1) ZONAR. in can. 1. apost. Νῦν μὲν χειροτονία καλεῖται ἡ τῆς καθιερώσεως τοῦ ἱερῶσθαι λαχόντος τελεσιουργία τῶν εὐχῶν, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπίκλησις, ἀπὸ τοῦ τὸν ἀρχιερέα τείνειν τὴν χεῖρα εὐλογοῦντα τὸν χειροτονούμενον.

(2) ZONAR. ad can. 4. Nic. Ὁ μὲν γὰρ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, τὴν καθιέρωσιν, καὶ χειροθεσίαν ὀνομάζει. Ὁ δὲ τῆς συνόδου ταύτης κανὼν κατάστασιν, καὶ χειροτονίαν τὸν ψῆφον λέγει.

[1] Salm. pag. 320.

[2] Pag. 1095

gruere, nisi *creaturam* pro *creatione* sumas. Ea vero de magistratu potest accipi; et si de sacro, et Christiano sermo sit, tam de *electione*, quam *consecratione*. Ad priorem spectavit Hesychius, cum χειροτονίαν interpretatur ἐκλογήν. Quare ex adjunctis, et orationis contextu facile discernitur, quo sensu χειροθεσία ponatur, et utrum *ordinatricem*, an *reconciliatricem*, aut aliam quampiam manuum impositionem significet. Sicut et χειροτονία ex consequentia sermonis intelligitur, utrum episcopalis sit, et *ordinatrix*, an ad electionem pertinens; ut ex Zonara, et Balsamone citatis in locis colligitur.

X. Jam Aerium, cum dixit presbyterum perinde χειροθετεῖν, atque episcopum, non aliam significasse χειροθεσίαν, quam quæ propria est episcopi, et ordinatricem, ex Epiphanio perspicuum est. Quis autem melius Aerii dogma percepit, quam qui ejusdem vixit ætate, et coram sciscitando, ac disputando, arcanæ sectæ illius, imo non arcana, sed professa, et palam ab illo habita decreta scire potuit? Ecquis fide dignior est de Aerii opinione testis: Epiphanius vir sanctissimus, et integerrimus, ac tum eruditissimus, tum ab omni suspicione mendacii alienissimus, et ea postremo narrans, quæ visu et auditu comperit; an Catharus unus audaculus grammatistes, et streperus, tantum ab illius pietate ac doctrina distans, ὅσον οὐρανὸς ἐστ' ἀπὸ γαίης: qui nullam pene litteram sine errore facit, ac denique non certa ejus, quod affirmat, scientia, sed temeraria, et incerta divinatione nititur?

Nam de Aerio sententiam Epiphanii ejusmodi fuisse, quam dixi, nemo prudens dubitaverit. Primum qui ea, quæ supra memoravimus, expenderit: nullam alioqui causam satis justam Epiphanio fuisse, cur in Aerium adeo stomacharetur, ut ejus hæresim furiosam e insanam supra humanum captum esse clamitaret, ac stolidissimam vocaret; quod presbyteris impositionis manuum potestatem tribueret, non illam episcoporum propriam, sed quæ revera ipsis competeret. Deinde verba ipsa, quibus Aerii refellit hæresim, prorsus id evincunt. « (1) Et quomodo, *inquit*, fieri posset, ut presbyterum constitueret is, qui ad ordinandum manuum imponendarum potestatem non habet, aut dici posset episcopo æqualem esse presbyterum? »

(1) EPIPH. hær. 75. num. 4. pag. 908. Καὶ πῶς οἷόν τε ἦν τον Πρεσβύτερον καθιστᾶν μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν, ἢ εἰπεῖν αὐτὸν ἴσον εἶναι τῷ Ἐπισκόπῳ.

XI. Hic Epiphanius recta occurrit ei, quod Aerius opponebat, tum æqualem fuisse apostolorum tempore, et esse adhuc presbyterum episcopo; tum ob id æqualem esse, quod, nisi injuste prohiberetur, manus similiter atque episcopus imponendo presbyterum ordinare posset. Nisi enim hoc Aerius diceret, ac nisi verba illius ista, χειροθετεῖ ὁ Ἐπίσκοπος, ἀλλὰ καὶ ὁ Πρεσβύτερος, de ordinatrice manuum impositione dicta sentiret Epiphanius, frustra, et sine ratione talia subjecisset, quæ, quod ex illius consequens est sententia, referrent, *Quinam fieri posset, ut presbyter ordinaret presbyterum?* Hoc ergo prædicabat Aerius, quod ibi non posse fieri respondet Epiphanius. Itaque, quod dixit simpliciter Aerius χειροθετεῖν, hoc Epiphanius exponit, χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν. Ergo credidit Aerius, presbyterum ita posse χειροθετεῖν, ut hæc χειροθεσία esset χειροτονία, et consecratio, ordinatioque presbyteri. Hæc sunt invicta, et ἀναντίῤῥητα.

Illud vero præterea mihi diligens lector observet in Epiphanii verbis istis: presbyterum non modo reipsa, et facto ipso, ut loquuntur, non ordinasse; sed ne potestatem quidem ordinandi unquam habuisse. De presbytero simplici loquor, vel secundi ordinis sacerdote, qui episcopalem non habet impositionem manuum, hoc est χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν. Huic igitur potestatem etiam adimit ordinandi, cum non posse ordinare dicit; et, quod expressius est et ἐμφαντικώτερον, interrogando sic effert: *Et quomodo fieri posset, ut ordinaret presbyterum, qui ejus potestate caret?* Qua formula in rebus aperte falsis, et impossibilibus uti consuevimus; ut intelligant Cathari, presbyteros non ideo non presbyteros, aut alios clericos ordinare, quia hoc Ecclesiæ decreto prohibiti sunt facere; sed quia faciendi potestate carent, ut, etsi facere auderent, nihil omnino perficerent. Sed hac de re postea.

XII. Ad extremum, quod supra obiter injecimus, et alio in loco diligentiore studio tractabitur, hic iterum animadvertendum est ob ea, quæ dixi: varias causas fuisse quondam imponendarum manuum, presbytero communes cum episcopo; cujusmodi sunt, quas Salmasius attigit [1]. Ut « quæ fiebat in benedictionem; qua pœnitentiæ agendæ venia dabatur; qua pœnitentes reconciliabantur exacto præscriptæ exhomologesis tempore. » Addit [2], « In Ægypto, absente episcopo, presbyter consignabat; quæ confirmatio etiam cum impositione

[1] Pag. 319. — [2] Salm. pag. 320.

manuum celebrabatur. » In quo valde illum fugit ratio. Nam consignasse presbyteros in Ægypto, absente episcopo, scripsit supposititius Ambrosius [1]. Impositionem vero manuum, quæ consignationi adjuncta sæpe fuit, ad dandum Spiritum sanctum ab alio, quam episcopo, collatam esse, nec ille dicit, nec alius quisquam. Imo contrarium docet Hieronymus in dialogo contra Luciferianos; ubi sic orthodoxum loquentem introducit [2] : « Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat. » Mox : « Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, etc. » Et tamen chrismate inunctos fuisse, paulo post significat : « Inde venit, *inquit*, ut sine chrismate, et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi. » Delebis igitur ex locis tuis communibus hanc παρεκβολὴν de impositis a presbytero manibus in Confirmatione, antequam centonem illum nescio quem *de Ordine*, quem scripturum te minaris, ex illis consuas; nam falso illud adnotasti.

XIII. Fuit et alia impositio manuum, qua utebantur etiam presbyteri in ordinandis presbyteris; et quæ in usu est hodieque in occidentalibus Ecclesiis, ex canone 3. concilii quarti Carthaginensis : « Presbyter, *inquit*, cum ordinatur, episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant. » Cui consentaneum est, quod legitur in libro Sacramentorum B. Gregorii, cum de ordinatione presbyteri agitur : « Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput ejus teneant. » Quæ totidem fere verbis in Ordine Romano scripta sunt [3]. Sic in Pontificali Romano præscribitur, ut « Pontifex stans cum mitra, et nulla oratione præmissa, imponat simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive nihil dicens. Idem faciunt post eum omnes sacerdotes ibidem præsentes. » Qui ritus in orientali Ecclesia hoc tempore non est receptus; nam in Græcorum Euchologio solus pontifex in ordinando presbytero ei manum imponit. Utrum vero aliquando in usu fuerit, non temere dixerim. Apparet autem nonnisi cæremoniam esse impositionem illam, quæ fit a presbyteris simplicibus; quos χειροθεσίαν εἰς χειροτονίαν non habere, nec unquam habuisse, antiqui omnes Patres asseverant. Videtur tamen ritus ille ex eo manasse, quod Apostolus indicat [4], *per impositionem manuum presbyterii* Timotheum ordinationem accepisse, quando episcopus est factus, ut Chrysostomus, Theophylactus, et Œcumenius interpretantur. At Theodoretus presbyterium exponit de iis, « (1) qui apostolicam gratiam acceperant, quorum impositione manuum docendi gratia communicata est. » Tanquam extraordinarium quiddam illud fuerit; non usitata, et sacramentalis tum impositio manuum ista, tum hujus efficientia. Ceterum qui impositionem illam ordinatricem esse volunt, presbyterium ibi consessum episcoporum intelligunt; adeo presbyteros simplices caruisse censent episcopali ista manuum impositione. Ex eo tamen, velut dicis causa, et imitandi antiqui facti, usurpatam illam occidentalium Ecclesiarum consuetudinem existimo, ut in ordinando presbytero adhiberentur alii presbyteri. Qui mos si Epiphanii, et Aerii seculo in Oriente quoque servabatur, de eo libenter illam χειροθεσίαν acceperim, quam presbytero assignabat Aerius; et quamvis nuda tantum, ut jam dixi, cæremonia sit, tamen hanc ad episcopatus similitudinem impostor ille referebat. Vide quæ supra de ista manuum impositione scripsi in fine libri primi.

(1) THEOD. Χάρισμα τὴν διδασκαλίαν ἐκάλεσε. Πρεσβυτέριον δὲ ἐνταῦθα τοὺς τῆς ἀποστολικῆς χάριτος ἠξιωμένους.

[1] In Com. ad Ep. ad Eph. — [2] Hier. col. 616. — [3] Ordo Rom. col 103 — [4] 1. Tim. 4. 14.

CAPUT SEPTIMUM.

Ex iis, quæ de Aerii opinione disputata sunt, ostenditur, multum ab illo distare Hieronymi sententiam : nec obstare quod iisdem Scripturæ testimoniis utuntur; deque eo Salmasii præposterum judicium. Ejusdem stupenda calumnia. Epiphanii et Hieronymi mira consensio. Qua ratione in multis Ecclesiis apostolorum tempore, non unum episcopum præfuisse dicatur ab utroque; sed presbyterorum simplicium collegium : idque esse probabile. Salmasii stupida conflictio secum, ac repugnantia. Presbyteros simplices nunquam ordinandi jus habuisse. Epiphanius perperam a Salmasio reprehensus defenditur. Hujus etiam frivola de Timothei episcopatu conjectatio. De Theodoreti vero loco horrenda judicii, verborumque conflictio. Qui quidem locus nova interpretatione, et aliis Patribus consentanea declaratur.

I. Postquam Aerii, quem sectæ suæ antistitem Salmasius cum Puritanis omnibus agnoscit, quale dogma fuerit, exposuimus; liquet, immerito contagione illius afflari sanctissimum virum Hieronymum, compluresque alios : sed istum potissimum, qui præ ceteris in invidiam pestilentis illius hæresis solet adduci. Etenim Hieronymus, cum presbyterum eumdem facere cum episcopo videtur, solum in hoc spectavit usum gubernationis ecclesiasticæ, qui primis Ecclesiæ temporibus cum presbyteris communicabatur. Quod autem præcipuum est in episcopatu, ordinandi potestatem nunquam a presbytero, aut alio, qui episcopalem characterem non haberet, usurpatam credidit, neque cum effectu aliquo fuisse tractatam. Aerius utramque potestatem, tum imponendarum manuum ad ordinandum, tum administrandæ Ecclesiæ, reipsa, et *actu* in presbytero simplici inesse dicebat; itaque Christum, et apostolos instituisse; atque ideo scelus facere sui temporis episcopos, qui sibi utrumque retinerent, et ab usu potestatum illarum duarum presbyteros excluderent. Hæc duo decreta quam lato intervallo distent invicem, qui discernere non potest, uti Salmasius; non committes, ut in eo docendo operam amplius perdas, sed abire jubebis, aut *fodere*, *aut arare*, *aut aliquid ferre denique*.

II. Nec illud mirari quispiam debet, quod iisdem ambo Scripturæ testimoniis Hieronymus, et Aerius usi sunt ad opinionis suæ faciendam fidem; in quo joculariter aberrat Salmasius [1]. Cum enim duo, ut jam dixi, in episcopatu contineantur; totidem illa, quod ad potestatem attinet, sui temporis presbyteris vindicabat Aerius, et iis Scripturæ testimoniis asserebat, quæ supra commemoravimus. Hieronymus, qui alterum tantum e duobus, hoc est gubernandi functionem, et auctoritatem, olim presbyteris commune fuisse cum episcopo contendebat, iisdem illud argumentis, ac testimoniis adstruebat; de altero diserte professus, nunquam illud presbyteros habuisse. Ille unum eumdemque natura sua, et institutione Christi ordinem esse presbyteratum et episcopatum, putavit. Hic mutuo distinctos prima illa et præcipua parte, ac potestate semper fuisse voluit, in alterius usu et functione aliquando conjunctos. Hoc vere discrimen ordinis utriusque, quod reipsa magnum est, et ab Epiphanio ita, ut est, magnum prædicatur, nonnulli veterum parvum esse dixerunt, ut Hieronymus, et Chrysostomus : non absolute, sed comparatione facta cum aliis longe potioribus, et augustioribus titulis, et ornamentis, quæ ambobus communia sunt; velut est potestas utraque consecrandi, offerendique sacrificii Dominici corporis, ac sanguinis, et remittendi peccata. Et alioqui ille idem Hieronymus haud exiguo intervallo differre a simplici presbytero episcopum, ostendit; primum regula ista, quam in calce epistolæ 85. posuit : « Qui provehitur, *inquit*, de minori ad majus provehitur. » Unde et diaconum probat minorem esse presbytero; quia ex diacono ordinatur presbyter. At eodem modo episcopus ordinatur ex presbytero. Deinde similitudine illa, qua episcopum cum Aarone summo Pontifice confert, presbyteros cum Aaronis filiis, diaconos cum levitis. Quod idem in epistola secunda ad Nepotianum presbyterum memorat. « Quod Aaron et filios ejus, *ait*, hoc episcopum, et presbyteros ejus esse noverimus. » Num igitur nullo, aut exiguo discrimine summus apud Judæos Pontifex ab sacerdotibus plene distabat? Ut μικρολογεῖν desinat ἀειλόγος ille, et ἀκάθαρτος Catharus [2], ac titivillitiis istis onerare libros suos : qui per sese satis morosi, et illepidi sunt, etsi hac molestia et ναυτίᾳ leventur.

[1] Pag. 235.

[2] Pag. 328.

III. Quocirca recte, ac catholice, et faventibus sanctissimis eruditissimisque Patribus Hieronymo, et Epiphanio, scripsi in Dissertationibus ecclesiasticis [1]; Hieronymum sic impositionem manuum ad ordinandum abjudicare a presbytero, ut hunc non solum usu illius, sed etiam jure ac potestate carere censeat, adeo ut, cum ita loquitur Hieronymus, *Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod non faciat presbyter?* verbum *faciat* δυνητικῶς accipi debeat : quasi dicat, quod non possit facere, et cujus faciendi jus et potestatem non habeat. Quod meum dictum, quia refellere non poterat grammaticus Salmasius [2], unum in eo reprehendit vocabulum δυνητικῶς, quod esse græcum minime credidit : « An δυνητικῶς, *inquit*, græcum sit, viderit grammaticus. » [3] Viderit sane quisquis litteras græcas novit, et quam ineptus juxta sis, et indoctus, ex eo colligat. Vere illud quoque iisdem in dissertationibus adjeci, cujusmodi discrimen esset, quo episcopum a presbytero disjungeret Hieronymus; idemque esse dixi, quo et Epiphanius ambos invicem secerneret. Verba mea sunt hæc [4] : « Quocirca sensit Hieronymus, ab solis episcopis ordinationes fieri, adeoque latum inter ambos ordines discrimen agnovit; nec aliud, quam quod Epiphanius hæresim illam, quæ istos confundebat, oppugnans, in medium attulit. » Est autem discrimen hoc *ordinatio*, sive *ordinandi potestas*, quam uterque penes solum episcopum esse, non esse autem in presbytero statuit.

IV. At Salmasius [5] infando scelere verba mea falsavit, ut aliam, ac diversam ex illis sententiam exsculperet. Sic enim scripsisse me refert : « Nec aliud Hieronymus, quam quod Epiphanius. Hæresim illam, quæ istos confundebat ordines, in medium attulit. » Quæ sic accipit, tanquam asseram, « Hieronymum eadem in medium attulisse, quæ Epiphanius attulit, quibus hæresim Aerii oppugnaret. » Hinc velut Bellonæ sacerdos, et emotæ mentis exclamat, « Quid audio? Ut Hieronymus eadem in medium attulerit, quæ Epiphanius attulit, quibus hæresim Aerii oppugnaret, quæ utrumque illum ordinem confundebat? Sanus non eras, cum hæc scribebas, sed mente plane excideras. » Tu vero tua mente non excideras, cum ita verba mea depravares, sed prorsus in ea manebas. Nam alia nulla, quam tua mens monstra ista pareret. Non scripsi, ὦ παρήορε : Nihil aliud Hieronymum, quam Epiphanium, contra illam hæresim disputasse; neque post nomen *Epiphanius*, majorem στιγμὴν apposui, ut ibi sententia desineret. Sed dixi, *non aliud discrimen inter ambos illos ordines Hieronymum agnovisse, quam quod Epiphanius, hæresim illam oppugnans, in medium attulit.* Neque postremo significavi, Hieronymum Aerii hæresim oppugnare voluisse; sed solum id Epiphanium fecisse. Quanquam ex iis, quæ de illis ordinibus docet Hieronymus, argumentum duci potest, quo redarguatur Aerius. Nam id omnino, quod Epiphanius, affirmat Hieronymus : episcopum a presbytero discrepare, quod ordinandi potestatem habet ille, qua caret iste.

V. Itaque quamvis diversis de causis, et dispari proposito de utroque ordine scribentes ambo illi, non tamen mutuo sibi adversati sunt, sed in eadem convenerunt catholicæ fidei regula. Quod ita mirum videri debet, ut incredibile non habeatur, nisi iis, qui neutrum intelligunt, nec ad interiores illorum sensus penetrarunt; sed raptim, ac tumultuarie, et amore sui, atque odio Christianæ veritatis ebrii, ad eos legendos sese contulerunt. E quibus est Calvinianum κάθαρμα; qui ferociter insultat, et ea in me, ac catholicam Ecclesiam convicia, probraque jactat, ἅπερ αὐτῷ εἰς τὴν κεφαλήν. « Non sane magis nox, *inquit* [6], diei, lux tenebris contraria, quam Epiphanii sententia Hieronymianæ; » imo quam tua utrique contraria est interpretatio. « Primum, *ait*, non solum in diversa tendunt hic et ille, sed etiam diversam viam uterque insistunt, ut perveniant quo volunt. Aerius, inquis, fuit hæreticus. Quare? Quia episcopum nihilo pluris esse, quam presbyterum asserebat. Si hæreticus ob hoc solum Aerius existimandus, vide, ut Hieronymum possis hac hæreseos labe purgare. » Purgatus ille vero est, et ab Aerii, tuaque contagione, et fermento Calviniano sincerus, alienusque demonstratus est non minus, quam Epiphanius. Distingue in episcopatu duo : unum intimum, οὐσιώδες, et quod cum inferiori ordine communicari non potest, ut est character, et jus ac potestas ordinandi, sine quo episcopatus esse non potest : alterum, potestas, et jus administrandi, ac regendi, sive pascendi populi Christiani. Hoc posterius citra illa, quæ ab solo episcopo præstari possunt, derivari potest in presbyteros

[1] Lib. 1. c. 3. p. 37. — [2] Pag. 290. — [3] Vide supra lib. 1. c. 3. § 8.

[4] Dissert. lib. 1. cap. 3. pag. 37. — [5] Salm. pag. 325. — [6] Salm. pag. 327.

simplices; ut hodieque quos *curatos* vocant, qui *in partem sollicitudinis assumpti sunt, sed non in plenitudinem potestatis.*

VI. Sic recente adhuc Christianismo, putavit Hieronymus, in multis civitatibus peculiarem episcopum non fuisse; sed Christiano populo gubernando, et pascendo plures in commune sacerdotes simplices, et presbyteros præfuisse. Nempe quod tum apostoli, et quos illi episcopali præditos dignitate suo loco submitterent, quæ episcopum necessario flagitabant, identidem obirent. Hoc adeo in orientalibus, et occidentalibus Ecclesiis, quæ ex infidelibus hac ætate coaluerunt, usuvenit, atque etiamnum cernere est in Canadensibus illis anthropophagis, et silvestribus, ac palantibus barbaris : quorum complures ad Christum adducti, ac per Ecclesias haud sane paucas distributi, nullos alios, præter simplices presbyteros, pastores habent, ac rectores; qui tamen nec episcopi sunt, nec episcoporum proprias functiones usurpant. Sed his exceptis cetera omnia ministrant. Sensit hoc idem, viventibus apostolis, hoc est veris episcopis, in Ecclesiis plerisque factitatum Hieronymus; et qui ita præerant, presbyteros simplices, episcopos esse dictos, communi iis omnibus appellatione, qui curatores erant, et rectores Christianæ multitudinis. Nec propterea simplices presbyteros eumdem esse ordinem voluit cum episcopo; aut illis ordinandi potestatem attribuit, quæ tu falso de illo jactitas, neque probas hactenus.

VII. Ac vide, quam inepte ratiocineris : « Jam ibi, *inquis* [1], ostendam, quantopere dissentiant Epiphanius, et Hieronymus. Hieronymi sententia est, eumdem omnino fuisse apostolorum temporibus episcopum, ac presbyterum, re ac nomine. Episcopus erat presbyter, et presbyter episcopus. Episcopus presbyteri nomine, presbyter episcopi vocabatur. » Sic tua procedit argumentatio, ut si ita colligas : Sirius, sive canicula cœleste sidus vocatur Canis, et terrestre ac quadrupes animal perinde canis dicitur. Ergo unum idemque sunt. Hoc vel unius diei tibi dialecticus dissolvet. Dixi tibi sæpius, *episcopi* vocabulum olim de utroque ordine usurpatum fuisse, ex Hieronymi, Chrysostomi, Theodoreti, et plurium aliorum sententia: qui ambos illos ordines non solum κατ' οὐσίαν, quam in ordinandi potestate proprie censent consistere; sed etiam κατὰ τὸ ὑποκείμενον jam tunc fuisse discretos autumant. Quæ illorum ratio non minus probabilis est, quam quæ in Dissertationibus a me est allata : eosdem illos ordines in unam personam convenisse primis illis temporibus, ac certis in Ecclesiis; ut iidem, qui presbyteri a Paulo vocantur, et episcopi, non vocabulo tantum, sed ordine, ac charactere essent episcopi. Qua constituta sententia; contra quam videlicet disputas, cum eadem sit et tua, ut supra monstravimus; tum multo ridicula magis, et frivola tua est conclusio. Quæ ut sensum aliquem habeat, necesse est, ambos et diversos a te invicem ordines gradusque conferri, episcopatum et presbyteratum simplicem. Atqui cum dixi, presbyteros et episcopos eosdem apud Paulum censeri; non eos presbyteros intellexi, qui ab episcopis ordine distarent; sed unum, et eumdem dixi summum gradum, ordinemque duobus istis appellari nominibus.

VIII. Græci quidem promiscuam amborum fuisse putant appellationem; aiunt enim, tam primi ordinis sacerdotes, quam secundi, vocatos esse presbyteros, et episcopos. Quibus et assentiris ipse[2], dum, manente communi ambobus episcoporum nomine, quemdam tamen ex collegio presbyterorum prærogativa temporis, et ordinationis ad primatum evectum asseris, qui κατ' ἐξοχὴν *episcopus* vocaretur; quemadmodum Athenis cum essent ἐννέα ἄρχοντες, id est *novem prætores*, horum tamen unus insigniter ἄρχων nominabatur. Quamobrem tuo te, Salmasi, gladio conficis; et quod inclementer in eos jacis, qui idem dicunt quod tu, in teipsum recidit. Nam apostolorum temporibus inter plures presbyteros, et episcopos unum fuisse primatem ais, et episcopum insignem, majoremque ceteris, quem iis titulis ornas [3], vocasque πρωτοκάθεδρον, *primatem*, κατ' ἐξοχὴν *episcopum*, hoc est *excellenti jure*, et non eo, quo ceteri; πρεσβύτερον, et nihilominus *primum presbyterorum*, et *in priore et altiore gradu constitutum*. Volo igitur respondeas : presbyteri illi, qui presbyterium, et collegium presbyterorum constituebant apostolorum tempore, fueruntne re, ac nomine episcopi, an non fuerunt? Fuisse non negabis, ut qui dissertationem tuam ad id unum scripseris, ut illud probares. Jam si episcopi fuerunt et presbyteri, cum et presbyter, atque episcopus primas ille fuerit, ac πρωτοκάθεδρος; ergo omnes primates, omnes πρωτοκάθεδροι, omnes primi fuerunt, si quid argumentatio

[1] Salm. pag. 327.

[2] Pag. 274. [3] Pag. 273. 274.

tua virium habet. Sic enim colligis [1] : « Episcopus erat presbyter; et presbyter episcopus. Igitur idem fuit apostolorum temporibus episcopus, et presbyter re, ac nomine. » Quare quidquid adversus priorem argumentationem excipies, quominus primates omnes habendi sint; idem contra tuam istam præscribent, qui etsi presbyteros eosdem re, ac nomine fateantur episcopos fuisse; unum tamen eminentem inter illos, et quod tu ipse dicis, primatem extitisse contendent.

IX. Nam quod ad Hieronymum spectat, demonstratum est tibi, presbyterum ab illo episcopum olim dici fuisse non καθόλου, nec absolute, cum præcipuam partem, et οὐσιώδη episcopatus excipiat; sed quatenus ἡ ἐπισκοπή præfectura est, et administratio quædam Christiani populi. Quod autem verba ejus ista, *Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* sic accipis, ut inde concludas [2], « Apostolorum ævo ne hanc quidem ordinationem exceptam, quam faceret episcopus, non faceret presbyter; » velim unam ex Hieronymo litteram proferas, quæ hoc significet, presbyteros simplices, et secundi ordinis sacerdotes apostolorum temporibus ordinasse. Quod si ex illo probare non potes, stulta tua est ratio, quæ ex sola conjectura proficiscitur; nec ostendis, quod tam acriter elatras, Hieronymum in eadem esse causa cum Aerio, et Aerianis, hoc est te, ac Puritanis reliquis. Nam Aerius χειροθεσίαν τῆς χειροτονίας, hoc est *potestatem ordinandi*, fuisse semper in presbyteris simplicibus, et esse pugnabat; Hieronymus utrumque negat. Longe ergo ab amentia vestra, et errore fanatico remotus est Hieronymus; ut et Epiphanius, qui hac sententia, tanquam impacta clava, Puritanos omnes elidit : « (1) Et quomodo fieri posset, ut presbyterum ordinaret, qui ordinandi potestatem per impositionem manuum non haberet? » Quem tu quidem inverecunde et procaciter appellas, cum nihil adversus illum opponas, nisi futile, et ingenio tuo dignum.

X. Ita enim in eum κενταυρικῶς insilis [3], « Quasi vero presbyter ab institutione ipsorum apostolorum non habuerit potestatem ordinandi presbyterum! » Qui sic Epiphanium traducis, et illudis, necesse est, quod illi abs te opponitur ex adverso, sic esse perspicuum, et evidens, ut ei refragari nemo possit. At illud qui probas? quo auctore? quo testimonio? quo argumento suadere potes, presbyterum simplicem (de hoc enim agitur) *potestatem habuisse ordinandi presbyterum?* Potes ex Apostolo, vel ex loco Scripturæ aliquo demonstrare, presbyterum eum, de quo loquitur Epiphanius, hoc est simplicem, et ab episcopo distinctum, inferioremque ipso, ordinasse similem sui presbyterum, aut tali fuisse potestate præditum? « Cur ergo passim in scriptis apostolorum (objicis subinde) presbyteri vocantur ipsi episcopi, nec episcopi tantum, sed etiam apostoli ipsi? Cur in sacra Scriptura indifferenter nomen presbyteri, et episcopi de iisdem usurpatur? » Responderet tibi Epiphanius id, quod nos ejus vice reponimus : non ab ipso universe negari, penes presbyteros jus ordinandi fuisse presbyteri; sed penes eos tantum, qui simul episcopi non essent. Nam si solum nomen agitur, episcopi omnes, quamvis et presbyteri nuncupentur, ordinandi potestatem habent. At qui in Scripturis presbyteri simul, et episcopi vocantur, re et nomine fuerunt episcopi ex opinione tua pariter, ac mea, quam in Dissertationibus exposui. Ex Epiphanii vero sententia, nonnisi presbyteri simplices fuere : quam et probabilem esse docui, si ad eam adjungatur illud, quod Chrysostomus et Theodoretus, aliique sentiunt, eosdem vocatos episcopos fuisse; tum illud Hieronymi, episcopalem in gubernando duntaxat potestatem, et pascendi jus, ac regendi eosdem illos presbyteros obtinuisse, cum ex omnium consensu nunquam primariam dotem episcopatus, ac notam, et οὐσιώδη differentiam habuerint, quæ in ordinandi jure, ac potestate consistit.

XI. Epiphanium dixi presbyteros, qui apud Paulum occurrunt, pro simplicibus, et secundi ordinis habuisse sacerdotibus; episcopos vero pro iis, qui sunt ordinis primi, ut hodieque sumuntur. Quibus positis, adversus Aerium probabat, non ejusdem ordinis esse ambos, et gradus; ad idque loca quædam afferebat Apostoli, quæ non omnia fatendum est id efficere, quod ille voluit. At Salmasius in eo ipso refellendo non leviter aberrat. Utebatur Epiphanius eo loco, qui est in epistola ad Timotheum : (2) *Seniorem*, vel, ut in græco est, πρεσβύτερον, *ne increpaveris*. Ubi πρεσβύτερον *sacerdotem* esse credidit *secundi ordinis*. Quam vere, nihil ad rem pertinet. Hoc

(1) Epiph. hær. 75. Καὶ πῶς εἷόν τε τὸν πρεσβύτερον καθιστᾶν μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν;

(2) 1. Tim. 5. 1. Πρεσβύτερον μὴ ἐπιπλήξῃς.

[1] Pag. 327. — [2] Salm. pag. 528. — [3] Salm. pag. 342.

quidem concesso, recte argumentatur ille, majorem presbytero episcopum esse. Siquidem majorem eum oportet esse qui objurgandi, castigandique potestatem habeat. Salmasius inter alia rationem hanc adversus Epiphanium objicit [1], « quod Timotheus, ad quem ea scribit Paulus, et quem episcopum fuisse vult Epiphanius, non fuit specialis alicujus Ecclesiæ episcopus. » Primum gratis illud, et ἀναπoδείκτως asserit, discipulos apostolorum, quos secundi ordinis omnes apostolos facit, vagos, et sine certa sede episcopos fuisse; quod in primo libro falsum esse convicimus. Quid enim obstat, quin et Ecclesiæ addici certæ potuerint, in qua sedem, tanquam in arce, ac metropoli collocarent; et omnium interim provinciæ alicujus Ecclesiarum curam capesserent? Maxime vero, si ita res habuit, ut Græci plerique crediderunt, ut non ubique apostoli, nec in omnibus a se conditis Ecclesiis statim episcopos instituerint : sed solos initio presbyteros simplices, qui et episcopi vocarentur, et Ecclesias regerent; iisque vel Apostoli, vel apostolorum discipuli, qui veri essent episcopi, præficerentur, qui aut statariam ibi agerent, atque in una aliqua, et primaria urbe, tanquam in puppi, sedentes, reliquas provinciæ totius Ecclesias per illos administrarent; sive identidem singulas obirent ac lustrarent, et episcoporum ibi propria munera præstarent. Quæ, qui volet, impune per Salmasios omnes, et hujus similes, affirmare poterit.

XII. Utcumque vero sese res habuerit, justa tamen Epiphanio [2] argumentandi ita, ut fecit, causa suberat, qui episcopos apud Paulum veros esse arbitrabatur episcopos; et presbyteros, nonnisi secundi ordinis sacerdotes, ac simplices. Nam ex eo recte concludit, majores episcopos presbyteris fuisse, quod Paulus Timotheum episcopum hortatur, ut presbyterum ne increpet; hoc pacto significans, utique majorem his illum fuisse, qui increpandi potestatem haberet. Nisi enim haberet, non eum moneret, ut de eo jure, quo careret, aliquid remitteret. Ita ratiocinatur Epiphanius, suspicatus videlicet, illo in loco πρεσβυτέρους minores vocari sacerdotes; cui neutiquam in hoc assentior : sed eo sumpto, tum illud consequens est, quod posuit; et contra hoc vana, et futilis est Salmasii præscriptio de vago, nec addicto ulli loco apostolatu Timothei. Cujusquemodi enim fuerit, episcopus certe fuit; et qua episcopo, mandatum illi ab Apostolo datum interpretatus est Epiphanius, ut quod jus in presbyteros habebat, tanquam iis major, eo ne temere uti vellet.

Sic eadem ridenda Salmasii est exceptio, quam ad alterum ex Apostolo locum, et argumentum Epiphanii ibidem accommodat. Nam Timotheum Paulus admonet sic : (1) *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Unde colligit Epiphanius, majorem episcopum esse presbytero. Recte quidem, si, quod putat, presbyter illic simplex est sacerdos; quod et probabile esse dixi : tametsi potest etiam episcopus intelligi eo modo, quem in Dissertationibus explicamus. At Chrysostomus, OEcumenius, et Theophylactus πρεσβύτερον istic, ut et antecedente in loco, non dignitatis, sed ætatis vocabulum esse censent.

XIII. Ut igitur simplicem ibi presbyterum demus a Paulo significari, vera est Epiphanii ratio, majorem inde esse concludentis episcopum presbytero; Salmasii vero non insulsa tantum, sed petulans et improba sanctissimi viri ista reprehensio. « Hæc inepta sunt, *inquit* [3], et frivola. Quibus eludendis vel illud sufficit, quod ante attulimus, Timotheum, cui ista scribuntur, non fuisse episcopum; alioquin dicendum esset, plurium Ecclesiarum, et omnium, ad quas missus a Paulo fuit, episcopatum gessisse, Corinthi, Thessalonices, Ephesi, et aliarum. » Imo vero *hæc inepta* magis *et frivola* sunt, quam illa Epiphanii. Episcopum non fuisse Timotheum, quod hic absolute pronuntias, ne tu quidem verum esse dixeris. Quare hoc aliud agenti tibi excidit. Quod si episcopum non fuisse sic intelligis ; nullius certæ sedis episcopum fuisse : non hoc tibi concedet Epiphanius, qui hoc scivit, sic unius loci ac civitatis episcopum posse fieri quempiam, ut et aliarum civitatum curam, administrationemque suscipiat, ubi nullus adhuc fuerit, vel mortuus sit episcopus. Quorum illud sub ipsa nascentis Ecclesiæ primordia facile contigit, ut in multis urbibus Christianus populus nullum adhuc proprium haberet episcopum, sed a solo presbyterio, hoc est simplicium, ut Græci opinati sunt, sacerdotum collegio proxime regeretur; episcopi vero interim vices expleret is, qui vicina in civitate constitutus jam esset. Hæc Epiphanii, Chrysostomi, ac Theodoreti mens,

(1) 1. Tim. 5. 19. Κατὰ πρεσβυτέρου μὴ ταχέως κατηγορίαν δέχου, ἐκτὸς εἰ μὴ ἐπὶ δύο, καὶ τριῶν μαρτύρων.

[1] P. 334.— [2] Epiph. Hær. 75. Num. 5.— [3] Sal. p. 335.

et eorum fere, qui presbyteros, et episcopos apud Paulum non episcopos, sed sacerdotes esse simplices arbitrati sunt. Quos contra nihil jejunum, et otiosum tuum illud commentum promovet, de episcopis huc illucque cursitantibus, nec certo loco consistentibus; quam fabellam supra confutavimus.

XIV. Nam quod Theodoretum posteriore in illo Apostoli loco, presbyteros ais[1] non simplices agnovisse, sed episcopos, etsi probabile est, ut supra docui; non tamen integrum tibi fecisti, hac uti illius interpretatione. Etenim pag. 49. « Nusquam, *ais*, ille prodidit, episcopos istos, qui et presbyteri vocantur apud Apostolum, summum gradum tenuisse. » In quo etiam ab Apostolo vis ipsum dissidere. Quod si vere dixisti, profecto non potes presbyteri vocabulum ab eodem Theodoreto positum affirmare pro summo et ordinis primi sacerdotio; quod his verbis asseris, quæ prioribus illis tuis ex diametro contradicunt : « Planum est ex his, presbyterum Theodoreto intelligi, qui Ecclesiæ præfectus est cum potestate, et auctoritate summa. » Atque hunc ipsum presbyterum scribis mox *episcopum nuncupari*[2] : « Ubique etiam in epistolis apostolicis idem Theodoretus episcopum, et presbyterum uniusejusdemque προστασίας, sono tantum differentia esse vocabula observat. » Quod ex Theodoreti loco probas illo, qui est in commentario ad caput tertium prioris ad Timotheum ; ubi episcopum dicit ab Apostolo nominari presbyterum, idque se in commentariis epistolæ ad Philippenses docuisse. Non dubito, si duo illa libri tui loca inter se comparaveris, quorum unus est pag. 48. et 49. alter pag. 336. et 337. quin stupore ac rubore perfundaris, δὴν δὲ ἄνεως εἴης, vix tuis oculis credens; quod et mihi, ut alias in tuis legendis scriptis evenit, cum tam abnormem, et incredibilem in pugnam sententiarum, et contradictionem inciderem. Ut jam minime mirer, postremum illum tuum fœtum febriculosæ dissertationis, magno te redemptum velle, non abs te videri ita, ut est, editum fuisse, sed elapsum tibi e manibus, et extortum pene informem, ac semicrudum; quem tu per amicos tuos rumorem serere hac in urbe nuper instituisti, postquam meam hanc contra te lucubrationem odoratus es. Sed nihil agis, nisi errata tua illa omnia retractes, hoc est capitalem istum Messaliano-Salmasii librum, ut ad Lugdunensem aram mos fuit, delingendo exteras. Hac una lege tot peccatorum gratiam a nobis impetrare potes, alia non potes.

XV. Atque, ut de Theodoreti loco illo paucis agam tecum, non ita planum est, presbyterum in eo vocari *Ecclesiæ præfectum cum potestate, et auctoritate summa,* ut tu putas; etsi est probabile, quod et supra monui. Sed potest, si quis malit, Epiphanii, Hieronymi, Chrysostomi, ac Theodoreti etiam ipsius aliis in locis, opinionem interpretationemque secutus, presbyterum intelligere simplicem, ac secundi ordinis sacerdotem eo modo, qui supra est expositus : uti videlicet in plerisque urbibus, quæ non ita pridem Christianam religionem susceperant, nondum episcopo uno ac primi ordinis constituto sacerdote, gubernandæ fidelium multitudini presbyterorum simplicium collegium præpositum fuerit; a quo omnia Ecclesiæ regendæ necessaria ministrarentur, iis exceptis, quæ sine episcopali charactere ac potestate obiri nequeunt; cujusmodi imprimis est ordinatio clericorum, et impositio manuum ad dandum Spiritum sanctum. Ad quæ præstanda identidem excurrerent apostoli, vel apostolorum discipuli episcopali jure prædíti. De iis nihil Theodoreti verba prohibet accipi, cum ita scribit : Idcirco Apostolum præcipere Timotheo, ut, nonnisi duobus, vel tribus adhibitis testibus, presbyterum increpet; « (1) quod plerumque accidit, ut cum ei sit præfectura credita, nonnullos ex iis, qui peccant, offendat, illique ex eo infesto in illum animo, calumniam in eum machinentur. » Etenim προστασία illis etiam conveniebat, quos propterea ἐπισκόπους dici mos fuit, etsi in secundo tantummodo gradu censerentur, ut Hieronymo placuit : quod episcoporum propriam curam, et jurisdictionem, quoad fas erat, exercebant; quam pro modulo suo inferiores etiam clerici, velut diaconi, administrabant adeo, ut apud quosdam de populo interdum offenderent. Sic Cæcilius diaconus Carthaginensis Lucillam fœminam pecuniosam, et impotentem, quod eam paulo liberius arguisset, alienavit ab sese; quæ postea, cum episcopatum ille esset adeptus, diro contra eum schismati Donatistarum faces subdidit, viresque subministravit, ut Optatus Milevitanus prodidit[3].

(1) Theod. in cap. 5. ep. 1. ad Tim. cap. 5. 19. Συμβαίνει γὰρ ἐκκλησίας αὐτὸν προστασίαν πεπιστευμένον καὶ λυπῆσαι τῶν ἁμαρτανόντων τινὰς, εἶτα ἐντεῦθεν ἐκείνους δυσμενῶς διατεθέντας, συκοφαντίαν ὑφῆναι.

[1] Salm. pag. 336.

[2] Salm. p. 337. — [3] Lib. 2.

CAPUT OCTAVUM.

Quorumdam Catholicorum de Hieronymo et aliorum Patrum dictis, ac sententiis judicium : præsertim Michaelis Medinæ : qui perperam illos in invidiam Aerianæ hæresis adduxit, a qua alienos esse illos ostenditur. Salmasii falsa criminatio diluitur. Exponitur iterum Hieronymus, quem externæ functionis ratione exæquasse presbyteros episcopis demonstratur.

I. Quod in enucleandis antiquorum Patrum sententiis operæ hactenus insumpsimus, non ad hæreticos tantummodo retundendos valet, qui ad scelerati dogmatis sui fidem inde argumenta sumpserunt; sed ad Catholicos etiam aliquos dedocendos, qui illos temere, ac parum prudenter in ejusdem hæresis invidiam vocarunt. Horum e numero unus præcipue notatus a nobis est in Dissertationibus Michael Medina, qui in primo libro *de sacrorum hominum origine, eorumque continentia*, capite 5. veterum plerosque Aerianæ labis, et erroris suspectos facit. Displicuit nostra illius reprehensio homini gravi, et imprimis limati atque incorrupti judicii Salmasio; qui pro sua in Aerium ac similes observantia, quorum sectam complectitur, veteres illos habere cuperet communis hæresis, ac sacrilegii participes. Sed qui attente superiora hujus libri capita legerit, inconsiderate fecisse Medinam fatebitur, qui tam levibus de causis, imo nullis, tam acerbam viris sanctissimis calumniam irrogarit; nec minus vanam Cathari fiduciam ridebit, qui deploratæ illius causæ propugnandæ, rudis, nec ad seipsum quidem tuendum idoneus patronus accesserit.

Sunt autem Aerianæ hæresis contagione respersi ab Medina potissimum isti : Hieronymus, Theodoretus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Primasius, Sedulius, Theophylactus ; « Quorum omnium sententiam prius in Aerio, deinde in Waldensibus, postremo in Joanne Wiclefo damnavit Ecclesia. »

II. Atqui falsissimum istud est, et indignum homine catholico ac theologo, de tot tantisque Patribus judicium; qui nihil cum pestilente ista hæresi commune unquam habuerunt. Aerius, ut jam probavi, duos istos ordines, episcopatum et presbyteratum, unicum esse dicebat ex sese, ac natura sua, non tantum κατὰ τὸ ὑποκείμενον; nec ampliorem in episcopo, quam in presbytero potestatem inesse. Idem et Wiclefus [1], et Puritani deinde hoc seculo docuerunt, et horum institutis formatus Salmasius.

At antiqui illi constanter asserunt, inter utrumque ordinem interesse; et hoc discrimen, qualecumque esse pronuntient, sive magnum sive pusillum, nihil ad rem pertinet, dum reipsa quale sit definiant, ac determinent, ut in ordinandi jure ac potestate consistat : quæ in solis episcopis insit, non in presbyteris. Ac solent plerumque non externi tantummodo, sed etiam Christiani scriptores, rem eamdem modo extenuare verbis, modo amplam exaggerando facere, dum instituto argumentoque serviunt; quod innumeris exemplis illustrari potest. Inest enim in unaquaque multiplex, ac diversa ratio, quæ utriusvis ansam, et argumentum præbeat. Quod in Rhetoricis notavit Aristoteles [2]. Neque ab hoc usu loquendi sermo divinus abhorret. Velut cum hominis dignitatem alias extollit, ut eam angelicæ supparem faciat, *Minuisti eum paulo minus*, inquit [3], *ab angelis;* imo divinæ, ut Hebræi hunc locum interpretantur : alias in infinitum abjicit, ac deprimit, [4] *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei*, etc. *Homo vanitati similis factus est*, etc. Hæc eo commemoravi, ut ineptam Cathari ψυχρολογίαν, et μικρολογίαν suffunderem, qui [5] idem illud discrimen amborum ordinum, quod in ordinandi jure est positum, modo latum, modo pusillum et angustum, vocari ab antiquis Patribus eodem schemate orationis non videt. Atqui non verba illorum spectanda sunt, sed res ipsa, quæ diverse considerata potest aut magna aut exigua videri. Quin ipsemet alibi [6] « sat multum discriminis intercessisse » scribit, « episcopos inter et presbyteros, et ordinationem præcipue eam differentiam constituisse. » Quid tu ergo tricaris, et negas postea, latum inter ambos ordines discrimen intercedere, quod in ordinatione constituitur? Aut quid aliud est *sat magnum*, quam *latum* dicere? Sed ex eodem fonte capitis tui *lato*

[1] Thom. Wald. lib. 2. Doct. fid. ar. 3. c. 60. — [2] Lib. 2. cap. 2. sub fin.

[3] Psalm. 8. — [4] Psalm. 143. — [5] Salm. p. 323. — [6] Idem pag. 282.

discrimine separata, id est contraria dogmata prodire, non est novum; ut *de eodem foramine emanes dulcem, et amaram aquam*. Quod merito Jacobus execratur [1].

III. Porro sancti omnes illi Patres, et interpretes Pauli a Medina citati, nihil ejus opinionem adjuvant, ut ex superioribus abunde constare debet; præsertim Hieronymus, Theodoretus, Chrysostomus, cui Theophylactus annectendus est. Ambrosius vero, quem iste nominat, non est Ambrosius, sed ignotus scriptor nomen illud ementiens, et quales in divinis libris *apocryphi* consuevere dici, momenti nullius, et auctoritatis, præterquam apud Salmasios, et Catharos, qui auctoribus pretia ponunt, non ex merito ac dignitate, sed suo arbitratu, ac commodo. Nam quia pseudo Ambrosium istum nescio quem ratus est fautorem invenisse se impuræ fabulæ suæ, eum in oculis habuit, nec dubitavit anteponere ceteris omnibus.

Atqui nihil est in Ambrosio isto, quod aut Medinam, aut Salmasium beare possit; neque quidquam illius ab nostra, et communi sententia dissidet oratio. Imo vero illo in loco, quem Medina nominat [2], ad quartum caput epistolæ ad Timotheum, episcopos manifeste superiores, ac majores facit presbyteris; quos quidem « post episcopum plus esse » scribit. « Nam in episcopo omnes ordines sunt; quia primus sacerdos est, hoc est princeps est sacerdotum. » Præterea docet ibidem, primis temporibus hanc in Ecclesia fuisse consuetudinem, ut, « cum presbyteri episcopi appellarentur, recedente uno, sequens ei succederet; » postea constitutum esse, ut multorum judicio potius eligeretur, qui ex merito, non ex ordine succederet. Ergo unum aliquem præfuisse putat, non plures pari potestate, ut partim Salmasius affirmat. Partim dixi; nam et eodem in libro contrarium scripsit, ut ante demonstravimus.

IV. Rursus idem ad caput tertium epistolæ ad Timotheum, quem locum indicat Medina, « Post episcopatum, *inquit*, diaconi ordinationem subjicit. Quare? nisi quia episcopi, et presbyteri una ordinatio est; uterque enim sacerdos est. » Quod sane verum est; nam et primi, et secundi ordinis sacerdos ab antiquis dicitur. Itaque subjicit : « Sed episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter sit, non omnis presbyter episcopus. Hic enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est. » De Augustino scripsimus in primo Dissertationum ecclesiasticarum [3], ac nimis oscitanter ab Medina in communionem vocatum illum Aeriani dogmatis ostendimus, cum nihil aliud, quam honorum vocabulis distinctos a presbyteris episcopos esse communi usu sentiat. Primasius [4], et Sedulius verba duntaxat pseudo Hieronymi [5] describunt : qui propterea post episcopos, tacitis presbyteris, ad diaconos lapsum esse dicit Apostolum, « quia secundus, imo pene unus est gradus; sicut ad Philippenses episcopis ac diaconis scribit, [6] cum una civitas plures episcopos habere non possit. » Quæ verba Medinam juxta, atque Catharos conturbant. Nam apertum continent ordinis utriusque discrimen; quantocumque tandem, et qualicumque intervallo disjuncti sint ex illorum opinione : quod ad rei summam parum, aut nihil interest.

V. Neque postremo (quod Salmasius [7] opinatur pessimus τῶν ἐναντιολογιῶν arbiter ac censor, id est morborum curator, quibus totus ipse scatet) contra nos ipsi loquimur, dum asseveramus, *presbyteros apostolorum temporibus veros episcopos fuisse;* neque quod huic nostræ sententiæ venenum admiscet, ex illa sequitur : « Et si eumdem cum presbyteris gradum honoris, et dignitatis, et ordinis constituentes, plures in eadem civitate extitisse. » Homo non tam malitiosus, quam stupidus, et ingenio plumbeus, ad idem saxum semper offendit, dum quæ τῷ λόγῳ, et essentia distincta ponimus, tametsi τῷ ὑποκειμένῳ sint eadem, permiscet, ac confundit invicem. Discat igitur, et, si potest, semel intelligat, ut iterato non sit opus, sic nos in Dissertationibus scripsisse, eosdem initio creatos episcopos, qui presbyterium constituebant, ut nihilominus diversos illos gradus in Ecclesia retineremus : alterum presbyterorum, qui episcopi non sunt : alterum episcoporum; hoc est unum secundi ordinis, qui primi non est, alterum primi, qui et secundum δυνάμει continet, ut a pseudo Ambrosio dictum esse paulo ante memini. Quemadmodum si rex idem fiat et sacerdos, postea sit idem et geometra; aut ita denique, ut in homine, cum eadem sit rationalis, et sentiens, ac vegetans anima, tres sunt tamen et mutuo distinctæ per sese, quæ ita nominantur, animæ, eo quod secunda sine prima, tertia sine primis duabus in rerum

[1] Jac. 3. 11. — [2] Pseudo Amb. col. 504. — [3] Cap. 3. p. 41. — [4] In 1. Tim. c. 3. — [5] Ibid.— [6] Pseudo Hier ibid et Prim. in cap. 1. ad Phil.— [7] Pag. 345. et 346.

natura cernitur. Qua similitudine nihil esse diximus aptius ad ecclesiasticorum ordinum differentiam explicandam; et idcirco sæpius illam, quam vellemus, repetere cogimur, ut se imperiti hominis ad captum disputatio nostra demittat.

VI. Sunt e catholicis theologis [1], qui Hieronymum sic interpretari student, ut episcopum eumdem cum presbytero esse velit ordine, non gradu ordinis, ac dignitate. Quo illorum opinio pertinet, qui episcopatum characterem negant habere diversum ab eo, quem sacerdos habet simplex, sive presbyter; sed hunc duntaxat extendi, et quodammodo diffundi, virtute scilicet, et efficientia, non mole ac quantitate. De qua controversia non est hujus loci disputare; erit tum, cum de sacramento Ordinis agemus. Quod autem præsentis negotii est, et susceptæ quæstionis, illud asseveramus: Cujusquemodi est character iste, non eumdem esse ordinem episcopatum, et presbyteratum, nec eamdem in ambobus ordinis potestatem, sed divino jure distingui; neque huic adversari vel Hieronymum, vel quemcumque alium ex antiquis Patribus, qui episcopos æquo jure cum presbyteris censere nonnullis videntur. Ac præcipua quidem dos episcopatus, et præstantissima in eo posita est, quod commune illi est cum presbyteratu; hoc est in consecrandi Dominici corporis ac sacrificandi potestate, tum administrandi Pœnitentiæ sacramenti, condonandique peccata. Quam utramque facultatem totis eloquentiæ viribus ornat, et extollit Chrysostomus in libro 3. de Sacerdotio: eaque præditum ait sacerdotem novæ legis supra modum humanæ conditionis assurgere; imo vero ultra angelorum dignitatem evectum, propius accedere ad summæ divinitatis imaginem, ac potentiam. Sed eadem illa potestas in episcopo perficitur, ac reipsa fit excellentior accessione novi juris, ac dignitatis, potestatisque propagandorum, ut loquitur Epiphanius, ac gignendorum patrum, hoc est ordinandorum presbyterorum, et episcoporum. Quæ quia necessario cum priore illa, et præstantissima conjungitur, et huic insistit, nec ab ea divelli potest; idcirco simplici, absolutoque sermone pronuntiari debet, episcoporum ordinem [illegible] longe esse potiorem.

VII. Crediderim tamen, veteres illos, qui presbytero plusculum indulgere visi sunt, ad priorem respexisse potestatem sacrificandi, ac remittendi peccata, ut *pene unum* ambos *esse gradum* auderent scribere, vel *unam ordinationem*. Sane qui de sacerdotio scripserunt, quo nomine plerumque summus, id est episcopus continetur; et illius dignitatem, excellentemque statum collaudant, ut Chrysostomus, et si qui alii: in illa potissimum utraque dote prædicanda commorantur; minus in altera, quæ unius episcopi propria est, insistunt ordinandi potestate.

Hieronymus vero, qui presbyterum sola consuetudine minorem esse ait episcopo, eique subjectum, cum alioqui ex prima institutione sit æqualis; non de ordinatione loquitur, ut putat Salmasius, sed de externa gubernandi potestate, ac jurisdictione, cujus usum presbyteri aliquando sic obtinuisse dicuntur, ut Ecclesiam in commune regerent, et administrarent; quod supra demonstratum est: non ut ordinare possent, in quo episcopalis ordinis proprietas consistit. Non igitur ordine, vel ordinis potestate, qua episcopalis est, ambos illos æquales esse credidit.

Nec adversus hoc opponi debet, quod Hieronymus [2] diaconos negat anteferendos presbyteris, eo quod « ad horum preces Christi corpus, sanguisque conficitur; » quod ad ordinis potestatem attinet. Etenim in componendo presbytero cum diacono commemorandum illud fuit, quo potissimum inter se discrepant, et hoc ille est præstantior; ut ex hac prærogativa ordinis, dignitatis, et πρεσβείας inæqualitas monstretur, de qua potissimum agitur. Non enim adeo desipiebant illi, quos in ea epistola castigat Hieronymus, ut ordinis potestatem, et functionem in diacono majorem ac digniorem, quam in presbytero esse contenderent. Sed de honore, externoque cultu, qui illis adhibebatur, ac loco, et antecessione sermo illis erat. Vide quæ supra de eodem argumento, ac sententia Hieronymi fuse disseruimus. Non erit necesse, loca illa supposititia, et a mala manu intrusa, et aliena ab Hieronymo suspicari; præsertim si Hieronymi morem in oppugnandis contrariis sententiis recordari volumus, et quam plerumque acer ac vehemens alteram feratur in partem, ut nonnulla jaciat interdum [illegible] et παρακεκινδυνευμένα, quæ benigna interpretatione mollita, facile trahas in catholicum sensum, a quo minime ipsum abhorrere, ex aliorum locorum comparatione constiterit.

[1] [illegible] tom. 1. [illegible] 22. ar. 3. c. 69.

[2] [illegible]

CAPUT NONUM.

De presbyteris simplicibus rursus agitur : ac refellitur Salmasii opinio asseverantis olim eumdem ordinem fuisse cum episcopis, postea vero duos ex uno factos ordines ; quod non posse fieri monstratur. Sacramenta divini juris, et institutionis esse : ideoque nec ab hominibus imminui, ac mutari posse. Ex quo probatur, nunquam presbyteratui simplici ordinationem esse permissam. Salmasii non una labes. Presbyteri vox explicata. Sacramenti ratio, ac definitio : ex qua Ordinis esse sacramentum probatur. Divini juris esse institutionem Sacramentorum.

I. Quoniam in ordinandi potestate potissimum sita est episcopi ac presbyteri differentia, ut bene multis hucusque declaravimus ; multum in eo Catharus noster insudat, ut illam cum presbytero communicatam olim fuisse persuadeat. Ac revera fatendum illud est, firmissimum ex eo duci genus argumenti ad catholicum dogma probandum, quod nullum in tota extet Ecclesiæ antiquitate vestigium, exemplumque potestatis istius presbytero concessæ simplici, ut presbyterum aut episcopum ordinarit, ut de ceteris ordinibus modo taceam ; nulla de eo significatio græcorum, latinorumque Patrum, in tam crebra mentione rerum illarum, quæ ad clericos, et eorum institutiones attinent, atque in tanta luce historiarum et copia. Sed quid antiquos de tanti momenti re siluisse dico ? quod ipsum per sese satis argumenti sit, nunquam illud in usu fuisse. Illi enim e contrario, nec licere istud unquam, nec fieri posse contendunt. Quid igitur amplius quærimus ? Nonne si ex sese, institutoque Christi, et accepta per apostolos ab illo traditione, unus tantummodo esset ordo, ac potestas una primi secundique ordinis sacerdotum ; hoc ipsum fuisset in Ecclesia perpetuum, nec mutari, convellique humana lege, et auctoritate potuisset? Certe[1] *hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat.* Multo ergo minus *testamentum confirmatum a Deo irritum facere* quis potest? ut argumentatur Apostolus. Cyprianus quoque in epistola 63. probat, ea, quæ a Deo, ac divino jure statuta sunt, mutari non posse : [2] *Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* « Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere ; quanto magis tam magna, tam grandia ad ipsum Dominicæ passionis, et nostræ redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare ? » Quocirca, si divino jure, et ex natura ipsa presbyteratus, ac sacerdotii, ordinandi penes presbyterum sit potestas, non potuit ullo ecclesiastico decreto huic eripi.

II. Etenim, si quis contentiose asserat, potuisse illam ab Ecclesia detrahi sacerdotibus secundis ; quæram de eo, utris potius consentaneum sit ablatam eam fuisse; an iis, qui ab Ecclesiæ communione suo judicio, et illius sententia separati, damnatique sunt; an piis et catholicis, qui in fide, et unitate perstiterunt ? Nemo tam improbe fatuus sit, opinor, qui non priores illos æquius judicet potestate ista multari, et reipsa vero multatos fuisse, cum ii , qui excommunicati et anathemate damnati sunt, una cum Ecclesiæ communione, honore omni, dignitate, functione, ac potestate ecclesiastica spoliari consueverint, nonnunquam etiam Christiano jure ac nomine. Sic Misenum, et Vitalem legatos Romanæ Sedis, Acaciana communione pollutos Romana synodus[3], Felice tertio papa præside, « a sacerdotali collegio, et sacrosancta communione suspendit ; Acacium vero inter episcopos sanctos, atque inter Christianos judicavit non haberi. » Felix ipse [4] eumdem Acacium « a sacerdotali honore, et communione catholica, necnon etiam a fidelium numero segregavit. » Sic Anthimum Constantinopolitanam in sedem intrusum Agapetus papa « (1) spoliavit omni nomine episcopali, et catholico, id est orthodoxo. » Atqui talibus cum Ecclesia, quidquid potest, proscribendo, damnandoque adimat ; neque baptizandi potestatem, neque ordinandi, consecrandique potest eripere. Itaque tum baptizatos ab hæreticis, et schismaticis, tum ab iisdem ordinatos, verum baptismum, ac verum ordinem

(1) Conc. sub Menna. Ἐγύμνωσε παντὸς ὀνόματος ἐπισκοπικοῦ τε, καὶ καθολικοῦ, τουτέστιν ὀρθοδόξου.

[1] Gal. 3. 15. — [2] Matt. 7. — [3] Tom. 3. Conc. pag. 613. — [4] Felix epist. 6. Ib. p. 604.

habere catholica judicavit Ecclesia, et aliter sentientes tanquam hæreticos rejecit. Quod contra Luciferianos, Donatistas, Arianos, aliasque pestes, innumerabiles Synodi, ac Patres orthodoxi auctoritate sua comprobarunt. Inter quos Augustinus eminet, qui in omnibus scriptis, quæ contra Donatistas bene multa lucubravit, luculenter hoc, et copiose docuit. Cujus ex infinitis locis unum protuli supra[1] ad eam rem imprimis disertum, in quo, cum ordinationem non minus Sacramentum dixisset esse, quam baptismum; addit mox[2]: « Ideoque in catholica utrumque non licet iterari; » tum subjicit, præpositos ipsos, id est episcopos, nonnunquam redeuntes ad catholicam communionem, in eodem gradu, et officio recipi.

III. Quod si ne hæreticis quidem, hoc est mortuis, ac spiritali gladio detruncatis, tam clericis, quam laicis, baptizandi; episcopis vero, ordinandi potestas extorqueri potuit; nec efficere hoc amplissimo jure suo, et auctoritate quivit Ecclesia, ut non hostes illi sui, a seque damnati, vera baptismi et Ordinis sacramenta conferrent, tametsi nefarie hoc, impieque facerent : multo certe minus piis, et catholicis sacerdotibus, nec ipsius sententia ulla perstrictis auferre illam aut potuit, aut vero debuit.

Quamobrem si cum presbyteratu copulata, et implicata esset ab origine sua, et ex institutione Christi, potestas ordinandi; nunquam illa carere possent presbyteri : potestate, inquam, ac jure. Nam usus alioqui interdici poterat : sed non ita ut, si contra interdictum potestate sua uti nefarie vellent, effectum illa non haberet; nec vere uti baptizati, sic ordinati forent, quos baptizare ausi essent, vel ordinare. Denique si quando necessarium hoc esse videretur, ut ordinarent presbyteri, quod nulli adessent episcopi; fecissent illi hoc interdum : quemadmodum ubi clerici nulli sunt, qui baptismum administrent, laicis hoc licet facere. Quid igitur causæ est, cur nunquam ecclesiastico jure, vel more receptum est, nec ullo exemplo comprobatum, uti qui sacerdotes simplices erant, aut episcopos aut sui ordinis presbyteros consecrarint, et ordinatrices his manus imposuerint, nisi quia ordinandi potestatem nullam acceperunt?

IV. Hic vela Catharus explicat inscitiæ, et ἀλογιστίας, quantæ alibi nusquam; et « Cum, *inquit*[3], episcopus, et presbyter idem esset, ordinatio ad utrumque pertinebat, quia non alius a presbytero episcopus. Episcopus ordinabat presbyterum, et presbyter episcopum; quia idem ordo, idem gradus utriusque, et unus fuit. Ubi distingui ordines et gradus cœpti sunt, atque episcopus major extitit presbytero, tum ordinatio non potuit utrique esse communis. » Si unus et idem ordo tum fuit, non natura, et institutione Christi duplex; male loquitur, cum ad utrumque pertinuisse ait ordinationem. Non enim *uterque*, sed unus erat; nec cum uterque dici cœptus est, ad utrumque pertinuit ordinatio, sed ad amborum alterum. Cum autem presbyter cum episcopo comparatur, ut in quæstione nostra, non ea notione sumitur, qua unus est idemque cum episcopo, sive qua est episcopus, sed quatenus ab episcopo differt, et diversum ab eo constituit ordinem.

Dixi non semel, vocabulum τοῦ πρεσβυτέρου duplicem habere notionem; unam generalem, alteram peculiarem, et restrictam. Priore modo, ætatis primum, deinde dignitatis, et antecessionis nomen est, eum significans, qui auctoritate ac dignatione potior est. Posteriore vero certum in clericatu ordinem et gradum designat, qui est secundus ab episcopatu. Olim promiscue utrique ordini tribuebatur, et eum significabat, qui honore, ac functione antistabat fidelibus, et horum curam gerebat, ac pascebat tum verbo Dei, tum Sacramentis; sive unus emineret in turba, qui κατ' ἐξοχὴν nonnunquam πρεσβύτερος, et ἐπίσκοπος inter cognomines ceteros audiebat, ut vel ipsi Salmasio videtur, qui etiam singularis hujus præfecturæ initium ab apostolorum tempore, et Ecclesiæ primordio ipsius arcessit; sive plures ordinis primi, aut, ut Græci cum Hieronymo censent, secundi ordinis, regendis Ecclesiis præpositi sint, antequam certus illis præliceretur antistes.

V. Quibus animadversis perspicuum est, cum de eo quærimus, ac disputamus, utrum presbyteratus ab episcopatu sit ordo diversus, atque adeo presbyter omnis episcopalem characterem, ordinem, jus ac potestatem habeat; aut, quod idem est, utrum presbyter aliquando potestate ordinandi præditus fuerit : in his et similibus controversiis, presbyteri ac presbyteratus vocabula non primo modo accipi. Alioqui de solo nomine, ac vocis sono disputaretur, ut si quæratur idemne sit λώπιον, et ἱμάτιον, ut est apud Aristotelem[4]. Oportet enim,

[1] Lib. 1. cap. 3. — [2] Aug. 1. cont. epist. Parm. c. 13.

[3] Salm. pag. 298. — [4] 3. Physic. cap. 3. tex. 21.

inter ea, quæ invicem conferuntur, interesse aliquid. Quare presbyter ibi sumitur pro eo, qui in secundo ordine censetur, et a priore differt; nam de primo ordine nulla plane dubitatio est.

Quamobrem præter omnem modum ridicula est, et obtusa Cathari ratio, qui *presbyteri* nomen prima illa significatione accipit, itaque decernit, *ordinationem ad utrumque pertinuisse.* Quasi tum duo fuerint episcopus, et presbyter, cum unus esset ordo; aut presbyter, qua est episcopus, nec ab eo ratione ulla distinctus, separari ab episcopo possit. Etenim, si *presbyterum* sic usurparet, ut genus esset aliquod sub se duas continens species, id est ordines, qui sunt presbyteratus simplex et episcopatus, et ad utrumque ordinationem pertinere contenderet; etsi in re ipsa vitium esset, quia falsum diceret: nullum tamen in locutione committeret. Nunc illud perabsurde, quod eo ipso tempore, quo episcopum et presbyterum eumdem fuisse statuit, hoc est non diversum ordinem, sed unum; ad utrumque pertinuisse dicit ordinandi potestatem. Atqui *presbyteri* vox, ut Salmasius existimat, tunc temporis nonnisi episcopum significabat, non autem eum, qui episcopus non esset; erantque συνώνυμα duo illa vocabula. Quare idem est dicere, ordinationem ad utrumque pertinuisse, episcopum et presbyterum, ac vel ad episcopum et episcopum, vel ad presbyterum et presbyterum. Siquidem presbyteratus, ut in episcopatu οὐσιωδῶς continetur, a presbyteratu simplici reipsa diversus est, et idem prorsus est cum episcopatu. Sicut animal, et sensibile, qua inest homini, reipsa distinctum est ab animali, quod in brutis inest; illud enim rationale est, hoc rationis expers. Quare neutrum ab eo, cui convenit, separari potest, nisi utroque sublato. Neque enim animal illud, quod est, exempli gratia, in homine, separatum ab eo potest existere ita, ut dici possit, antea unum et idem ambo fuisse, postea vero duo esse facta. Ita neque presbyteratus, qui est in episcopo, et quem olim eumdem cum episcopatu et re et appellatione fuisse credit Salmasius, ab episcopatu disjungi salvo eo potuit, ac dici duos jam ordines ex uno esse factos.

VI. Dixisset sane: Unum ordinem ab Christo apostolis traditum, qui presbyteri et episcopi nominibus appellaretur, penes quem jus esset omnium Sacramentorum administrandorum, præsertim Ordinis. Postea vero novum ordinem institutum esse inferiorem illo, qui Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ minister esset, aut etiam aliorum, excepta ordinatione. Hoc modo a seipso non tam turpiter dissideret, tametsi non prorsus verum diceret, uti mox constabit. Nam quod scripsit modo, putidum est, et inextricabile: cum unus esset ordo, utrumque ordinare potuisse; postquam distincti ordines sunt, tum ordinationem desiisse utrique esse communem. Quandiu enim prior ille fuit unus, id est solus, nondum erat posterior, qui ab eo postea divelleretur; nec ita separatus est iste, ut non in eo remaneret, nulla hujus facta mutatione. Episcopus enim nihil minus fuit, aut habuit post illam divisionem, quam erat habebatque antea. Non est ergo divisus in duos prior ordo, sed ad hunc alter adjunctus, eique subjectus. Insulsa itaque, imperitaque de talibus Cathari est oratio.

Verum præter inscitiam sermonis, labem insuper continet hæretici sensus, errorisque, tum ab catholica damnati fide, tum veterum Conciliorum, ac Patrum auctoritate convicti; quod in hunc modum ostenditur. Esse quoddam in Ecclesia Ordinis sacramentum ita, ut Baptismi, et Eucharistiæ, Christiana tenet, et catholica religio, omnium illorum testimoniis approbata, ut superius breviter attigi[1]; quod alias fusius opponendum erit. Jam Sacramenti natura hæc est, et proprietas, ut adversarii ipsi fatentur, ut a Deo institutum sit, non humano jure, ac voluntate. Quippe Sacramentum Calvinus ita definit[2], « Externum esse symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, etc. » Addit[3], « Nunquam sine præeunte promissione esse Sacramentum. » Et Theodorus Beza in opusculo de re Sacramentaria[4] « causam formalem Sacramentorum » esse vult « ordinationem Dei in ipsius verbo comprehensam. »

Et ante hos Lutherus[5] « ad Sacramenti constitutionem, ante omnia requiri *ait* verbum divinæ promissionis, quo fides exerceatur. » Sic etiam Augustana Confessio articulo 13. Et Philippus Melanchthon in Corpore doctrinæ Christianæ, « Sacramenta ritus » vocat, « qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ. » Kemnitius quoque in examine secundæ partis concilii Tridentini scri-

[1] Lib. 1. cap. 3. — [2] Lib. 4. Instit. c. 14. § 1. — [3] Ibid. § 3.

[4] In Opusc. tom. 1. pag. 207. — [5] Luth. tom. 1. lib. de Capt. Bab.

bit, « Auctoritatem, seu potestatem instituendi Sacramenta, ut sint efficacia signa gratiæ, non esse ullius creaturæ, sed solius Dei, qui gratiam illam operatur. » Cui et Petrus martyr assentitur [1]; nec ullus, opinor, dissentiat, quin Sacramenta vera, et Christiana divinæ sint institutionis, nec humana voluntate, arbitrioque constituta.

VII. Cum ergo sacramentum Ordinationis tam sacrosanctum ab Augustino censeatur, quam est baptismus; ab Christo ipso, ac divino jure conditum sit oportet : ac proinde nec mutari ab hominibus, nec novum aliud excogitari, adjicique potuit. Atqui, ut est Salmasii opinio, utrumvis accidere debuit, ut vel in Christi institutione fieret aliqua mutatio, quæ Sacramenti naturam innovaret; vel novum quoddam genus adderetur. Etenim si ab Christo nonnisi unus Ordo traditus est, qui Sacramenta omnia perficeret, et ministraret, ac nominatim ordinandi potestatem haberet; *cum distingui ordines et gradus cœpti sunt*, ut unus esset in Ecclesia, qui, hac ipsa ordinandi potestate detracta, jus haberet ceterorum administrandorum, ut putat Salmasius : profecto immutata est ratio illa sacramenti Ordinis, quam auctoritas divina præscripsit; atque aut Sacramentum illud interpolatum est, et aliud ex alio factum, ideoque penitus extinctum, aut ad vetus additum est novum; quod utrumque nefas habetur.

Meminerit ille, quantis clamoribus ab Calvinistis, Catharisque suis exagitatum illud sit Ecclesiæ decretum, quo certis, iisque necessariis de causis, usus calicis laicis hominibus interdictus est; ac quemadmodum uno hoc argumento ad illud impugnandum uti consueverint : innovari, mutarique non licere humana lege, quidquid divino jure institutum fuerit : esse autem divini juris, ac sanctionis, ut in sumendo Eucharistiæ sacramento utraque species ab omnibus adhibeatur.

VIII. Discat igitur ex hac falsa suorum, et sua fortasse querela, quanto se piaculo perversæ opinionis implicarit, qui, cum ex divino jure, hoc est Christi institutione, ac apostolica traditione, presbyteros omnes ordinandi potestate fuisse præditos velit; paulo post tamen jure isto spoliatos esse defendit, atque ita mutilam, et laceram dignitatem illam post apostolos in Ecclesiam introductam, solo decreto humanæ auctoritatis accisam. Etenim divino jure institutos in Ecclesia presbyteros et episcopos fatetur; nec Apostolo contradicit, qui in Actis, sub illo duplici nomine, sic eos compellat [2] : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ergo illi qualescumque presbyteri et episcopi potestatem acceperant a Deo, et Spiritu sancto, quam et Timotheus, et Titus, et alii episcopi similiter adepti sunt, et ejusdem fortassis interventu, et opera, hoc est Apostoli ipsius, qui Timotheum hortatus est [3], *ut resuscitaret gratiam Dei, quæ erat in ipso, per impositionem manuum suarum.* Illi, inquam, quos Actorum 20. Paulus alloquitur, eamdem, ac Timotheus, et Titus potestatem divinitus sortiti fuerant ordinandi, constituendique presbyteros et episcopos. Nam et hujus potestatis nominatim meminit, cum ambos istos admonet; illum [4], *ut manus cito nemini imponat;* istum vero [5], ut *constituat per civitates presbyteros*, hoc est episcopos *re, ac nomine*, ut Salmasio placet [6]. Quanta igitur cæcitas, ac temeritas illa fuit? imo quam execrandum et inexpiabile scelus, quod universæ, post apostolorum tempus, Ecclesiæ Salmasius adscribit, ut divinitus editum, constitutumque ordinem, ac suis finibus, sua potestate, functione sua determinatum, violare non dubitaret, ac dimidiatum decurtatumque postmodum usurpare? Si ex instituto Christi, divinoque jure [7] « Episcopus et presbyter idem erant; si ad utrumque ordinatio pertinebat, quia non alius a presbytero episcopus; si episcopus ordinabat presbyterum, et presbyter episcopum; quia idem ordo, idem gradus utriusque, et unus fuit; » potuitne mutari [8], ac perverti, quod Christus tradidit? potuerunt ex uno fieri ordines duo? potuit ita major alter altero fieri humana lege, ac voluntate, ut « ordinatio non posset utrique esse communis? » Potuit « sic episcopi ordinatio propria fieri, ut ad presbyterum desineret pertinere, quia presbyter destitit esse episcopus? » Quid est *destitit esse episcopus*, nisi id esse destitit, quod ut esset, a Christo mandatum imperatumque fuerat, quod ex vi ordinationis suæ, ac per manuum impositionem acceperat?

IX. Respondeat ad ista, si potest, Salmasius; et ut ἀειλογίᾳ obligatus tenetur, dicti nobis sui rationem reddat, quinam [9] « presbyteri simplices non habeant jus manus impositionis; »

[1] In locis, clas. 3. c. 8. — [2] Act. 20. 28. — [3] 2. Tim. 2. 6. — [4] 1. Tim. 5. 22. — [5] Tit. 1. 5. — [6] Pag. 16. — [7] Salm. p. 298. — [8] Idem p. 299. — [9] Salm. p. 11.

aut quo tandem modo divinum in illis violari præceptum, et a Christo latæ legi humana constitutione derogari, imo contraria lege obrogari potuerit?

Hanc tantam labem, pravitatemque judicii non aliunde obortam esse Salmasio dixi supra, quam quod Catharorum ritibus ac dogmatibus assuefactus, horum esse similia vetera illa, quæ et hodieque nostra sunt, stulto errore credidit. Itaque cum nullam apud Calvinistas suos ecclesiasticorum graduum esse sanctitatem animadverteret: putavit idem et in antiqua Ecclesia factitatum esse, quod in sua videbat; ubi profana omnia qualiumcumque sacrorum ministeria censentur adeo, ut cetarii, sartores, negotiatores, sellularii, et omnis generis opifices, diaconi, presbyteri, episcopi fiant, et ab uno gradu promiscue transeant ad alterum; atque eo munere functi, sic quasi sarcina, aut temporaria schema deposita, pristinum ad statum redeant. « Itaque alius hodie episcopus, ut recte Tertullianus ait [1], cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt. »

Hinc illud est, quod tam facile versari, commutari, et quodam veluti mangonio interpolari, atque ex aliis alios fieri potuisse ecclesiasticos ordines arbitratus est, et ab ea forma transferri, in qua conditi erant a Christo, et ab apostolis traditi; quasi totum hoc negotium arbitrarium, et in jure positum, ac voluntate esset hominum. Quæ mentis cæcitas ad inauditam amentiam propagata longius in infandas, et sacrilegas opiniones erupit; de quibus in sequentibus agetur.

CAPUT DECIMUM.

Salmasii a seipso fœda dissensio idem asseverantis ac negantis. Non omnia quæ re idem sunt, idem esse ratione. Episcopatus eminenter inferiores continet Ordines. Non esse proprium presbyteri, qua presbyter est, ordinare. Nullum exemplum extare ordinationis a simplici factæ presbytero. Imo nullam et irritam prorsus habitam fuisse. Quod Ischyræ exemplo probatur. Μυστικωτέρα χειροτονία irrisa ab ridiculo Catharo, defenditur.

I. Mea hæc in Dissertationibus ecclesiasticis [2] conjectura fuit: presbyteros illos, qui in epistolis Pauli, et in Actibus apostolorum nominati leguntur, non simplices fuisse, sed episcopos eosdem, id est episcopali non tantum nomine, verum etiam ordinatione, ac potestate præditos. Quod idcirco tum factum esse verisimile putavimus, ut esset ad manum episcoporum copia, qui subinde conversis ad Christianam fidem populis, ac civitatibus præfici possent, et ea præstare, quæ episcopalem administrationem postulant. Non probavi hanc opinionem meam Catharo Salmasio: qui necessarium minime esse duxit, episcopos ad obeunda certa illa destinari munera, et officia, quæ presbyteri simplices gerere possunt; cujusmodi est ordinatio presbyterorum, ac ceterorum clericorum. Ut hæc illius sententia sit, presbyteros simplices ad presbyteros creandos jus habere manuum imponendarum; non tamen ad episcopos ordinandos, quia majorem minor ordinare non potest, sed æqualem, aut minorem. Quin etiam eo progreditur, ut manuum impositionem proprie ad presbyterum pertinere dicat; eam videlicet, quæ in ordinatione presbyterorum, et in Confirmatione locum habuit. Ἀλλ' αὐτὸ τὸ θηρίον audire satius fuerit. « Ipsa illa, *inquit* [3], manuum impositio, quæ in ordinatione presbyterorum, et in Confirmatione locum habuit, non proprie spectavit ad episcopum, tanquam episcopum, sed ad presbyterum. » Et paulo post [4]: « Nihil igitur ad presbyterum, quatenus et episcopi nomen ac munus habuit, pertinebat impositio manuum in ordinationibus presbyterorum adhiberi solita; sed presbyterum ut presbyterum spectabat. » Hæc ille.

II. Difficile est omnino stomachum tenere in tanta non modo inscitia, verum etiam spurcitia dogmatis, et impietate. Verum moderabor orationi meæ, et sua ipsi tantummodo verba refundam, ac regeram. Enimvero [5],

[1] Tert. lib. de Præf. c. 41. — [2] Lib. 1. c. 2.

[3] Salm. p. 149. — [4] Ib. p. 150. — [5] Salm. p. 148.

« Ignarum oportet (o Cathare) videri antiquitatis ecclesiasticæ, et moris illorum temporum, apostolorumque instituti, qui tales nugas, et fabulas comminiscatur, contra rei veritatem, et usum veteris Ecclesiæ, misere conflictas. » Quæ priusquam singillatim expendo, volo ipse mecum admiretur immanem, ac prorsus incredibilem dictorum sententiarumque repugnantiam, qua priora posterioribus evertit, ac diruit. Etenim quod in Dissertationibus posueram, « Nunquam non fuisse in Ecclesia potestatum, graduumque discrimen, hoc est episcopatus et presbyteratus simplicis, sed in eadem capita passim ambo fuisse collata; » quod hunc sensum habet, eosdem in clero quarumdam Ecclesiarum una cum presbyteratu episcopatum simul adeptos esse; hoc ille *stuporis, insitiæ ac stoliditatis* accusat[1], mihique propter istud ipsum maledictis ac probris ferociter insultat. Et, « Potestne fieri, *inquit*, ut aliquis nesciat, ex uno gradu, qui olim fuit, presbyteri, et episcopi, duos postea factos esse? At tu dicis, duos istos ordines in una persona, etiam tum cum unus esset, distinctos tamen, ac discretos fuisse. Quomodo? An ille unus, qui episcopus simul et presbyter fiebat, apostolorum ævo aliqua gerebat pro episcopo, aliqua vero pro presbytero? Ita sane oportet intelligi, si, quid tuus iste stupor velit, assequi possumus. Potesne pro sapientia tua nobis distincte explicare, quid ille presbyter et episcopus apostolicorum temporum; quid, inquam, eorum, quæ officium ejus spectabant, tanquam presbyter egerit, et quid tanquam episcopus? Si aliquis faber sit simul, et fullo; tanquam faber fabrilia tractabit, tanquam fullo pannos addensabit, et fullonicam exercebit. Dux et miles potest esse unus et idem. Cum manu prælium capesset, militis officio fungetur; cum vero aciem ordinabit, et instructa acie in postprincipiis sibi loco cavebit, et inde omnibus prælii incipiendi signum dabit, ducem præstabit. Possumusne in episcopo, qui et presbyter sit, distinguere officia presbyteri, atque episcopi, eaque separatim? »

III. Hunc Salmasii locum, satis utique prolixum et fastidii plenum, integrum descripsi; ut qui libri illius, cujus audio jam exemplaria esse suppressa, copiam non habebunt, ex ejus verbis ea, quæ dixi, vera esse cognoscat: neminem alterum inimiciorem, et iniquiorem illi esse, quam ipsum sibi; ut qui dicta opera contradicere, adversarique velit iis, quæ ab illo posita constitutaque sunt, non alia, quam ipsiusmet adhibenda sit oratio. Conferantur enim, quæ paulo ante citavi, illius verba cum posterioribus istis. Rem rei peræque nullam repugnare senties. In his ecce duos negat ordines apostolorum fuisse tempore, presbyteratum et episcopatum, quod iidem episcopi creabantur et presbyteri, et in unam personam ambo convenirent; nec posset distingui, ac discerni, quid episcopus tanquam episcopus, quid presbyter tanquam presbyter ageret, administraretve: quemadmodum in eo, qui idem faber sit et fullo, facile dignoscimus, quæ sint illius partes, qua fullo est, aut faber. His enim exemplis uti voluit vilibus ac sordidis, sed dignis eo ministerii, et ecclesiastici negotii genere, quod præ oculis habens, et in quod animo intentus ista scribebat. Respectabat enim, ut supra dixi, ad illos, quibus est assuetus, Puritani conventiculi gradus, et officia presbyteratus, episcopatus, diaconatus, et similia, quæ cerdonibus, veteramentariis, pistoribus, et id genus opificibus ex infima plebe mandari solent; ideo consentanea ad illa significanda munera partium suarum exempla delegit. Ergo quia non putavit itidem, ut in eodem homine ambæ discernuntur artes, pistoris, et cerdonis; sic in eodem, qui episcopus sit ac presbyter, singulorum ordinum officia distingui potuisse: idcirco negavit, eumdem episcopum fuisse, ac presbyterum. At hoc, quod quærebat, reperit postea; et quod neque fieri putabat posse, et eos, qui posse censerent, *insitiæ*, *stuporis*, *stoliditatis* notis inusserat, approbavit, reque ipsa factum esse docuit: ac denique superiora illa, quæ sola esse vera dixerat, ridicula, et falsa esse defendit. Nam cum idem homo presbyter esset, et episcopus, hoc est duos gradus, ordinesque sustineret, unicuique suum munus, ac pensum attribuit. Quippe illius unius, qua presbyter erat, propriam fuisse dicit[2] « clericorum ordinationem per manuum impositionem; Confirmationis item sacramentum, et alia quædam, quæ non proprie spectabant ad episcopum tanquam episcopum, sed ad presbyterum. » Porro ejusdem illius personæ, qua episcopatu erat prædita, proprium fuisse vult « gregi sibi commisso attendere, in his, quæ curam in administratione exigunt, et sollicitudinem requirunt, quæ proprie est [illegible]. »

IV. Habet itaque, quod paulo ante dari sibi postulabat, quid ille unus presbyter simul et episcopus tanquam presbyter ageret, et quid tanquam episcopus; quemadmodum in eodem homine, qui simul *faber*, et *fullo* sit, quid pro fabro, et quid pro fullone agere debeat. Fuitne vero post homines natos tam futile, tamque inconstans ingenium; quod in paucis paginis adeo turpiter aberraret ab institutis, cogitatisque suis, et disparibus ac contrariis sententiis secum ipse discordaret? Ecce quantum mihi operæ, ac verborum insumendum in hoc fuit, ut illum docerem, non omnia, quæ subjecto idem sunt, idem esse ratione, essentia, et τῷ τί ἦν εἶναι; et ut verum id esse persuaderem, quod in tertio Physicorum scriptum est ab Aristotele: « (1) Non eadem omnia iis inesse, quæ quolibet modo eadem sunt; sed solum quibus esse, id est ratio essentiæ est eadem! » Atqui nihil in dialecticorum, philosophorumque scholis ea re pervagatius est. Quas quia nunquam detrivit, idcirco demittere hoc in animum suum nullo pacto potuit, qui tandem duo ecclesiastici ordines τῷ λόγῳ, et τῷ τί ἦν εἶναι distincti, τῷ ὑπεικασμένῳ convenirent. Dicebam, in episcopo duo spectari, et κατ' ἐξοχὴν ἐπίσκοπον, ut loquitur Cyrillus, hoc est *subtili mentis acie* discerni: alterum, quod episcopus est summusque sacerdos, et ἱερεύς: alterum. quod est presbyter, et sacerdos, ut et diaconus; et omnes denique in sese ordines, ac totam hierarchiam in se unus complectitur. Ita enim Dionysius auctor est [1], in uno summo antistite collecta, et conjuncta inesse omnia, quæ in inferioribus dispersa reperiuntur. Unum itaque dicebam, diversos habere ordines, non tamen reipsa, ut sunt in illo, separatos ac distinctos, sed τῷ λόγῳ tantum, et ratione, vel δυνάμει, id est *potestate*, quatenus inferiores ordines sine superioribus in quibusdam cernuntur, etsi superiores ab inferioribus minime disjuncti sint. Cum hæc, et hujus generis alia loquerer, neque capiebat Salmasius; et pro certo dejerabat, errare me, qui duo in una, et eadem re cohærentia, non eadem inter se esse crederem. Atqui erant illa verissima, et idoneis, atque ad ejus captum aptissimis exemplis, ac similitudinibus exprimebantur.

Hoc enim est, quod in scholis *eminentiæ* vocabulo significari solet. Sicut anima rationis particeps, et humana, sensilem, et vegetantem *eminenter* continet, non cujusmodi insunt illa brutis in animantibus, hæc in stirpibus. Quæ enim in pecudibus est, rationis est expers; quæ plantas animat, caret et sensu. At humana nulla sui parte aliud est, quam rationalis; et hoc tota est, quia simplex est, et individua. Verum ambas illas, quæ in brutis, ac stirpibus inesse dicuntur, eminenter excellentique ratione continet, exclusis propriis speciei cujusque differentiis. Sic episcopus presbyteratum, qui in secunda classe censetur, et est simplex, nonnisi *eminenter* habet in sese, hoc est dempta illa proprietate quæ inferioris est sortis, qua *simplex* et *secundi ordinis* nominatur. Non enim presbyteratus, qua cum episcopatu complexus est, simplex, aut secundi ordinis habetur. At tunc, postquam utcumque ista percepit, deinceps obstrepere desinat Catharus, et tandem aliquando seipsum audiat; ac duos in uno homine distinguere ordines incipiat, et suas cuique partes describere: non eo quidem modo, quo eas constituit. Nam falsa est, et commentitia ratio illa, distributioque munerum, qua episcopum a presbytero sejunxit.

V. Manuum impositionem, qua ordinantur presbyteri, aliique clerici, aut quæ in Confirmatione locum habuit, *non proprie spectare* ait *ad episcopum, tanquam episcopum, sed ad presbyterum*. Etiamne manuum illa impositio, qua episcopi creabantur? Non illum puto sic desipere, ut hoc asseveret. Atqui ex illius disputatione, et argumenti genere id est consequens. Nam quod a me dictum refellere voluit, etiam illud amplectitur. Presbyteros eosdem esse factos episcopos primis illis temporibus, idcirco conjectabar, ut præsto essent, qui eo mitterentur, ubi episcopis opus erat ad ea præstanda, quæ sunt illius ordinis propria. Hoc iste reprehendit; quia presbyteri ad ea omnia facienda satis erant idonei. Ergo et manum imponere ad episcopatum poterant, quod utique inter necessaria numerandum est. Nam et Apostolus [2] Titum hortatur, ut in Creta insula per civitates episcopos constituat. Hac igitur saltem ex parte necessaria potuit esse episcopi copia. Deinde [3] cum episcopi ac presbyteri munera, et partes a se mutuo secernit, episcopo, qua episcopus est, injungit *gregis sibi commissi curam, et administrationem, quæ proprie est* ἐπισκοπή; presbytero

(1) ARIST. 3. Physic. cap. 3. tex. 21. Οὐ γὰρ τὰ αὐτὰ πάντα ὑπάρχει τοῖς ὁπωσοῦν ταὐτοῖς, οἷς ἂν μόνοις τὸ τί ἦν εἶναι τὸ αὐτό.

[1] Lib. de Eccles. Hier. cap. 1. — [2] Tit. 1. 5. et 6. — [3] Loc. cit. pag. 130.

vero, qua presbyter est, *manuum impositionem in ordinatione presbyterorum*. Cuinam ergo competit impositio manuum in ordinatione episcoporum ? An et ista in ἐπισκοπῇ, id est *cura et administratione gregis* continetur? Qui potius quam presbyterorum ordinatio ? Hæc enim propius ad curam gregis, quam illa, pertinet. Nam ad gubernandum sibi commissum populum, episcopis aliis opus non habet, qui jam creatus est episcopus ; imo plures in eadem Ecclesia collocari, posteriorum temporum decreta vetuerunt. At sine presbyteris non potest commode munus exercere suum. Itaque presbyterorum creatio magis episcopalem ordinem, qua episcopus est, consequi debuit, quam episcoporum. Sed neutrum est verum ; imo utrumvis tam ab episcopi abjudicare munere atque ordine, quam presbytero adjudicare non hæresim solum sapit, sed puerilem etiam, ac ridendam inscitiam.

VI. Etenim si, quod ille crocitat, presbyteratus proprium est manus imponere ad ordinandos clericos, non episcopatus; episcopatus vero proprium, regere populum, ac gubernare ; quandiu quidem in unum ordines ambo illi convenere, ab eodem præstari utrumque potuit. Posteaquam vero divulsi, ac separatim positi sunt ; tum id unumquodque sequi, quod proprium ejus erat, oportuit. Quare presbyteri deinceps simplices, qui episcopi esse desierant, jus habuere presbyteros ceterosque clericos ordinandi ; uti faber ille idem ac fullo, si fullo amplius non sit, quod fabri proprium est retinebit, ac fabrilia tractabit, non utique fulloniam attinget. Nam me lepida illa Cathari exempla delectant ; itaque iis utamur. Quæro igitur, ac velim acutus homo mihi respondeat : Qui ex fabro et fullone non nisi faber esse cœpit, num is polituram vestium et pannorum, ac denique fullonicam exercebit? At hoc est contra hypothesim. Ergo fabrilia tantum opera molietur ; quia nihil, nisi faber esse ponitur. Redeamus jam ad bellam Salmasianæ similitudinis ἀπόδοσιν. Presbyter ille, qui idem et episcopus erat, qua presbyter, ordinabat presbyteros, non ut episcopus. Quandiu ergo manebit presbyter, sive episcopatum habeat, sive eo careat, quæ presbyteri sunt, nihilominus exequetur. Itaque presbyteros ordinabit, et iis inferiores clericos. Hoc plane, ac directo concluditur ex Salmasii decreto, quo presbyteratui impositionem manuum ad ordinandos presbyteros affixam esse vult, non autem episcopatui. Id si esset verum, nemo mutare ausus esset, nec humana auctoritate, et arbitrio divina instituta sollicitare. Aut si contrarium paulatim usum ac morem obrepsisse dicat; certe primis illis, et adhuc incorruptis Ecclesiæ temporibus, hoc est secundo, ac tertio seculo, vel etiam quarto, ut hæretici jactitant, adhuc ritus ille perseverasset. Extarent igitur exempla non rara, non furtim ac jejune argutulis quibusdam captionibus extorta, sed obvia passim, ac ferientia ; quibus constaret, a presbyteris simplicibus celebratas esse presbyterorum ordinationes, clericorumque ceterorum ; tum ab iisdem manus impositas esse ad dandum Spiritum sanctum : quod in Confirmatione fieri solebat.

VII. Atqui nullum ejusmodi factum illorum in omni antiquitate Christiana liquidum occurrit, et ejusmodi, qualia episcoporum passim leguntur. Cum tam crebra veteribus in historiis, et Conciliis, ac Patribus memoria sit ordinationum istarum, quibus episcopi, presbyteri, diaconi, reliquique clerici, maxime quos sacratos vocant, instituti ac creati sunt ; nusquam tamen aperte eas usurpasse presbyteros legimus, sed episcopos duntaxat. Unum, vel alterum tantummodo habent exemplum, neque hoc expressum, sed contorte, ac morose ab illis exscalptum : quod ne ipsum quidem consistit, ut sequenti capite docebitur. Quænam igitur illa stupiditas est, proprium id esse dicere sacerdotis, ac presbyteri simplicis, eique, qua presbyter est, debitum, quod quantum in illius est probationis, nonnisi valde incertum ac dubium est, an quispiam unquam ordinis istius attigit ; plerique autem antiquorum nisi ab episcopo administratum, ratum effectumque esse, diserte negaverunt ? Ubi Cathari et grammatici istius, vel Christiano, vel litterato homine, vel homine postremo dignus est pudor ; qui hoc fingere est ausus, cujus neque exemplum probabile neque testem affert, vel afferre potest ullum ex omni antiquitatis memoria, nisi hæreticum, et eo nomine damnatum? Et [1] quoniam, cum ego duos illos ecclesiasticos ordines, episcopi ac presbyteri, ab Christo institutos, et ab apostolis traditos esse dixissem, me ad Scripturæ sacræ tribunal vadatus est, ac vel locum unum proferre jussit, in quo presbyter ab episcopo sit distinctus ; ego vicissim in ea, qua de agitur, controversia, quo me provocavit, eo illum revoco. Ostendat, si potest, toto in novo Testamento vel litteram aliquam,

[1] Salm. pag. 146.

cujus hoc testimonio adstruat, quod pro certo venditavit, presbyterum simplicem, qui episcopus non esset, manum imposuisse tum ad ordinandum presbyterum, tum ad dandum Spiritum sanctum. Quod si nusquam illud invenire potest, qua fronte vel affirmare istud audet, vel alios ad eamdem probandi formulam adstringere, in quo suapte in causa victus, et confusus tenetur ?

VIII. Age vero, quoniam tam male paratus est ab Scripturæ præsidio, aliunde sibi curet advocationem; ac vel ab ecclesiastica historia, vel ab antiquis Conciliis et canonibus, vel a Patribus argumenta repetat novæ, inusitatæque rei ; quam a seipso comminisci, nec habere iis ex locis, unde probari talia necesse est, illius asseverandæ fidem, stolidi est hominis, et in eo, quod est, similes sui ceteros arbitrantis. Etenim si hoc solo contentus esset, interdum ab iis, qui presbyteri simplices erant, presbyteros, vel diaconos ordinatos fuisse ; etsi verum id non est, neque aut unquam licuit, aut fieri potuit omnino ; minus tamen absurde diceret, haberetque speciem aliquam dicti sui, ac colorem, de quo paulo post. Nunc illud asserit, quod aperte, ac sine ulla excusatione falsum, ineptumque est : presbyterorum jus illud esse proprium, qua sunt presbyteri, manus imponendi tum ad ordinandos inferiores omnes, ac pares etiam clericos, tum ad confirmandum, dandumque Spiritum sanctum. Atqui nullum satis, ut dixi, compertum, et extra controversiam positum in omni ecclesiastica antiquitate, et historia vestigium apparet potestatis illius, ac consuetudinis rite, uti sane par fuit, ac legitime concessæ. Nam quæ ab hæreticis, ac desperatis hominibus facta sunt, in argumentum, exemplumque trahere non oportet. At ex adverso neminem nec episcopum, nec presbyterum, neque sacrati ordinis alium, nisi ab episcopo consecrari ordinarique jus fuisse, usus antiquissimus totius retro Ecclesiæ, et apud eam per omnes ætates gestorum exempla confirmant. Certe antiqui canones ecclesiastici clericos omnes ab solo episcopo ordinari jubent. Qui primus inter apostolicos ponitur, « (1) Episcopum » præcipit « a duobus, vel tribus episcopis ordinari. » Secundus, « (2) Presbyterum ab uno episcopo, necnon diaconum, et reliquos clericos. » Clementis quoque Constitutiones, cui scriptori tantum Salmasius fidei, et auctoritatis tribuit, ut idoneum putet, quo sibi non parvis de rebus affirmanti teste, ac fidejussore credatur, tam episcopum[1], quam presbyterum, diaconum, et hypodiaconum ordinari ab episcopo significat ex apostolorum mandato. Tum (3) expresse presbyteris fas esse negat, presbyteros, ac ceteros ordinare. Idem judicium fieri debet de altera illa manuum impositione (4), quæ in Confirmatione adhiberi solebat. Quam ab simplicibus presbyteris usurpatam esse in Ecclesia catholica dicit quidem Catharus[2]; sed quod dicit, nullo probat argumento, et more suo, quæ nescit, temere ac sine pudore pronuntiat.

IX. Quod si inferiorum temporum, hoc est quarti post Christum seculi, ac deinceps succedentium, usum, et exempla respicimus, cum jam parta libertate, respirare a bellis, ac metu Ecclesia cœpit, ac velut lacertos explicare, hoc est, disciplinam, mores, et instituta sua liberius exequi; tum id manifestius apparebit, quod Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus, aliique dixerunt : impositionem manuum ad ordinandos non solum episcopos, sed etiam presbyteros, et diaconos, episcopalis esse gradus, et potestatis ; ita ut a presbytero simplici usurpari nequeat, nec tantum ita, ut eo non possit, quia lege vetitum est, sed etiam quia, si tentet, nihil omnino facit.

Cujus rei luculentum extat, et ad comprimendam Cathari loquacitatem aptissimum testimonium episcoporum ex Ægypto, Thebaide, Libya et Pentapoli, in Alexandrina synodo congregatorum in causa Athanasii, in epistola synodica, quam ad omnes Christiani orbis episcopos, et nominatim ad Julium Romanorum pontificem scripserunt. Cujus epistola tanto major est auctoritas, quod et eam probavit Athanasius, atque in Apologetico suo descripsit ; et cum generatim ad omnes Ecclesiæ catholicæ præsules ab Catholicis missa sit, non unius loci et Ecclesiæ, sed receptam ubique toto in orbe catholico fidem continere debeat. Quod nisi commune hoc esset dogma, ex quo illi argumentati sunt, inanis esset illorum, et inepta ratio.

(1) Can. 1. apost. Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ Ἐπισκόπων δύο, ἢ τριῶν.

(2) Can. 2. ibid. Πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς Ἐπισκόπου χειροτονείσθω, καὶ Διάκονος, καὶ οἱ λοιποὶ Κληρικοί.

(3) Clem. 3. Const. cap. 11. Οὐκ ἐπιτρέπομεν δὲ πρεσβυτέροις χειροτονεῖν διακόνους, etc.

(4) Clem. 8. Const. cap. 28. Ἐπίσκοπος χειροθετεῖ, χειροτονεῖ, etc. Πρεσβύτερος χειροθετεῖ, οὐ χειροτονεῖ.

[1] Clem. lib. 8. Constit. c. 14. 16. 17. 21.

[2] Salm. pag. 297.

X. Nam cum Athanasius ab æmulis in crimen adductus esset, quod Ischyram presbyterum sacra celebrantem Macarius ab illo missus male multasset, ac mysticum calicem confregisset ; contra hanc accusationem episcopi præscribunt, neque rem ibi sacram fecisse Ischyram, neque mysticum habuisse poculum, ac ne presbyterum quidem omnino fuisse, sed laicum. Cujus rei causam hanc reddunt, quod a Collutho ordinatus erat, qui episcopus non esset, sed tantum presbyter. Quod si episcopus fuisset, Ischyram ab eo ordinatum non negarent fuisse presbyterum. Siquidem quos Meletius episcopus perditus homo, et schismatis auctor, atque ab Ecclesia proscriptus, sacris initiarat ordinibus, in iisdem illis ordinibus recepti sunt, cum ad communionem catholicam rediissent. Sed synodicæ illius epistolæ verba expendenda sunt. « (1) Hic est ille toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia electus presbyter, neque cum a Meletio constitutos presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit. Ita nec illinc quidem constitutus est. Unde igitur presbyter est Ischyras ? aut a quonam ordinatus ? Utrum a Collutho ? Hoc enim restat. Atqui Colluthum in presbyteratu mortuum esse, et omnem ab illo factam manuum impositionem irritam, omnesque, quos in schismate ordinaverat ille, ad laicorum gradum redactos, et inter laicos in Ecclesia congregari notum est, nec ulli omnino dubium. Quinam ergo privatus homo, et privatam domunculam incolens, mysticum credatur habere poculum ? » Et in litteris clericorum Mareoticæ : « (2) Ischyras nunquam clericus, et minister Ecclesiæ fuit. Verum se ipse primum jactabat Colluthi presbyterum. » Tum iidem clerici in Relatione ad Curiosum et Philagrium præfectum Ægypti aiunt, « (3) Ischyram, qui se presbyterum vulgaret, non esse presbyterum. Siquidem ordinatus est ab Collutho presbytero, qui sibi imaginarium vindicarat episcopatum : et postea in generali synodo ab Hosio, et ceteris cum eo collectis episcopis jussus erat pro presbytero se habere, qualis antea fuerat ; et ex consequenti omnes, qui a Collutho erant ordinati ad eumdem locum redacti sunt, in quo antea censebantur, quemadmodum et Ischyras ipse inter laicos relatus est. »

XI. Ex hac celeberrima, testatissimaque historia manifestum est, soli episcopatui jus ordinandi competere ; nec a simplicibus presbyteris consecrari posse tam episcopos, quam presbyteros : ita ut, si manus imposuerint, nihil omnino illi perficiant ; sed laici, ut erant ante, maneant, qui ab iis ordinati fuerint. Etenim Colluthus vere presbyter fuit, et ab Alexandrina synodo, Hosio præside, in eo gradu, atque ordine receptus. Idem porro Ischyram, et alios quosdam laicos manuum impositione constituerat presbyteros. Igitur vere presbyteri erant ab eo facti, si ex divina institutione presbyter omnis, qua presbyter est, jus habet ordinandi presbyteri. Non enim humano ullo jure, ac præcepto adimi potest ecclesiastico gradui, et ordini, quod ei ex institutione Christi convenit. Quemadmodum Meletius, quantumvis exauctoratus, et ab Ecclesia ejectus, ac potestate quantum in ea situm fuit privatus omni, nihilominus impositione manuum veros consecravit episcopos, ac presbyteros ita, ut qui, pace et concordia inita, ordinati ab illo fuerant, non pro laicis admissi, sed inter episcopos, et presbyteros recepti fuerint. Cur non idem de Colluthi ordinatione judicium est factum ? Cur ab hoc facti presbyteri pro infectis, et non consecratis habiti sunt ? Meletiani vero in illis, quos ab homine perdito et execrando nacti fuerant, ordinibus, communione reddita, manserunt ? Quisquamne suspicari aliter potest, nisi id, in quo Catholicæ partis sita victoria est : Meletium, quod episcopus esset, idcirco veros episcopos, ac presbyteros ordinasse ; Colluthum, quia simplex erat presbyter, neutros omnino consecrasse.

(1) Apud Athan. tom. 1. pag. 570. Οὗτος δέ ἐστιν ὁ πολυθρύλλητος Ἰσχύρας, ὁ μήτε ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας χειροτονηθείς, καὶ ὅτε τοὺς ὑπὸ Μελετίου κατασταθέντας πρεσβυτέρους Ἀλέξανδρος ἐδέχετο, μηδὲ ἐκείνοις συναριθμηθείς. Οὕτως οὐδὲ ἐκεῖθεν κατεστάθη. Πόθεν οὖν πρεσβύτερος Ἰσχύρας, τίνος καταστήσαντος ; ἆρα Κολλούθου ; τοῦτο γὰρ λοιπόν. Ἀλλ' ὅτι Κόλλουθος πρεσβύτερος ὢν ἐτελεύτησε, καὶ πᾶσι χεὶρ αὐτοῦ γέγονεν ἄκυρος, καὶ πάντες οἱ παρ' αὐτοῦ κατασταθέντες ἐν τῷ σχίσματι λαϊκοὶ γεγόνασι, καὶ οὕτω συνάγονται, δῆλον, καὶ οὐδενὶ καθέστηκεν ἀμφίβολον. Πῶς οὖν ἰδιώτης ἄνθρωπος, καὶ οἰκίσκον οἰκῶν ἰδιωτικὸν, ποτήριον ἔχειν μυστικὸν πιστευθείη ;

(2) Ibid. p. 614. Ἰσχύρας οὐδέποτε λειτουργὸς τῆς ἐκκλησίας γέγονεν. Ἀλλ' ἑαυτὸν μὲν πρὸ τούτου ἐφήμισε Κολλούθου πρεσβύτερον.

(3) Ibid. pag. 616. Ἰσχύρα λεγόντος ἑαυτὸν εἶναι Πρεσβύτερον, ὡς οὐκ ἔστι Πρεσβύτερος. Ὑπὸ γὰρ Κολλούθου Πρεσβυτέρου φανταsθέντος ἐπισκοπὴν, καὶ ὕστερον ὑπὸ κοινῆς συνόδου Ὁσίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ἐπισκόπων τελευσθέντος Πρεσβυτέρου εἶναι, καθὸ καὶ πρότερον ἦν, κατεστάθη, καὶ κατὰ ἀκολουθίαν πάντες οἱ ὑπὸ Κολλούθου κατασταθέντες, ἀνέδραμον εἰς τὸν αὐτὸν τόπον, εἰς ὃν καὶ πρότερον ἦσαν· ὡς καὶ αὐτὸς Ἰσχύρας λαϊκὸς ὤφθη.

XII. At profecto si quos ille baptizaverat, non denuo baptizari eos oportuit ; neque pro non baptizatis judicati sunt. Quod si quis iterum baptizare eos auderet, pessime, ac contra legem et traditionem ecclesiasticam fecisse putaretur, ut in libris, quos contra Donatistas edidit, luculenter Augustinus ostendit, et ante hunc Epiphanius [1], Optatus, aliique permulti. Non est igitur eadem ratio baptismi, et ordinationis ; neque, qui ab simplici sacerdote impositionem manuum accepit, is revera ordinatus est perinde, ac qui ab eodem baptizatus est, etiam contra interdictum Ecclesiæ, nihilominus baptismum percipit. Undenam vero Sacramentorum istorum duorum, baptismi et ordinationis, discrimen illud exortum est, ut baptismus etiam a laicis, etiam prohibente Ecclesia, collatus, in verum ratumque cederet ; ordinatio vero ab eo facta qui non est episcopus, non solum illicita, sed etiam nulla censeretur ? Quæ est alia causa, nisi quod baptizandi potestas non tantum sacerdotibus, sed etiam laicis a Christo concessa est ; ordinandi vero, id est χειροτονίας, facultas solis attributa est episcopis ? Hinc alia novaque manuum impositione, et ab ea, qua presbyteri fiunt, diversa, ordinantur episcopi. Ac presbyter quidem ab uno tantum episcopo consecratur ; episcopus a tribus episcopis, uti antiqui canones præscribunt, ac perpetua Ecclesiæ consuetudo tenuit.

XIII. At Salmasius [2] nescio quid ὀνικὸν obstrepens, de illa duplici ordinatione tumultuatur. Cum enim scripsissem in Dissertationibus [3], probabile esse, quod Ambrosio attributus commentarius refert in priorem ad Timotheum, ex collegio presbyterorum olim, *recedente uno, sequentem successisse*, qui assumptus sit in episcopum, non sine μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ : hanc ille χειροτονίαν μυστικωτέραν homo urbanus irrisit ; ignarus, presbyteros, etsi jam impositione manuum ab episcopo consecrati sunt, cum ad episcopalem gradum provehuntur, novam ordinationem accipere, priore augustiorem, ac magis mysticam. Sic Augustinus, ut in ejus vita Possidius narrat [4], cum jam ordinatus esset presbyter, quando episcopus creatus est, « majoris loci ordinationem suscepit. » Quod innumeris aliorum exemplis adstrui potest.

Quin illo ipso in loco, ubi calces ob hoc ipsum illidit mihi, in semet incurrit, secumque digladiatur ; dum ex pseudo Ambrosii loco, qui est in commentario ad caput quintum epistolæ ad Ephesios, probat, « Presbyteros, sive episcopos, plures olim unam Ecclesiam rexisse, sine ullo superposito episcopo. » Quod ei contrarium est, quod multis in locis dissertationis suæ posuit [5], a primo Christianismi tempore, unum e collegio presbyterorum assumptum, qui Ecclesiæ præesset episcopi nomine, ac primatum teneret. De quo supra fusius egimus.

CAPUT UNDECIMUM.

Diluuntur ea, quæ passim objici solent, ut probetur simplices sacerdotes aliquando impositione manuum ordinasse. De Ancyrani concilii canone 12. Salmasii in hoc opponendo ἀλογιστία. Non potuisse provincialem synodum in re tanta aliquid innovare. Quod in rebaptizandi negotio demonstratur. Declaratur canon ille, et variæ de eo sententiæ. De chorepiscopis. Solis episcopali præditis charactere tribui ab illo canone ordinationem clericorum. Nova et probabilis ejusdem canonis interpretatio ex canone 18. ipsius synodi. Episcopi interdum in ordinem coacti presbyterorum simplicium. Alter locus ex Leone M. objectus exponitur. Non licuisse ordinare clericum sine certa sede.

I. Adversus illa, quæ de jure ordinationis, non ex mea tantum, sed ex communi Catholicorum sententia dixi, quædam objici hactenus solent, quæ ita suadere videntur : etiam ab simplicibus presbyteris ordinatos aliquando presbyteros fuisse. Ex quibus illud est, quod ab suis Puritanis acceptum intentavit Salmasius. Nihil enim nisi tritum, decantatumque sæpius, ac nihil denique proprium contulit in hanc disputationis farraginem, præter os, et

[1] In Expos. fidei n. 13. — [2] Pag. 362. — [3] Pag. 41. — [4] Cap. 10. — [5] Vide p. 270. et 273.

inscitiam. Ancyrani ergo concilii decretum profert in medium Catharus; de quo sic statuit [1]: « Multo tempore in Ecclesia hunc morem obtinuisse, etiam post introductam utriusque ordinis presbyteralis, et episcopalis distinctionem, ut quemadmodum episcopi ordinabant presbyteros, ita presbyteri quoque ordinarent tam presbyteros, quam diaconos, et ceteros minorum ordinum clericos. Id cum ante Ancyrani concilii decretum passim usurparetur, ne in posterum talis ordinatio presbyterorum, et reliquorum clericorum a presbyteris fieret, canone 12. ejusdem synodi sancitum esse. »

Antequam de hoc canone contendo, primum illud expendat lector eruditus, cujusmodi sit, quod ait, ante Ancyranum concilium passim usurpari solitum, ut a presbyteris ordinarentur presbyteri et diaconi. Id si esset, extarent exempla superiorum temporum vel rara saltem, quibus simplices presbyteros ordinandi jus, et usum habuisse constaret. Ubi autem hoc legit? aut quo canone constitutum reperit, presbyterum ordinari a presbytero, vel diacono? Age vero cujus est judicii, tantum auctoritatis credere in unius exiguæ synodi, certe minime generalis, decreto fuisse, ut quod hactenus usurpari passim solebat, quod a Christo mandatum, quod ab apostolis traditum fuerat, quod Ordinationis sacramento insitum et ὡσιῶδες erat, id repente mutaret, aboleret, extingueret? Ut post hanc diem, qua die in angulo provinciæ unius pauci episcopi conventu habito statuissent, presbyteratum deinceps ordinandi jure ac potestate sibi a Christo data carere, nemo eorum amplius non rite solum ac *licite*, sed, ut loquuntur, etiam *valide* et cum effectu, manus ad ordinandos clericos imponeret? Prorsus œcumenicæ, et ex toto orbe Christiano congregatæ synodi proprium fuit, tanta de re generalem pronuntiare sententiam, cujus ad omnes Ecclesias vis, et forma pertineret.

II. Quemadmodum in altera illa quæstione factum esse scimus, quæ tamdiu Catholicos exercuit, inter seque commisit, de illis iterum baptizandis, qui extra Ecclesiam baptizati fuissent. Ad eam enim dissolvendam *universalis*, ac *plenarii concilii* auctoritas fuit adhibenda, ut in libris contra Donatistas crebro meminit Augustinus. Qui et eo nomine Cyprianum excusat, quod adversus antiquam consuetudinem Ecclesiæ rebaptizandos illos esse censuerit [2], « quia plenarium de hac re concilium nondum habebat Ecclesia; » quod post illius mortem de hac quæstione celebratum est, quodcumque tandem concilium illud fuerit, quod *cunctarum gentium sanctum Concilium* idem appellat [3], ac sive Nicænum œcumenicum primum intelligat: ut plerique censent, me quidem non probante. Non enim liquido de hac quæstione synodus illa statuit, sed tantum quinam ex hæreticis rebaptizandi essent edixit. Sive Arelatensis prima significetur, quæ in canone octavo plene rem decidit; quod et probabilius videtur. Ac videmus, etiam post utriusque concilii decreta, ac generalem Ecclesiæ totius sententiam, non sic tamen everti, abolerique potuisse funditus usum illum rebaptizandi, ut non aliqui postea superfuerint viri sanctissimi, qui contra interdictum baptizatos ab hæreticis, quoad fieri posset, novo baptismo initiari voluerint; quod baptismum illorum nullum esse sentirent: ut Basilius, aliique, de quibus alibi dicam. Quod si plenarii et universalis concilii tanta esse auctoritas non potuit ad retinendam, conservandamque veterem Ecclesiæ consuetudinem contra novam præposteramque doctrinam, ut hanc penitus obliterare posset; quis sanus, et doctus, hoc est Salmasii dissimilis, non facile videat, quam sit ineptum, absurdumque dicere, in unius provincialis synodi sanctione tantum momenti ac roboris fuisse, ut quod statueret, velut ex condicto, repente per totum terrarum orbem aboleretur sic, ut nullum uspiam restaret illius in Ecclesia catholica vestigium? Præsertim cum non, ut illi plenariæ contra rebaptizantes synodo, causæ isti bonitas suffragaretur; sed antiquum, et ab Christo ipso institutum, atque ab apostolis transmissum Ecclesiæ morem, ac dogma, uti quidem cum suis ἀκαθάρτοις Puritanis Salmasius opinatur, opprimere contrario usu, ac decreto studerent. Hæc, nisi quis prorsus obbrutuit, satis ad eum curandum esse possunt, qui ex impura dissertatione Messaliani pus illud, ac venenum hauserit.

Postremo, ut huic de Ancyrano concilio remittamus, quæ imperite, ac sine judicio contendit; ac demus, post illum canonem, presbyteris ordinandi facultatem per totam Ecclesiam fuisse detractam: eo tamen res demum recidet, ut, quamvis post illud interdictum Ecclesiæ graviter delinquerent presbyteri, si ordinare amplius auderent, ac pœ-

[1] Sal. p. 300. — [2] Aug. l. 4. de Bapt. cont. Donat. c. 6. et 9. [3] Lib. 5. cap. 17. de bapt.

nis ecclesiasticis plecterentur ; nihilominus ratum illud haberetur, utcumque fecissent : neque manus iterum ordinatis imponere, atque ordinare fas esset ; ut in iis accidisse scimus, qui ab hæreticis, schismaticis, et ab communione rejectis Ecclesiæ baptizati, ab iisque, qui poterant, ordinati fuerant.

III. Nunc de Ancyrano isto canone disputemus. Varie hic quidem ab Latinis conceptus est, cum in græco sit uniusmodi, et hunc in modum se habeat, ex Dionysii exigui interpretatione : « (1) Chorepiscopis non licere presbyteros, aut diaconos ordinare ; sed neque urbis presbyteros, nisi cum litteris ab episcopo permissum fuerit, in aliena parochia. » At in editione Canonum ecclesiasticorum Dionysii exigui a Justello vulgata ante annos quindecim ita ille canon legitur : « Chorepiscopis non licere presbyteros, aut diaconos ordinare ; sed neque presbyteris civitatis, sine præcepto episcopi, vel litteris, in unaquaque parochia. » Ex quo videtur in codice græco suo Dionysius habuisse ; primum χωρεπισκόποις, et πρεσβυτέροις. Quanquam communis lectio eumdem sensum capit. Sed præterea pro ἑτέρᾳ, idem Dionysius ἑκάστῃ legit. At Isidorus mercator, et novæ versionis auctor Hervetus, nonnulla suppleverunt. Nam ille sic reddit : « Sed nec presbyteris civitatis, sine episcopi præcepto, amplius aliquid imperare ; vel sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere. » Cui fere consentaneus est Hervetus.

De hujus canonis sensu itum est varias in sententias. Zonaras, et Balsamo solis chorepiscopis modum præscribi, et eorum licentiam refrænari putant, uti nec presbyteros, aut diaconos, nec presbyteros civitatenses ordinent, nisi ejus rei ab episcopo facultatem litteris expressam impetraverint. Cum autem resbyteros, et diaconos universe primum vetat ordinari, deinde presbyteros urbicos ; ita Zonaras interpretatur. Chorepiscopi in agris, et rusticanis parœciis erant episcopi ; unde et nomen adepti sunt. Habebant autem administros presbyteros simplices, et diaconos, tanquam peculiarem clerum. Hos igitur primo loco ordinari ab illo prohibet Synodus, injussu episcopi civitatis, et sine litteris ipsius ; tum addit, etiam urbicos presbyteros absque eadem licentia ab episcopo facta consecrare prohiberi, tanquam ita scriptum esset : *Multo minus presbyteros urbicos ordinari ab eo licere.* Ita Zonaras.

IV. Nos de chorepiscopis, et Ancyrano isto canone plura scripsimus ante annos viginti, in Animadversionibus ad Epiphanium [1]. Ubi mendosum esse græcum canonem suspicabamur ; non tamen certo, ac definite quid in eo vitiosum esset, exposuimus : sed hoc unum diximus, si abessent ab illo verba ista, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, *sensum aptissimum fore.* Quod qui dicit, non statim expungere illa putandus est, quæ, si abessent, nullam in verbis offensionem fore asserit. Nam et alias, iis relictis vocibus, uti vitiosus haberi, sic emendari poterat ; si conjecturas de illo omnes explicare vellem. Ut si adderem ea potius, quæ in latinis quibusdam editionibus apparent ; atque ita conformarem : Ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου, πλέον τι ἐπιτάττειν, ἢ καὶ μὴ μετὰ γραμμάτων αὐτοῦ, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ τί ποιεῖν ; aut alio quopiam modo. Verum nihil ex opinione mea liquidi, ac determinati asseverare volui ; atque hoc duntaxat indicavi, quemadmodum probabilis illius canonis sententia constaret, si sic liceret corrigere, ut illæ voces inducerentur. Sane non est absurda, neque ratione carens ista suspicio, nonnihil aut demendum de illo canone, aut ad eum addendum, si quis græcorum latinorumque varietatem codicum aspiciat. Ac nominatim quod optaveram potius abesse voces illas, quam deesse pronuntiabam, non absque causa factum prudens quisque judicabit.

V. Imprimis, quod de solis chorepiscopis decretum illud editum fuisse complures antiquorum significant, qui illius mentionem faciunt ; itidem, ut Antiocheni concilii canon decimus habuit postea, in quo nonnisi chorepiscopi memorantur. Itaque Ferrandus diaconus, qui Dionysii exigui seculo vixit, et fortassis ætate hunc antecessit, in Breviatione canonum [2], summam utriusque his verbis complexus est : *Ut chorepiscopi, id est vicarii episcoporum, nec presbyteros, nec diaconos ordinent, nisi tantum subdiaconos.* (*Concilium Anquiritanum tit.* 13. *Conc. Antioch. tit.* 10.) Sic etiam Cresconius in collectione sua

(1) Ancyr. can. 13. Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ.

[1] Hær. 69. pag. 277.

[2] Num. 79.

solius chorepiscopi mentionem notat fieri in ambabus synodis, numero 96. *De chorepiscopo, id est vicario episcopi, quæ ad ejus officium pertineant.* (*Conc. Ancyr. tit.* 14. *Conc. Carth. tit.* 10.) Ubi pro *Carthaginensis* forte *Antiochenum* rescribendum est; quod et Ferrandus, et numerus ipse tituli persuadent. Et in Capitulari Aquisgranensi Caroli M. ambo isti canones inter se comparantur, et *Ancyronense* (sic enim vocatur) ita concipitur [1], « Vicariis episcoporum, quos Græci chorepiscopos dicunt, non licere presbyteros, vel diaconos ordinare. Sed nec presbyteris civitatis, sine episcopi præcepto, amplius aliquid jubere; vel sine auctoritate litterarum ejus, in unaquaque parochia aliquid agere. » Sed ut appendix ista perperam intrusa obelo juguletur, certe nemo illorum, qui canone isto usi sunt, quod de presbyteris civitatis injectum est, sic accepit, ut eamdem ac chorepiscopis, potestatem ordinandi presbyteros et diaconos, penes illos fuisse significetur. Sed quidquid de urbicis istis presbyteris in Ancyrano isto canone continetur, nonnisi σχετικῶς ad chorepiscopos, et, ut ita dicam, *passive*, non *active*, de illis antiqui omnes interpretati sunt; hoc est, ut quid circa eos facere vetitum sit chorepiscopis, non quid facere ipsi prohibeantur, synodus illa comprehenderit. Nimirum ut vel imperare illis aliquid, vel eos ordinare chorepiscopis interdictum sit; non istis, quod antea faciebant, deinceps facere. Ac Græci quidem posterius illud, ut supra dictum est, amplexi sunt; quod et græce lectioni congruit : uti neque presbyteros proprios ordinare sibi, neque alienos, et urbicos chorepiscopis licuerit, nisi utriusque ab episcopo urbis illius potestate concessa. De quo sensu canonis nonnulla sunt ab erudito viro probabiliter dicta [2].

VI. Sed de altera porro ejusdem lectione canonis inquirendum est, ad quam Dionysius exiguus in Justelli editione præit. Quæ quidem non chorepiscopis tantum, sed etiam presbyteris civitatis, episcopo concedente, permittit ordinare presbyteros, et diaconos. Ex quo Cathari contendunt, presbyteros simplices potestatem habuisse manus imponendi, saltem extraordinariam : adeoque sic illos ordinare, quomodo et baptizare potuisse; ut, etsi contra vetitum id agerent, rata nihilominus esset, nec iteranda consecratio. Ita Salmasius Puritanorum suorum assectatus vestigia.

Contra quos id omnino præscribimus, quod ne ipsi quidem inficiari possunt: quibuscumque tandem canone illo potestas ordinandi facta sit, non aliis eam esse concessam, quam qui episcopalem consecrationem haberent. Sic enim Antiochenus canon decimus hanc causam exprimit, cur chorepiscopi alioquin ordinare possent, nisi ecclesiastica lege prohiberentur. « (1) Qui in vicis, *ait*, vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint; etc. » Ita Dionysius exiguus. Quicumque ergo *ut episcopi consecrati non sunt*, hoc est, episcopali ordine et consecratione carent, ii ordinare, ac manus imponere nequeunt. Ut, exempli causa, in agris et villis, præter chorepiscopos erant presbyteri simplices, ut ex Neocæsariensi concilio constat; in quo separatim de utrisque canones editi sunt, decimus tertius, et decimus quartus. Illi ergo simplices presbyteri, quos ἐπιχωρίους πρεσβυτέρους canon prior nominat, quia episcopalem ordinem non habebant, eoque diversi erant a chorepiscopis, ordinare non poterant. Igitur neque presbyteri urbici, nisi iidem essent episcopi, cujusquam permissu presbyteros, aut diaconos consecrare possent.

VII. Quamobrem, ut Salmasii procedat ratio, fateri eum oportet, ante Ancyranum concilium, hoc est totis ab Christo seculis tribus, omnes civitatum presbyteros episcopos fuisse, ac clerum universum ex primi ordinis sacerdotibus constitisse ita, ut nullus ibi simplex esset presbyter. Ita enim Salmasius ipse ratiocinatur [3], ex eo, quod Apostolus Timotheum ait [4] *gratiam accepisse cum impositione manuum presbyterii*, non eos fuisse presbyteros simplices. Nam « Presbyteri simplices non habuere jus manus impositionis. » Igitur omnes civitatum presbyteri, qui « passim, ut idem ait [5], ordinationem presbyterorum, et diaconorum usurpabant » ante synodi Ancyranæ decretum, episcopalis omnes ordinis extiterunt. Atqui contrarium istud est ei, quod in dissertatione Messaliana toties inculcat; primo tantum seculo, aut, si forte etiam medio secundo, episcopatum cum presbyteratu fuisse conjunctum; postea vero duos ex uno esse factos, ac separatos. Nam cap. 4.

(1) Antioch. can. 10. Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους Χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες.

[1] Num. 9. tom. 2. Conc. Gal. p. 134. — [2] Hall. lib. de sacris Ordin. Part. 2. Sect. 5. c. 1. art. 2. § 1. p. 552. — [3] Sal. p. 11. — [4] 1. Tim. 4 14 — [5] Pag. 300.

« Sed nec Salmasius, *inquit* [1], perpetuum esse voluit, ut presbyteri plures, qui et episcopi dicebantur, Ecclesias cujusque civitatis communi consilio rexerint. Mutatam regiminis apostolici formam post apostolorum Petri et Pauli obitum, non invitus etiam concesserim, ita tamen ut verissimum sit, haud statim ab eorum obitu novum hunce morem cœpisse. » Postea vero [2] tempus illud *mutati regiminis* designat « circa initium, aut medium secundi seculi; quo tempore primus singularis episcopatus supra presbyteratum introductus fuit. » Jam vero simul atque presbyteratus ab episcopatu distinctus esse cœpit, presbyteros simplices omni jure ordinationis caruisse, ac non solum episcopi, sed etiam presbyteri consecrandi, affirmat idem Salmasius, dum quod Hieronymus dicit, *excepta ordinatione, nihil facere episcopum, quod non faciat presbyter*, verum id esse ait, si ad tempus illud referatur, quo hæc officia distincta sunt. « Recte hoc ille quidem, *ait* [3], ubi hæc officia distincta sunt, et gradus discreti. » Hieronymus, ut et Epiphanius, necnon Chrysostomus, cum χειροτονίας, id est ordinationis jus presbytero detrahunt, solique vindicant episcopo, de omni ordinatione necessario debent intelligi. Quippe post Ancyranam synodum tres illi floruerunt; post cujus canonem potestas ordinandi funditus erepta presbyteris a Salmasio creditur. Cum igitur quam ordinationem non habere presbyteros asserunt illi, ea, statim atque secerni ordines illi ambo cœperunt, penes eos esse desierit; consequens est, sub initium, vel medium secundi seculi, presbyteros non amplius ordinasse; ac fœdissime adeo in seipsum impegisse Salmasium, qui usque ad Ancyranam synodum passim hoc illos fecisse dicit.

Rursus autem, si verum est quod in plerisque locis ejusdem stramentitiæ dissertationis oggerit [4], ab initio Christianismi unum aliquem in quaque Ecclesia singularem episcopum præfuisse, qui κατ' ἐξοχὴν episcopus vocatus est, hoc vero non aliter fieri potuisse [5], quam ut ambo invicem distincti essent ordines; profecto jam tum apostolorum ætate, et in ipsis Ecclesiæ primordiis, presbyteri ordinandi jus ac potestatem habuere nullam. Vides in illa fæce scriptionis Cathari litteratoris ἀκαθαρσίαν, ac balbutiem; quæ nec secum, neque cum sana doctrina cohæret, sed ῥιψαύχενι σὺν κλόνῳ huc et illuc inconditis sese motibus versat. Nos ut errantem, ac palabundum, velut injecta compede, retineamus, sumemus id, quod inter contradicentia sibi mutuo illius dicta probabilius occurrit: presbyteros simplices, qui jam episcopi esse desierant, neminem ordinasse presbyterum, aut diaconum, sed eo solum tempore, quo iidem erant episcopi; quod pluribus in locis, ac paululum compos sui, et intervallo sanæ mentis aliquo scripsit.

VIII. Quamobrem non omnes presbyteri civitatis, qui sub uno præside, atque episcopo censebantur, ordinandi potestatem habebant; quia simplices erant, et episcopali ordinatione carebant, longe ante Ancyrani concilii tempus. Ergo soli ordinare poterant inter illos; si ordinasse revera canon ille Ancyranus eos indicat; qui χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες, ut Antiochena synodus loquitur [6], hoc est, interpretante Dionysio, *qui manus impositionem episcoporum perceperant, et ut episcopi consecrati fuerant;* vel, ut Epiphanius dicit [7], οἳ ἔχοντες χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν, *qui imponendarum manuum ad ordinandum jus haberent.* Revocemus modo in memoriam, si quod in usu antiquitatis, et historia reperiri potest exemplum episcoporum, qui inter civitatis presbyteros aliqua de causa locum habuerunt, ut presbyterii partem facerent. Non longius eundum nobis erit istud inquirentibus. Siquidem in illis ipsis Ancyranæ synodi canonibus unus invenitur, qui hoc, quod volumus, statim exhibet; et ad canonis alterius, de quo est controversia, sententiam explicandam multum lucis affert. Hic est canon 18. Græcis, Latinis quibusdam 17. qui ejusmodi est ex interpretatione Dionysii exigui: « (1) Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia, in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias, et vim præsuli-

(1) Ancyr. can. 18. Εἴ τινες Ἐπίσκοποι κατασταθέντες, καὶ μὴ δεχθέντες ὑπὸ τῆς παροικίας ἐκείνης, εἰς ἣν ὠνόμασθησαν, ἑτέραις βούλοιντο παροικίαις ἐπιέναι, καὶ βιάζεσθαι τοὺς καθεστῶτας, καὶ στάσεις κινεῖν κατ' αὐτῶν, τούτους ἀφορίζεσθαι. Ἐὰν μέν τοι βούλοιντο εἰς τὸ πρεσβυτέριον καθέζεσθαι, ἔνθα ἦσαν πρότερον πρεσβύτεροι, μὴ ἀποβάλλεσθαι αὐτοὺς τῆς τιμῆς. Ἐὰν δὲ διαστασιάζωσι πρὸς τοὺς καθεστῶτας ἐκεῖ Ἐπισκόπους, ἀφαιρεῖσθαι αὐτοὺς καὶ τὴν τιμὴν τοῦ πρεσβυτερίου, καὶ γίνεσθαι αὐτοὺς ἐκκηρύκτους.

[1] Pag. 181. — [2] Pag. 253. — [3] Sal. pag. 141. et pag. 117. 118. 119. et 288. 289.

[4] Sal. p. 205. et 274. Vide cap. 12. lib. 1. hujus Operis. — [5] Ib. p 85. — [6] Can. 10. — [7] Hær. 75. Num. 4.

bus earum inferre, seditiones adversus eos excitando ; hos abjici placuit. Quod si voluerint in presbyterii ordine, ubi prius fuerant, et presbyteri residere ; non abjiciantur propria dignitate. Si autem seditiones commovent ibidem constitutis episcopis, presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles. »

IX. Offert itaque nobis canon iste presbyteros civitatis episcopali ordinatione, ac charactere præditos ; qui ad urbes aliquas regendas ordinati episcopi, nulla sua culpa, ab iis, quibus destinati erant, non sunt admissi, et ideirco pristinum in locum denuo erant recepti, inter presbyteros habiti sunt. Cujusmodi non infrequentia in ecclesiasticis historiis incidunt exempla. Nec paucos legimus viros sanctos eorum, quibus præerant, populorum offensos moribus, et intractabili ferocia, cum de emendatione desperassent, ultro cessisse, ac se sponte in ordinem redegisse. Ut ille quondam Antiochensis episcopus Martyrius, qui, Leone imperante Marciani successore, cum hæresi corruptam civitatem frustra revocare conatus esset, et infestis seditiosorum tumultibus agitaretur, convocata multitudine, palam se abdicavit, his utens vocibus : « (1) Clero immorigero, et populo rebelli, et Ecclesiæ contaminatæ renuntio, sacerdotii mihi honorem reservans ; » ut Theophanes, Cedrenus et Nicephorus narrant. Hujusmodi ergo quacumque tandem ex causa episcopali sede vel pulsi, vel sponte cedentes, cum ad presbyterium rediissent, adhiberi ab episcopo civitatis, cujus in clero versabantur, ad ordinandum poterant. Quemadmodum hodieque fit, cum episcopi, quos *suffraganeos* vocant, titulo tenus episcopalem aliquam sedem obtinentes, episcoporum permissu et auctoritate, quorum in diœcesi sunt, episcopos, et presbyteros, ac ceteros clericos manuum impositione consecrant. Sic Antiochena synodus can. 18. « (2) Qui episcopus ordinatus ad parochiam minime, cui est ordinatus, accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vitet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam, » eum jubet « esse et honoris, et ministerii participem, dummodo nihil molestus Ecclesiæ rebus existat, ubi ministrare cognoscitur. » Quem ad canonem Zonaras et Balsamo adnotant, non licere tali episcopo in ea urbe, in qua domicilium collocavit, ullam sacerdotalis officii partem attingere, maxime autem ordinare, nisi urbis illius episcopus concesserit.

X. Est et alius modus redigendorum ad presbyterii gradum episcoporum, vetere usitatus in Ecclesia, cum ab hæresi, aut schismate redeuntes ad communionem catholicam episcopi clero urbis accenserentur. Ita enim Nicænum concilium eodem, quo Ancyranum, seculo celebratum canone 8. sancivit, ut ab Catharorum, id est Novatianorum hæresi, ac schismate reversi ad Ecclesiam, in eodem, quem habebant, gradu reciperentur ; ac si quidem nullus in urbe esset episcopus, illi ipsi locum occuparent ; sin jam aliquis sedem illam teneret, qui ab Catharorum parte rediret episcopus, presbyteri dignitatem haberet, nisi episcopatus ei titulum communicare vellet catholicus episcopus. « (3) Ubicumque vero (ait Synodus ex interpretatione Dionysii) sive in municipiis, seu in civitatibus, ipsi soli reperti fuerint ordinati : qui inveniuntur in clero, in eodem habitu perseverent. Ubi autem catholicæ Ecclesiæ episcopo, vel presbytero constituto, quidam ex illis adveniunt ; certum est, quod episcopus Ecclesiæ habebit episcopi dignitatem. Is autem, qui nominatur apud eos (qui Cathari dicuntur) episcopus, honorem presbyterii possidebit ; nisi forte placuerit episcopo nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut chorepiscopatus, aut presbyterii locum, ut in clero prorsus esse videatur ; ne in una civitate duo episcopi probentur existere ». Qui canon valde est animadvertendus ; nihil enim ad negotium nostrum fingi potest accommodatius. Nam ex eo cognoscimus, quam multi in presbyteriis civitatum censiti sint episcopi, qui

(1) Theoph. Cedr. Niceph. lib. 15. cap. 28. Κλήρῳ [illegible] ἀπειθοῦντι, καὶ λαῷ ἀτειθεῖ, καὶ ἐκκλησίᾳ ἐβεβηλωμένῃ ἀποτάσσομαι, [illegible] ἐμαυτῷ τὴν τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα.

2. Antioch. can. 18. Εἴ τις ἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς εἰς παροικίαν μὴ ἀπέλθῃ, εἰς ἣν ἐχειροτονήθη, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ [illegible] πίαν, ἀλλ' ἤτοι διὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν, ἢ δι' ἑτέραν [illegible] πίαν οὐκ ἐξ αὐτοῦ γενομένην· τοῦτον μετέχειν τῆς τιμῆς, καὶ [illegible] ἐν παρενοχλοῦντα τοῖς πράγμασι τῆς [illegible].

Nic. can. 8. Ἔνθα μὲν οὖν πάντες εἴτε ἐν κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκοντο χειροτονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι. Εἰ δὲ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας Ἐπισκόπου, ἢ Πρεσβυτέρου ὄντος, προσέχονταί τινες, πρόδηλον ὡς ὁ μὲν ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας ἔχει τὸ ἀξίωμα τοῦ Ἐπισκόπου. Ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς Ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ Πρεσβυτέρου τιμὴν ἔχει, πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ Ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν. Εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ Χωρεπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο Ἐπίσκοποι ὦσιν.

episcopatus nomine, ac munere privati, presbyterorum contenti erant ordine; quorum tamen opera interdum ad ordinandos clericos uti poterant episcopi.

XI. Præter Ancyranum illum canonem 13. ex quo Salmasius a Puritanis suis argumentari est edoctus, presbyteros simplices ordinare potuisse presbyteros, aut diaconos, episcopo permittente; viri quidam eruditi Leonis M. undecimam epistolam proferunt, in qua Rustici Narbonensis inquisitionibus respondet, quarum prima est, *de presbytero, vel diacono, qui se episcopos esse mentiti sunt, et de iis, quos ipsi clericos ordinarunt.* Huic vero ita Leo respondet : « Illos quidem episcopos non esse, nec inter episcopos habendos, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudo episcopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum cum consensu, et judicio præsidentium facta est; potest rata haberi ita, ut in ipsis Ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita. » Quo ex canone concludunt, ordinationes etiam a falsis episcopis factas auctore illo, cujus in diœcesi celebratæ sunt, ratas haberi.

XII. Verum duo in clericatu, velut presbyteratu, ac ceteris consideranda sunt : alterum est Ordinis sacramentum : alterum locus, cui attributi; vel, ut Joannes diaconus in vita Gregorii magni loquitur [1], *incardinati* erant, qui ad ordines provehebantur. Etenim vetitum erat, ne quis ἀπολύτως, id est nisi certæ sedi addictus ordinaretur presbyter, aut diaconus. De quo memorabilis est Chalcedonensis concilii sextus canon, atque instituto nostro multum utilis. « (1) Nullum, *inquit*, absolute ordinari debere presbyterum, aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter Ecclesiæ civitatis, aut possessionis, aut martyrii, aut monasterii, qui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit sancta Synodus, irritam haberi hujuscemodi ordinati manus impositionem, et nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam. » Vide Zonaram, et Balsamonem tum ad hunc canonem, tum ad decimum quintum Apostolorum. Eumdemque canonem in Capitularia sua retulit Carolus magnus [2].

Dupliciter itaque rata, vel e contrario irrita intelligenda est clericorum ordinatio. Uno quidem rata erit, si revera ordinatus est, etiamsi non recte. Ut si ab hæretico, vel schismatico, vel usu potestatis interdicto episcopo consecratus sit; quemadmodum de baptismo Donatistarum sæpe testatur Augustinus [3], verum quidem, sed non recte illic accipi. Altero rata esse potest, si vere ordinatus non fuerit, quia potestas ordinatori defuit : verum quoniam errore factum est, ut is episcopus putaretur, qui non erat, potest eatenus recipi, qui ab illo initiatus est, ut eumdem ad quem est destinatus, in clero locum obtineat; sed ita, ut de integro vero ab episcopo ei manus imponatur. Totidem ex adverso modis irrita esse potest ordinatio. Nam aut nulla est, et idcirco repetenda : aut vera est, sed vitiose tradita, vel accepta; ideoque loco et gradu multatur in clero, qui ad ejus spem initiatus fuerat. Hunc posteriorem ordinationis irritæ modum Chalcedonensis ille canon significat. Qui enim absolute, ac *sine titulo*, ut vulgo loquuntur, ordinatus est presbyter, aut diaconus, nemo tamen eum vere esse presbyterum, aut diaconum negaverit.

XIII. Quid igitur sibi volunt Patres illi, dum ἄκυρον χειροτονίαν, hoc est *irritam ordinationem* istam pronuntiant? Nempe id, quod in canone decimo sic exprimunt, ἐκπίπτειν τοῦ ἰδίου βαθμοῦ, id est, *a proprio gradu excidere;* quod loco illo, dignitate, fructu, ac stipendio careant, quæ in civitate, ac clero, ad quem ordinati erant, alioquin habuissent.

Hoc sensu Leo papa ratam illorum ordinationem esse jussit, qui a presbytero, et diacono pro episcopis se gerentibus ordinati erant, *cum consensu, et judicio præsidentium.* Ut in illis scilicet Ecclesiis eumdem, cujus ordinationem accepisse visi sunt, gradum adipiscantur. Ubi, etsi expresse non dicitur, tacite tamen intelligitur, prius vera ordinatione

(1) Concil. Chalced. can. 6. Μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι· εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο. Τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροτονίαν, καὶ μηδαμοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν ἐφ' ὕβρει τοῦ χειροτονήσαντος.

[1] Lib. 3. c. 15. — [2] Lib. 1. c. 25.

[3] Vide lib. 1. de baptis. c 3.

promovendos esse, ut idonei sint, qui locum illum teneant. Quod inviti fatebuntur, qui Leonis testimonio illo contra nos utuntur. Non enim sic eos absurde sentire arbitror, ut a diacono simplici ordinari posse presbyterum asserant; ut non dicam diaconum. Atqui hoc ipsum concedi ab iis oportet, si quid ex Leonis decreto colligunt. Etenim presbyteros, et diaconos a pseudo episcopis illis, quorum unus presbyter erat, alter diaconus, ordinatos esse asserunt, cum in lemmate inquisitionis, et responso Leonis, nonnisi *clerici* nominentur, non presbyteri, aut diaconi. Demus id, quod gratis assumunt, nec probare possunt, presbyteros ab illis creatos esse; certe clericos istos, inter quos presbyteros fuisse volunt, non unus amborum, sed duo illi pseudo episcopi ordinasse dicuntur. Ergo et unus istorum diaconus ordinavit presbyteros; et hanc illius ordinationem ratam esse jussit Leo pontifex. Quod si, ut est revera, sic illis absurdum et intolerandum videtur, eos pro veris presbyteris a Leone recipi jussos, qui a diacono erant ordinati; desinent ex illo loco Leonis argumentari, veros a presbytero consecrari posse presbyteros, aut diaconos: ne, quod exhorrescunt, indidem fateri cogantur, etiam ab diacono, eodem probante Leone, veros ordinatos esse presbyteros.

XIV. Sane ex antiquis Conciliorum decretis, ac Patrum testimoniis, præsertim vero Leonis ipsius, constat, hoc quod dicitur, ratas vel irritas esse clericorum ordinationes, sæpe ad solum ordinis gradum, et locum in clero et ecclesia referri, non ad ipsum Sacramentum, et characterem sacerdotii, vel ordinis alterius. Ita in Epistola prima decretali capite secundo, « viduarum maritos, aut numerosis implicatos conjugiis, quicumque tales admissi sunt ad ordines, ab ecclesiasticis officiis, et a sacerdotali nomine arceri » jubet Leo papa. « Nec hoc enim sibi poterunt pro arbitrio vindicare, cujus capaces, per hoc quod illis obstiterat, non fuerunt. » Nemo dixerit, utcumque ordinatos istos non veros fuisse sacerdotes. Itaque de loco, et jure clericatus, non de ordine ipso interpretandus est Leo. Sic in epistola 89. capite 6. jubet, sacerdotes sabbato tantum ordinari, vel Dominico die: « Nec sibi constare status sui noverint firmitatem, qui non die sabbati vespere, quod lucescit in primam sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. » Ubi perinde, ut in priori, status firmitatem, non ordinationem ipsam vocat, sed ordinis prærogativam, externamque dignitatis speciem, usum atque commodum. Quo minus admirandum est, in illa ad Rusticum epistola nos eodem modo *ratam ordinationem* interpretari.

Postremo suspicari etiam ita possumus, duos illos ab Leone nominatos pseudo episcopos episcopalem ordinationem accepisse ab alienis episcopis, non ab metropolitano, et provincialibus episcopis; itaque quod etsi vere, non tamen legitime consecrati essent, episcopatus honore, ac nomine indignos habitos esse, retractosque pristinorum ad graduum vocabula presbyteratus, et diaconatus. Hoc mihi Leo indicasse videtur, cum illos idcirco non esse ait episcopos, qui ab metropolitano, et provincialibus episcopis, et ex præscripto canonum ordinati non fuerunt; alioqui diceret absolute, ab nullo istos episcopo creatos fuisse. Horum alterutrum, sed prius maxime, tum probabile est, tum adversariis vim omnem ex Leone sumptæ auctoritatis extorquet.

CAPUT DUODECIMUM.

De chorepiscopis rursum agitur. Parœciarum origo quomodo ab rusticanis ecclesiis ad urbanas transitum fecit. Explicatur quid sit παροικία, sive parochia. Duplex ejus notio: una qua totam diœcesim significat: altera qua partem illius. Χώρα quid sit. In magnis urbibus plures erant parœciæ: in aliis una tantum. Insignis Innocentii primi locus illustratus. Salmasii repugnantia secum dicta. Περιοδευταὶ, deque iis Laodicenus canon expositus: Περιοδεύειν mederi. Ridicula Salmasii opinio *curatos* dici περιοδευτὰς, id est medicos.

I. Redeo ad chorepiscopos, de quibus nonnulla Wallo Messalinus magnus nebulo mandata sibi ab Salmasio scripsit, indigna docto ac sano capite, rudi et imperito Trapezita, ac

fœneratore digna. Horum primum illud esto, in quo [1] teneri me credidit, quod parœciarum originem a rusticanis ecclesiis transiisse dixi [2] ad urbanas, « et χωρεπίσκοπον dictum fuisse ἀπὸ τῆς χώρας, quæ olim proprie παροικία dicebatur ; » cum sit παροικία proprie « universa regio, vel territorium, sive ἐνορία, quæ circa urbem est aliquam, urbico magistratui parens, intra cujus fines jurisdictionem habet. » Verum si quis totam de parœciis, et chorepiscopis disputationem illic institutam legerit, non hujus vitio, sed illius tarditate factum esse discet, ut ea, quæ non caperet, criminari more suo præter meritum auderet. Dictum ibi est a me, parœcias, quæ sunt ecclesiæ, et contributæ singulis Christianorum familiæ, quibus sud uno et eodem episcopo curandis, et administrandis suus cuique est assignatus presbyter, prius in agris, et extra urbem, quam intra hanc institutas videri fuisse. Non dixi, παροικίας vocabulum per se, et universe sumptum id solum significare, quod χώραν appellarunt ejusmodi, a qua χωρεπίσκοπος vocari cœpit.

II. Nec enim id me latebat, παροικίαν olim pro tota diœcesi, vel territorio unius episcopatus accipi ; ut in Ancyrano illo canone 13. sumitur, quem supra commemoravimus, et in canone Apostolorum 14. « (1) Episcopo non licere alienam parochiam, propria relicta, pervadere, licet cogatur a plurimis. » Sic in canone 35. ubi παροικίαν diserte pro episcopatu sumit, ab eaque τὰς χώρας, id est subjectas ipsi *villas* distinguit. Nam præcipit episcopis, suis esse contentos finibus, nec agere quidquam præter metropolitani conscientiam, « (2) quam illa sola singulos, quæ parochiæ propriæ, et villis, quæ sub ea sunt, competunt. » Ita Dionysius, qui legisse videtur ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις, non αὐτόν. Sic canone sequenti, « (3) subjectas episcopo civitates et villas » nominat ; quemadmodum et Antiochenus canon 9. « (4) unumquemque » jubet « episcopum habere suæ parochiæ potestatem. » Et canone 21. « (5) Episcopus ab alia parochia nequaquam migret ad aliam. » Quin etiam Hieronymus in epistola ad Pammachium, contra Joannem Hierosolymitanum, pro diœcesi *parochiam* usurpat. « Ostende nos, *inquit*, in parochia tua habere episcopum. » Ubi notandum venit *parochiæ* nomen, quod ex græco παροικίας usu deflexum est : quo, ut vidimus, passim Dionysius exiguus utitur. Sic et χώρα sæpe pro ea parte diœcesis accipitur, quæ extra urbem est in agris ac villis, ut mox dicam.

III. Sed præter hac nominis παροικίας notionem, altera est, qua non totam diœcesim, sed diœcesis particulam significat ; adeo ut plures sint in tota parœcia, sive diœcesi minores, vel, ut Tertullianeo vocabulo utar, *portionales parœciæ ;* atque ita plurali numero, τὰς παροικίας, latine *parochias* dicimus. Ut in majoribus oppidis, et civitatibus plures sunt ecclesiæ, quarum singulis certæ domus ac familiæ contributæ sunt ; quas hodieque *parœcias*, et qui iis præsunt, *curatos* nominamus, quod penes eos *cura* sit : quos latine magis *curatores* appellare liceat. Hujusmodi ergo parœciarum institutum, vel, ut vulgo loquuntur, *parochiarum*, dixi in animadversionibus ad Epiphanium, prius in agris, et extra urbes, quam in urbibus, usurpatum videri. Quippe primis Ecclesiæ temporibus, antequam adeo numerosa seges extaret sementis evangelicæ, primi illi conditores ecclesiarum bifariam operam suam, et operæ administros partiti videntur, in urbem, et urbi adjunctum territorium. Atque intra muros quidem una sufficiebat ecclesia, vel oratorium, aut Dominicum, ad synaxes et sacros conventus habendos. Extra urbem autem, et in agro urbi illi contributo, quod propter longinquitatem una congregandis omnibus non satis esset ecclesia, complures factæ sunt, in quas paulatim territorium omne distributum est ; et ita plures ortæ sunt *parœciæ*, quas Græci χώρας, et παροικίας, Latini *regiones*, et *villas*, et *parochias* nuncuparunt.

IV. In Antiochena synodo, τῇ παροικίᾳ, id est toti diœcesi subjectæ esse χῶραι dicuntur canone 9. in quo decernitur, (6) episcopum nihil per se, ac sine metropolitani auctoritate agere,

(1) Apost. can. 14. Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, ἑτέρᾳ ἐπιπηδᾶν, κἂν ὑπὸ πλειόνων ἀναγκάζηται.

(2) Can. 35. Apost. vel. 34. Ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, οἷα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὸν χώραις.

(3) Can. 35. vel 36. Τὰς ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις, καὶ χώρας.

(4) Antioch. can. 9. Ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας.

(5) Id. can. 21. Ἐπίσκοπον ἀπὸ παροικίας ἑτέρας εἰς ἑτέραν μὴ μεθίστασθαι.

(6) Antioch. can. 9. Μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, ἢ ταῦτα μόνα ἅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις.

[1] Salm. c. 5. p. 312.

[2] In Anim. ad Epiph. Hær. 69 init.

« præter illa, quæ ad uniuscujusque parœciam, et subjectas ei χώρας pertinent ; » quas Dionysius *possessiones* vocat, hoc est *villas*. Hinc Χωρεπισκόπους nomen accepisse, in sequenti canone eadem Synodus ostendit : « (1) Qui in vicis, vel possessionibus chorepiscopi nominantur. » Ita Dionysius. Alii interpretes, « Ii qui sunt in vicis, vel pagis. » In superiori vero canone χώρας vertunt *regiones*. Est ergo χώρα ager urbi contributus, sive villa, et regio. Glossarium vetus, χώρα, *arvum*, *regio*. Et glossæ Cyrilli, χωρίον, πεδίον, id est *campus*, vel *ager*. Idipsum significat et *possessio*, nempe *fundum*, sive *prædium rusticanum*, quod et græca vox κτῆμα exprimit. Ita Proverbiorum 31. 16. *Plantavit vineam*, κατεφύτευσε κτῆμα, apud Augustinum ita redditur [1], *Plantavit possessionem*. Et hodieque *vineam* appellant quidam prædium rusticanum, sive possessionem. Quod alibi latius exposuimus [2].

Epiphanius in Arianorum hæresi, dum hujus originem, et historiam Arii describit, quiddam de urbe Alexandrina refert, tanquam ei peculiare, aut certe propter raritatem memoria dignum, fuisse plures in ea ecclesias, quibus regendis presbyteri præponebantur, (2) qui ecclesiastica munera præstarent iis, qui circa unamquamque domicilium haberent. Eas urbis partes Alexandrini proprie ἄμφοδα, et λαύρας appellabant. Quamobrem justa suspicio est, in magnis urbibus, propter populi multitudinem, plures ecclesias fuisse, et singulis certum vicorum, et domorum numerum attributum ; in aliis vero unam tantummodo, in quam oppidani convenirent, ecclesiam, hoc est *parœciam*, vel *parochiam* fuisse : at extra urbem in agris plures itidem collocatas ecclesias opportunis in locis, quibus vicina prædia, villæque, et rusticanæ habitationes assignabantur ; quas quidem parœcias nominabant.

V. Insignis hac de re Innocentii papæ locus est in epistola prima ad Decentium, capite 5. in quo rusticanas illas ecclesias proprie *parochias* vocat ; urbanas vero *titulos ;* ac morem hunc Romæ fuisse indicat, ut Dominicis diebus ad titulares omnes ecclesias fermentum per acolythos mitteretur. Credibile est autem, synaxes ejusmodi, in quibus sacrificium Dominici corporis, et sanguinis celebrabatur, in præcipua tantum, quam *cathedralem* vocant, ecclesia tum fuisse peractas ; e qua per titulos Sacramenta mittebantur, ut ait Innocentius : quæ tam presbyteri ipsi, quam commissi sibi populi sumebant, et eo ritu intelligebant se cum episcopo suo, ac matrice ecclesia communione conjunctos esse. « Quod per parochias fieri debere non puto, ait idem Innocentius, quia nec longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus ; et presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam. » Ergo *parochiæ* proprie ibi sunt rurales ecclesiæ, cum urbanæ *tituli* nominentur. In illis propter longinquitatem presbyteri Sacramenta conficiebant ; nec ad eos ab cathedrali ecclesia jam confecta, et participanda mittebantur, quod urbanis propter vicinitatem fiebat. Hæc mens fuit nostra ; quam, ut solet, per tumultum, et festinationem scribendi, Catharus non ante percipiens, temere, ac sine judicio redarguit.

VI. At idem, quod pudendum magis ipsi est, in eodem tractando loco de chorepiscopis, secum ipse dissidet ; et qui aliena errata castigare studet, in eo ipso immane quantum exerrat ! Etenim illo ipso in capite quinto, et pagina eadem [3], ubi hallucinari me dicit, ac sequenti, chorepiscopos, ac presbyteros rusticanos jam tum apostolorum temporibus extitisse pro certo ponit, nempe cum Ecclesiæ nondum ab uno et singulari gubernabantur episcopo, sed a collegio presbyterorum pari omnes jure, ac potestate præditorum. Verba Salmasii [4] : « Priusquam autem singulos episcopos singulis civitatibus præesse debere judicatum esset, cum unicuique urbi suum presbyterium præsideret, cujus consilio in commune, et ex æquo regebatur Ecclesia : ut presbyteri plures, iique pares inter se unam administrabant ecclesiam in civitate ea constitutam ; ita et æquali auctoritate in singulis vicis positi singuli presbyteri, sive episcopi, vicum illius, sive villam, quæ χώρα dicebatur, dispensabant. Tum nec isti rurales episcopi, sive presbyteri subditi erant urbanis presbyteris, sed suo jure ecclesiam ruranam, cui præerant, regebant, etc. » Ergo antequam unus

(1) Eadem Syn. can. 10. Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους.

(2) Epiph. hær. 69. num. 1. Ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι, διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων, πλησίων ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων, ἅτοι λαυρῶν ἐπικωρίως καλουμένων ὑπὸ τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικοῦντων πόλιν.

[1] Ser. 45. de Diver. c. 8. — [2] In Notis ad Julian. p. 293. — [3] Pag. 312. et 313 — [4] Salm. ib.

per civitates episcopus crearetur, cum plures episcopi potestate præessent singulis presbyteris ; quod ab ortu ipso Christianismi, ac toto primo seculo usitatum in Ecclesia fuisse putat Salmasius ; erant in pagis, et agris illarum civitatum chorepiscopi, et rurales presbyteri.

Audi jam Salmasio contradicentem Salmasium, et apostolorum ætate negantem ullos ruris fuisse presbyteros, aut episcopos, ac ne ecclesias quidem ibi tum aliquas fuisse docentem. In capite secundo nugacissimæ Dissertationis scribit sic [1] : AD PAGOS QUOD ATTINET, ET κώμας, APOSTOLORUM SECULO VIX PUTEM IN HIS ECCLESIAS ALIQUAS ESSE FUNDATAS, CUM VIX TANTA ESSET FIDELIUM COPIA, UT PER PAGOS QUIRET PROPAGARI. Quinimo etiam postquam totus orbis factus est Christianus sub Constantino, et urbes fere omnes fidem recepissent, diu tamen gentilis religio hæsit, ac permansit in pagis. Unde paganorum nomen pro gentilibus, quia reliquiæ idololatriæ longo tempore conservatæ sunt in agris, cum jam ex urbibus abolitæ prorsus essent. » Mox addit : « TEMPORE ITAQUE APOSTOLORUM PER CIVITATES SOLAS RELIGIO CHRISTIANA PANGEBATUR, quia qui eam prædicabant, et insinuabant apostoli, loca populis frequentia quærebant, quo plures Christo acquirerent. » Si apostolorum tempore *per civitates solas religio Christiana propagata est ;* si *in pagis, et* κώμαις *vix putat ecclesias aliquas esse fundatas :* quomodo eodem tempore, *in singulis vicis positi sunt singuli presbyteri, sive episcopi, qui vicum illum, sive villam dispensabant ?* Sed nimium morose facimus, qui λόγον, id est *rationem*, ab eo requirimus, qui nullam prorsus habet, et cujus animum ac stylum ἀλογία et πολυλογία totum occupavit.

VII. Est idem imperite ab illo scriptum ibidem [2] de chorepiscopis, in Laodiceno canone 57. sancitum esse, ut non amplius chorepiscopi vocarentur, sed περιοδευταί, quasi de solo nomine decretum illud Laodicenum intelligendum sit. Atqui non appellari, sed esse omnino vetuit chorepiscopos. Verba canonis : « (1) Quod non oportet in villulis, aut in agris episcopos constitui, sed visitatores. Verumtamen jampridem constituti nihil faciant, præter conscientiam episcopi civitatis ; similiter et presbyteri præter consilium episcopi nihil agant. » Hinc Salmasii evidens est hallucinatio. Nam καθίστασθαι ἐπισκόπους, quod vetat canon, non est *appellare episcopos*, sed *constituere*, et *collocare*.

Itaque decretum est in illa synodo, ut ne amplius episcopali prædíti potestate curatores ecclesiarum rusticanarum, sed sacerdotes simplices adhiberentur. Quod etiam Sardicensis synodus in sexto canone præcepit ; ut observant Zonaras, et Balsamo : « (2) Licèntia vero danda non est, *ait*, ordinandi episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus presbyter, quia non est necesse ibi episcopum fieri, ne vilescat nomen episcopi, et auctoritas. »

Hinc etiam alterum convincitur erratum ejusdem Salmasii [3], qui « chorepiscopos omnino eosdem esse » dicit cum iis, qui ἐπιχώριοι Πρεσβύτεροι nominantur in concilio Neocæsariensi ; errore, quod nemo diffitebitur, tam manifesto, quam stupido. Etenim in canone 13. primum constituit, ut « (3) presbyteri ruris in ecclesia civitatis, episcopo præsente, vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possint, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, et ad dandam orationem vocentur soli, dare debebunt. » Tum de chorepiscopis vel sequenti, ut græci codices habent, vel eodem, ut est apud Dionysium, canone decernit ita : « (4) Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem, et formam Septuaginta videntur esse ; ut comministri autem, propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur. » Apparet hinc, sive duos illos canones cum Græcis separes, sive cum Dionysio in unum eumdemque conjicias, multo autem magis hoc posteriore modo, non posse pro eodem accipi

(1) Laod. can. 57. Ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς. Τοὺς μέν τοι ἤδη προκαταστα θέντας μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου τοῦ ἐν τῇ πόλει. Ὡσαύτως δὲ καὶ τοὺς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου.

(2) Can. 6. Sardic. Μὴ ἐξεῖναι δὲ ἁπλῶς καθιστᾶν ἐπίσκοπον κώμῃ τινὶ, ἢ βραχείᾳ πόλει, ᾗ τινι καὶ εἷς μόνος πρεσβύτερος ἐπαρκεῖ. Οὐκ ἀναγκαῖον γὰρ ἐπίσκοπον ἐκεῖσε καθίστασθαι, ἵνα μὴ κατευτελίζηται τὸ τοῦ Ἐπισκόπου ὄνομα, καὶ ἡ αὐθεντία.

(3) Neocæs. can. 13. Ἐπιχώριοι Πρεσβύτεροι ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν οὐ δύνανται παρόντος Ἐπισκόπου, ἢ Πρεσβυτέρων πόλεως· οὔτε μὴν ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον. Ἐὰν δὲ ἀπῶσι, καὶ εἰς εὐχὴν κληθῇ μόνος, δίδωσιν.

(4) Ibid. can. 14. Οἱ δὲ χωρεπίσκοποι, εἰσὶ μὲ εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα. Ὡς δὲ συλλειτουργοὶ, διὰ τὴν σ ουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς, προσφέρουσι τιμώμενοι.

[1] Pag. 103. et 104.

[2] Salm. p. 314. — [3] Pag. 315.

presbyterum ruris, et chorepiscopum. Alioqui non tam inepta ταὐτολογία, quam ἐναντιολογία synodi illius esset, ut eosdem primum vetaret, episcopo præsente, aut presbyteris urbicis, offerre sacrificium in Dominico, id est ecclesia civitatis; deinde sacrificare concederet. Quo quid absurdius, et indignius non tantum gravissimis illis Patribus, sed vel quolibet sanæ mentis homine dici possit, equidem non video.

VIII. Non minus ridenda est originatio vocabuli τοῦ περιοδευτοῦ, quod est in canone 57. Laodicenæ synodi. *Visitatorem* latine vertit Dionysius; alii *circumcursatorem*. Glossarium vetus, Περιοδευτὴς, *circitor*, *lustrator*. Quos Zonaras ita definit: « (1) Periodeutæ vocantur ex eo, quod circumeunt, et fideles in officio continent, non habentes propriam sedem. » Balsamo ait, nominatos ætate sua ἐξάρχους: quorum officium erat « (2) animarum observare delicta, et fideles perficere. » Hujusmodi sunt, quos *visitatores* hodieque nuncupant, qui ab episcopis ad inspiciendam, et ordinandam diœcesim cum potestate mittuntur.

Præter hanc vero tritam, et notam omnibus significationem verbi περιοδεύειν, reconditior est alia, et minus usitata, quæ est *curare*, et *sanare;* cujus aliquot exempla inter legendum adnotavimus. Primum Epiphanius in libro de Mensuris et ponderibus, cum agit de Judæis, qui ad glandem cuticulam attrahebant, ait scapellis, quos σπαθιστῆρας vocant, cutem illis diduci, et extendi supra glandem, deinde consui, et emplastris glutinatoriis curari. « (3) Arte, *inquit*, quadam medica ex circumcisione præputiati fiunt, cum scapello, quem spathisterem vocant, cutis illis diducitur, eaque deinde consuta emplastris glutinatoriis curantur. Ita præputium denuo sibi faciunt. » Suspicabar pro περιοδευθέντες legendum περιδεθέντες, itaque verteram, *glutino circum adstringunt*, hoc est *glutinatorio emplastro*. Quomodo et Celsus de eadem curatione agens [1], « deligari *ait*, a pube usque ad circulum; super glandem autem adverso emplastro imposito induci. Sic enim fit, ut inferior pars glutinetur, etc. » Ita *glutinum* pro *glutinatorio emplastro* positum erat; quemadmodum Augustinus [2] gluten *bituminis*. Ceterum tolerari alteram vocem περιοδευθέντες posse adjeceram.

IX. Quam mihi sententiam obfirmavit usus aliorum scriptorum, qui inter legendum occurrerunt postea. Basilius Seleuciensis scriptor politus, et elegans in oratione 4. de Davide, ait illum adulterium suum homicidio celare, et quasi mederi illi voluisse. « (4) Mala, *inquit*, affectione malum curavit. » Et in oratione prima de Noe, « (5) Morbo inveterato diuturna pœnitentia medeatur. » Gregorius thaumaturgus (ita enim inscribitur) in oratione in Epiphania, « (6) Ægrotus a medico curatur, non medico medetur ægrotus. » Sic in disputatione Gregentii [3] Judæorum natio vocatur *exlex et insanabilis*, ἔθνος ἄνομον, καὶ ἀπεριόδευτον. Interpres vertit *inaccessam* [4].

Dioscorides quoque περιοδευτικὸν τοπὸν vocat « medicinæ partem illam, quæ de curationibus, ac remediis agit. » In Pandectis titulo de Excusationibus, lege 6. § *Grammatici*, fit mentio, τῶν περιοδευτῶν. « Grammatici, sophistæ, rhetores, medici, qui περιοδευταὶ, id est circuitores vocantur, (ita legendum cum veteri interprete censet Cujacius,) quemadmodum a reliquis muneribus, ita et a tutela, et cura requiem habent. » Quem ad locum Cujacius adnotat [5], « περιοδευτὰς medicos dici, qui circumeunt urbem, sanitatis hominibus reddendæ causa, quibus immunitas datur, non etiam eis, qui domestico et umbratili studio dediti sunt. Ut ergo intelligeretur, iis tantum immunitatem dari, qui medendi artem exercent, adjecit, qui περιοδευταὶ vocantur. Sedentarii, et in umbra, ut ita dixerim, studia medicinæ educantes, immunitatem non habent. » Perperam itaque ibidem περιοδευτὰς in illa lege, *circulatores*, vel *circumforaneos* interpretari quosdam animadvertit Cujacius. Quos et Salmasius secutus est,

(1) ZONAR. ad can. 57. Laod. Περιοδευταὶ δὲ λέγονται, διὰ τὸ περιέρχεσθαι, καὶ καταρτίζειν τοὺς πιστοὺς, μὴ ἔχοντες καθέδραν οἰκείαν.

(2) BALS. Οὗτοι γὰρ περιοδεύουσι, καὶ ἐπιτηροῦσι τὰ ψυχικὰ σφάλματα, καὶ καταρτίζουσι τοὺς πιστοὺς.

(3) EPIPHAN. de Mens. num. 16. Ὅτι καὶ ἀπὸ περιτομῆς ἀκροβυστοι γίνονται, τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ, διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστῆρος, τὴν τῶν μελῶν ὑποδερμάτιδα ὑποσπαθισθέντες, ῥαφέντες τε, καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες, ἀκροβυστίαν αὐτοὺς αὖτην ἀποτελοῦσι.

(4) BASIL. Seleuc. pag. 154. edit. Com. Πάθει γὰρ κακῷ τὸ κακὸν περιώδευσεν.

(5) Idem p. 43. Νόσημα πολυχρόνιον πολυχρόνιος περιοδευέτω μετάνοια. Male ibi legitur περιωδεύετο.

(6) GREG. thaum. to. 7. oper. Chrys. edit. Savil. p. 658. Ὁ ἄῤῥωστος ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ θεραπεύεται, οὐχ ὁ ἰατρὸς ὑπὸ τοῦ ἀῤῥώστου περιοδεύεται.

[1] Lib. 7. cap. 25. — [2] Lib. 15. de Civit. Dei, cap. 27. — [3] Pag. 87. — [4] Diosc. lib. 1. c. 35. — [5] Ad Pand. de Excus. l. 6. § Grammatici.

in Soliniana illa farragine[1], quam revera *cloacinæ sacrarium* appellare possis; adeo ex fæce, ac colluvie errorum omnium coaluit! Ibi enim περιοδευτὰς *circumlatores*, et *circumforaneos* fuisse *medicos* ait, quos *charlatanos*, et *saltimbancos* vulgus nominat; eleganti conjectura, quis neget? Nempe sordidos istos homines, ac ne in infima quidem plebe numerandos, immunitate, et privilegiis honestandos esse jura censuerunt. En criticum jecur.

X. Sed ut quod institui, et cujus ista disserui causa, persequar; prorsum inepta, et circumforaneo grammatico digna est interpretatio vocis ejusdem τοῦ περιοδευτοῦ, quatenus usurpatur in Laodiceno canone 57. quam Salmasius commentus est[2], περιοδευτὴν eum esse, quam nos vulgo *curatum*, id est *curatorem*, nominamus; tanquam medicum: « Æque enim, *inquit*, est medici περιοδεύειν, id est, ægrum curare, ut ἐπισκοπεῖν. Nam quilibet morbus quacumque ratione curatus, περιοδευθῆναι eo seculo dicebatur. Curati, id est curatores, hodie vocantur, qui eamdem habent functionem in Ecclesia cum antiquis chorepiscopis. » Quis sanum credat hominem, et non animo potius ægrum, quam corpore, qui sic vigilans delirat? Plane qui ita est affectus

[1] Tom. 2. p. 1050.

Ἅλσι διασμηχθεὶς ὄναιτ' ἂν οὕτοσί.

Quis ab eo, quod est *curare*, id est mederi, *curatum* pro *curatore* appellari sentiat? Nonne *curatus* hac ratione dici debuit æger ipse, qui sanatus est, potius quam qui curavit, sanavitque medicus? Περιοδευτὴς in Laodiceno canone hoc ipsum est, quod interpretes omnes antiqui docuerunt, *visitator*, et *circitor*, qui rusticanas ecclesias obit, et obeundo ac lustrando disciplinam constituit, et ordinat. Deinde falsum est, *curatos* hodie hoc esse, quod antiquos chorepiscopos. Chorepiscopi, ut ait synodus Antiochena canone 10. « episcopalem manuum impositionem acceperant, et ut episcopi consecrati erant: lectores, subdiaconos, exorcistas ordinabant; presbyteros etiam, et diaconos, episcopo permittente. » Horum nihil in hodiernis est *parochis*, sive *curatis*. Ad hæc, si propterea chorepiscopos in vicis ordinari vetuit Laodicenum concilium, ne episcopi dignitas vilior fieret, si in pagis, et modicis ecclesiis constituerentur episcopi; consequens est, chorepiscopos episcopos fuisse, id est episcopali jure, et auctoritate præditos. Ergo a parochis hodiernis plurimum distant. Ut inscitiæ, ac stupiditatis piget!

[2] Pag. 314.

LIBER TERTIUS.

QUI SALMASII FALSA, ET IMPERITA DOGMATA POTISSIMUM REFELLIT.

—

CAPUT PRIMUM.

Salmasii variæ hæreses, præsertim de sacris Ordinibus. Tam hos, quam horum differentiam juris esse divini. Quod ipsum ex ipsiusmet confessione Salmasii probatur; et prodigii similis illius decretorum inconstantia castigatur. Ex Tridentini concilii decreto jure divino distinctos esse contra eumdem ostenditur.

I. Mirari fortasse subiit eruditis, et usu tritis antiquitatis ecclesiasticæ lectoribus, qui fieri potuerit, ut homo qualicumque ingenio, et litterarum notitia præditus, tam absurda de episcopis, ac ceteris Ecclesiæ gradibus, et ordinibus, tamque ab vero dissona non dubitaret asserere. Est illa quidem admirandi justa ratio. Sed minus incredibile tum erit, talia sentire illum, ac scribere, cum qua de causa ita sibi persuaserit, intellectum erit; quod hoc capite declarabitur.

Etenim qui episcopatum, et presbyteratum, ac reliquos ordines, *non divinæ institutionis esse, sed humanæ* censet [1]; qui sacramentum Ordinis ullum esse negat [2]; qui sacerdotes a laicis non discernit [3]; imo qui sacerdotes cum sacrificio funditus tollit ab Ecclesia [4]; qui Eucharistiam etiam a laicis posse confici putat [5]; necnon laicos a laicis ordinari [6]; qui se denique Aerianum, Wiclefistam, Waldensem inverecunde, ac sine ambage ulla profitetur [7]; estne, ut homine ab isto humanum aliquid expectemus, ac non auctoris simile sui, nec sine horrore nominandum? Fons iste est, et origo nefandorum dogmatum, quæ ex omnium hæreseon labe colligit homo suopte judicio, quod perexiguum habet, nimium fidens, et in pronuntiando temerarius. Contra quæ singillatim, et accurate, atque ex professo disserendum erit alio in libro, quem Ordinis sacramento dicabimus. Hic vero strictim, et quasi admonendo, quid vel opere in hoc, vel alibi dictum sit, quod eo pertineat, attingemus singula, vel horum pleraque capita; ac nonnulla obiter impuræ dissertationis errata castigabimus.

II. Imprimis esse Ordinis in Ecclesia peculiare sacramentum, ostendimus in libro primo, capite tertio; necnon institutionis esse divinæ, divinique juris, non humani. Quod ex priore illo consequens est. Nam omne Sacramentum legis novæ a Deo conditum esse, vel ipsimet fatentur hæretici, Lutherus, Calvinus, ac ceteri; a quibus non dissentit, opinor, Salmasius. Certe [8] « non negat, ordinationem ab institutione divina manasse. » Idemque sic definit ordinationem [9], ut sit « actus, quo cum certa cæremonia, et ritu aliquis eligitur, et adlegitur in ordinem quemcumque. » Quare si ritus ille cæremonia sit ejusmodi, ut gratia per illum divina conferatur, non potest abire, quin verum sit legis novæ Sacramentum perinde, ut sunt baptismus, et Eucharistia; quod Augustinus, et Ambrosius illic citati a nobis asseverant. Jam si Ordinationis sacramentum divinitus institutum est, quæ huic tanquam generi subjectæ sunt formæ, eæ divino quoque jure constitutæ sunt. Ut enim, cum universe Sacramentum definimus ritum a Deo Ecclesiæ traditum, vel signum sensibile adjunctam habens sanctificantis gratiæ promissionem; quam in definitionem conspirant alienæ ab catholica communione sectæ: nullo prorsus excepto, omnia Sacramenta comprehendi volumus; nec ullum esse putamus, cujus non auctor sit, et institutor Deus. Sic cum Ordinis sacramentum generatim dicimus a Deo, ac divino, non humano jure sancitum; omnes

[1] Salm. p. 339. — [2] Pag. 390. — [3] Idem p. 383. — [4] Idem p. 379. et 380. 383. 394. 395. [5] Idem p. 387. 388. — [6] Idem p. 398. — [7] Idem p. 378. — [8] Salm. p. 373. — [9] Idem p. 391.

illius partes, et quasi generis species intelligimus eadem Dei auctoritate censeri. Cum igitur ex omni retro Christiana antiquitate, Conciliorum decretis ac Patrum testimoniis comprobata, perspicuum sit, tres sub illo Sacramenti genere gradus, ordinesque contineri, episcoporum, presbyterorum, et ministrorum; totidem a Deo necesse est institutos videri. Et episcopatus igitur, et presbyteratus, et quicumque alius est Ordo, cui Sacramenti illius nomen, et nomini respondens ratio, ac definitio convenit, in eamdem includitur divinæ institutionis formulam; adeoque nec humano ex arbitrio, ac potestate originem cepit, nec mutari in eo aliquid, et innovari eadem auctoritate permittitur.

III. Et frustra est videlicet Trapezita Catharus; qui « ordinationem juris esse divini » non abnuit [1], « intitutionisque divinæ; » ordinationis tamen species ipsas ab eodem jure segregat. Etenim non aliter constare sub eodem genere species possunt, quam distinctione, ac differentia. At ille *ridiculum* putat [2], ex eo, quod « ordinatio juris est divini, etiam distinctionem ordinum, quam illa induxit, divinæ institutionis esse videri. » Quæ verba intorta, implicataque sunt, ac se ipsa collidunt. Nam si *ordinatio juris est divini*, et idem jus *distinctionem ordinum induxit;* profecto non aliunde, quam ex jure divino, et institutione manare potuit ordinum distinctio. Ut si animal divina creatione productum est, quæcumque sub illo comprehenduntur species, una cum earum a se invicem distinctione, divina creatione consistunt. Nisi quis adeo fortasse desipit, ut animal a Deo creatum non neget, utputa hominem, et equum, ac bovem; differentiam tamen illorum inter se a Deo profectam non existimet.

Ordinatio, quam Græci χειροτονίαν vocant, genere est una, specie diversa. Alia est episcoporum, alia presbyterorum simplicium, alia ministrorum: ac sua cuique propria tum οὐσίαν, id est *essentiam* et *naturam;* tum ab ceteris, a quibus peculiaris eam differentia sub communi ratione discernit, distinctionem tribuit. Quæ sit autem episcoporum, quæ presbyterorum vel ordinatio, vel distinctio, copiose est a nobis supra disputatum ex Epiphanii, Hieronymi, ceterorum denique consensu Patrum, ac Canonum decretis, et usu ac consuetudine catholicæ totius Ecclesiæ.

IV. Contra quæ nihil ab Hieronymo proditum esse, ibidem ostendimus; nec ab eo dici, episcopalis ordinis a presbyteratu discrimen humano jure constare, nisi quatenus in utroque Ecclesiarum administratio, et externa gestio consideratur. Nam cum ille penes solum episcopum ordinandi jus esse dicat, eoque differre ipsum a presbytero; verissime id, quod scripsi, sequitur, *salva ordinandi potestate, penes solos episcopos manere integram ordinum distinctionem.* Quo in loco [3] pueriliter te versas, et incondita multa garris, et ἀσύστατα. Inter hæc autem et illa superiora, quamvis ordinatio juris sit divini, non ideo distinctionem ordinum divinæ institutionis esse. Quasi ego scripserim, ex eo solo, quod ordinatio ab Christo instituta sit, distinctos esse ordines jure divino. *Non est ita ut loqueris, non est ita; multum falleris, vel fallere meditaris.* Verba mea sunt [4]: « Nam quod consuetudine potius Ecclesiæ, et humano quodam jure, quam divino, utriusque constare differentiam significat; primum salva ordinandi potestate penes solos episcopos, integra manet ordinum distinctio, et quidem divinitus constituta, non sola consuetudine, ut paulo ante demonstravi. » Duo in illis verbis asseruntur; alterum, episcopatum a presbyteratu esse distinctum ordinem; alterum, divino esse jure distinctum. Horum primum ibidem probatur ex eo, quod Hieronymus ipse testatur, penes episcopos solos esse potestatem ordinandi. Nam si tantæ rei jus, et facultas penes unum residet, qua caret alter; profecto distinctos esse ordines oportet. Nam ordinum discrimen ex proprio cuique muneris, et efficientiæ qualitate sumitur. Cum ergo solus episcopus ordinandi potestate sit præditus, non sit autem presbyter; quid aliud, quam hic ab illo diversus est?

V. Hanc autem differentiam ordinum illorum non ex eo præcise probari dixi, quod ordinatio a Deo instituta sit. Quid si enim sic instituta foret, ut unus tantum esset ordo? Verum *paulo ante demonstratum esse* dixi, (nempe capite eodem illo tertio, ubi ex Hieronymo docui, non ita penes solum episcopum ordinationis jus esse ut hoc soli facere liceat; et tamen vel contra fas ordinare possit presbyter,) *valide,* ut vulgo loquuntur, non *licite,* sed absolute solum episcopum ordinare posse. Hinc enim evidens est, juris hoc esse divini; cujus proprium est Sacramentis, et eorum efficientiæ modum, rationem, vim, formam-

[1] Pag. 371. et 373. — [2] Idem p. 371. — [3] Salm. p. 371. — [4] Lib. 1. Dissert. cap. 1. p. 44.

que ponere. Tum inde argumentum aliud ducitur, quod etiam in capite secundo complexus sum, quod a primo Ecclesiæ conditu plerisque in locis episcopi a presbyteris distincti, ab ipsis constituti sunt apostolis. Quod nunquam facerent, si non duos istos, ac diversos ordines divinitus sibi traditos accepissent; sed unum duntaxat, quem distrahere, ac mutilare, hoc esset divinam institutionem, legemque violare, ac corrumpere. Hæc sunt argumenta, quibus tum ordinationem, tum ordinationis discrimen divino jure constitutum esse palam feci. Tu vero usitata illa tua calumniandi arte verba mea interpolasti. Nam hæc postrema ab reliquis majori distinctione et initiali itidem majuscula separasti, *Ut paulo ante demonstravimus;* quæ ego virgula tantummodo disjunxeram, ut ostenderem quid paulo ante demonstratum esset, non quia proxime antecedentibus verbis probatum putarem. Ex quo ridiculam, et veteratoriam cavillationem consuisti, inde me probare, duos esse distinctos ordines, episcopatum, et presbyteratum, *quod ordinatio divinæ sit institutionis.* Adderes, o nummularie! *quod ambo illi ordines divinæ sint institutionis*, et rem confecisses. Nam si duos illos ordines Christus instituit, necesse est ab eodem institutam esse distinctionem eorumdem ordinum. Nisi enim distincti sint, duo esse nequeunt. Sed hæc tantilla capiunt ii soli, qui sensu, et judicio non omnino vacui sunt.

VI. Volo nunc tuis te verbis, et oratione convincere, hoc ipsum, quod ridiculum falsumque prædicas; et quod si quis dixerit, « valedicendum *ais* [1] esse rationi, et ratiocinationi omni, imo et sensui communi; » hoc te, inquam, ipsum in eodem libro docuisse, nempe duos illos ordines ex institutione divina diversos, ac disjunctos fuisse. Quod tum scilicet recte a me demonstratum esse fatebere, cum eodem modo, et eadem argumenti formula, qua tu probare studes, non esse divina institutione distinctos, tuis ex dictis ac sententiis contrarium evicero, ista ipsa institutione divina esse distinctos.

Quænam est igitur illa ratio, qua unum ordinem esse divino jure putas effici presbyteratum, et episcopatum? Nimirum [2] hæc unica est, quam in libro tuo sæpius occinis, quod apostolorum tempore, et a prima ætate Christianismi, iidem ambo fuere, episcopi videlicet, et presbyteri. Atque hoc e Scripturis, hoc est apostolicis libris, ac litteris affirmare conaris. Hinc enim consequens esse vis, ita, uti primis illis Ecclesiæ, incorruptisque temporibus usurpatum istud est, proxime ab Christo Domino constitutum fuisse. Neque enim aliter, quam a magistro didicerant, apostoli usu ista, doctrinaque tradiderunt. At o bone! aliis in tuæ farraginis locis contrarium asseris: jam tum ab ortu Christianæ religionis fuisse per Ecclesias omnes presbyteros plures ordinis secundi, cum unus omnium primas, præsesque esset primi ordinis episcopus, qui [3] « in priore et altiore gradu constitutus esset, et κατ' ἐξοχὴν nominabatur episcopus. » Addidisti, et inter primates istos reponi apostolos secundi ordinis, qui in presbyterio censebantur, veluti Jacobum minorem: ut antecedente libro [4] tibi jam a me est objectum; ubi tuis ex dictis, et apostolorum decreto et instituto, Jacobum Hierosolymitano presbyterio, et Ecclesiæ præpositum fuisse demonstravimus episcopali nomine ac potestate.

VII. Postremo tute omnem tibi justæ excusationis intercludis exitum, dum illos ipsos presbyteros *apostolicos*, id est, ab apostolis constitutos, qui et episcopi vocantur, et in Actibus apostolorum, atque in eorum epistolis memorantur, pro simplicibus presbyteris haberi posse fateris ultro. Quod ut probabiliter a te dictum est, ita cum diceres, neque compos tui eras, neque quid ageres, aut quo tua vox ista pertineret, omnino memineras: usque-adeo misere, insciteque tua te damnasti sententia; ac conatum tuum omnem, et operam, quam in vegrandi illa dissertatione dedolanda posueras, inutilem, inanemque fecisti! Nam, ut scias, paucis istis lineis tuam omnem ratiunculam conturbas; ac quidquid tanta mole, apparatuque nugarum contra me fidemque catholicam struis in illo libri portento, totum evertis, ac disjicis. Ut hoc intelligere possis, tecumque lector agnoscat, quod alioqui vix credibile videretur, tua primum verba describam.

Postquam enim ita scripsisti [5]: « Præterea certum est, episcopos illos, sive presbyteros, quos plures in singulis civitatibus ad unam regendam Ecclesiam illi apostolorum discipuli evangelistæ collocabant, in summo gradu locatos fuisse, et omnia fecisse, quæ hodie episcopus et presbyteri faciunt, in unaquaque Ecclesia; » statim ita subjicis: « Postremo, ut docui jam, nihil magnopere refert, presby-

[1] Salm. pag. 37. — [2] Vide Salm. pag. 10. et seq.

[3] Sal. p. 274. — [4] Cap. 9. 10. 11. 12. — [5] Sal. p. 357.

teros illos apostolicos, qui et episcopi dicebantur, de presbyteris simplicibus interpretari, dum fateamur nullos illis in Ecclesiæ regimine tum fuisse superiores, præter apostolos. Quæ græcorum Patrum est sententia. Res enim ipsa eodem plane recidit. » Dicas, quantum voles, vigilantem hæc effudisse te, tuique compotem; tibi ne jurato quidem certum est credere.

VIII. Age enim quonam pacto concludis ex Scripturarum testimonio, unum ordinem fuisse ex institutione Christi, et apostolorum tempore presbyteratum, et episcopatum? Non alio profecto, quam quod in novo Testamento quicumque presbyteri nominantur, iidem et esse significantur episcopi : hoc est primi omnes ordinis sacerdotes; neutri vero, secundi. Atqui non minus esse probabile, et *eodem plane recidere* vis, quod græci Patres asserunt, presbyteros istos fuisse sacerdotes simplices, et secundi ordinis, non primi. Quocirca si quod per te licet, quod sponte das, ac ren ittis, accipimus; jam duos ac diversos gradus, et ordines habebimus in ipso Ecclesiæ primordio, et apostolorum tempore, institutoque distinctos, ac jure, quod est consequens, et auctoritate divina. Quod enim argumentum inde sumebas, unum ut, ex institutione Christi, probares ordinem fuisse episcopatum, et presbyteratum; quod in novi Testamenti litteris unus idemque ordo statueretur, cui utraque conveniret appellatio : id tibi detractum, in nos ipse transtulisti; qui ex hoc ipso recte conficimus, probabile esse saltem divino jure constitutum esse discrimen amborum ordinum; quia probabile est; *quia nihil magnopere refert; quia eodem plane recidit* cum altera tua, et videlicet tuo judicio vera sententia; dicere presbyteros illos, qui in novo Testamento commemorantur, secundi ordinis fuisse, non primi; et ab hoc proinde distinctos, ut duo jam tum ordines extiterint. Nimium tuum os videre velim, cum hæc leges. Nam quid tandem hiscere poteris? aut quanam excusationis te specie, ac colore defendes? Obsecro enim, quod est argumentum dissertationis illius, cui nebulonis nescio cujus Messalini nomen indidisti? quid in eo confutare, quid affirmare, ac propugnare voluisti? Nonne hoc unum tibi in eo propositum esse dixisti, atque « hunc quæstionis » tibi ipse præscripsisti [1] « statum, de quo disputandum esset : Fueritne temporibus apostolorum distinctus ab episcopo presbyter? » Qua constituta quæstionis formula, probare deinceps instituis, nullo modo fuisse distinctum; probas autem inde, « quoniam apostolica scripta nihil inter utrosque discriminis statuunt, sed utrosque eosdem facere videntur. » Itaque, « Nullam dubitandi causam esse. Quis enim dubitandi locus, ubi rem tam clare, et aperte definire, et decidere sacræ Scripturæ visum fuerit? »

IX. Quo posito, deinceps per omnes fere libri paginas, exceptis iis, quæ alienæ tractationis et ἐπεισοδιώδη sunt, quæ adusque lectoris nauseam inculcare, et infercire soles; totus in id conatus tuus incumbit, ut ex novi Testamentis libri adstruas, eos omnes, qui presbyteri nominantur, non simplices fuisse sacerdotes, sed primi ordinis, cujusmodi hodie sunt episcopi. Ac primo seculo, et magna secundi, hoc est dimidia fere parte, nullum in Ecclesiis, et presbyteriis fuisse sacerdotem simplicem; sed omnes primi ordinis, et episcopali jure ac charactere insignitos fuisse. Errare porro græcos illos Patres, ut Epiphanium, Chrysostomum, Theodoretum, et alios : qui idem ordinum discrimen, quod ætate sua videbant, primo illo tempore extitisse putarent in Ecclesia, ut alii primi essent ordinis, alii secundi; cum omnes utique primi forent, pari inter se potestate præditi. Hæc, opinor, summa disputationis est tuæ; nec aliud dicere potes te in illa probare, atque efficere studuisse, quam ut ex scriptis apostolicis ostenderes, presbyteros non fuisse simplices, ac secundarios sacerdotes.

Ecquid igitur cogitabas? aut quo tibi mens avolarat, cum horum oblitus omnium, ista, quæ paulo ante posui, scribebas : « Nihil magnopere referre, et rem eodem plane recidere, si, quæ græcorum Patrum est sententia, presbyteros illos apostolicos, qui et episcopi dicebantur, de presbyteris simplicibus interpretemur? » Non te opinor, cum superiora ista dicebas, mentiri scientem, ac sponte voluisse. Ergo ideo asserebas, quod esse vera, certaque crederes. Cum igitur contraria sint invicem posteriora prioribus, ac necesse sit, si ista vera sint, illa esse falsa, aut vicissim falsa hæc, si vera sunt illa; quinam dicere potes, nihil magnopere referre utrum dixeris amborum, et eodem utraque recidere? Hoc enim tantumdem est ac dicere : nihil referre, falsum ne asseras, an verum; vel eodem falsum recidere, ac verum.

Jam quæ adversus antiquos illos Patres, præsertim Theodoretum, et Epiphanium, ira-

[1] Salm. pag. 10.

cunde, proterveque jecisti, quos eo nomine contumeliis, ac malis dictis appetere ausus es, quod presbyteros apostolorum tempore distinctos a primi ordinis sacerdotibus, ac simplices fuisse vellent; vana, irrita, temere atque inconsulte abs te esse scripta fateri debebis, si tantumdem est quod illi docuerunt, atque istud alterum, quod contra illos tanto ardore propugnasti. De me vero quid attinet dicere? quem tu eadem de causa omni probrorum, ac conviciorum genere vexasti, quod cum catholico universo nomine duos in Ecclesia fuisse perpetuo distinctos, et adhuc esse defenderem ordines episcopi, ac presbyteri. Quod cum tu ipse modo nihil referre utrum dicatur, affirmes, et eodem cum vera, hoc est priore tua sententia recidere; vides, quam merito injuriarum tecum agere possim, et ob ista ipsa, quæ tu falso et immerito in me collata esse postea fassus es, convicia et maledicta vadari te, atque omnium damnare sententiis.

X. Quocirca, probante jam, et suffragante Messaliano Salmasio, duo ab initio Christianismi, et ex apostolorum Christique ipsius instituto fuere semper ordines, episcopatus, et presbyteratus: quorum ille primi, alter secundi gradus ordinisque censetur. Atque hoc modo probabilis est illa Græcorum opinio, quam et nos supra laudavimus [1], et ad novi Testamenti loca, in quibus utriusque mentio fit, explicanda posse: accommodari diximus; presbyteros nonnisi simplices, ac secundi ordinis habendos esse, qui ibi nuncupantur, eosdemque pariter episcopos esse nominatos. Quod qui affirmare voluerit, celeberrimo, et multarum in foro palmarum patrono utetur Salmasio; et omnino causam obtinebit. Quippe sic ille loqui nobis, ac sentire permittit: presbyteros a Paulo nominatos, et episcopos eosdem dictos, simplices fuisse sacerdotes, qui superiores solos habebant apostolos. Ex quo sequitur, hoc illis apostolos fuisse, quod deinde ad hoc tempus usque fuerunt episcopi proprie dicti presbyteris iisdem. Verum quod ibidem addit Salmasius [2], presbyteros illos apostolicos, id est apostolorum ævo creatos, sed simplices, ordinandi jus habuisse, rursum pristinas ad nænias, et ineptias revolvitur: ac nova se conflictione traducit ad doctorum ludibrium. Nam neque presbyteri simplices ordinandi jus habuerunt; non modo ut episcopum, sed ne ut presbyterum quidem, aut diaconum creare possent, quod supra demonstravimus: neque Græci, quorum ille sententiam, et auctoritatem asciscit, presbytero simplici jus unquam illud arrogarunt; quin contrarium potius graviter, ac copiose tradiderunt.

XI. Etenim qui sunt illi græci Patres, quorum sententiam esse dicit, presbyteros illos apostolicos simplices fuisse, præterquam quos ille in dissertatione sua, et nos itidem in primo Dissertationum ecclesiasticarum, atque his in duobus libris citavimus? Nempe ii sunt Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus. At illi omnes constanter negant, idque ipso referente Salmasio, presbyteros simplices ordinandi potestatem habuisse, ut ex locis illis constat, quos ego et Salmasius ex illorum libris descripsimus. Magna igitur, et stupenda, sed isti homini fatali incogitantia græci Patres ad communionem falsæ opinionis advocantur, a qua incredibiliter abhorrent. Et idem omnino illo in loco dicit, ex Salmasii mandato, Wallo Messalianus, ac si ita loqueretur: Presbyteri illi apostolici ita simplices, et secundi ordinis haberi possunt, dum fateamur primi illos ordinis, et non simplices presbyteros fuisse. Quod qui audiat, risum tenere qui possit? An non Epiphanius, Chrysostomus, aliique Græci consentiunt in id, quod et Hieronymus diserte scribit, episcopos a presbyteris, hoc est primum ordinem a secundo, sola ordinandi potestate differre? Quare quod ex græcorum sententia Patrum asserit Salmasius, presbyteros illos veteres simplices, secundarios haberi posse, et ordinandi tamen jure fuisse præditos, in illud ipsum, quod diximus, incurrit putidum ac ridiculum: ita simplices posse censeri presbyteros, et ordinis secundi, dum eosdem fateamur neque simplices fuisse, nec secundi ordinis, sed primi.

XII. Ad Tridentinum deinde concilium provocat nos Catharus [3], et definitum ab eo negat, « utrum esset hæresis, an non, sentire, episcopi supra presbyteros auctoritatem ab institutione humana profluxisse. » Quo quidem in concilio multum ea res agitata dicitur in concilii hujus Historia [4]. Quando et Michael Medina suam illam sententiam exposuit, acerrimeque propugnavit, ut est inscitiæ fere comes temeritas et pervicacia, veteres complures asserens, ut Hieronymum, Augustinum et alios, idem cum Aerio sensisse. Quam opinionis

[1] Hoc libro, c. 5. et 7. — [2] Salm. l. 355.

[3] Pag. 386. et seq. — [4] Histor. Concil. Trident. p. 722.

falsitatem patrono dignam Salmasio, toto hoc in opere confutavimus.

Nemini porro, qui concilium illud legerit, dubium videri potest, quin episcoporum a presbyteris simplicibus discrimen, et major quam istorum auctoritas, et potestas divino jure constet. Primum enim ita statuit [1] : *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit.* Deinde canone sequenti : *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, etc. anathema sit.* Igitur, cum divina ordinatione hierarchia constituta sit, eaque tribus ex ordinibus constet, inter quos summum gradum tenet episcopus, qui presbytero major et superior est, ut hic diacono; consequens est, eadem divina ordinatione, episcopos supra presbyteros esse, et qui secus sentiunt anathemate notatos esse. Hujusmodi autem anathemata canonibus, non ad morum disciplinam, sed ad decreta fidei sancienda subscribuntur; ut qui sacrilega illa dogmata tueri, ac profiteri ausus fuerit, non solum ab Ecclesiæ communione rejectus, sed pro hæretico damnatus habeatur. Atque hoc anathematis, tanquam fulminis, ictu contactus Catharus in stuporem illum mentis, ac vertiginem incidisse videtur. Non enim alia reddi causa potest, cur in opinando, ac scribendo, adeo extra fines sani judicii, ac rationis excedat; nisi quod ἐμβρόντητος, et attonitus est.

> Ut qui Jovis ignibus ictus
> Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ.

Quod in iis, quæ porro contra illum disputanda supersunt, non minus, ac multo etiam magis perspicuum existet.

CAPUT SECUNDUM.

Confutantur Salmasii hæretica dogmata : ac primum, quod laicos omnes sacerdotes facit; ac reipsa sacramentum Eucharistiæ confecisse olim asserit. Baptismi, et Eucharistiæ non eamdem esse rationem, et administrationem. Falsa illius opinio refellitur asserentis, olim promiscue patres omnes familias Eucharistiam consecrasse post cœnam; postea id presbyteris attributum. Cypriani locus ex epistola 63. declaratur. Morem illum bis celebrandi sacrificii, mane, et post cœnam, non fuisse totius Ecclesiæ. Eucharistiam a jejunis sumi, morem esse vetustissimum ; etsi certis diebus aliter in quibusdam locis usurparetur. Augustinus illustratus. Salmasius perperam Eucharistiæ confectionem laicis a Christo mandatam ait.

I. Nullum a Deo, nec divino jure conditum Ordinis esse sacramentum, sed omnes, etiam laicos, sacerdotio esse præditos, ac sacramentum Eucharistiæ posse conficere, Salmasii est opinio [2], cujus se auctores habere Waldenses gloriatur. Cum enim scripsissem, « Waldenses ne sacerdotium quidem retinuisse, ut qui laicos omnes consecrare, et absolvere posse crederent; » ad hoc ille disserit sic [3] : « Nec male profecto isti Waldenses, qui, quod non erat, nec audiebatur temporibus apostolorum, sacerdotium cum sacerdotibus sustulerunt. Nulli sacerdotes in Evangelio, aut scriptis apostolicis nominati reperiuntur. Nullius sacerdotis vestigium extat. Apostolos ipsos nusquam sic vocatos videre est. Non ab ipsis præpositos regendis Ecclesiis episcopos vel presbyteros, ita dictos. Ubi nomen non extat, cur rem ibi fuisse credamus? » Hoc vero est pudorem et ingenuitatem omnem cum pietate perdidisse, talem præ se ferre, et ultro jactare stirpem dogmatis, et originem; ut mirum non sit ex isto cœno, ac sordidissima voragine Waldensis hæresis tam impurum fluxisse, ac graveolentem Catharorum rivulum.

Sacerdotes cum sacerdotio tollit Salmasius, ex majorum suorum Waldensium disciplina, ut et Lutheri [4]. In quo primum joculare istud est, quod, cum universe, et ἀορίστως *sacerdotium* illic, et *sacerdotes* auferat e medio [5], quod *nulli sacerdotes in scriptis apostolicis reperiantur, et nullius sacerdotii vestigium extet*; tamen ipsemet postea [6] ex apostolo Petro [7], et *sacerdotium* et *sacerdotes* commemorat. Ex quo *laicos omnes sacerdotes esse, et Christianos appellari* probat *regale sacerdotium, et san-*

[1] Sess. 23. can. 6. — [2] Pag. 379. et 387. — [3] Pag. 387. — [4] P. 398. — [5] P. 379. — [6] P. 398. et seq. — [7] 1. Pet. 2.

ctum. Quod *sacerdotium, sacerdotiique* genus, etsi diversum ab eo sit, de quo hic agimus, falso id tamen, et ridicule scripsit, *Nullos sacerdotes in scriptis apostolicis nominari*, nec *sacerdotii* inibi *extare vestigium* ; cum certe ibi nominentur aliqui.

II. Atenim sacerdotes, cujusmodi in Ecclesia catholica jam tum ab antiquissimis temporibus agniti sunt, nusquam in Scripturis nominantur. *Ubi* autem *nomen non extat, cur rem ibi fuisse credamus ?* Aude jam te negare rationis, cum ista proderes, ne tantillum quidem habuisse. Etenim quid ea voce mendacius? Imo nonne sacrilega est, et ad *atheismum* latam aperit viam ? Quære *Trinitatis* in Scripturis vocabulum; quære *consubstantialis ;* quære *semper virginis* Mariæ, hoc est, etiam post partum intactæ. Cedo et *Sacramenti* nomen de *baptismo* usurpatum, et *cœna* illa vestrate *Dominica.* Hæc igitur, et alia non pauca, quorum vobis utcumque cum Ecclesia catholica communis est professio, credenda non sunt amplius, si *cujus nomen non extat* in sacris libris, *rem* ei subjectam *cur credamus* nihil erit. Vides, quo te tua temeritas, levitasque redegerit!

Contra promiscuum novæ legis sacerdotium, id est cum laicis communicatum, scripsi ante annos paucos. Ibi pleraque proposita, explicataque sunt eorum, quæ contra communem antiquiori cum hodierna Ecclesia fidem afferri solent; quæ nolo repetere, cum sit ad manum diatriba nostra. Tantum in eo paululum commorabor, si quid ab Trapezita Catharo recoctum, et illatum est argumenti, tanquam Σισύφου φώριον, furtim alicunde corrasum.

III. Ex his primum illud expendendum venit, quod ille proponit sic [1] : « Idem de hoc Eucharistiæ sacramento dici posse, quod de Baptismo dicit Tertullianus [2] : cum sit Dei census, ab omnibus exerceri posse. » « Et certe, addit Salmasius, a prima sui origine, et institutione sic exercebatur. Ideo et postea mutata re, cum presbyteri non adessent qui possent exercere, etiam laicis consecratio ejus, et administratio licita erat. Cum Christus id instituit, non solis apostolis suis, ut ad exemplum institutionis exercerent, mandavit, sed omnibus edixit. Hinc primis seculis, secundum institutionis præceptum, a singulis patribusfamilias, et post cœnam, celebrabatur. » Sed ista falsa, et commentitia sunt omnia, quæ ut fidem ei facerent, cui persuadendo sunt adhibita, probari prius ipsa deberent.

Imprimis baptismi, et Eucharistiæ qui constat eamdem esse rationem, cum esse diversam, veteris usus Ecclesiæ, ac tot Conciliorum, et Patrum testimonia numero infinita, auctoritate gravissima, et sententiis et verbis evidentissima demonstrent? Non abutar otio meo, nec lectoris ingenio diffidam, ut singulos hic appellandos putem, eorumque describenda loca ; quibus illud ostenditur, *offerendi,* id est *sacrificandi*, et conficiendæ jus ac potestatem Eucharistiæ penes solos residere sacerdotes, in laicis neutiquam inesse. Hoc et alii præstiterunt, qui de controversis capitibus contra hæreticos commentati sunt; et si nostrarum quoque partium aliquid exigi videtur, id non hujus est loci, sed tum erit faciendum, cum de Ordinis sacramento disputabitur. Nunc eo contenti sumus, ut ea futilia, et absona monstremus esse, quæ contra catholica decreta profanus nebulo Wallo Messalianus opponit.

IV. In ipso igitur aditu disputationis prima illa labes occurrit, quod præpostere, et ut rudem decet illarum rerum, Ecclesiæ morem explicat. Scribit enim [3], « a prima sui origine, et institutione, ita Eucharistiam exerceri solitam, ut a singulis patribusfamilias, et post cœnam, celebraretur, secundum institutionis præceptum. » Postea mutatam esse rationem; ac « Tertullianum inter novatos Ecclesiæ ritus, et ab institutione primigenia deflexos, etiam modum celebrandæ cœnæ, quo tunc utebantur, recensuisse, ut a præsidentium manibus eam sumerent. » Hæc falso, inciteque Catharus, quod statim apparebit. Etenim Cyprianus, quo auctore pristinum sibi constituit ritum illum Eucharistiæ celebrandæ post cœnam, et a patrefamilias, Tertulliano posterior fuit. Quare quod ille receptum in Ecclesia temporis sui testatur, eo posterius debet esse, quod in usu ætatis suæ versatum esse Tertullianus affirmat. At contra, Tertullianei temporis morem recentiorem, posterioremque facit Catharus altero illo, qui Cypriano vivente fuit. Audiamus Cyprianum ipsum de sui temporis consuetudine scribentem. Nam nemo luculentius ac certius imperiti Trapezitæ temeritatem, inscitiamque condemnat : non istam modo, qua fœde tempora permiscet; sed reliquam omnem de sacerdotio, ac sacrificio infamem, ac sacrilegam hæresim, quam

[1] Salm. pag. 386. et seq.

[2] Lib. de Bapt. c. 17. — [3] P. 387.

cum Waldensibus, ac Wiclefo communem sibi esse prædicat. Itaque totius epistolæ, in qua tractat ista Cyprianus, summa hoc loco conficienda est, ex qua capita singula singulis Salmasiani flagitii capitibus opponi poterunt.

V. Augustinus in libro quarto de doctrina Christiana capite 21. *librum* vocat epistolam istam Cypriani 63. *ubi de sacramento calicis disputat.* « Solvitur quippe ibi quæstio, in qua quæritur, utrum calix Dominicus aquam solam, an eam etiam vino mixtam debeat habere. » Hos igitur, qui aquam solam offerebant, non utique laicos, sed episcopos, redarguit inde primum, quod a divina traditione desciscant, ac mandatum Domini violent in re tanta, quanta est *sacrificii* illius, cujus auctor institutorque Deus noster est, celebratio, et administratio. Quod quidem *sacrificium Dominicum in sacerdote Melchisedech præfiguratum est.* In eodem porro, vinum offerendum esse, tum ex Melchisedeci typo, tum ex aliis figuratis Scripturæ sententiis approbat. Exinde Christum ostendit mixtum calicem obtulisse : cujus proinde sollicitari non debet institutio. Ad hæc mysticam docet esse cum totius Sacramenti significationem, tum vini, et aquæ in calice ; quæ, si pars alterutra desit, tota pervertitur. Neque vero excusari posse, qui aquam solam adhibent ex eo, quod bis sacrificium illud celebrent, mane, et sub noctem ; ac mane quidem puram aquam offerant, ne vini odore deprehendantur esse Christiani ; circa vesperam autem mixtum calicem repræsentent : quoniam ubique Dominica et apostolica traditio, ac disciplina servari debet. Hæc Cyprianus in epistola illa ; ex quibus Cathari adversus catholicam doctrinam tota universa ratio, ac disputatio labefactata corruit. Imprimis quod iste quondam, antequam ab solo præsidente sumi Eucharistiam esset institutum, a singulis patribusfamilias, et post cœnam celebrari solitam ait, ex epistola ista refellitur.

VI. Cyprianus enim non qualescumque, id est etiam laicos, refert sacrificium obtulisse, idque post cœnam ; sed episcopos : quos solos alloquitur, et admonet in libro illo, vel epistola ad Cæcilium episcopum. Sic enim exorditur : « Quanquam sciam, frater charissime, episcopos plurimos Ecclesiis Dominicis in toto mundo divina dignatione præpositos, evangelicæ veritatis, ac Dominicæ traditionis tenere veritatem ; nec ab eo, quod Christus magister et præcepit et gessit, humana, et novella institutione decedere : tamen, quoniam quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Dominico sanctificando, et plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus, et Deus noster, sacrificii hujus auctor, et doctor fecit, et docuit ; et religiosum pariter, ac necessarium duxi de hoc ad vos litteras facere, ut, si quis in isto errore adhuc teneatur, veritatis luce perspecta, ad radicem, atque originem traditionis Dominicæ revertatur. » Episcopi ergo erant *quidam* illi, qui calicem Dominicum sanctificabant, plebi ministrabant, quique meram aquam offerebant in calice ; quos episcopis plurimis opponit : non autem patres familias, et laici. Quod in sequentibus ostendit, cum id refellit, quod ad excusationem suam prætexebant ; nimirum « in sacrificiis matutinis hoc se vereri, ne per saporem vini, redoleant sanguinem Christi. » Ac deinde : « An illa sibi aliquis contemplatione blanditur, quod, etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen, cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus. » Quod ita Cyprianus refutat : « Sed cum cœnamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus, ut sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus. » Quorumnam, obsecro, est plebem convocare ad sacrificium offerendum ? Nonne præsidum, et episcoporum ? Ergo de episcopis solis Cyprianus loquitur, cum ait ab iis offerri sacrificium, remotis arbitris, hoc est non convocata plebe, quæ testis esse poterat, et vero debebat, pleni, integrique sacrificii, ut ex matutino susceptam deleret offensionem. Ubi sunt patres illi familias laici, qui post cœnam singuli domi suæ celebrabant, et *offerebant*, id est sacrificabant ? Certe quos iterato obtulisse Cyprianus ait, neque laici erant, sed episcopi ; neque sub vesperam tantummodo celebrabant, verum etiam mane ; nec omnes ad vesperam obtulisse ait, sed solos illos episcopos, qui in aqua sola celebrabant.

VII. Quin etiam manifeste Cyprianus indicat, non fuisse tunc consuetudinis in Ecclesia sub vesperam, nedum post cœnam celebrare, sed mane. Nam aquariorum istorum argumento hujusmodi, *Atenim non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus ;* ita respondet : « Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum frequentandis Dominicis offeramus ? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum, et vesperam mundi, etc. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus. Et quia passionis ejus men-

tionem in sacrificiis omnibus facimus, (passio est enim Domini sacrificium, quod offerimus,) nihil aliud, quam quod ille fecit, facere debemus. » Hinc apparet, non illud communi receptum more fuisse, nec publice probatum in Ecclesia, quotidiana sacrificia sub vesperam, nedum post cœnam peragere, ut putat Catharus.

Sane Eucharistiam ante omnem cibum sumere, vetustissima est in Ecclesia traditio, cujus meminit Tertullianus aliquot in locis. Ut in secundo libro ad uxorem, capite quinto, « Non sciet, *inquit*, maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? » Et in libro de Corona militis capite tertio, « antelucanis cœtibus, et de manu præsidentium sumi Eucharistiam » ait. Sed et Plinius junior in epistola ad Trajanum [1], Christianorum conventus, id est synaxes, in quibus sacrificia celebrabantur, ac participabantur, *stato die ante lucem* fieri solere meminit.

VIII. Tritus est de eodem instituto, et hic ad plura nobis opportunus locus Augustini ex epistola 118 [2]. Ubi Januarii inquisitioni respondet interrogantis, *an per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ offerendum sit mane; et rursus post cœnam:* propter exemplum Christi Domini, qui postquam cœnatum est, sacramentum illud instituit. *An etiam jejunandum, et post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum?* Ad quæ plura disputans Augustinus, inter alia, « Et liquido apparet, *inquit*, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. » Mox Christum ait « non præcepisse, quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur; credo, quod eum morem nemo variaret. » Subinde quoque ab Apostolo institutum esse ritum illum sumendæ ab jejunis Eucharistiæ scribit, eo quod ad Corinthios scribens de eorum consuetudine miscendæ cum profanis cibis Eucharistiæ, *Cetera*, inquit [3], *cum venero disponam.* « Unde intelligi datur, *inquit*, quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur. » Multa ex hoc loco scitu digna colliguntur de traditione illa Eucharistiæ administrandæ. Velut est, nihil expresse Christum de illius ritu præcepisse; sed apostolorum prudentiæ permisisse. Tum ut a jejunis sacramentum illud sumeretur, apostolos instituisse. Hoc autem ex eo conjicit, quod per totum orbem ea consuetudo retinetur. De quo argumento discernendarum traditionum diximus in primo libro, capite primo. Recte insuper Augustinus adnotat, ideo divini juris, ac præcepti rem non esse, quoniam, si a Christo manasset, *eum morem nemo variaret.* Quo etiam argumento merito supra probavimus, falso ab Catharo dici, non divina auctoritate, sed humana, et ecclesiastica constitutum esse discrimen episcopi, ac presbyteri simplicis; tum amborum munus, ac potestatem: quandoquidem nemo aliter, quam Christus mandasset, ordinare ausus esset. Nihilominus apostolicæ traditionis esse, utab jejunis usurpetur Eucharistia. Unde illud præterea docetur, non omnem apostolicam traditionem juris esse divini, ut imperite Catharus putat. Sane Basilius in homilia de Jejunio, nefas esse, imo impossibile dicit, « (1) absque jejunio sacrificium aggredi in mystica, quæ nunc est, et vera oblatione, ut nec olim in typica, quæ secundum legem offerebatur. »

IX. Revocemus modo in memoriam, quod de Salmasii judicio, et acumine dicere cœperam, cujus tanta vis est, ut ea, quæ in Ecclesiæ more posteriora sunt, priora faciat. Nam primis seculis institutum ait [4], « ut a singulis patribusfamilias, et post cœnam, Eucharistiæ consecratio celebraretur. » Quod ex superioribus intelligimus esse falsum, neque publico ritu, et usu unquam receptum; sed a paucis errantibus utcumque servatum, ut ex Cypriano colligimus. Sed ista qualiscumque consuetudo posterior illa fuit, quam vetustior Cypriano Tertullianus asserit, ut et antelucani conventus ac cœtus haberentur, quibus Eu-

(1) Basil. to. 1. p. 325. Οὐ γὰρ δυνατὸν ἄνευ νηστείας, ἱερουργίας κατατολμῆσαι, οὐ μόνον ἐν τῇ μυστικῇ νῦν, καὶ ἀληθινῇ λατρείᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ τυπικῇ τῇ κατὰ τὸν νόμον προσαγομένῃ.

[1] Lib. 10. ep. 97. — [2] Cap. 5. et 6. [3] 1. Cor. 11. 34. — [4] Pag. 387.

charistiæ oblatio, et sumptio celebrabatur ; et ante cibum omnem sumeretur illa eadem ; ac denique non ab unoquoque privato, ac patrefamilias, sed a *præsidente*, id est episcopo, conficeretur, ac distribueretur. Quæ omnia ex antiquioribus quoque Tertulliano constant, hoc est Plinio, et Justino. Quare fugit ratio Catharum Messalinum, dum prius unumquemque patremfamilias post cœnam consecrasse scribit Eucharistiam ; postea mutatam esse rationem, ut a præsidentium manibus eam sumerent.

Auctor est Socrates, ex eoque Tripartita [1], « (1) Ægyptios Alexandriæ vicinos, et Thebaidos habitatores, sabbato quidem collectas agere, sed non sicut moris est Christianis, sacramenta percipere. Nam postquam fuerint epulati, et cibis omnibus adimpleti, circa vesperam oblatione facta communicant. » Hoc si verum est, non tamen commune fuisse, nec ubique factum esse constat ; quod et idem ipse testatur Socrates : nec ad sublevandum Catharum facit, quia neque per totam Ecclesiam observatum istud est ; imo contrarium ejus in usu communi versatum est ; et ad illud tempus pertinet, quo jam promiscuam consecrandi, et offerendi licentiam desiisse ille ipse docet Trapezita, qui ex scrinio pectoris sui generalem illum deprompsit veteris Ecclesiæ morem. Quem in solo sabbato ab Ægyptiis retentum esse, præter Socratem, etiam Sozomenus refert [2]. Alibi in uno tantum die, feria scilicet quinta hebdomadæ ultimæ Quadragesimæ, fiebat ; in qua bis offerebant, mane, et post cœnam, ut in Africa : quod scribit Augustinus in epistola 118. Atque hic ipse dies feriæ quintæ exceptus est in Carthaginensi tertia synodo, canone 29. cum a jejunis sacramenta altaris celebrari jubet, præterquam « anniversario illo die, quo cœna Domini celebratur. » De quo olim ad Epiphanium scripsi [3].

X. Illud vero pro ficto, et commentitio plane rejiciendum est, quod Salmasius ex sui similibus auctoribus ingerit [4] : « Christum instituentem illud sacramentum, non solis apostolis suis, ut ad exemplum institutionis exercerent, mandasse, sed omnibus edixisse, » hoc est ut omnes, etiam laici, consecrarent, et administrarent. Quod cum olim promiscue, et post cœnam frequentaretur, postea constitutum ait, ut et a jejunis fieret, et de manu solius præsidentis acciperetur. Quem *præsidentem*, presbyterum interpretatur [5] : « Quo absente, laicos sibi confecisse, atque etiam dispensasse » scribit. Itane laicos omnes, sacerdotes veri illius, ac singularis sacrificii Christus instituit ? Non est ita. Detestabilis, et execranda hæresis est, quæ hoc adstruit, et Aeriana ; ipsa perditior quam in Waldensibus, ac similibus pestibus, et hominum probris, ac quisquiliis olim Ecclesia damnavit. Ea ratione, ac probatione nulla, ne verisimili quidem, nititur, sed ex errore parum sanæ mentis, ac pervicaci inscitia tota manavit. Hanc divini illius sacramenti ac sacrificii institutio refellit, cui soli interfuerunt apostoli, sacerdotes ipsi, et administri illius a Christo constituti. Hanc perennis usus Ecclesiæ, ac nunquam interruptus falsitatis arguit. Convincunt et historiæ omnes antiquæ, necnon Synodorum decreta, Patrumque testimonia. Christiani denique consensus orbis fœdam istam barbaramque colluviem nefandi dogmatis evertit. Dicetur hoc alias, si Deo visum erit, a nobis fusius. Atque in superioribus capitibus haud pauca jam attigimus, quæ ad catholicam fulciendam doctrinam, et illud monstrum profligandum, satis esse poterunt ; maxime quæ de ordinationibus divino jure constitutis, eorumque charactere, et officiorum partitione disputavimus. Certe neque Catharus, nec ejusdem farinæ quisquam alius, liquido ac sincero ullo hactenus exemplo probare potuit, Eucharistiam ab homine laico, aut eo, qui sacerdos non esset, fuisse confectam, ita ut factum illius ratum haberetur. Quod argumento sit, neque potestatem ejus rei traditam aliis fuisse, quam veris, proprieque dictis sacerdotibus ; et prorsum insanire Messalianum κάθαρμα, dum primis seculis tralatitium hoc fuisse, ac per totam Ecclesiam usu receptum, strenue mentitur. Percurramus obiter argumenta omnia, quæ carptim in capitali dissertatione sua Messalianus ad pestilentis hæresis fulturam attulit ; idque in sequens caput, ne hoc justo sit longius, conferamus.

(1) Socrat. lib. 5. cap. 22. Αἰγύπτιοι δὲ γείτονες ὄντες Ἀλεξανδρέων, καὶ οἱ τὴν Θηβαΐδα οἰκοῦντες, ἐν Σαββάτῳ μὲν ποιοῦνται συνάξεις, οὐχ ὡς ἔθος δὲ Χριστιανοῖς, μυστηρίων μεταλαμβάνουσι. Μετὰ γὰρ τὸ εὐωχηθῆναι, καὶ παντοίων ἐδεσμάτων ἐμφορηθῆναι, περὶ ἑσπέραν προσφέροντες, τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνουσι.

[1] Histor. Trip. lib. 9. c. 38. — [2] Sozom. lib. 7. c. 19. — [3] In Anim. p. 364. — [4] Pag. 387. — [5] Pag. 388.

CAPUT TERTIUM.

Explicantur argumenta, quibus Salmasius probat, laicos omnes esse sacerdotes. Ac primum Tertulliani locus expenditur. Tertullianum hyperbolice multa dixisse; inter quæ istud est, laicos esse sacerdotes. Ejusdem ante hæresim sanum, et probum de eadem re judicium. Aliud esse absolutam in ordinibus sacris functionis potestatem, aliud fungendi modum; adeoque extraordinariam, et ordinariam potestatem differre. Explicatur, quo sensu Tertullianus, et Hieronymus ordinum discrimen juris humani esse dixerint; idque ipsum ex Salmasio convincitur. Ejusdem error apostolica decreta omnia divini esse juris asseverantis. Calvinus refellitur.

I. « Laicos Eucharistiam confecisse, sibique ipsis dispensasse, si presbyter, hoc est præsidens Ecclesiæ non adesset, » imprimis ex Tertulliano contendit Catharus. Cujus memorabilis est locus ex libro de Exhortatione castitatis, capite 7. ubi et laicos sacerdotes facere videtur; et utrumque ordinem sola constitutum auctoritate Ecclesiæ dicere; et unumquemque offerre, ut et baptizare posse. Verba Tertulliani : « Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos, et sacerdotes Deo, et patri suo fecit. Differentiam inter ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tingis, et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, et Ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim sua fide vivit, etc. »

De hoc Tertulliani loco late disserui in diatriba hoc de ipso, quod modo tractamus, argumento edita. In qua probabilis est ejus allata causa, quod scribit, laicos interdum obtulisse, ubi ecclesiastici ordinis consessus deerat. Non enim offerre ibi sacramentum est conficere, ac sacrificium Dominici corporis; sed jam confectum, et de manu *præsidentis* acceptum, et exportatum, cum adumbratione quadam, et imitatione veræ, ac sacrificæ oblationis usurpare. De quo legenda omnino diatriba nostra, cujus scio conjecturam eruditissimis viris non mediocriter fuisse probatam.

II. Ad quam solida ratione firmandam adversus Trapeziticam μικρολογίαν, modo illud addimus : plena esse Tertulliani scripta superjectionibus istis, exaggeratisque sententiis; quas si quis serio, ac simpliciter accipiat, in putidas et absonas opiniones incidet. Ne multis. Unus nobis liber sufficiet, qui est ab eo de Monogamia scriptus; ubi illud etiam repetit, quod nobis ex suorum commentariis vir multæ lectionis intentat Salmasius : Christianos omnes esse sacerdotes, qui in Christo baptizati sunt. Hoc igitur si κατὰ τὸ ῥητὸν, et eo sensu capiamus, quem verba ipsa præferunt; tum haud pauca inde consequentur absurda, tum recusare non poterunt adversarii, quin alia eodem ab Tertulliano scripta capite similiter intelligant. In libro de Monogamia, quem stolida Montani implicatus hæresi Tertullianus elucubravit, totus in id incumbit, ut secundas nuptias in nova lege, ac Christianis omnibus interdictas probet. Omitto rationes ceteras, quas hyperbolicis ejusdemmodi dictis refertas ad illud demonstrandum accommodavit. Duæ potissimum considerandæ sunt, quas eodem, ut dixi, libri de Monogamia capite septimo complexus est. Prima est, ideo defuncto viro mulierem non debere iterato nubere, quia cum in lege cautum sit [1], *ne quis ducat uxorem fratris sui*, intelligitur, Christianam fœminam prohiberi denuo nubere, *quia non habet nubere nisi fratri*. Ita enim præceptum illud interpretatur Apostoli [2] de talibus editum, ut si nubere velint, *nubant in Domino*, hoc est *non ethnico*, *sed fratri*, etc. « Ergo non nubet, ait proxime antea, defuncto viro uxor, fratri utique nuptura, si nupserit. Omnes enim nos fratres sumus. » Quam non acuta, imo quam obtusa sit, et futilis ista ratiocinatio, ut sunt pleraque scriptoris illius, cum de Christianis dogmatibus agit; vel, ut in eo quod dixi superius hæream, quam ὑπερβολικῶς argumentatio ista procedat, non necesse habeo dicere. Unum hoc absurdum satis est ad eam convincendam, quod inde consequitur, non modo denuo nefas esse nubere Christianæ fœminæ, sed ne semel quidem licere; ac nuptias omnino Christiana lege, præterquam cum ethnicis interdictas esse. Quippe vetat in totum divina lex eodem illo

[1] [illegible]

[2] [illegible]

Levitici scripta capite, *ne quis accipiat sororem suam.* Quare nonnisi cum gentili, et extranea Christianis inire matrimonium licebit; quod tamen prohibet Apostolus iis ipsis, quibus permittit, ut cui velint nubant; si ob id non licet denuo, quia Christiani omnes fraterna inter se germanitate junguntur.

III. Subjicit ibidem mox Tertullianus alterum argumentum : non debere Christianas matronas secundis implicari nuptiis [1], « *eo quod sacerdotes lex eadem prohibet denuo nubere.* « Filiam quoque sacerdotis » jubet « viduam, vel ejectam, si semen non fuerit illi, in domum patris sui regredi, et de pane ejus ali. » Atqui Christiani omnes eo ipso, quod baptizati sunt, sacerdotes sunt : « Nos autem Jesus summus sacerdos et magnus patris de suo vestiens, (quia qui in Christo tinguntur, Christum induerunt,) sacerdotes Deo Patri suo fecit, secundum Joannem [2], etc. Certe sacerdotes sumus a Deo vocati, monogamiæ debitores ex pristina Dei lege, quæ nos tunc in suis sacerdotibus prophetavit. » Par est posterioris hujus argumenti vis, ac superioris, hoc est nulla. Sed si ex eo, quod Tertullianus omnes ait Christianos esse sacerdotes, recte colligitur, etiam laicos, quia sacerdotes sunt, novæ legis sacrificium offerre posse ; non minus sequetur, iisdem laicis Christianis invicem prohibita esse matrimonia; non secunda tantum, quia sacerdotes sunt; sed etiam unica, quia fratres sunt : et utrumque, quia Christiani. Viderit ergo Trapezita Catharus, tantine sit Christiano laico uxorem habenti, ex auctoritate Tertulliani probare sacerdotem esse se ac presbyterum, adeoque presbyteram ac sacerdotem suam esse conjugem, ut eodem argumento convincat se contra jus fasque tales iniisse nuptias; et dum *sacros* ambos facere studet, incestos faciat, et sacrilegos. Nemo itaque, qui in Tertulliani loco illo ex libro de Exhortatione castitatis momenti aliquid constituet, ut licere proinde velit laico cuivis Eucharistiam conficere, deprecari poterit, quin eadem ratione nuptias Christiano interdictas in totum fateatur; quoniam neque cum ethnica copulari potest , eo quod id expresse vetat Apostolus; neque cum Christiana, eo quod soror est, nec licet cum sorore, ut is, quo nititur teste, Tertullianus affirmat.

IV. Nam quod inde sacerdotes esse laicos Tertullianus asserit, quia baptismo initiati sunt; quodque eamdem hujus, et Eucharistiæ rationem esse, ex eodem Tertulliano Salmasius probat [3]; et utrumque sacramentum, *si necessitas urgeat*, a laico confici, administrarique posse : id si recte concluditur, causæ nihil jam erit, quin ut baptizare fas est fœminis, si necessitas urget, sic etiam Eucharistiam conficere, ac sacrificium offerre. Nam cum baptizatæ sint, eodem, quo viri, sacerdotio censentur. Atqui baptismum conferre mulieres ne in necessitate quidem permittit Calvinus [4]; multo ergo minus Eucharistiam consecrare, et offerre Cathari debent concedere. Quin autem utrumque illis administrare liceat, quod olim Pepuzianis visum est [5], et Collyridianis, atque hæreticis aliis; repugnare non potest Trapezita Messalianus, si et baptizata est fœmina; et eadem baptismi est et Eucharistiæ ratio, quod illi placet; et humani arbitrii, non divini juris est negotium illud ministrandorum sacramentorum. Talium portentorum ferax est Puritanorum, ac Salmasiorum dogma. De quibus merito usurpari hoc potest, quod de eorum germanis sui temporis hæreticis, adhuc sanus, necdum illorum similis, hoc est hæreticus, et ipse Tertullianus prodidit. « Non omittam, *inquit* [6], ipsius etiam conversationis hæreticæ descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit; sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens, etc. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ , cujus penes nos curam lenocinium vocant, etc. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes. Nunc neophytos conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros; ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt. »

V. Quocirca jam, ut apparet, in eorum, quos illic accusabat, hæreticorum gregem, ac morum pariter et dogmatum consortium receptus Tertullianus effutiit illa , quæ ad elevandam sacerdotii dignitatem, communicandamque cum laicis, pestilentibus illis in libris exaravit, de Monogamia, et Exhortatione castitatis. Tametsi sic a nobis exposita sunt

[1] Levit. 22. — [2] Apoc. 1. 6. et 5. 10. — [3] Pag. 284. 385. et seq.

[4] Lib 4. Inst. c. 15. § 29. et seq. — [5] Aug. de Hær. c. 27. et Epiph. Hær. 29. et 79. — [6] Lib. de Præscr. c. 41.

illius qualiacumque verba in diatriba nostra, ut mutis esse Catharis omnibus, et horum asseclæ, ac pedissequo Messalino Salmasio liceat; quibus nihil in illis est præsidii ad fatui erroris auctoritatem relictum. Hujus vero solemnis κακοήθεια obiter animadvertenda est, qui Tertulliani sententiam illam, in qua perversæ novitatis argumentum præcipuum collocat, in medium proferens, ait[1] « verba illius anteriores editiones pessima fraude interpolasse. » Atqui non *pessimæ fraudi*, sed exemplarium vitio imputandum illud erratum fuit ab eo, qui quid ratio sit, et humanitas sciret. Nam Rhenanti princeps editio, mendum fere idem habuit, quod vir eruditus Nicolaus Rigaltius ex Agobarbi codice sustulit. Sed qualis quisque est, tales facile omnes judicat; recteque Sapiens [2], *In via stultus ambulans*, inquit, *cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.*

VI. Quod autem Tertullianus idem in libro de Exhortatione castitatis, « differentiam inter ordinem, et plebem constituere *ait* Ecclesiæ auctoritatem, et honorem per ordinis consessum sanctificatum, » potest eo sensu accipi, quo et Hieronymi simile dictum exposuimus supra [3]. Nempe de externa specie, graduque dignitatis, non de *sacramentali*, ut vocant, Ordinis potestate. Duo sunt enim spectanda in episcopis, presbyteris, ac reliquis ordinibus : alterum est jus et potestas efficiendi aliquid, et administrandi, velut ordinandi, consecrandi, peccata remittendi : alterum exequendæ, et exercendæ modus potestatis, ut non solum *valide*, quod dici solet, sed etiam licite, ac decenter, et cum quadam honestate geratur. Horum prius quædam habet singulorum propria; quædam cum aliis communia. De quibus hæc regula præscribi potest, ut quidquid in inferiori ordine potestatis est, et efficientiæ, id in majori contineatur; non autem vicissim quæcumque potest superior, possit inferior. Itaque ordinare solus potest episcopus, non presbyter simplex. Consecrare Eucharistiam, vel sacrificare ambo possunt. Sed hic per illius impositionem manuum a Deo potestatem accipit: et ideo jure divino constat; nec auferri illi potest, quominus *valide* faciat. Diaconi, et inferiores alii nihil horum facere possunt; nec, si tentant, quidquam efficiunt, quod jam supra demonstravi. At posterius in quadam exercendæ functionis, ut vocant, *solemnitate*, ac dignitate consistit, quando communem cum inferioribus rei cujuspiam agendæ potestatem superioribus ecclesiasticæ leges attribuunt, et inferioribus adimunt.

VII. Hujusmodi differentiam, ne gratis, aut ex scholasticis, contentiosisque disputationibus proferre videar, eoque minus Catharis et Salmasiis accepta sit, antiqua nobis concilia, et usus Ecclesiæ veteris, ac Patrum testimonia persuadent; id quod alias fusius enucleabitur. Nunc Augustino ero contentus uno; qui in libro secundo contra epistolam Parmeniani, cap. 13. [4] baptismum a Christiano laico *valide* conferri posse dicit. « Quanquam, *inquit*, etsi laicus aliquis pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, dandum esse addidicit, nescio, an pie quispiam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est. Si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed, etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum. Illicitam autem usurpationem corrigit reminiscentis, et pœnitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad pœnam usurpatoris quod datum est, vel ejus qui illicite dedit, vel ejus qui illicite accepit, non tamen pro non dato habebitur. » Ergo aliud est ita sacramentum administrare, ut ratum sit, ac verum, nec pro irrito, ac nullo repetendum est; aliud licite, ac sine delicto conferre, quatenus ecclesiastica nulla lege is, qui ministrat, dare prohibetur. Quemadmodum laicus extra necessitatem baptizans non nihil agit, sed licite non agit.

VIII. Quod Tertullianus in libro de Baptismo disertius explicat, ubi ordinariam, et extraordinariam illius sacramenti functionem ita declarat: « Dandi quidem, *inquit*, habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri, et diaconi; non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est; » nempe « in necessitatibus, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit, » ut mox subjicit.

Hinc etiam Augustinus in eo loco, qui proxime citatus est [5], *sacramentum dandi Baptismi* Ordinem vocat, qui rite, et ordinario usu, ac citra necessitatem, ab solis ordinatis administrari potest. Et in libro primo de ba-

[1] Salm. p. 388. — [2] Eccl. 10. 3. — [3] Lib. 2. c. 4. et 5. — [4] Pag. 18. et seq. — [5] Vide lib. 1. hujus Oper. cap. 3.

ptismo contra Donatistas, cap. 1. « Sacramentum baptismi est, quod habet qui baptizatur; et sacramentum dandi baptismi est, quod habet qui ordinatur. » Nimirum sacramentum Ordinis duplici velut dote censetur, ac totidem habet effecta. Nam quorumdam faciendorum jus, potestatemque tribuit, quæ absque ordinatione propria non posset omnino facere; quemadmodum sacerdotalis ordinatio dat consecrandi Dominici corporis potestatem, quam nemo, nisi sacerdos, usurpare, aut vero consecrare potest. Episcopalis item ordinatio, sacerdotum (ut de ceteris nihil dicam) necnon episcoporum consecrandorum potestatem tribuit; quod nemo, nisi qui sit episcopus, præstare potest. Aliorum vero sic potestatem dat Ordinis consecratio, ut, etsi absolute sine ea effici queant, non tamen vel licite, vel ordinarie, vel publica specie apparatuque, ac solemniter. Quo ex genere baptismi est initiatio; quam etsi sine ordine possint administrare laici, non tamen ordinarie hanc attingunt, nec nisi privatim, et instante necessitate.

IX. Itaque divino jure etiam laicis baptizare conceditur; consecrare vero Eucharistiam, sacerdotibus solis; ordinare denique, solis episcopis. Ideo nullum in functiones istas jus habet Ecclesia; nec efficere potest, quominus rata hæc, veraque censeantur, quæ ab illis administrata fuerint: quamvis usum illarum adimere, vel coercere, et intra certum modum continere potest, non ut nihil efficiant, si quid contra vetitum moliantur, sed ut rite vel licite non faciant. Hoc igitur in sacris illis administrationibus jus exercet Ecclesia, uti modum ac rationem præscribat earum exequendarum; non ut eas absolute, vel ne effectum habeant, impedire possit, vel quibuslibet illarum potestatem permittere, præterquam iis, quibus id divino jure conceditur. Et quanquam Christus apostolis suis, et Ecclesiæ facultatem commiserit ordinandorum istorum, ac pro arbitrio moderandorum: non tamen divini juris, quæ ab illis decreta sunt, habentur; et mutari pro temporum varietate ac novis sanctionibus, aut, quæ legis instar habet, in contrarium eunte consuetudine abrogari possunt. Quidquid enim divini juris non est, humani utique est, et ecclesiastici; ac pro majorum arbitrio commutatur interdum, si res ferat. Divini autem illa sola juris esse dicuntur, quæ expresse, ac per se ipse mandavit Deus; nec innovari, aut aliter, quam præscriptum sit, tractari fas esse voluit hominibus. Vera est ista, et solida, et catholicæ consentanea regulæ doctrina, a qua discedentes Cathari, et Messaliani, ac Salmasii, *in tenebris sunt, et in tenebris ambulant, et nesciunt, quo eant; quia tenebræ occæcaverunt oculos eorum*[1].

X. Hinc illa lucem accipiunt, quæ de Hieronymi ac Tertulliani, et similium locis supra disputavimus; in quibus affirmari hoc videtur, ordinum sacrorum inter se discrimen, et ab communi hominum multitudine, non divino, sed humano jure consistere. Hoc enim de ordinum potestate ipsa non potest accipi, cum certum sit sacramentum Ordinis, quod non modo sacris inest administris, sed eos etiam a populo discernit, institutionis esse divinæ; quod et confitentem audivimus Salmasium. Quare de dignitate, et externa functione, ac jurisdictione, sive potestatis administrandæ modo, ac forma loquuntur. « Differentiam, ait Tertullianus[2], inter ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. » De honore, ac gradu, et eo, quod Græci vocant σχῆμα, et πρόφασιν, sermonem facit Tertullianus. Tota enim hæc externa species, et apparatus, atque cultus, quo honoratiores tum communi hominum cœtu sunt in Ecclesia clerici, tum inter clericos alii aliis antecellunt, humani est instituti; tametsi divino jure, et ordinatione, ceu fundamento nititur, ut merito secundarium veluti jus divinum appellari queat. Nam primarium illud voco, quod nullam mutationem capit, nec auferri potest, aut minui; quemadmodum jura sunt quædam naturæ, quæ *secundaria* nominantur. Tum et Jurisconsultus *naturalia jura* vocat[3], « quæ apud omnes gentes peræque observantur, divina quadam providentia constituta, quæ semper firma, atque immutabilia permanent. » Quæ ratio ad sacra jura transferri potest; ut sint quodammodo divina, quæ etsi distincte expresseque tradita non sunt, divina quadam providentia, instinctuque stabilita sunt, et humani consensu generis ascita. At primario, absoluteque divini juris ea dicuntur, quæ ad fidem catholicam pertinent, sacramentorumque naturam; in quibus novis hominum inventis, ac decretis locus non est, sed certa, determinata, invariata persistunt. Eadem est Hieronymi sententia, ut suo loco demonstravimus.

[1] 1. Joan. 2. 11. — [2] Lib. 1. Exhor. ad Cast. c. 7.

[3] Just. de Institut. Tit. 2.

XI. Et errat profecto, discordatque secum Catharus [1], qui « Episcopalis ordinis, et presbyteralis differentiam humano instituto » tribuit, « id est, Ecclesiæ auctoritati ; » atque etiam « Ordinem ecclesiasticum a plebe, et laicis, vel laicorum ordine, ita distingui » putat, « ut ea distinctio sit, non tanquam sacerdotum, vel pontificum a plebe, sed tanquam Ecclesiæ præfectorum ab ipsa plebe, cui præficiuntur. » Quod vel inde redarguitur. Nam cum sit *ordinatio divini juris*, ut ipsemet fatetur [2] ; hoc ipso distincti sunt ordinati ab non ordinatis, quod ordinationem habent illi, qua carent isti. Jure itaque divino distincti sunt a populo, qui sacramento initiati sunt Ordinis, quoniam juris ipsum esse divini ponitur. Nam si non sunt distincti jure divino ; ergo divino jure sunt idem. At quisquis ordinationem habet, non idem est cum eo qui illam non habet, et ab ipso eadem ista differentia discrepat. Igitur divino jure, institutoque distinguitur. Quid hic comminisci poterit, quo tantam rei ceteroqui vulgaris, nec difficilis, inscitiam, stuporemque dissimulet ? Etenim homo a pecude, Socrates a Bucephalo naturæ differentia secernitur ; quia naturalis est illi proprietas, et affectio, ratione esse præditum, quæ non inest alteri. At idem Socrates ab Alcibiade non natura, id est essentia, vel οὐσιωδῶς, distat, sed accidente ; quia deformis est Socrates, et pulcher Alcibiades : quæ sunt accidentes qualitates. Tali quippe differentia unum ab alio separatur, cujusmodi res est illa, qua differt. Quare cum ordinatio divini sit juris ; qui ordinatione differt, divino jure differt. Qui externo splendore, et adventitio, atque humana institutione tributo discrepat, jure duntaxat humano diversus est ab altero. Quocirca friget Salmasianum commentum : quod et ordinationem divini esse juris admittit [3] ; et tamen ordinatos ab non ordinatis non divino, sed humano instituto, et ecclesiastica auctoritate differre scribit ; et *illustrem*, qui hoc, ut putat, asserit, Tertulliani *locum* approbat [4].

XII. Nos hactenus satis illud evicimus, non humano jure, et auctoritate, sed divino, et a Christo ipso tradito instituto, triplicem ordinem in Ecclesia constare, episcopi, presbyteri, et ministri. Quod non tantum invictis argumentis extudimus ab invito, et balbutiente Catharo, sed ipsius etiam aperta voce ac confessione, quam hoc loco certiorem ex ejusdem dictis exprimemus.

Verba Salmasii [5] : « Institutio episcopi majoris presbytero aut de jure divino est, aut de humano. Nihil tertium. Si ab apostolis est, juris utique est divini. Si ab Ecclesiæ consuetudine, ab humano jure pendet. Quod ab apostolis constitutum est, æque jus divinum facit, ac si ipsius Christi ore decretum esset. Dominicæ veritatis æque censeri possunt, quæ apostoli in rebus fidei, ac disciplinæ decreverunt, ac si Christus ea pronuntiasset, ac præcepisset. Et præcipue quæ ad disciplinam spectant. » Etsi falso ista sunt, et imperitissime scripta, ut mox docebimus ; tamen sic iis utemur, tanquam vera sint, et quod volumus indidem efficiemus. Apostolos instituisse per Ecclesias singulos primates, episcopi nomine, et auctoritate, scripsit alibi Salmasius his verbis [6] : « Antiquior enim, ac prior mos fuit Ecclesiarum, ab ipsis apostolis institutus, ut primatus inter presbyteros, non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Idem rursus [7] primates istos probabile putat κατ' ἐξοχήν nominatos esse episcopos, « quibus primatus eo modo delatus fuisset, cum ceteri nuncuparentur presbyteri. » Ac denique [8] « Nihil magnopere referre » ait alibi, « presbyteros illos apostolicos, qui et episcopi dicebantur, de presbyteris simplicibus interpretari. » Si ergo, *quod non magnopere referre* dicit, assumamus ; fuerunt apostolorum tempore, et institutione presbyteri simplices, qui proinde distabant a non simplicibus, quales sunt episcopi. Itaque divino jure, id est apostolica constitutione, quæ tantidem est, instituti sunt in Ecclesia presbyteri simplices ; adeoque diversi ab illis episcopi jure divino. Quod et ibidem fatetur Salmasius, et inficiari certe non potest, cum ab omni ratione sit alienum, solos simplices presbyteros, et sacerdotes ab Christo institutos esse ; summos vero, id est episcopos, non esse.

XIII. Nunc paucis in illud inquiramus, quod dixi, inscitissime ab illo esse scriptum, *Quod ab apostolis constitutum est, æque jus divinum facere, ac si ipsius Christi ore decretum esset ; et præcipue quæ ad disciplinam spectant.* Manifesta est in verbis istis, ac sententia Cathari falsitas, et absurditas ; eaque potest ex illis convinci, quæ libro primo, capite primo de traditionibus expo-

[1] Salm. pag. 389. et 390. — [2] Pag. 273. — [3] Pag. 356. — [4] Pag. 388.

[5] Cap. 5. pag. 422. Vide lib. nostrum 1. cap. 11. et 12. — [6] Pag. 265. — [7] Pag. 274. — [8] Pag. 357.

suimus : traditionum apostolicarum quasdam a divina, alias ab humana auctoritate manasse. Sic enim Basilius in libro de Spiritu sancto, capite 27. apostolicæ traditionis esse scribit, cum alia multa, velut ritus quosdam in orando, et baptizando servari solitos, tum, quod ad rem maxime facit, trinam immersionem in Baptismo. Hanc ergo traditioni apostolicæ Basilius adscribit ; eaque tanti olim momenti est habita, ut Constantinopolitana prima synodus in canone 7. ut Græci computant, (1) baptizatos ab Eunomianis, quod semel tantum in aquam mergerentur, denuo baptizandos esse decreverit, tanquam gentiles, nondumque Christianos. Quanquam canon iste ex eorum numero sit, quos Latini repudiarunt ; unde et ab Dionysio exiguo prætermissi sunt. Apostolorum vero canon quinquagesimus, deponi episcopum, aut presbyterum jubet, « qui semel tantum mergat in baptismate. » At hæc apostolica traditio neutiquam divini juris, et institutionis, Ecclesiæ judicio est habita ; alioqui non eam, ut fecit, immutare potuisset, ac vel unicam ad mersionem redigere, vel in perfusionem simplicem, adspersionemque convertere. Quorum prius non solum licere, sed etiam usurpari debere censuit Gregorius Magnus in epistola ad Leandrum ; et ejus auctoritatem secuta Toletana synodus canone 6. propter Arianos, qui triplici hac immersione totidem divinitates repræsentari volebant. Posterius autem de sola perfusione Cyprianus docuit in epistola 76. ubi non minus integrum esse baptisma docuit, quod κατὰ περίχυσιν, ut Græci vocant, quam quod solemni, ac ter repetita mersione confertur.

XIV. Calvinus ipse [1] pro indifferenti hoc habet ; et « Mergaturne totus, qui tingitur, idque ter, an semel, an infusa tantum aqua adspergatur, minimum, *inquit*, refert ; sed id pro regionum diversitate Ecclesiis liberum esse debet. » Quin idem antiquissimas, et ab apostolica ætate, ac traditione itidem apostolica constitutas cæremonias, ut Basilius, Augustinus, ac vulgo Patres omnes agnoscunt, irridere est ausus profanus nebulo. « Quasi enim res esset contemptibilis, *inquit* [2], ex Christi præcepto, aqua baptizari, inventa est benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pollueret. Additus postea cereus cum chrismate ; exsufflatio vero jamnuam ad baptismum aperire visa est. Etsi autem me non latet, quam vetusta sit adventitiæ hujus farraginis origo ; respuere tamen mihi, et piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines. » Hominum ecce vocat additamentum apostolicam traditionem, quam et a Christi institutione separat. Hanc enim solam inconcussam, et immobilem retineri oportere usqueadeo, ut quidquid ad illam additum sit, fas sit respuere. Porro in baptismo *aquæ lotionem* ex Christi esse præcepto, divinaque institutione censet. Cujus si ab illo ratio reposcatur, hærere ipsum necesse sit ; nihil enim in omni Scriptura reliqui sibi fecit, unde constare possit, aquam ad baptismum esse necessariam. Qui enim, locus ad id pene unicus est Joannis 3. 5. hunc a se abjudicavit ; ut qui de Baptismi sacramento ibi loqui Christum neget, et aquæ nomen tropice, mysticeque contendat accipi.

XV. Verum ne hoc modo. Illud certe, quod contra discipulum illius, et ejusdem sectæ Catharorum, ac Messalianorum Salmasium hic proprie pertendimus, ex Calvino liquet : quæ divini sunt juris, ea humana auctoritate mutari, ac secus ordinari non posse. Quare si, ut eidem visum est Salmasio [3], « quæ ab apostolis constituta sunt, æque jus divinum faciunt, ac si ipsius Christi ore dicta essent, et præcipue quæ ad disciplinam spectant ; » sequitur nec illa, quæ ad ordinationem spectant, (quam esse Sacramentum Augustinus, ac veteres alii confirmant : Salmasius autem [4] juris institutionisque divinæ esse, concedit,) in potestate Ecclesiæ sita esse nec innovare in ea aliquid audere. Unde quæ ex institutione Christi singulis ordinibus competunt, et horum præcipue discrimen inter se, ac cetera de quibus hactenus contendimus, integra et immutabilia perseverare debent, cujusmodi ab Christo, et apostolis tradita fuerunt. Ac scelerate adeo, impieque facit Catharus, qui nefarii sacrilegii totam post primum seculum ream facit Ecclesiam, dum eam post id tempus sacrorum ordinum statum, dispositionem, usum ac functionis modum, quem ab illis acceperat, immutasse, ac corrupisse scribit.

Illa vero Cathari propria labes, quod cum apostolicam traditionem eamdem, ac divinam constituit, et seipsum, et Calvinum, et totam

(1) Constant. 1. can. 7. Εὐνομιανοὺς μέν τοι τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, etc. ὡς ἕλληνας δεχόμεθα.

[1] Lib. 4. Instit. c. 15. § 19. — [2] Cal. ibid. — [3] P. 422. — [4] Idem pag. 373.

impurorum Catharorum nationem eodem sacrilegii crimine condemnat : quæ ritus illos in administratione baptismi ab apostolis traditos non solum sustulit, sed etiam contemptim, et cum ignominia respuit ; velut sunt aquæ benedictio, unctio chrismatis, exorcismus, et exsufflatio. Quorum institutionem Basilius in illo capite 27. de Spiritu sancto, et Augustinus passim ab apostolis repetit ; nec alio hic argumento tam frequenter, copioseque contra Pelagianos utitur ad originalem adstruendam maculam [1]. Sed et Calvinus vetustissimum in Ecclesia rituum illorum agnoscit usum ; isque Tertulliani [2], Cypriani [3], ac plurimorum antiquorum testimonio constat. De quibus Salmasii longe absurdissimus error arguitur, qui apostolicam traditionem tum omnem, tum eam præsertim quæ ad disciplinam spectat, in æquo ac divinam reponit. Quod si verum est, neque iste, neque Catharorum universum nomen abire potest, quin divini violati juris, ac sacrilegii noxa teneatur. Etenim, « Si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, ut ait Cyprianus [4], quanto magis tam magna, tam grandia, (loquitur autem de incruento Sacrificio, de quo capite sequenti,) tam ad ipsum Dominicæ passionis, et nostræ redemptionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere ; aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare ? »

CAPUT QUARTUM.

De Sacrificio novæ legis eucharistico disputatum obiter, ex Cypriano præcipue, cujus insignia loca de hac re proponuntur. Tum idem ex Irenæo, Justino, aliisque Patribus efficitur, qui peculiare quoddam, et proprium institutum a Christo sacrificium esse magno consensu docent.

I. Jamdudum laboramus, ut ex his eluctari sordibus errorum, et in solido pedem ponere possimus. Paululum ad id restat adhuc ; et colligendus interim spiritus, ut quod superest operæ, ac fastidii, si non æquo, et placido, forti quidem ac patienti animo toleremus. Capitalem hanc esse Salmasii hæresim, lateque dominari in hac tota disputatione, supra jam admonui ; quod nec ullum in Ecclesia credit esse sacramentum Ordinis ; neque sacerdotium ullum ; nec manuum impositione consecrari sacerdotes ; ac denique nullum esse proprie dictum, ac legis novæ peculiare sacrificium. Quid profana illa promittant, execrandaque dogmata, et quo pertineant, sentit omnino, cui vel tantillum adhuc Christiani, ac religiosi halitus spirat in pectore ; nec vigorem illius omnem mortiferum impietatis hæreticæ frigus exstinxit. Dixi jam plus semel, non hic propositi esse mei, latius de istis agere, ne et præpropere antevertam, quod suum locum expectare debet in commentatione ista Theologicorum Dogmatum ; et in infinitum hæc disputatio abeat, ac justum modum excedat. Non tamen facere possum, quin ad comprimendam Wallonis imperitiam, quædam impræsentiarum, sed ea perpauca, et ad manum posita, delibem ; præsertim quæ mihi apud Cyprianum occurrerunt in illa ipsa epistola, ex qua insignem protuli et exposui locum, qui laicis adjudicare sacrificandi munus perperam videbatur. Hinc enim primum constabit, peculiare novæ legis esse sacrificium ; ex quo sequetur, proprium itidem istius legis esse sacerdotium. Non enim sine sacrificio sacerdotium, aut sacrificium sine sacerdotio consistit. Sic enim Apostolus [5], vetere abrogato, et Aaronico sacerdotio, in ejus locum successisse novum *secundum ordinem Melchisedech*, in epistola ad Hebræos disputat, quia novum sacrificium obtulit Christus ; ubi et hostiam cum hostia, et sacerdotium cum sacerdotio confert. Utrumque ergo salvum est in Ecclesia catholica, si et sacrificium habet illa suum, atque a vetere diversum, et eidem congruens

[1] Vide Aug. lib. 2. de nupt. et conc. c. 17. et seq. necnon c. 19. et Epist. 105. lib. 6. cont. Jul. c. 2. et alibi sæpe.

[2] Tert. de Bapt. c. 6. et 7. — [3] Cyp. ep. 70. — [4] Ep. 63. — [5] Hebr. 7. et 10.

sacerdotium. Quod ex Cypriano primum, ut institui, demonstrabitur.

II. Hic in epistola 63. sane luculenta, disertissime testatur, habere nos proprium Testamenti novi, et a Christo institutum sacrificium, cujus typum edidit Melchisedech. Nam cum in epistola ista propositum id illi esset, redarguere quosdam, qui « in calice Dominico sanctificando, et plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus, et Deus noster *sacrificii* hujus auctor, et doctor fecit, et docuit; » nempe qui solam aquam offerebant, contra eos argumentum ex Melchisedeci oblatione ducit, in qua panem et vinum obtulit, ut Christi sacrificium adumbraret. « Item, *inquit*[1], in sacerdote Melchisedech sacerdotii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, et dicit[2] : *Et Melchisedech rex Salem protulit panem, et vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham.* Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens : *Ante Luciferum genui te. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit ; quod panem et vinum obtulit ; quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit ; et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem ? » Ergo typum habuit illa Melchisedeci oblatio sacrificii, quod in nova lege Christus instituit. Cujusmodi sacrificium non est solum illud cruentum, quo semel functus est summus sacerdos, et pontifex noster ; sed etiam incruentum illud, quod ex mandato Christi identidem instauratur.

III. Etenim Cyprianus in antecedentibus verbis, quæ paulo ante citavimus, ostendit se de illo sacrificio agere, cujus auctor, et doctor est Christus, et in quo non aqua sola, sed vinum aqua mixtum adhibetur. Atqui Christus non *auctor* et *doctor* dicitur cruenti illius ; nam *auctor* et *doctor* ejus est, quod faciendum exemplo suo, et in sui memoriam præcepit. Non autem præcepit, ut pro ipso in crucem tolleremur, sed ut corpus suum offerretur, et sanguis ; cujus imaginem ac typum repræsentasse Melchisedecum asserit. Ac sæpe Cyprianus ibidem oblationem illam corporis et sanguinis Christi, id est *panis* illius, quem *carnem* esse suam et vini, quod esse sanguinem suum Christus in Evangelio testatur, sacrificium nominat. Ut cum ita scribit, « perversum esse, solam aquam offerre, cum sacramentum quoque rei illius admonere, et instruere nos debeat, ut in sacrificiis Dominicis vinum potius offeramus. » Tum paulo post, illam ipsam actionem, quam sub ultimam cœnam Christus exercuit, quando panem et vinum benedictione consecravit, sacrificium vocat ab ipsomet oblatum, quod imitari nos oporteat. « Non est ergo, frater charissime, quod aliquis existimet sequendam esse quorumdam consuetudinem; si qui in præteritum in calice Dominico aquam solam offerendam putaverint. Quærendum est enim, ipsi quem sint secuti. Nam si in sacrificio, quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus est ; utique id nos obaudire, et facere oportet, quod Christus fecit, et quod faciendum esse mandavit. » Hoc igitur, quod sacerdotes Christiani in offerendo sibi proponunt imitandum, sacrificium est, quod ipse Christus obtulit in extrema illa cœna ; in quo non aquam solam, sed mixtum aqua vinum adhibuit. Quod de altero cruento, et in cruce celebrato neutiquam potest intelligi. Non enim hoc imitantur in eo sacerdotes, quod vinum aqua temperatum asciscunt.

IV. Quod etiam subinde clarius ostendit, postquam docuit divinam institutionem non debere *humana traditione mutari,* post illa verba, quæ in calce antecedentis capitis exscripsimus, « Nam si Jesus Christus, *inquit,* Dominus, et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris; et sacrificium Patri seipsum primus obtulit; et hoc fieri in commemorationem præcepit; utique ille sacerdos vices Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur ; et sacrificium plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. » Hoc igitur, et quod imitatur a Christo factum, sacrificium est ; et quod imitando Christum facit, perinde est sacrificium ; et *sacerdos,* qui imitatur, homo dicitur a Cypriano. Quin idem mox sacrificia matutina vocat, quæ mane offerebantur. « Nisi si in sacrificiis, *ait,* matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem

[1] Cypr. epist. 63.

[2] Gen. 14.

Christi. » Ac paulo post demonstrat, sacrificium revera Christum fecisse, quando sacramentum corporis sui et sanguinis instituit; quando et *mixtum calicem obtulisse Dominum* scribit, et eos refellit, qui propterea sub cœnam *Dominicum celebrabant*, vel *offerebant*, quod eodem tempore Christus obtulit. Quod ille confutans, disparem ait esse causam: « Christum, *inquit*, offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum et vesperam mundi. » Ita Christi actio ipsa, qua panem, vinumque corpus suum fecit, et sanguinem, oblatio fuit, et sacrificium. Addit deinde: « Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus, (passio est enim Domini, sacrificium quod offerimus,) nihil aliud quam quod ille fecit, facere debemus. »

V. Ex hac epistola Cypriani, quam citat Augustinus [1], ac tam disertis ejus sententiis, quibus peculiare in Ecclesia Christiana esse sacrificium docet, quod offertur in utraque specie panis, et vini aqua temperati; necnon *sacerdotes* eos vocat, qui hujusmodi oblationem, et sacrificium repræsentant: potest Catharus agnoscere, quam sit ab Christianæ veritatis possessione devius, cum nullum nova in lege sacrificium, neque sacerdotium esse, quod ab suis fraterculis, ac magistris didicit, fideliter regerit.

Quin et alibi [2] passim *sacrificium* illam eamdem oblationem Dominici corporis et sanguinis nominat; et sacerdotes, qui illi operantur, et qui [3] « sacerdotium Dei administrant, » ut loquitur in epistola 60. Item [4], « Honorem cathedræ sacerdotalis Novatianum usurpasse » dicit; tum « altare collocasse, et sacrificia contra fas offerre; » nec tamen ideo Catholicos « ab altari, et sacrificiis cessare oportere. » Pulcherrime quoque in epistola 76. martyres consolans, quod omnibus et corporis, et animi solatiis destituti essent, neque sacrificii Domini copiam haberent: « Sed nec in illo, fratres dilectissimi, *ait*, aliqua potest aut religionis, aut fidei jactura sentiri, quod illic nunc sacerdotibus Dei facultas non datur offerendi, et celebrandi sacrificia divina. » Erant igitur et sacerdotes, et sacrificia, quæ nonnisi ab iis offerebantur; non utique promiscue etiam a laicis: eademque proprie dicta, et ab aliis diversa, quæ late sumpto sacrificii nomine censentur; ut sunt bona opera, præsertim in quibus fortiter tolerantur supplicia, et ærumnæ corporis, quæ subinde *sacrificia* nominat, et ut interim offerant hortatur.

VI. Ad hæc in libro de Aleatoribus singulare istud sacrificium perinde designat: « Quod si, *inquit*, multorum testium varia, et consonanti monitione docemur, cum delinquentibus fratribus cibo ne quidem vesci: quanto magis debeat et a sacrificio Christi arceri. » Præterea in libro primo Testimoniorum adversus Judæos [5], probat e Scripturis, « sacrificium vetus evacuatum esse, et novum celebrari apud gentes; » idque ex Malachia probat [6]. Sic in epistola 54. « Ut sacerdotes, *inquit*, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, et victimas præparemus. » Et in epistola 58. « Cum episcopo presbyteri sacerdotali honore conjuncti. » Tum in 69. « Si majestatem Dei, qui sacerdotes ordinat, cogitaveris; si Christum, qui arbitrio, et nutu, ac præsentia sua et præpositos ipsos, et Ecclesiam cum præpositis gubernat, aliquando respexeris. » Sic in libro de oratione Dominica. « Et quando, *inquit*, in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ, et disciplinæ memores esse debemus. » Et postea: « Ideo et sacerdos ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda: ut dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, etc. » Toties itaque vetustissimus, ac sanctissimus ille martyr *sacrificii*, et *altaris*, et *sacerdotis*, et *oblationis* meminit ejusdem, quod et hodieque in catholica perseverat: quæ omnia sacrarum rerum vocabula cum rebus ipsis, ex profanæ sectæ Catharorum institutis fœneus ille Wallo Messalinus abdicat.

VII. Nec aliter Irenæus apostolicæ suppar ætati, qui aliquot locis singulare illud evangelicæ proprium legis sacrificium commendat in oblatione corporis, ac sanguinis Dominici. Ut in libro 4. capite 39. ubi προσφέρειν, id est *offerre* nos ait Deo Eucharistiam. Ac postea verum, et eximium illud sacrificium a communi notione secernens eorum, quæ non proprie sacrificia dicuntur, « Sicut igitur, *inquit*, non his indigens, (quæ in pauperes scilicet erogantur,) attamen a nobis propter nos fieri vult, ne simus infructuosi. Ita idipsum Verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut discerent Deo servire. Sic et ideo nos

[1] Lib. 4. de doct. Christ. c. 21. — [2] Ut ep. 16. 76. [3] Ep. 60. — [4] Ep. 73. — [5] Num. 16. — [6] Mal. 1.

quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. » Tum in capite 32. haud paulo impressius, et manifestius : « Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti ; sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creaturis panis est, accepit, et gratias egit dicens, Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum. De quo in duodecim prophetis Malachias sic præsignificavit. » Cujus verbis recensitis, ista subjicit : « Manifeste significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo ; omni autem loco sacrificium offertur Deo. »

VIII. Cum Irenæo congruit, ac prorsus eadem dicit auctor illo vetustior Justinus martyr in dialogo cum Tryphone ; et Christianæ legis sacrificium evidentissime adstruit ex eodem Malachiæ vaticinio. Quod ubi descripsit, statim ita disserit : « (1) De iis vero, quæ a nobis gentibus ipsi offeruntur in omni loco, sacrificiis, id est de pane Eucharistiæ, et calice perinde Eucharistiæ, prædicit jam tum locutus ; et nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare. »

Hanc Malachiæ prædictionem una cum Melchisedecianæ figura oblationis, alii quoque Patres ad oblationem trahunt Dominici corporis et sanguinis, quæ quotidie in Ecclesia celebratur, ut Augustinus libro primo contra Adversarium legis et prophetarum, capite 20. Et in libro 16. de civitate Dei, cap. 22. « Ibi quippe primum, ait de Melchisedeco agens, apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longe post hoc factum, per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carnem, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur. » Quamobrem hac eadem compellare nobis Catharos et Salmasios oratione licet, qua in Judæos idem Augustinus invehitur [1] : « Quid ad hæc respondetis ? Aperite oculos tandem aliquando, et videte ab oriente sole usque ad occidentem, non in uno, sicut fuerat vobis constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum, non cuilibet Deo, sed ei, qui ista prædixit, Deo. » Quod ipsum gentilium sacrificium a Malachia prædictum [2] « per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo jam, *inquit*, videmus offerri. »

IX. Egregius est ejusdem Augustini locus in libro 20. contra Faustum capite 21. [3] ubi negat nos, id est Christianos catholicos, « ulli martyrum sacrificare ; quamvis in memoriis martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit : Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane ? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, etc. » Mox ubi docuit, « coli martyres eo cultu dilectionis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, sed tanto devotius, quanto securius post certamina superata ; » ista subjungit : « At vero illo cultu, quæ græce latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriæ divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent ; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo. »

Est igitur speciale quoddam sacrificium in lege nova, quod ex cultu latriæ soli offertur Deo, non ulli creaturæ. Quod sacrificii genus ab communibus, lateque nomine isto comprehensis discernitur, ut sunt orationes, jejunia, eleemosynæ. Nam et quale sit idem definit Augustinus in aliis locis, quorum aliqua jam reddidimus, et alia porro sunt innumera. Est autem *sacrificium corporis et sanguinis Christi*, quod pro non baptizatis offerri vetat [4] ; pro aliis fidelibus, passim offerri docet. De quo rursus idem insigniter in epi-

(1) JUST. pag. 201. Περὶ δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας, προλέγει τότε εἰπὼν, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ δοξάζειν ἡμᾶς, ὑμᾶς δὲ βεβηλοῦν.

[1] Orat. cont. Jud. cap. 9. tom. 6. pag. 33. — [2] Aug. lib. 18. de Civit. cap. 35. — [3] Tom. 6. pag. 156. — [4] Vide lib. de Anima, et ejus orig. cap. 11.

stola 120. capite 19. « Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum sacrificio nostro ; quod ubi, et quando, et quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies. » Et alibi [1], « sacrificium corporis Christi oblatum » dæmones fugasse refert.

X. Meminit item et Christiani sacrificii Tertullianus aliquot in locis ; ut in primo libro de Cultu fœminarum, capite 11. causas prodeundi, quæ Christianis incidunt matronis, enumerans : « Aut imbecillus, *inquit*, aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. » Et in calce libri de Oratione, « Accepto, *inquit*, corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. »

Eusebius Cæsariensis libro primo de evangelica Demonstratione, capite ultimo, illustrem facit mentionem ejusdem sacrificii : « (1) Merito, *inquit*, corporis ipsius, et sanguinis memoriam celebrantes, atque antiquis illis omnibus potiore sacrificio, et oblatione sacra dignati, non jam fas esse ducimus ad priora et imbecilla elementa regredi. » Tum paulo post, Christum ait pro veteribus holocaustis corpus suum hostiam obtulisse ; ejusque victimæ figuram in mensa celebrandam Ecclesiæ tradidisse. Ac deinde sacrificii apud Christianos genus duplex commemorat : unum proprium, in quo offertur Eucharistia : alterum commune. « (2) Igitur, *ait*, et sacrificamus, et suffitum adolemus, interdum quidem memoriam ingentis illius hostiæ, secundum tradita nobis ab ipso mysteria celebrantes. » Mox sacrificium alterum commemorat minus proprium, qualis est corporis sui, ac vitiorum omnium castigatio, necnon religionis, ac pietatis officia.

Memorabile est etiam illud de sacrificio, ac sacerdote Christiano, synodale testimonium in causa Athanasii, quando postulatus est judicio ab Arianis ac Meletianis ob fractum mysticum poculum, et disjectam mensam, sacrificii tempore, cui Ischyras sacerdos operabatur. De quo Alexandrina synodus agens, et hoc crimen refellens, affirmat (3) neque sacerdotem, vel presbyterum fuisse Ischyram ; neque sacrificium obtulisse, neque mensam ullam, vel altare ibi collocatum esse. « Cum igitur neque Ecclesia illic esset, neque sacrificans quisquam, neque dies hoc postularet ; quod, vel quando, vel ubi poculum confractum est mysticum ? » Hilarius in Fragmentis de hoc ipso loquens [2], « Reus, *inquit*, presbyteri sui impetu disturbati altaris in ipso sacrificiorum tempore, ubi Syrus presbyter adsistebat, arguitur. Syrus presbyter negatur ; et criminis falsitas cum auctore damnatur. Porro autem sacrificii opus sine presbytero esse non potuit. » Qui Hilarii locus valde notandus est. Nam et sacrificii, et altaris luculenta in eo mentio est ; et præterea solos sacerdotes sacrificium offerre posse demonstrat. Ex quo Catharorum fœdus error magis revincitur ; qui et peculiare negant in Ecclesia genus esse sacrificii, ac proprie dictum, et laicos omnes promiscue sacerdotes esse dictitant.

XI. Nec minus notus est Nicæni concilii canon 18. in quo presbyteri potestatem habere dicuntur τοῦ προσφέρειν, id est *offerendi sacrificii*, eaque carere diaconos ; quem alibi expendimus [3].

Hieronymus libro primo adversus Pelagianos, « Quæ sunt, rogo, *inquit*, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem, si episcopus, presbyter, et diaconus, et reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum cum candida veste processerint ? » Hoc vero sacrificium quale sit, in libro tertio declarat : « Sic docuit, *inquit*, apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. » Alibi quoque [4] : « Et quotidie, *inquit*, in sacrificiis ejus de genimine vitis veræ, vineæ Sorech, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus. »

Præclarum illud etiam Idacii Clari contra Varimadum [5] : « Sacrificium itaque, quod a

(1) Euseb. pag. 26. Εἰκότως τὴν τοῦ σώματος αὐτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος τὴν ὑπόμνησιν ἐσημέραι ἐπιτελοῦντες, καὶ τῆς κρείττονος, ἢ κατὰ τοὺς παλαιούς, θυσίας τε, καὶ ἱερουργίας ἠξιωμένοι, οὐκέθ' ὅσιον ἡγούμεθα καταπίπτειν ἐπὶ τὰ πρῶτα, καὶ ἀσθενῆ στοιχεῖα.

(2) Idem pag. 27. Οὐκοῦν καὶ θύομεν, καὶ θυμιῶμεν, ποτὲ μὲν τὴν μνήμην τοῦ μεγάλου θύματος, κατὰ τὰ πρὸς αὐτοῦ παραδοθέντα μυστήρια, ἐπιτελοῦντες, etc.

(3) Epist. Alex. synod. apud Athanas. apol. 2. pag. 569. Καὶ γὰρ ὁ τόπος ἐκεῖνος, ἐν ᾧ κεκλάσθαι τὸ ποτήριον φησιν, οὐκ ἦν ἐκκλησία· Πρεσβύτερος οὐκ ἦν ὁ τὸν τόπον παροικῶν· ἡμέρα καθ' ἣν Μακάριον τοῦτο πεποιηκέναι φασὶν, οὐκ ἦν κυριακή. Μήτε τοίνυν ἐκκλησίας οὔσης ἐκεῖ, μήτε τοῦ ἱερουργοῦντος, μήτε τῆς ἡμέρας ἀπαιτούσης, ποῖον, ἢ πότε, ἢ ποῦ τὸ ποτήριον κέκλασται μυστικόν ;

[1] Lib. 22. de Civit. cap. 8. — [2] Pag. 129. II. — [3] In Dial. de pot. cons. c. 3.

[4] Epist. 150. ad Hedib. qu. 2. — [5] Tom. 4. Bibl. PP. col. 284.

Christianis sacris altaribus admovetur, non solum Deo Patri, sed etiam Filio communi devotione offertur. » Vides altaris, et sacrificii mentionem. De altari quoque, et oblatione, id est sacrificio, liquido meminit Optatus Milevitanus initio libri sexti. « Quid enim est *inquit*, tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus et vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere? In quibus vota populi et membra Christi portata sunt? » Et postea: « Quid est enim altare, nisi sedes et corporis, et sanguinis Domini? » Tum paulo post: « Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus et sanguis habitabat? Quid vos offendistis etiam vos ipsi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia sancte, ut arbitramini, obtulistis? » Et alia quamplurima de altaribus Christianis, deque Donatistarum in iis violandis scelere, quæ in impuras hujus temporis labes, ac pestes Catharorum non minus quadrant.

XII. Ambrosius quoque in caput primum Lucæ [1]: « Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, imo præbeat se videndum! Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur. » Et alio in loco Laurentium sic alloquentem inducit Sixtum pontificem [2]: « Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. » Quod idem insigniter precationes illæ duæ testantur, *præparantes ad Missam*, quas Ambrosius scripsit, in quibus sacrificium illud, et quæ ad hoc spectant, disertissimis verbis expressa leguntur.

Gaudentius Brixianus, qui eodem seculo floruit, in Sermone secundo [3], *cœleste a Christo institutum sacrificium* vocat oblationem Dominici corporis et sanguinis; et subinde: « Voluit enim beneficia sua permanere apud nos; voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari per imaginem propriæ passionis. Et ideo fidelibus discipulis mandat, quos primos et Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent; quæ necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis ecclesias celebrari. » Constat ex hoc Gaudentii loco, et esse Sacrificium legis novæ *sacramentum* illud *corporis et sanguinis Christi*, quod *in specie panis et vini offerendum constituit*, ut statim subjicit: tum solis apostolis, sive discipulis in illa cœna mandatum esse, ut sacrificium istud offerrent, qui et soli primum sacerdotes constituti sunt. Quo et Zenonis Veronensis illa pertinent in sermone de Continentia, ubi mulierem Christianam gentili marito nuptam alloquens, « Quid quod illius, *inquit*, sacrificium publicum est, tuum secretum; illius a quovis libere tractari potest, tuum etiam a Christianis ipsis minime [4] consecrari sine sacrilegio videri non potest? » Chrysostomus denique incruentum novæ legis sacrificium luculenter adstruit, idque in Abrahami sacrificio designatum ait, qui filii sanguinem non effudit. « (1) Est et sacrificium, *ait*, sine cruore. Quid dicam, norunt qui jam initiati sunt. Ac propterea sacrificium illud sine sanguine transactum est, quod hujus esse figura debebat. » Quæ verba peculiare quoddam, et proprie dictum, non laxo, et communi modo nominatum sacrificium designant.

(1) CHRYS. hom. 93. tom. 5. p. 630. Αλλ' ἔστι θυσία καὶ χωρὶς αἵματος· ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λογόμενον. Διὰ τοῦτο δὲ κἀκείνη ἡ θυσία χωρὶς αἵματος ἐγένετο, ἐπειδὴ ταῦτης ἔμελλεν ἔσεσθαι τύπος.

[1] Col. 12. — [2] Lib. 1. Off. c. 41.

[3] Tom. 2. Bibl. PP. col. 16. — [4] For. *consecratis*.

CAPUT QUINTUM.

Puritani dogmatis vesania et furor, quo sacrificium et altare tollitur. Arianorum, ac Donatistarum esse similes. Salmasii inanes et frivolæ argumentationes elisæ. Non eamdem rationem esse judaicarum cæremoniarum, et Christianarum ; maxime impositiones manuum. Altaria in Christiana Ecclesia veterum testimonio celebrari ; idque extare in Scripturis. Eadem mensas vocari ; et qua de causa.

I. Pauca illa quidem, sed insignia, et incorruptis, ut Puritani garriunt, Ecclesiæ seculis edita testimonia, ad id, quod agimus modo, sufficiunt. Ac plura sane his addi poterant ; sed reservandum aliquid est propriæ disputationi, quam Eucharistiæ sacramento, et sacrificio destinamus. Interim ex iis Catharus Salmasius meliorem, ac saniorem mentem capere poterit ; ac temeritatem suam continere discet, ne de iis, quæ nescit, tam facile pronuntiet ; neve res antiquorum omnium Patrum, et Synodorum cujusque generis ac loci, hoc est generalis Ecclesiæ judicio sacrosanctas violare, et ore polluto atque mente, sic tanquam inquinatis manibus conspurcare, ac lacerare audeat. Meminerit, quorum similem se faciat, dum Christiana sacrificia, sacerdotes, altaria, cultum omnem illum religionis evertere, ac delere contendit. Nimirum eorum, quos biennio ante Arianam ortam hæresim, magno Antonio ad illam significandam Deus ostendit, ut in ejus vita magnus item testatur Athanasius. « (1) Vidi, inquiebat ille, altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum, quos audistis. Et facta est vox Domini dicens, Abominabitur altare meum. Nec mora ; visionem sequitur effectus. Nam post annos duos sæve Arianorum irrupit insania. » Aut igitur muli, aut cujus dimidius hic est, calcitronis alterius similis erit eversor ille, ac disturbator altaris Dominici Catharus. Habebit et furoris auctores patronosque sui fœdissimos Circumcelliones ac Donatistas, qui in Catholicorum basilicas, altaria, vasa sacra, sacerdotes, et sacrificia immanissime grassati sunt. « A quibus cum altare defenderent diaconi catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt, ait Optatus[1]. Ab iisdem honore nominis sui spoliati sunt sacerdotes, etc. Ut cum sint quatuor genera capitum in Ecclesia, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, et fidelium, nec uni parcere voluerint. » « Agnoscite vos, inquit idem, animas evertisse. Invenistis diaconos, presbyteros, episcopos, fecistis laicos. » « Dei episcopos, addit, linguæ gladio jugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris. Vixerunt postea homines, sed a vobis occisi sunt in honoribus Dei sacerdotes. »

II. Hæ de Donatistis Optati Milevitani querelæ in Messalinum adamussim congruunt. Cujus impura vox ista[2] quanta execratione digna est ! « Nec male profecto isti Waldenses, qui quod non erat, nec audiebatur temporibus apostolorum, sacerdotium cum sacerdotibus sustulerunt. Nulli sacerdotes in Evangelio, aut scriptis apostolicis nominati reperiuntur. Nullius sacerdotii vestigium extat, etc. Ubi sacrificia non fuere, nec sacerdotium ibi, aut sacerdotes esse, nec nominari oportuit. Ne altarium quidem nomen auditum est in primitiva Ecclesia, quam apostoli fundarunt. Mensa erat, non altare, in qua cœna Domini adponebatur, et dispensabatur. » Non solum impia, et sacrilega digna secta est argumentationis ista collectio, sed obtusa etiam, et a ratione ac judicio derelicta.

Quid enim ? An si vocabula in Scripturis ipsa non leguntur, res ideo vocabulis subjectæ prorsus exterminandæ sunt ; quas in Scripturis illis contineri seculorum omnium consensus approbavit ? Ostensum est capite superiori, incredibili ætatum omnium concordia sacrificium, et sacerdotium tum a Christo in Ecclesia constitutum esse, tum usu perpetuo Christianorum receptum. Quid refert, quibus

(1) ATHAN. in vita Anton. Εἶδον γὰρ τὴν τράπεζαν τοῦ κυριακοῦ, καὶ περὶ αὐτὴν ἑστῶτας ἡμιόνους κύκλῳ πανταχόθεν, καὶ λακτίζοντας τοὺς ἔνδον οὕτως, ὡς ἂν ἀτάκτως σκιρτώντων κτηνῶν γένοιτο λακτίσματα. Πάντως δὲ ἤσθεσθε, φησὶ, πῶς ἐστέναζον. Ἤκουσα γὰρ φωνῆς λεγούσης, βδελυχθήσεται τὸ θυσιαστήριόν μου. Ταῦτα εἶδεν ὁ γέρων· καὶ μετὰ δύο ἔτη γέγονεν ἡ νῦν ἔφοδος τῶν Ἀρειανῶν.

[1] Lib. 2.

[2] Salm. pag. 379.

sint illa notata nominibus, dum et auctore instituta Christo, et ascita semper, atque usurpata fuisse constet ?

III. Atenim [1] « nullum Christus instituit sacerdotium, nullosque sacerdotes instituit, quibus suam Ecclesiam regendam committeret. » Unde hoc probat ? Operæ pretium sit animadvertere hominis ἀλογιστίαν. « Abolitis, *inquit* [2], antiquis judaicæ legis sacrificiis, nec receptis gentilium, nullis opus fuit sacerdotibus, qui sacra procurarent. » Eodem argumento concluserit, omnia Christianæ sacramenta legis, baptismum, et quam *cœnam* isti vocant, imo Christianam ipsam religionem e medio esse tollendam. Nam et Judæorum antiquata lex est, et gentilium abolita. Perinde ergo consequens erit, jam nullam oportere esse reliquam. Sic Judæorum ac gentilium baptismis extinctis, Christianorum nullus esse debet. Idemque de *cœna* illa, et convivio dicendum erit, ex quo et agnus paschalis judaicus, et gentilium abrogatæ sunt epulæ, quæ olim in templis, atque in honore deorum celebrari solebant.

Quocirca risum vix teneo, cum apud Catharum pro magno illud opponi video [3], χειροθεσίαν id est *manuum impositionem*, propterea « sacerdotes non efficere, nec ullum ordinis esse sacramentum, quia ordinatio ecclesiastica, et Christiana in presbyteris, sive episcopis ordinandis derivata est a Judæis ; » quam סמיכה, *Semicha* vocabant, quæ est χειροθεσία. « Quæ licet juris sit divini, non tamen qui per eam aut magistri, aut ministri publice in Ecclesia designabantur, sacerdotes fiebant. » Estne vel salis mica in hac fæce ratiocinationis, cum impietatis vel plurimum subsit ? « Cum igitur, *inquit* [4], illa ἐπίθεσις τῶν χειρῶν apud Judæos solemnis in presbyterorum synagogæ creatione, et in magistrorum promotione sacerdotes eos non faceret, sed auctoritatem eis tantum daret, ac licentiam judicandi, ac docendi ; ita nec inde derivata manuum impositio in Ecclesiam Christi ad creandos presbyteros, et doctores designandos, characterem illis sacerdotalem imprimebat. »

IV. Futile hoc argumentum esse, quæ ex eo sequuntur absurda demonstrant. Observarunt jampridem rerum hebraicarum periti [5], ritus omnes fere, quibus Christus novi Testamenti mysteria consecravit, ex Judæorum cæremoniis acceptos esse ; præsertim quæ postrema cœna gessit in institutione Sacramenti corporis, et sanguinis sui. Hæc enim assumpsit ex usitato more popularium suorum in illo paschali convivio. Nam tunc paterfamilias tortam azymam sub mappa reservatam tot in frusta dividebat, quot erant in contubernio, iisque singula distribuebat. Exinde libatum poculum circumferri jubebat. Quæ quidem, et hujus generis alia, quorum rituales Hebræorum libri, quos talmudicos vocant, hodieque meminerunt, Christus ad novæ legis Sacramentum transtulit. Ecquis inde persuadeat sibi, nihil amplius in hoc esse dignitatis, aut efficaciæ, quam in pristinis illis, judaicisque fuit ? Aut quis ita disputantem ferat : Solemnes illi ritus Hebræorum, tortæ illæ azymæ, calix ille, qui post cœnam paschalem circumferebatur, ac cetera id genus, [6] *infirma, et egena erant elementa ;* neque vitam, aut gratiam conferebant : igitur panis ille vivus, hoc est caro, et sanguis Christi, quorum symbola iisdem ex judaicis cæremoniis usurpavit, neque vitam, neque gratiam tribuunt ; neque corpus omnino, sanguisque Christi sunt ? Aude, si potes, negare non eamdem esse vim hujus argumenti, quod falsum et impium esse tute ipse fatebere, quæ est prioris illius tui, quo manus impositionem, per quam in nova lege sacerdotes initiantur, *nullum iis sacerdotalem imprimere characterem* asseris ex eo, quod eadem apud Judæos impositio manuum nihil tale præstabat.

V. Frivola est itaque collectio tua : neque quantum judaicas inter umbras ac figuras, et Christiana sacra discriminis intersit, hactenus intellexisti. Manuum apud nos impositio ordinatio est, quæ et episcopos, et sacerdotes consecrat, et iis gratiam largitur ; et Sacramentum novæ legis est non minus, quam baptismus, ut tam Scripturarum, quam conciliorum, Ecclesiæque doctorum, imprimis autem Augustini testimonio supra docuimus. Translata itaque lege ac mutata, ut ex Apostolo paulo ante meminimus, sacrificii et sacerdotii mutata ratio est. Ac tum illud impletum est, quod de Christianæ legis sacerdotibus, ac ministris ab Esaia prædictum est, cum de vocatione gentium loquitur [7] : *Et assumam ex eis sacerdotes, et levitas, ait Dominus.* Nam de sacerdotibus ac ministris novæ legis hunc locum interpretatur Cyrillus : « (1) cujusmodi plures ex Græcorum, id est gentilium numero

(1) Cyril. in Esa. lib. 5. tom. 6. p. 919. Κέκληνται δὲ πρὸς ἱερωσύνην καὶ εἰς δεῦρο καλοῦνται πολλοὶ τῶν ἐξ ἀγέλης ὄντες ἑλληνικῆς.

[1] Ibid. p. 390. et seq. — [2] Ibid. p. 391. — [3] Sal. p. 390. et 393. — [4] Salm. pag. 394. — [5] Vide Scal. lib. 6. de emend. temp. pag. 572. edit. postr. — [6] Gal. 4. 9. — [7] Esa. 66. 21.

ad sacerdotium, *inquit*, hucusque vocantur. » Cui et Gregentius in disputatione cum Herbano Judæo subscribit [1].

Nam [2] quod « Sacerdotum appellatio secundo demum seculo et in altera, non prima apostolorum successione introducta est, » quid nostra refert, dum rem ipsam qualicumque significatam vocabulo, institutam a Christo esse, Christianum nomen omne consentiat? An non satis magna vetustas est illa vocis ; et eo venerationem meretur sacerdotium, quod sub nomine isto jam tum a primis incunabulis Ecclesiæ cognitum fuit? Certe nihil causæ est, cur, quod æque indoctus et impius Catharus jubet, ex usu Christianorum tam antiqua, et sacrosancta res cum appellatione ipsa deleatur.

VI. Sic illud ab eodem objectum Catharo contemptim prætereundum est [3] : « Altarium nomen auditum non esse in primitiva Ecclesia, quam apostoli fundarunt. » Tum quod postea dicit [4] : « Altaria pro mensis non intelligebantur, quæ sacris faciendis inservirent eodem modo, quo et gentibus, et Judæis ad eumdem usum erigi solebant. » Ubi solita inscitia labitur, et quid dicat, nescit omnino. Utrum enim antiquior est *mensæ*, quam *altaris* appellatio ad βῆμα, sive suggestum illud significandum, in quo Christiana fit oblatio? Utraque vox certe in Scripturis legitur. Altaris quidem in epistola ad Hebræos, c. 13. ubi Apostolus ita scribit [5] : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Nam altare hic proprie sumitur pro eo, in quo sacrificium novæ legis offertur; vel quod eodem recidit, μετωνυμικῶς pro ipsomet, quod offertur in eo, sacrificio. Hic enim Apostolus discrimen commendat sacrificiorum amborum, novi, et veteris Testamenti. In hoc [6], sacrificium pro peccato summi sacerdotis aut totius populi cum offerebatur, effuso sanguine, et particulis aliquot incensis, hostia ipsa elata extra castra cremabatur, nec ea sacerdoti vesci licebat. At novi Testamenti hostiam degustare fas est iis, qui judaico tabernaculo, et cæremoniis istis, umbrisque renuntiarunt.

Hoc modo Theodoretus Apostolum interpretatur. « (1) Hoc, *inquit*, altare prisco longe est præstantius. Nam illud hujus erat umbra. Illud rationis expertes capit hostias ; hoc vero rationalem, atque divinam. Propterea nemo sacerdotum illorum hujus fit particeps, nisi prius fidem in Dominum suscipiat. » Ac subinde, « (2) Sanguinem Christi mundare *ait* animas nostras ; corpus vero vivificum ejusdem pro cinere esse vitulæ rufæ, quo peccata expiabantur. » Œcumenius quoque ad eamdem ista sententiam refert ; et de Christi sanguine loquens, « (3) Hic sanguis igitur, *inquit*, per summum nostrum sacerdotem in hoc, quod est apud nos, infertur altare. Ideo non licet Judæorum summis sacerdotibus ex hoc ipso altari vesci. » Theophylactus item altaris nomine τὴν ἀναίμακτον θυσίαν, *incruentum sacrificium*, intelligit, ac latius istud exponit, quod ex Œcumenio retulimus. Sedulius quoque, « Habemus, *inquit*, altare, præter altare Judæorum, unde corpus, et sanguinem Christi participamus. » Primasius vero, « Altare Ecclesiæ est, ubi quotidie consecratur corpus Dominicum. »

VII. At Beza Catharus et ipse, et eodem, atque alumnus ejusdem sectæ Salmasius, veneno imbutus erroris, *altare* ibi *spiritaliter accipiendum esse* dicit, « non pro altari aliquo materiato ; nedum ut hic locus faveat nostri temporis altaribus, et sacrificiis : unde factum, ut cœna Domini perniciosissimo errore dici cœperit altaris Sacramentum, ac tandem in sacrificium reale, et quidem expiatorium sit impie transmutata. « Verum utut de altaris in illo loco significatione sententia sit ; quam vides minime novam fuisse, de altari *materiali* : frigide certe, insulseque nugatur, dum *nostri temporis altaria* nominat, *et sacrificia* ; quasi non vetustissimi temporis et res ipsa fuerit, et rei appellatio, cui imprudentissime conviciatur. Ut de hominum ista natione dici possit, quod Cyrillus in istorum similem, hoc est Christianorum sacrorum inimicissimum Julianum apostatam, merito contulit : « (4) Difficile esse ingenuæ fœminæ cum meretrice

(1) Theodor. pag. 460. Τοῦτο, φησί, τοῦ παλαιοῦ πολλῷ τιμιώτερον. Ἐκεῖνο γὰρ τούτου σκιά. Ἐκεῖνο δέχεται τὰς ἀλόγους θυσίας· τοῦτο δὲ τὴν λογικήν τε, καὶ θείαν. Οὗ δὲ χάριν οὐδεὶς ἐκείνων τῶν ἱερέων ταύτης μεταλαγχάνει, εἰ μὴ πρότερον τὴν εἰς τὸν Κύριον δέξηται πίστιν.

(2) Ibid. Τὸ δὲ τούτου αἷμα τὰς ἡμετέρας καθαίρει ψυχάς· ἀντὶ δὲ τῆς κονεως αὐτο ζωοποιὸν ἡμῖν γίνεται σῶμα.

(3) Œcum. Τοῦτο δὴ οὖν τὸ αἷμα διὰ τοῦ παρ' ἡμῖν ἀρχιερέως εἰσφέρεται εἰς τὸ παρ' ἡμῖν θυσιαστήριον. Διὸ οὐκ ἔξεστι τοῖς Ἰουδαίοις ἀρχιερεύσιν ἐξ αὐτοῦ τοῦ θυσιαστηρίου φαγεῖν.

(4) Cyril. 7. con. Jul. pag. 229.

Καλεπὸν, Παμφίλη,
Ἐλευθέρᾳ γυναικὶ πρὸς πόρνην μάχη.

[1] Greg. fol. 101. p. 2. — [2] Salm. p. 394. — [3] Pag. 379. — [4] Pag. 395. — [5] Heb. 13. 10. — [6] Lev. 4.

certare. Cum enim nullo modo possint vitam ingenuam, ac liberalem, et omni carentem reprehensione criminari, probrorum suorum sordes in bene moratas conferunt, ac dicacem, et impuram in eas linguam immittunt.»

Certe frequentissima est apud veteris Ecclesiæ Patres, et in Synodis, altaris, sacrificiique mentio, ut ex illis testimoniis constat, quæ proxime antecedente capite delibavimus, quorum bene multa e Cypriano produximus: quibus pauca nunc addemus, ubi de altari nominatim meminit.

VIII. In epistola 40. ubi de schismatico agit Felicissimo, « Aliud, *inquit*, altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare, et unum sacerdotium non potest.» Et Epistola 55. in criminosos, et hæreticos invehens, « Quid superest, quam ut Ecclesia Capitolio cedat, et recedentibus sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, in cleri nostri sacrum, venerandumque consessum simulacra, atque idola cum aris suis transeant.» Non puduit Cyprianum, Christianos sacerdotes, atque altaria, necnon sacrificia nominare, dum adversus gentilium idola, et eorum aras, ac sacrificia diceret; nec ab istis illorum repetendam originem esse docuit: ut profani docent Cathari, eoque nomine rei sacrosanctæ conantur invidiam facere. Quod et epistola 63. ex qua multa illic citavimus, uberius ostendit.

Sic insignis locus est in epistola 66. ubi de non injungendo clericis onere tutelæ agens, rationem reddit hanc: « Quando singuli divino sacerdotio honorati, et in clerico ministerio constituti nonnisi altari, et sacrificiis deservire, et precibus, atque orationibus vacare debeant.» Ideo ab antecessoribus episcopis sancitum esse dicit, ut, « Si quis ad tutelam, vel curam clericum nominaret, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, et ministros voluit avocare.» Et epist. 68. *altaris ministerium* nominat, *et sacerdotalem locum*. Tum in 72. « hæreticos *ait* contra altare unum, atque divinum sacrificia foris falsa et sacrilega offerre conari.» Et epist. 73. « Aut quia Novatianus altare collocare, et sacrificia offerre contra fas nititur, ab altari, et sacrificiis cessare nos oportet, ne paria, et similia cum illo celebrare videamur. Vanum prorsus, et stultum est, ut quia Novatianus extra Ecclesiam vindicat sibi veritatis imaginem, relinquamus Ecclesiæ veritatem.» Qui Cypriani locus contra Catharos, et eorum unum Salmasium aptissimus est; qui Catholicorum altaria, et sacrificia, nec non ritus alios in infamiam idcirco vocant, quod ab Judæis, et gentilibus olim, et ab istis hodieque similia factitentur.

Rursus in libro secundo Testimoniorum contra Judæos, capite secundo, *calicis, et altaris, et apostolorum, qui missi prædicaverunt*, mysticam in Proverbiis significationem inesse docet. Tertullianus *aram* vocat [1]. « Nonne sollemnis, *inquit*, erit statio tua, si et ad aram Dei steteris?»

IX. Jam, quod ad mensæ nomen attinet, usus eo est Apostolus ita scribens [2]: *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum*. Ubi mensæ vox non proprie altare significat, « in quo membra Christi portantur, et quod sedes est corporis, et sanguinis Domini,» ut scribit Optatus [3]; sed communionem ejusdem corporis, et sanguinis, hoc est convivium illud mysticum et sacrum, cujus participes sunt fideles omnes, etiam laici; qui utique ex altari ipso non communicabant, sed a diacono accipiebant, ut Justinus scribit in Apologetico altero. Postea vero, ubi Dominica, et ecclesiæ constructæ sunt extra τὸ ἱερατεῖον sive θυσιαστήριον, impertiebantur Eucharistia, et, ut ita loquar, ad mensam Dominicam accumbebant, quemadmodum Laodicenæ synodi canon 19. præscribit, ut ad Synesium observavimus [4]. Nam soli sacrorum ministri ad altare communicabant. At vero Paulus, quod magnopere est observandum, alludit ad profana gentilium in idolorum templis convivia, quæ secundum sacrificia celebrabant. Etenim post sacrificia statim epulum sequebatur. Quod etiam apud Judæos observabatur in sacrificiis eucharisticis. Quin et Athenæus in quarto libro refert, « (1) Omnem apud antiquos conviviorum cœtum, et apparatum ad cujuspiam Dei venerationem, nomenque referri solitum; ac propterea coronis usos esse

Ἔχουσαι γὰρ οὐδαμόθεν τὸν εὐφυᾶ, καὶ ἐλεύθερον, καὶ πέρα μώμου παντὸς αἰτιάσασθαι βίον, τῶν οἰκείων ἐγκλημάτων τὸν ῥύπον ταῖς ἐπιεικέσιν ἀπομάττονται, φιλοσκώμμονά τε, καὶ βδελυρὰν αὐταῖς ἐπαφιεῖσαι τὴν γλώτταν.

(1) ATHEN. Πᾶσα δὲ συμποσίου συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν εἰς Θεὸν ἀνέφερε· καὶ στεφάνοις ἐχρῶντο τοῖς οἰκείοις τῶν θεῶν, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς.

[1] Lib. de Orat. in fine. — [2] 1. Cor. 10. 21. — [3] Lib. 6. — [4] Edit. 2. pag. 76.

diis illis gratis et acceptis, ut in hymnis, et canticis. » Horum profanorum, et gentilium conviviorum meminit Apostolus in eadem ad Corinthios epistola [1], in quibus et *idolothyta manducare* illos dicit, et *in idolio recumbere*. Ibi ergo mensa ponebatur, quæ utique ara ipsa non erat, in qua posita fuerat hostia. Ancyrana quoque synodus mentionem facit eorum, qui « (1) coacti sacrificaverunt, insuper et cœnaverunt in idolio. » De iis ergo Paulus agens in decimo ejusdem epistolæ capite, ambo illa convivia invicem confert : alterum, in quo *idolothyta* cum *calice dæmoniorum* adhibentur : alterum, in quo corpore Christi ac sanguine satiamur ; et mensam utramque nominat. *Non potestis*, inquit, *calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Ac mensa ibi, ut opinor, pro cibo, id est hinc immolatitiis pecudum carnibus, inde carne agni immaculati sumitur ; calix vero utrobique liquorem significat, alterum dæmonibus libatum, alterum consecratum in Christi sanguinem. Etenim mensæ sola fere imponi solent cibaria : vinum autem infertur aliunde, et ad mensam accumbentibus propinatur. Ideo calicem a mensa, id est a potu escam distinguit Apostolus.

X. Ex quo conjectura nostra verisimilis fit : mensam utrobique nec aram esse, in qua gentilium hostia sacrificatur, et imponitur, nec altare, in quo Christus immolatur ; sed convivium, quod secundum sacrificium utrique celebrant, et participant. Unde Salmasii argumentum eluditur, qui quæ ab Christianis altaria vocata sunt, prius appellatas esse mensas asserit. Quanquam scio, posteriori tempore *mensæ* vocabulum pro *altari* percrebuisse, ut et apud Græcos τῆς τραπέζης. Sic Augustinus passim ; ut cum *mensam* vocat *Cypriani martyris* [2]. Τραπέζαν vero Chrysostomus eadem notione accipit ; ut Homilia 81. tomi quinti : « (2) Quando stat ad mensam sacerdos ; » et (3) Homilia 84. ait Davidem, cum ita cecinit [3], *Præparasti in conspectu meo mensam*, « poculum illud intellexisse spirituale, quod in divina mensa ponitur. » Tum homilia octava in epistolam ad Romanos, ubi et illustri testimonio sacrificium Dominici corporis, et sanguinis commendat, ita scribens : « (4) Reverémini igitur, reveremini mensam istam, cui communicamus omnes ; Christum pro nobis jugulatum ; hostiam in illa jacentem. » Duplex enim istius sacramenti dos est, ut et sacrificium sit, et convivium. Quatenus sacrificium est, huic ara congruit vel *altare*, quæ vox magis de illo usurpatur, quod Dei veri cultui consecratur ; sicut *ara* idolis tribuitur, etsi nonnunquam et *ara* divino imputatur honori. Quod Augustinus in epistola 86. declarat. « Nescit, *inquit*, altaris nomen magis legis et prophetarum litteris frequentatum ; et altare Deo prius in tabernaculo, quod per Moysem factum est, collocatum ; aram quoque in apostolicis litteris inveniri [4], ubi martyres clamant sub ara Dei. » Verum hodie non *ara Dei*, sed *altare* legitur in illo loco, qui est Apocalypsis sexto. Ut autem sacrum quoddam epulum est, ei mensa tribuitur ; idque a Propheta, Psalmo illo 22. significatum esse, Chrysostomus paulo ante citatus affirmat.

XI. Nec omittendus Eusebii Cæsariensis locus ea de re prorsus eximius ex libro primo de Demonstratione evangelica. « (5) Hujus, *inquit*, hostiæ memoriam in mensa celebrandi per symbola corporis ipsius, et sanguinis salutaris, cum secundum legem novi Testamenti ritum acceperimus, a propheta Davide docemur ita dicere : Parasti in conspectu meo mensam, etc. Manifeste in illis itaque mystica significatur unctio, et augustæ Christi mensæ victimæ, per quas litantes, incruenta, et rationalia sacrificia toto vitæ tempore supremo omnium Deo edocti sumus offerre per summum ipsius pontificem. » Tum reliqua de uno vero Christianæ legis sacrificio pertexit, quorum nonnulla antecedenti capite retulimus.

(1) Ancyr. can. 4. Περὶ τῶν πρὸς βίαν θυσάντων, καὶ τῶν δειπνησάντων εἰς τὰ εἴδωλα.

(2) Chrys. pag. 566. Ὅταν ἑστήκῃ πρὸ τῆς τραπέζης ὁ ἱερεύς.

(3) Idem pag. 583. Ὁρᾷς πῶς φησιν ὁ Δαβὶδ περὶ τοῦ ποτηρίου τουτου τοῦ πνευματικοῦ ἐν τῇ θείᾳ τραπέζῃ ταύτῃ κειμένου· Vide et hom. 88. pag. 606.

(4) Chrys. pag. 65. Αἰδέσθητε τοίνυν, αἰδέσθητε τὴν τράπεζαν ταυτην, ἧς κοινωνοῦμεν ἅπαντες, τὸν δι' ἡμᾶς σφραγέντα Χριστὸν, τὸ θῦμα τὸ ἐπ' αὐτῆς κείμενον.

(5) Euseb. pag. 27. Τοῦτο δῆτα τοῦ θύματος τὴν μνήμην ἐπὶ τραπέζης ἐκτελεῖν διὰ συμβόλων τοῦ τε σώματος αὐτοῦ, καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος κατὰ θεσμοὺς τῆς καινῆς διαθήκης παρειληφότες πάλιν ὑπὸ τοῦ προφήτου Δαβὶδ παιδευόμεθα λέγειν, etc. ἡτοίμασας ἐνώπιόν μου τράπεζαν, etc. διαῤῥήδην γοῦν ἐν τούτοις καὶ τὸ μυστικὸν σημαίνεται χρίσμα, καὶ τὰ σεμνὰ τῆς Χριστοῦ τραπέζης θύματα, δι' ὧν καλλιεροῦντες, τὰς ἀναίμους, καὶ λογικὰς, αὐτῷ τε προσηνεῖς θυσίας διὰ παντὸς βίου τῷ ἐπὶ πάντων προσφέρειν Θεῷ, διὰ τοῦ πάντων ἀνωτάτω ἀρχιερέων αὐτοῦ δεδιδάγμεθα.

[1] 1. Cor. 7. et 10. — [2] Serm. 113. c. 2. de Diver. — [3] Psal. 22. — [4] Apoc. 6. 9.

De quo quidem sacrificio, et ejus ab communibus differentia, commodum hæc scribentibus occurrit nobis Pothonis Prumiensis memorabilis locus, libro secundo de Statu domus Dei [1]. « Denique præter unum verum, *inquit*, summumque sacrificium, quod secundum ordinem Melchisedech in consecratione Eucharistiæ offerimus, nullum aliud munus præstantius altari sancto superponimus. Ceterum plures sunt hostiæ spirituales, plura sunt dona, et sacrificia, quæ ad unum illud sacrificium conducunt, quæ omnem animam præparant, ut participatione cœlestis sacrificii digna esse possit. »

Sic Isidorus Hispalensis in libro Allegoriarum, capite 31. postquam sacrificium illud a Melchisedeco adumbratum esse docuit, locum illum e Proverbiis citat [2], et ad Ecclesiam accommodat, « in qua Christus mactavit sui corporis hostias; in qua miscuit vinum sui sanguinis in calice sacramenti divini, et præparavit mensam, hoc est altare Domini. »

Est etiam alia ratio, cur altaria mensarum vocabulo quondam appellata sint, nimirum ob illam, quæ in tabernaculo fuit, mensam, in qua panes coram Deo proponebantur: velut coram principe aliquo poni mensa consuevit. Hæc enim Eucharistici sacramenti, ac cœlestis convivii figuram adumbrabant, ut testis est Cyrillus Alexandrinus. « (1) Nonne, *inquit*, aperte panis ille nobis de cœlo veniens significabatur, qui aliquando in sanctis ecclesiarum mensis proponendus erat, et vitam mundo largitur? »

CAPUT SEXTUM.

Confutatur impium Salmasii decretum, presbyteros olim fuisse laicos. Semper Ecclesiam ex pastore, ac grege fuisse compositam. Plebes cur sæpe vocautur laici. Ridicula Salmasii ratiocinatio, episcopos et presbyteros esse laicos, quia fiunt ex laicis. Qui ex laicis eligebantur, antequam episcopi fierent, minores ordines capessebant. Neophytos, et laicos episcopos ordinari vetitum fuisse. Laicos ordinandi jus nunquam habuisse, et quo sensu Christiani, sacerdotes dicantur.

I. Presbyteros et episcopos in laicorum olim ordine censitos fuisse credit Catharus, antequam *sacerdotis* nomen introduceretur [3]: « Ita laici, *inquit*, erant illius temporis presbyteri et episcopi, ut honestior et honoratior pars plebis haberentur tantum. Inde et ex laicis eligebantur, qui statim ad presbyteratum et episcopatum promoverentur. Nec necesse erat per omnes minores ordines transire, ut ad summum perveniretur. » Stulta et minime cohærens oratio. Laicus ille dicitur, qui est unus e populo, turbaque fidelium. Huic ex adverso respondet clericus. « Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, ait Constantinus imperator [4], id est hi qui clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur; ne sacrilego livore quorumdam a divinis obsequiis avocentur. » Optatus Milevitanus libro secundo universum corpus Ecclesiæ, quod ex sacris, et profanis hominibus componitur, ita distinguit: « Certa membra habet Ecclesia, episcopos, presbyteros, diaconos, ministros, et turbam fidelium. » Ubi turbam fidelium laicos appellat [5]. Laodicenum concilium clericos communi vocabulo ἱερατικοὺς vocat, id est *sacratos*. Dionysius exiguus, *sacro officio deditos* interpretatur. Et canone 27. idem concilium ἱερατικοὺς, et κληρικοὺς pro iisdem usurpat, iisque λαϊκοὺς subjungit. Ut igitur magistratus a privato distinguitur; ita clericus, sive ἱερατικὸς a laico. Nec potest sacrorum administer laicus nominari, nisi ab impuro Catharo, qui sacra profanis misceat. Episcopus, presbyter, et quicumque alius clericus ante ordinationem laicus est; per ordinationem ex ordine laicorum eximitur, id

(1) Cyril. lib. 9. de Ador. in spir. p. 297. Ἆρ' οὐκ ἐναργῶς ὁ ἄρτος ἡμῖν ὁ ἐξ οὐρανοῦ κατεδείκνυτο, προκεισόμενος κατὰ καιροὺς ἐν ἁγίαις τραπέζαις ἐκκλησιῶν, καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ.

[1] Tom. 9. Bibl. PP. — [2] Prov. 8. — [3] Salm. p. 396. — [4] Lege 2. Cod. Th. de Epis. — [5] Can. 24. 27. 36.

est e populo, et Deo consecratur; ut non solum profana, et irreligiosa, sed etiam inepta sit, et ridicula Salmasii ratio.

II. Nam si ab initio Christianismi Ecclesia fuit; etiam sacramenta sua habuit, et signacula. « Quia in nullum nomen religionis, ut ait Augustinus [1], seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur. » Quare ministros etiam habuit sacramentorum istorum. Imo et sacrificium suum, ac sacrificii administratores habuisse semper, et habere modo Christianam Ecclesiam ostendimus supra. Eadem ex grege constat, et pastoribus, ut Scripturæ ipsæ disertissime prædicant. Paulus in Actis cap. 20.[2] *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Divino itaque jure, non humano, præpositi sunt fidelibus episcopi; sive hoc vocabulo presbyteros simplices, sive primi ordinis sacerdotes intelligas, prout veterum diversa est opinio. Prorsus enim ex eo loco conficitur, esse in Ecclesia, cœtuque fidelium constitutos divina auctoritate pastores. Quod Apostolus docet ad Ephesios scribens [3]; ubi *quosdam* ait *dedisse Christum apostolos: quosdam autem prophetas; alios vero evangelistas; alios autem pastores, et doctores.* Quinam pastores isti sunt? Nonne quos ἡγουμένους alibi vocat [4], id est *præpositos*, ac rectores, quibus et *obedire* præcipit; eo *quod pervigilant, quasi rationem pro animabus reddituri?* Ii sunt pastores, quorum *princeps*, id est ἀρχιποίμην, Christus a Petro nominatur [5]. Quos et presbyteros, sive *seniores*, appellat; necnon *episcopos*, cum scribit sic: (1) *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei providentes*; (ad verbum *episcopantes*) *non coacte*, etc. *Neque ut dominantes in cleris; sed ut forma facti gregis ex animo.* Hic et cleros habes, hoc est (2) *sacrum cœtum* ministrorum Ecclesiæ, ut Græci interpretantur, assentiente Beza. Quare hic episcopi, sive primi ordinis antistites intelligendi.

III. Fuisse itaque constat jam tum ab apostolorum tempore in Ecclesia pastores, et gregem; præpositos, et populum, sive *plebem.* Sic enim appellari solet multitudo fidelium, ut a sacris ordinibus separetur, ac velut Ecclesiæ præfectis, et magistratibus, sive *divini cultus ministris*, ut loquitur Constantinus; quemadmodum Romæ ab honoratis, id est senatoribus, et magistratu functis distincta plebs fuit, a qua Tribunus plebis, et plebiscita nomen acceperunt. Quocirca ut a pastore grex, a magistratu cives, a præpositis subjecti differunt; neque aut grex appellari pastor; aut subjecti, qua subjecti sunt, præpositi vel magistratus nominari possunt: ita episcopi, ac presbyteri nunquam laici vocati sunt. Certe laicos ab illis Cyprianus distinguit, dum *laicam communionem*, et *communicare ut laicum* usurpat [6].

Qua in posteriore Cypriani epistola, quæ est 68. locus est egregius ad ea comprobanda, quæ de singularibus Ecclesiarum præsidibus, et episcopis, eorumque divino jure constituta potestate, contra Catharum hactenus docui. Postquam enim scripsit, episcopos magna cautione deligendos esse, « ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet; » mox ista subjungit: « Propter quod diligenter de traditione divina, et apostolica observatione observandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur; ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui episcopus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant; et episcopus deligatur plebe præsente. » Divinæ itaque, apostolicæque traditionis est *altaris ministerium*, et *sacerdotalis locus*, id est dignitas, munus, et officium; necnon episcopi, hoc est singularis alicujus Ecclesiæ præsidis institutio: ut Cypriani gravissima illa persuadet auctoritas, quæ pluris apud eruditos et pios est, quam mille Catharorum contra hæc obstrepentium indocta garrulitas, et inepta. Quæ quid sibi velit, cum presbyteros, et episcopos fuisse laicos dicit, magnum faciet, qui sic explicabit, ut intelligi possit.

IV. At etiam in exemplum, argumentumque profert nugacissimæ illius sententiæ [7], « Quod ex laicis eligebantur, qui statim ad presbyteratum, et episcopatum promoverentur. Nec necesse erat per omnes minores ordines transire, ut ad summum pervenirent. » Hujusmodi est ista concludendi ratio, ac

(1) 1. Petr. 5. 2. Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, etc. μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλα τύποι γινομενοι τοῦ ποιμνίου.

(2) Œcum. Κλήρον δὲ τὸ ἱερὸν σύστημα καλεῖ, ὥσπερ καὶ νῦν ἡμεῖς.

[1] Lib. 19. con. Faust. c. 11. — [2] Act. 20. 28. — [3] Eph. 4. 11. — [4] Heb. 13. 17.

[5] 1. Pet. 5. 4. — [6] Ep. 52. et 68. — [7] Salm. p. 396.

forma, ut a vigilante vel sobrio nemo profectam putet. Sic enim procedit : *Ex laicis eligebantur, qui presbyteri, et episcopi fierent ; Ergo presbyteri, et episcopi erant laici.* Atqui contrarium potius colligeret, si quid saperet : non fuisse laicos, quoniam ex laicis fierent. Non enim ex presbytero fit presbyter, sed ex non presbytero. Sic ex non clerico, hoc est laico, fit clericus. Finge ergo, ex laico *statim* fieri quempiam *presbyterum*, aut *episcopum* ita, ut per minores, et interjectos ordines transitum non fecerit ; an ex eo probabis presbyterum, aut episcopum esse laicum? At, ut dixi, contrarium magis inde conficies. Quare cum ista scriberes, profecto apud te non eras. Quod autem certo, liquidoque dejeras, morem ejusmodi fuisse, ut ex laicis fierent statim presbyteri, aut episcopi, nec prius minoribus initiarentur, eumque *morem diu in Ecclesia durasse ;* more tuo facis, ut quæ nescis confidenter asseras. Ambrosii exemplum affers ; sed hoc ipsum vaticinari te, ac falsum dicere arguit. Erat hic quidem, quando in episcopum a plebe postulatus est, non solum laicus, sed etiam adhuc cathecumenus. Verum non statim a baptismo episcopus ordinatus est, sed per minores omnes ordines gradatim eo conscendit. Paulinum audi, qui cum illo vixit : « Baptizatus itaque fertur, *inquit*, omnia ecclesiastica officia implesse, atque octava die episcopus ordinatus est summa cum gratia, et lætitia cunctorum. » Non igitur de repente ex laico in episcopum transiit. Porro quod Ambrosium fecisse, clare et expresse perhibet historia, id ante in Cypriano, et post in Nectario esse factum, aliisque, qui ex laicis subito assumpti sunt ad episcopatum, certum esse debet.

V. Verum, ut dixi, nihil hoc ad Salmasii causam valde pertineret, si ex laico factum esse statim presbyterum, aut episcopum probare posset : quod non fecit ; imo eo, quod citavit, exemplo seipsum jugulavit. Sed ut pro reconditiore copia, quam habet, doctrinæ suæ, novum aliquod proferat exemplum, aut argumentum, quod felicius accommodet ; certe stupida nihilominus erit argumentatio, presbyteros, aut episcopos esse laicos, quia creantur ex laicis. Ac perinde procedet, ut si quis Christianos gentiles esse dicat, quia fiunt ex iis, non nascuntur ; vel senes esse pueros, quoniam ex pueris senes existunt. Ac quod morem illum in Ecclesia non fuisse solum, sed etiam durasse diu scribit, ut hoc modo fierent episcopi et presbyteri, qui statim ex laicis caperentur, et quod ad illud probandum Ambrosii et Nectarii exempla commemorat, longe, multumque errat. Etenim primis quidem Ecclesiæ temporibus non aliunde presbyteri, et episcopi adscisci potuerunt, quam ex laicis, et quidem neophytis. Paulatim vero, multitudine aucta fidelium, cum jam clericorum ordines constituti essent in civitatibus, statutum est, et jure ordinario, adeoque more receptum, ut tum ex veteribus Christianis, tum ex inferioribus clericis majores instituerentur : et ut gradatim ad summa proveherentur, quod ex Cypriani constat epistolis [1]. Neque tamen ita decretis, et canonibus muniri ecclesiastica disciplina potuit, ut non fortuiti quidam casus inciderint, ut vel populares impetus et impressiones, vel principum potentia, vel divinæ voluntatis inusitata significatio, ac major aliqua denique vis, et extraordinaria, legum illa repagula perfregerit, non antiquis modo, sed etiam citimis memoriæ nostræ temporibus. Quæ tamen in morem trahi minime debent, nec in argumentum fatui illius, et inextricabilis commenti, quod per somnium stertenti Catharo est oblatum, presbyteros olim, et episcopos in laicis fuisse numeratos.

VI. Vetus in Ecclesia lex fuit, ut neque neophyti, neque laici ordinarentur episcopi, ac per subjectos gradus pateret ad superiores aditus, excepto si quid divinitus objectum secus hortaretur facere. Inter Apostolicos canon octogesimus vetat, « (1) Eum, qui ex gentili superstitione ad fidem accessit, et baptismo initiatus est, statim episcopum eligi. Injustum enim esse, qui nullum sui experimentum dederit, hunc aliorum esse doctorem, nisi forte ex divina gratia id accidat. »

Hanc etiam regulam, adeoque legitimum, et probatum Ecclesiæ morem, ex quo solo prudenti cuique licet argumentari quod illius judicium fuerit, Nicæna synodus illustri testimonio asserit, eique, quod dixi, fidem ad-

(1) Apost. can. 80. Τὸν ἐξ ἐθνικοῦ βίου προσελθόντα, καὶ βαπτισθέντα, ἢ ἐκ φαύλης διαγωγῆς, οὐ δίκαιόν ἐστι παρ' αὐτὰ προχειρίζεσθαι Ἐπίσκοπον. Ἄδικον γὰρ τὸν μηδέπω πεῖραν ἐπιδειξάμενον, ἑτέρων εἶναι διδάσκαλον, εἰ μή που κατὰ θείαν χάριν τοῦτο λέγηται.

[1] Ut epist. 33. 34. 35.

struit. « (1) Quoniam, *inquit*, plura aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus adversus ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, et instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spirituale perducerent, simulque ut baptizati sunt, etiam ad episcopatum, vel presbyterium promoverent ; optime placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nam et tempore opus est ei, qui catechizatur, et post baptisma probatione quamplurima, etc. » Quod et Laodicena synodus canone tertio de neophytis prohibuit ex Apostoli præcepto [1].

Sed omnium luculentissime Sardicensis synodus, canone 10. vel, ut Dionysius numerat, 13. cum hac inscriptione, *De laicis non temere faciendis episcopis ;* ubi ita sanxit : « (2) Si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi et lectoris munere, et officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus, ut per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari, qua fide sit, qua modestia, qua gravitate, et verecundia. » Addit, illum qui sic subito presbyter, aut episcopus creatur, jure *neophytum* appellari ; de quo minime ordinando Paulus edixerit.

VII. Idipsum et Innocentius primus in epistola tertia ad episcopos Tolosanæ synodi constituit, « ut in ordine clericorum eligantur, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, et lectorum officio sociati ; vel si majores sint, cum fuerint Dei gratiam consecuti, statim se ecclesiasticis ordinibus mancipaverint, » hoc est minoribus, quibus ad majores præparantur. Et Zosimus papa, in epistola 9. ad Patroclum Arelatensem, castigat eos, « qui statim saltu quodam summatem locum religionis affectant ; qui gradatim per ecclesiastica stipendia venientibus explorata solet discussione differri. » Sic hodieque *saltum* vocant, cum quis summa capescit, omissis interjectis, ac mediis gradibus. Sed neophytorum genus duplex est, ut scribit papa Gregorius magnus [2], qui « rem valde detestabilem » vocat, « quod quidam ex laico habitu, per appetitum gloriæ temporalis, defunctis episcopis tonsurantur, et fiunt subito sacerdotes, etc. » Tum ita pertexit : « Et cum ad sacros ordines Paulus apostolus neophytum venire prohibeat, sciendum nobis est, quia sicut neophytus tunc vocabatur, qui adhuc noviter erat eruditione plantatus in fide ; ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc novus est in sancta conversatione. » Quod idem et in epistola docet ad Syagrium Augustodunensem [3]. Ubi et hoc addit : « Ordinate ergo ad ordines ascendendum est, etc. » Et ante hunc Leo M. [4] tam *laicum*, quam *neophytum* ordinari vetuit. Sunt igitur *laici* secundi generis neophyti. Nam utrisque convenit, quod de prioribus, hoc est e gentilibus factis neophytis, queritur Cyrillus Alexandrinus, dum in eos invehitur, qui tales ordinant, « (3) et in interius tabernaculum inducunt, illotisque adhuc manibus agnum sacrificare permittunt, ac dignitate sacerdotali nondum in fine eruditum coronant ; » quos « ad magnas rationes reddendas in die judicii præparare se » jubet. Quibus in verbis delineatam habes Christiani et sacrificii, et sacerdotii summam.

VIII. Hæc in eum finem a me sunt allata, ut ἀλογίαν Cathari, et ἀσυλλογιστίαν castigarem, qui presbyterum et episcopum esse laicum, argumento isto probat, quod *ex laicis eligebantur, qui statim ad presbyteratum, et episcopatum promoverentur ;* quem morem diu in Ecclesia durasse, Ambrosii, et Nectarii exemplo confirmat. Atqui *contra ecclesiasticum canonem*, ac *regulam* usurpatum istud esse, totius Ecclesiæ vox in Nicæna synodo

(1) Nic. can. 2. Ἐπειδὴ πολλὰ ἤτοι ὑπὸ ἀνάγκης, ἢ ἄλλως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων, ἐγένετο παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικὸν, ὥστε ἀνθρώπους ἀπὸ ἐθνικοῦ βίου ἄρτι προσελθόντας τῇ πίστει, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατηχηθέντας, εὐθὺς ἐπὶ τὸ πνευματικὸν λουτρὸν ἄγειν, καὶ ἅμα τῷ βαπτισθῆναι προσάγειν εἰς ἐπισκοπὴν, ἢ εἰς πρεσβυτερεῖον καλῶς ἔδοξεν ἔχειν, τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτο γίνεσθαι καὶ γὰρ καὶ χρόνου δεῖ τῷ κατηχουμένῳ, καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα δοκιμασίας πλείονος.

(2) Sardic. can. 10. Ὥστε ἐάν τις πλούσιος, ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ἀξιοῦτο ἐπίσκοπος γίνεσθαι, μὴ πρότερον καθίστασθαι, ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου, καὶ διακόνου, καὶ πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκτελέσῃ· ἵνα καθ' ἕκαστον βαθμὸν, ἐάν περ ἄξιος νομισθείη, εἰς τὴν ἀψῖδα τῆς ἐπισκοπῆς κατὰ προκοπὴν διαβῆναι δυνηθείη. Ἔξει δὲ ἑκάστου τάγματος ὁ βαθμὸς οὐκ ἐλαχίστου δηλονότι χρόνου μῆκος, δι' οὗ ἡ πίστις αὐτοῦ, καὶ ἡ τῶν τρόπων καλοκἀγαθία, καὶ ἡ στερρότης, καὶ ἡ ἐπιείκεια γνώριμος γενέσθαι δυνήσεται.

(3) Cyril. lib. 2. in Joan. pag. 192. Οἱ δὲ τὸν ἀλλογενῆ, καὶ οὔτω προσήλυτον ἁρπάζοντες, καὶ σκηνῆς μὲν εἴσω τῆς ἐσωτέρας ποιούμενοι, θύειν δὲ ἀνίπτοις ἔτι χερσὶ τὸν ἀμνὸν ἐπιτρέποντες, καὶ τῷ τῆς ἱερωσύνης καταστέφοντες ἀξιώματι τὸν οὔπω κατηχούμενον, πρὸς μεγάλους ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως εὐτρεπιζεσθωσαν λόγους.

[1] 1. Tim. 3. c. — [2] Lib. 4. ep. 50. — [3] Lib. 7. ep. 110. — [4] Epist. 84. c. 3.

loquentis affirmat. Jamdudum ergo legitimus contrariusque mos in eadem Ecclesia servari cœperat ; idque adeo ex apostolorum tempore. Ecquid igitur alienus est ab omni humano judicio, quam ita ratiocinari, ut Salmasius facit ; qui ex eo, quod contra jus ordinarium ac legitimum, vel perperam factum est, vel extraordinaria, et inusitata Dei providentia contigit, id, quod in Ecclesia certum, ratumque esse debet, conatur adstruere ? Nam ordinum in illa proprietas, et conditio fixum aliquid est, et perpetuum. Ut igitur presbyteros, et episcopos a prima sui origine, et institutione nonnisi laicos fuisse, ac pro talibus habitos, ex eorum electione, ac creatione monstraret ; hujusmodi consuetudinem eligendorum illorum afferri oportuit, quam Ecclesia probaret, ac sponte sua, perpetuoque sequeretur, non quam pateretur invita, et cui, quoad posset, obsisteret. Deinde supra omnem modum obtusa est ista collectio : *Presbyteri et episcopi ex laicis eligebantur ; ergo nonnisi laici fuerunt.* Eodem quippe jure concludam, reges, et imperatores nihil, nisi privatos esse, quoniam ex privatis, certe ex non regibus et imperatoribus creantur ; aut Romanos Pontifices nonnisi cardinales esse, quoniam ex cardinalium corpore deliguntur. Qui has et similes argumentandi formas approbet, huic soli placere tua, Salmasi, potest : hoc est,

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.

IX. Eadem scabie inquinata sunt, quæ deinceps falso ex illo principio deducit. Velut est, quod ex Waldensium, et Lutheri auctoritate confirmat [1], « Justos, ac fideles laicos posse omnia, quæ in Ecclesia Dei agi necesse est, agere, et omnibus muneribus ecclesiasticis defungi, potestate ad hoc accepta per impositionem manuum presbyterii, id est senatus non ecclesiastici, sed laici. » Ubinam, ὦ βλέννε, legisti, laicos manum imposuisse ad ordinandos presbyteros et episcopos ? Nisi forte catholiciæ mores, institutaque Ecclesiæ ex latrocinalibus, et clancularis Catharorum tuorum conventiculis metiri, atque æstimare pergis. Seniores illi, qui in Africanis gestis, et canonibus memorantur, et de quibus agit ille [2], *cujus scrinia compilare* non vis, non fuerunt ecclesiastici. Neque verum est, quod tu pueriliter ariolaris, « Ab antiqua institutione, ac disciplina, qua presbyteri, et episcopi in ordine ecclesiastico, sed in censu laicorum esse credebantur, mansisse et in Ecclesia Africana seniores, sive presbyteros laicos. » Ut in omni communitate, sic in Ecclesia, magni semper fiunt, et auctoritate valent multum, qui ætate provecti sunt, et usu rerum et experientia præstant. Ideo sæpe ad decidendas lites, et controversias ecclesiasticas, quæ ex usu, et administratione, atque, ut vulgo loquuntur, *e praxi* pendent, illorum adhibentur testimonia. Tum ad tuenda Ecclesiæ bona, possessionesque vindicandas, et administrandas, ac rerum externarum hujusmodi gestiones, illorum utuntur opera. Ut in parœciis honesti cives, et ætate, usuque maturi diliguntur, quos *matricularios* vocant, qui Ecclesiæ commodis, et impensis, aut compendiis præsunt. At istorum curatio neutiquam spiritalis est ; nec imponendarum jus habent manuum, aut ordinandorum sacrorum Ecclesiæ ministrorum : sed in externarum, ut dixi, rerum administratione sistit.

X. Illud vero frigidum, et obsoletum est, quod ex Petri apostoli testimonio deducis [3], laicos omnes Christianos esse sacerdotes, quod [4] *in sacerdotium sanctum superædificati* dicuntur *offerentes spiritales hostias ;* necnon *regale sacerdotium* appellantur. Hæc a similibus tui Catharis pridem objici solita, millies ab nostris elisa, et obruta sunt. Hoc unum modo vide. Si quid de vero, proprieque dicto sacerdotio ex illis Petri verbis colligis, etiam de regia potestate pari jure posse concludi. Ergo et rex erit Christianus quilibet non minus, quam *sacerdos,* quia tam *regale*, quam *sacerdotium* ab non mendaci Apostolo Christianismus vocatur. Et Christianos reges esse, passim veteres asserunt, idque a Platone significatum ait Clemens Alexandrinus in 5. Stromateon [5]. Quoties illud contra impuram sectam vestram a catholicis repræsentatum est ex omni vetustate Christiana, cujus supra testes aliquot citavimus, duplex in Ecclesia, ut sacrificiorum, ita sacerdotii esse genus : alterum commune, et laxioris ambitus, ac notionis : alterum peculiare, et novi Testamenti proprium ? Nam prioris illius species, orationes, eleemosynæ, beneficentiæ, et si qua sunt ejusdemmodi, quæ in Scripturis novi Testamenti [6] hostiarum, et sacrificiorum, et oblationum vocabulis continentur, cum anti-

[1] Salm. pag. 398. — [2] Salm. pag. 397. — [3] Salm. pag. 398. — [4] 1. Pet. 2.

[5] Pag. 431. edit. Hein. — [6] Phil. 2. 17. Hebr. 13. 15. et 17. et 1 Pet. 2. 5.

quæ legis statu, Christiano communes sunt. Præter quas proprium quoddam hujus esse sacrificium, quod ignoras, aut dissimulas, alterum nisi imperite, alterum nisi inurbane ac stolide præ te ferre non potes. Fac tantum de rege, regnoque memineris, quod inde sequi dixi, καὶ ἥσο ἔκηλος, ne reum te quispiam peragat, ut episcopalis, et ecclesiasticæ, sic regiæ, et suo utriusque modo sacrosanctæ, violatæ dignitatis.

CAPUT SEPTIMUM.

Nugæ, et ἀντιμαχίαι Salmasii. Impositio manuum, quæ fit a presbyteris in ordinandis presbyteris, non est ordinatrix. Episcopi prærogativa supra presbyteros major, quam metropolitani supra episcopos : illa juris divini est ; hæc institutionis ecclesiasticæ. Petri ac Sedis apostolicæ primatus contra Salmasium propugnatur. Petrum caput, et principem apostolorum fuisse. Sed et Romanum pontificem episcopis omnibus præstitisse, etiam ex adversariorum testimonio probatur. Non repugnare dignitati Christi, si qui in Ecclesia principes, et capita vocentur.

I. Et presbyteros, qui in apostolicis scriptis occurrunt, eosdem videri episcopos dixi fuisse[1]: et certissime constare docui, « magnum ab antiquis usque Ecclesiæ temporibus discrimen intercessisse episcopos inter, et presbyteros ; ac te indoctum, qui eosdem olim cum appellatione ipsa, tum re atque ordine presbyteros, atque episcopos fuisse defenderes. » Mirari desine, duo hæc a nobis in Dissertationibus esse posita. Non pugnant invicem, ut putas, sed mirifice consentiunt. Sed aliud est, eumdem hominem presbyterum simul esse, et episcopum ; aliud, presbyteratum eumdem esse cum episcopatu, sive presbyterum idem esse, atque episcopum. Sive denique, quod eodem recidit, eosdem et nomine, et re atque ordine presbyteros, atque episcopos fuisse. Posterius hoc falsum est, hæreticum est, tuum est, qui duos illos hierarchicos ordines confundis, et permisces invicem cum amicis tuis Waldensibus, Wiclefistis, Lutheranis, Calvinianis, et horum perditissimis Puritanis ; qui Deo hominibusque displicent, ac divina omnia, et humana jura conturbant. Rogas[2], « Quæ differentia sit inter opinionem illam, quæ statuit, presbyteros una episcopos fuisse, et quæ ponit episcopos eosdem et presbyteros. » Magna plane differentia est, si, cum dicitur *presbyteros eosdem et episcopos fuisse*, non personas ipsas intelligamus, sed ordines, gradusque, hoc est presbyteratum, et episcopatum ; ut sæpe *concreta*, quæ vocant, nomina *abstractorum* loco ponuntur. At in priori, cum dicimus, *presbyteros una episcopos fuisse*, eamdem significamus utroque præditam ordine fuisse personam. Quod satis antea declaratum a nobis esse, etiam pro captu tuo, confidimus.

II. Tu vero vicissim, quemadmodum ἀλογίαν hic tuam excuses vide. Scribis[3], « Primo quidem, recente adhuc distinctione episcopi, et presbyteri, non statim ad abruptum discrimen transitum esse ; sed ita curam totius Ecclesiæ gerere debuisse episcopum, ut tamen nihil sine presbyterorum consilio agere ei liceret. Ita ordinabat presbyterum, ut non solus id posset, sed omnes adesse in eo ordinando deberent presbyteri, qui manus suas juxta manum episcopi in eo consecrando supra caput ejus tenerent. » Age, invicem tempora illa conferantur. Distinctionem episcopi, et presbyteri ineunte secundo seculo introductam esse statuis. At ille ritus, ut presbytero consecrando *etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant*, etiam diu post primum seculum observatus est, et hodieque in occidentali Ecclesia solet adhiberi. Certe verba, quibus illum exprimis, e Carthaginensi quarta synodo sumpsisti, canone 3. quæ synodus circa annum Christi quadringentesimum est habita. Ergone, quod centesimo circiter anno Christi factum esse dicis, id recens erat anno quadringentesimo ?

Rursus postquam diversi, ac distincti gradus episcopi et presbyteri facti sunt ; ac post illud tempus, quo recens adhuc erat illa di-

[1] Salm. pag. 399. et seq.

[2] Id. pag. 400. — [3] Salm. 402.

stinctio; cum presbyteri nonnisi presbyteros et diaconos ordinare possent, non autem episcopos, quibus inferiores erant, « Primatum *ais*[1] in presbyterio tenuisse episcopos, id est cathedræ primæ dignitatem, cum omnes presbyteri etiam cathedras haberent, et jus considendi in conciliis cum episcopis ipsis. Postea primatum, qui primæ urbis in quaque provincia sedem haberent, tenuisse. Et hic primatus tantum primo fuit instar primatus illius, quem in presbyterio episcopus habebat. Deinde etiam sollicitudo totius provinciæ ad eum delata est, ut episcopo cura totius Ecclesiæ commissa. »

III. Hæc tua est oratio, in qua tanta vis est hallucinationis, inscitiæ, repugnantiæ, quantam nemo omnium, qui vivunt hodie, præter te, capere potest. Nam primatum dicis episcopum habuisse in presbyterio, primum velut honorarium, sine jurisdictione, sed eatenus ut primæ cathedræ jus haberet. Postea id institutum, ut primatus ille penes eum esset, *qui primæ urbis in quaque provincia sedem haberet*. « Qui primatus, *inquis*, tantum primo fuit instar primatus illius, quem in presbyterio episcopus habebat. » Deinde, ut scribis, etiam sollicitudo ei totius provinciæ concessa fuit, sicut episcopo totius Ecclesiæ. Ex quo quadruplex velut status ordinum in Ecclesia, et sacrorum ministeriorum efficitur. Primus, in quo episcopatus a presbyteratu nihil discrepabat, sed unus, et idem erat ordo. Secundus, in quo distinctio fieri cœpta est episcopi, et presbyteri; quando, recente adhuc illa distinctione, presbyteri, dum ordinaretur ab episcopo presbyter, *manus suas juxta manum episcopi supra caput ejus tenebant;* episcopus vero *primatum solum, et primæ cathedræ dignitatem* obtinebat, quando et omnes episcopi æquales erant inter se. Tertius status fuit, in quo primatus in quaque provincia primæ urbis episcopo delatus est, ita tamen, ut nullam provinciæ sollicitudinem haberet, sed *instar esset primatus illius, quem in presbyterio episcopus habebat*. Quartus et postremus, in quo primus ille episcopus totius provinciæ sollicitudinem gessit, sicut episcopus totius Ecclesiæ. Addam et quintum postea statum, qui propria labe contaminatus est. Nunc, quod ad quadruplicem illum progressum episcopalis dignitatis attinet, animadverti potest, quam in eo sis deceptus. Etenim, quem tu secundum statum facis, in quo, recente adhuc distinctione presbyteri et episcopi, in illius ordinatione, presbyteri juxta manum episcopi manus suas tenebant, ad Carthaginensis quartæ synodi tempus spectat, quæ circa annum Christi quadringentesimum saltem est habita. Atqui longe ante id tempus duo posteriores status, tertius videlicet et quartus, extiterunt; imo et qui successit omnibus, quintus alius status, de quo post.

IV. Nam Nicæni concilii tempore Ecclesiæ per provincias distributæ erant; atque unicuique provinciæ, et hujus episcopis omnibus præerat unus primarius episcopus metropolitani nomine ac titulo : cujus sedes prima urbs erat, metropolis dicta. Docet hoc canon illius synodi sextus longe celeberrimus, ad quem stramentitium olim volumen consarcinasti, *de suburbicariis ecclesiis*. Ex eo discere potes, Alexandrinum episcopum non χθὲς καὶ πρώην, sed κατὰ τὰ ἀρχαῖα ἔθη, id est *ex antiqua consuetudine*, sub se omnes episcopos habuisse tam Ægypti, quam Libyæ, et Pentapolis. Sic et Romanum subjectos sibi suos habuisse, ac *sub potestate* sua, quam ἐξουσίαν Patres nominant. Ibidem etiam ὁ μητροπολίτης commemoratur; absque cujus sententia ordinari nullus in provincia debet episcopus. Ergo jam ex antiquo episcopi in Ecclesia plures uni alicui primo subjecti erant, qui ἐξουσίαν, et potestatem in eos exercebat, illo ipso tempore, quo presbyteri in ordinando presbytero *manus suas juxta manum episcopi tenebant*. Canone item sequenti, sic Æliæ, id est Hierosolymorum episcopo honorarium quoddam jus conceditur, ut tamen salvus sit honor metropolitanæ Ecclesiæ, cui urbs illa suberat, nempe Cæsareæ Palæstinæ.

Sic Antiochenæ synodi canon nonus meminit episcoporum provinciæ, « (1) quorum sollicitudinem metropolitanus suscipit. » Constantinopolitana quoque prima, et œcumenica secunda, quæ haud paucis annis Carthaginensem illam antecessit, multa de metropolitanis episcopis, eorumque cura, et jurisdictione in subjectas sibi provincias, et episcopos sanxit, ac diœceses ordinavit.

Frivola est itaque illa temporum, officiorumque partitio, quam Catharus, sic tanquam unus ex Valentinianorum tabulatis Horothetes, præfinit, prorsus illiberaliter, et ἀσυστάτως. Nunquam episcopus Ecclesiæ ulli præfuit, sine potestate ac jurisdictione tam in eam, quam in clericos ipsi contributos. Nec unquam pre-

(1) Antioch. can. 9. Τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας.

[1] Salm. p. 403.

bytero licuit ordinare presbyterum, aut diaconum, ut supra latius exposui.

V. Sequitur alius nescio quis πολιτείας ecclesiasticæ et episcopalis status, quem Catharus ementitur, talium commentorum liberalis magis, quam ingeniosus artifex. Cum de quarto agit statu, in quo sollicitudo totius provinciæ penes primatum gerentem episcopum esse cœperat, scribit [1], « Tunc episcopos in unaquaque provincia ab omnibus, vel saltem tribus ejusdem provinciæ episcopis ordinari debuisse, ut ea ordinatio non procederet absque auctoritate episcopi. » Tum ita novum veluti statum subjicit : « Processu temporis sic unus metropolitanus reliquos episcopos provinciæ ordinandi jus habuit, ut unus episcopus presbyteros suæ parœciæ ordinabat. » Falso id vero. Nam idem constansque semper jus habuit provinciæ primas episcopus, id est metropolitanus, quod in Nicæno concilio, et deinceps secutis patefactum est, ac probatum. Horum ex præscripto cujuslibet civitatis episcopus nonnisi auctoritate metropolitani, adhibitis etiam aliis ejusdem provinciæ episcopis, ordinari debuit. Quod in presbyterorum ordinatione necesse non fuit. Neque enim a pluribus episcopis consecrari presbyteros, ecclesiastica jura sanxerunt, ut de episcopis cautum ab illis esse scimus. Unde est absurda Cathari ratio, sic episcopos provinciales a metropolitano ordinari solitos, ut ab uno quolibet episcopo presbyteri diœcesis suæ consecrabantur.

VI. Putidum illud quoque est, et Wiclefi, ac Waldensium amicorum, patronorumque Cathari indolem sapit [2] : « Non major auctoritas est jure divino data episcopo in presbyteros, qui etiam olim erant episcopi, ac dicebantur, quam metropolitano in episcopos ceteros ejusdem provinciæ. » Presbyteri illi, qui in libris canonicis memorantur, si, uti probabile est, episcopali prædiți potestate fuerunt, uti simplices sacerdotes non erant, ita ordine distinguebantur a presbyteris hodiernis. Quare sepositis illis, diversisque inter se comparatis ordinibus, episcopi jure divino simplicibus sacerdotibus, cujusmodi sunt hodie, majores sunt, et auctoritate iis antecellunt. Neque vero humano jure major illa dignitas, et auctoritas constat. At metropolitanorum potestas in subjectos episcopos ecclesiastici juris est, et ab humanis orta decretis, ac judiciis, eorumdem arbitrio temperatur; hoc est aut amplificatur, aut minuitur, aut funditus aboletur. Quod innumera docent exempla synodalium canonum, vel pontificiarum sanctionum, quibus metropolitanæ sedes alibi constitutæ sunt, ubi nullæ erant antea; alibi sublatæ, alioque translatæ; nonnunquam earum dilatata, vel contracta jurisdictio, ac potestas. Atqui episcopatus prærogativa, qua presbyteratu simplici præstantior est, neutiquam humana lege, et ordinatione nititur; sed illius, qui sacros in Ecclesia ordines, eorumque discrimen, hoc est hierarchiam instituit, Christi Domini, ac Dei, ut initio primi libri demonstratum est.

VII. Ex quibus impura quoque, et indocta Cathari sententia illa convincitur [3] : « Ordinatio illa, qua discernitur episcopus a presbytero, non majus inter utrumque ordinem discrimen facit, quam illa, quæ metropolitanum ab episcopo discernit, aut patriarcham a metropolitano. » Ordinatione, id est χειροτονίᾳ, sive ordinandi jure ac potestate, distat episcopus a presbytero, ut Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus supra laudati a nobis asserunt. Quod sic iidem intelligunt, ut solus episcopus *ordinare* possit, et ordinatricem manum imponere ad creandos episcopos, presbyteros, ac sacros ministros; presbyter eo jure, qua est presbyter, ac simplex sacerdos, careat. Inter metropolitanum et provincialem episcopum nullum est ejusmodi discrimen. Sed solius interest jurisdictionis, quæ latius in illo patet, quam in isto, et ad plures extenditur. Quod autem ex ordinis conditione, ac *charactere* convenit, par et idem est in utroque. Unde falsum esse liquet, uti metropolitanus ab episcopo simplici nonnisi ecclesiastica et humana constitutione discernitur, sic a presbytero, sive ordinis secundi sacerdote, jure eodem humano discrepare primi ordinis antistitem. Etenim potest, qui modo episcopus est unius civitatis et Ecclesiæ, sola humana voluntate metropolitanus, vel etiam patriarcha fieri, ut olim Constantinopolitanus; neque nova ordinatione consecrandus erit. At presbyter episcopus fieri nequit, nisi ab episcopis peculiari ritu illius ordinis initietur. Quod et antiqui synodorum canones, et perpetuus Christianæ mos Ecclesiæ, et innumera veterum exempla testantur.

VIII. Exinde Catharus obiter quædam contra Petri, ac Sedis apostolicæ primatum injicit, non ea quidem recondita, nec arcessita, sed ex trivio petita, et ex fœce declamatiunculæ

[1] Pag. 403. — [2] Salm. pag. 403. et seq.

[3] Salm. pag. 404.

cujuspiam, quam in conventiculo aliquo Puritanorum puer excepit. Adeo sunt obsoleta, et millies explosa, quæ garrit homo vocabulariis et grammaticorum tricis innutritus, ac theologicarum rerum apprime rudis. Nisi forte magnum in eo momentum est, quod affert[1] : « Æquales inter se apostolos fuisse ; nec sane quemquam inter eos ceteris supereminere potuisse, aut aliorum caput esse, cum omnes unum idemque caput haberent, eumdem ducem, doctoremque ac magistrum, cujus erant discipuli, sectatores, ac magistri. » Quid ista ratione puerilius ? Quæ si quid acutum habet, id est ejusmodi, ut eo constituto neque regum in subjectos, neque magistratuum in cives, nec episcoporum in fideles, dicam amplius, nec in filios ac familiam, patris vel domini potestas, et auctoritas tueri se possit. Quippe hominum omnium, præsertim fidelium, rex et princeps, moderator animarum, episcopus, pater, dominus, magister, et doctor, et quidvis denique, Christus est, et in Scripturis dicitur. Jam si est ineptum, idcirco nullos in terris dici reges oportere, vel magistratus, vel parentes, quoniam horum omnium personam in se Christus usumque transtulit ; num est acutior, et elegantior Salmasiana illa ratio, imo quam non ab se iste reperit, sed ab sectæ suæ magistris accepit ? Et Christus ergo *caput est omnium fidelium, dux, doctor ac magister ;* et sunt nihilominus duces alii, sive præpositi, doctores, ac magistri eorumdem fidelium primario illi, ac principali subjuncti ; et horum omnium primas, caput, et princeps est Romanus episcopus, qui præest omnibus : sicut provinciæ totius episcopi, id est metropolitani, inferioribus præsunt episcopis ; metropolitanis exarchi diœcesis ; his patriarchæ.

IX. Certe primatum hunc et principatum inter apostolos Petro concessum a Christo, Christiana omnis antiquitas agnoscit. De quo obiter nonnulla superius attigimus[2] ; et pauca modo illis addemus. Super hunc Ecclesiam esse fundatam, ex Evangelio[3] veteres iidem asseverant. Hunc enim « ædificandæ Ecclesiæ petram dictum ; claves regni consecutum, et solvendi, et alligandi in cœlis, et in terris potestatem, » (quæ sunt verba Tertulliani[4],) præcipuo quodam jure fatentur. Hunc *apostolorum principem, et caput* Optatus appellat in libro septimo. « Potuit utique caput apostolorum, *inquit*, ita se gubernare, etc. » Ac paulo ante, « Et præferri apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas ceteris solus accepit. » Ubi Petrum solum claves accepisse dicit, ut per eum ceteri acciperent, quod proprium est munus capitis et principatus. Principatum eidem passim Augustinus tribuit apostolatus[5], ac primum, et præcipuum vocat apostolorum. « Summum illum » ait Cassianus[6], « et inter discipulos discipulum, et inter magistros magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita et sacerdotii principatum. » Hunc κορυφαιότατον, καὶ πρωτοστάτην τῶν Ἀποστόλων ; hoc est *primarium, sive verticem, et principem apostolorum*, Cyrillus Hierosolymitanus nominat[7]. Κορυφαῖον πάντων, *omnium coryphæum*, Chrysostomus[8]. Ἔκκριτον τῶν Ἀποστόλων Basilius[9], id est *eximium*, et *excellentem*. Κορυφὴν τῶν Ἀποστόλων Chrysostomus[10], et[11] κορυφὴν τοῦ χόρου, *caput, et verticem chori apostolici ;* et oratione tertia in Matthæum, θεμέλιον τῆς Ἐκκλησίας, *fundamentum Ecclesiæ*. Quo nomine eumdem afficit Proclus oratione 8. necnon et κορυφαῖον τῶν μαθητῶν, καὶ πρωτοστάτην τῶν Ἀποστόλων vocat.

Isidorus Pelusiota[12] ἔξαρχον τῶν Ἀποστόλων, id est *principem apostolorum*. « Reprehensus a Paulo minimo apostolorum, ait Facundus Hermianensis[13], non indigne tulit ; nec pro sui primatus gloria resistentem sibi despexit. » Et Augustinus[14], « In quo primatus, *inquit*, apostolorum tam excellenti gratia præeminet. » Hieronymus, « Quid Platoni, *inquit*, et Petro ? Ut ille enim princeps philosophorum ; ita hic apostolorum princeps fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est. » Cyrillus Alexandrinus[15] vocat ἡγούμενον τῶν ἁγίων μαθητῶν, *principem, et ducem sanctorum discipulorum*. Item[16] προὔχοντα, καὶ μείζονα τῇ τάξει, *præcellentem, et majorem ordine*. Et[17] διαπρέποντα ἐν μαθηταῖς, *inter discipulos antecellentem*. Hæc paucissima sunt ex innumeris, quibus Cathari os consuitur asseverantis, sic *æquales inter se apostolos fuisse, ut nemo ceteris supereminere posset*, nec caput esset illorum.

X. Sed majorem adhuc risum tollit. Nam sequitur apud eumdem germanum Catharum,

[1] Salm. p. 405. — [2] Lib. 1. c. 5. — [3] Matt. 16. — [4] Lib. de Præscr. c. 22. — [5] Aug. Ser. 13. de ver. Dom. sec. Matt. c. 2. tom. 10. — [6] Cass. l. 3. de Incar. c. 12. — [7] Cyr. Cat. 2. sub fin. — [8] Homil. 38. in 1. ad Cor. et Hom. 1. ad Rom. — [9] Lib 1. de Bapt. p. 655.

[10] Hom. 9. de Pœnit. — [11] Idem Hom. 88. in Joan. init. — [12] Lib 1. Ep. 256. — [13] Lib 10. pag. 425. — [14] Aug. lib. 2. de Baptis. contra Dom. cap. 1. — [15] Cyr. Epist. 8. Pasch. — [16] Lib. 4. in Joan. pag. 383. — [17] Id. Dial. 6. de Trinit. pag. 604.

utpote *alienum a fermento papistico*, ut alibi de se prædicat; adeoque τῶν καθαρῶν ἔκκριτον, et vere κάθαρμα. Sic igitur probat, Petrum non fuisse caput, neque principem collegii apostolici[1]: « Post Christi, *inquit*, ascensum, erepto ipsis magistro, non tamen de alio capite eligendo cogitarunt, a quo regerentur, velut præfecto collegii sui ac præposito. De subrogando aliquo in locum proditoris Judæ, ad explendum numerum duodecim, ut a Christo fuerat institutus, egerunt. Eadem opera potuissent, imo debuissent sibi alium pro Christo magistrum adoptare, qui toti apostolorum collegio præesset. » Quid attinebat, ὅ οὗτος, caput alterum eligere, cum et Christus in sempiternum sit pontifex, et caput Ecclesiæ, eo *quod morte non prohibetur permanere*, ut ait Apostolus; et vicarium sui, atque aspectabile caput, et principem collegio suo, et Ecclesiæ jam Petrum ordinasset? Quo mortuo, caput alterum suffectum est Linus, ac deinceps ceteri. Ut autem post Christi mortem caput Petrum fuisse, et officio functum principis, ac coryphæi inter apostolos intelligas, auctorem tibi dabo Chrysostomum, jam Constantinopolitanum episcopum; postquam in Synodo secunda ibidem celebrata, proximus post Romam veterem locus sedi illi constitutus esset: ut, quod recentiores postea fecerunt patriarchæ, parcius indulgere] ipsum Romani Pontificis dignitati, ac primatui Petri consentaneum videretur; quo sibi prærogativam honoris nuper acceptam defenderet. At ille majore veritatis, quam ejus, quod sua referebat, studio ductus, Petri principatum luculento testimonio adstruit homilia tertia in Actus apostolorum, cum de Matthiæ sortitione agit. Quærit imprimis, cur præ ceteris Petrus satagit, et de subrogando aliquo in Judæ locum sollicitus est; ac sibi ita respondet: « (1) Quod fervido esset ingenio; et quod gregis ei commissa cura fuerat; tum quod primus erat e collegio; semper ante alios loqui incipit. » Et paulo post: « (2) Quid igitur? Nonne Petrus ipsemet eligere poterat? Poterat quidem. Sed hoc non facit, ne gratiæ deferre aliquid videretur. » Poterat itaque solus per sese Petrus, quem vellet, designare successorem apostolatus, hoc est, (3) *principatus, et sacerdotii*, ut idem nominat; contra quam Catharus somniat: qui nullum in apostolis agnoscere vult sacerdotium. Ita princeps et caput fuit Petrus apostolici collegii, non tantum dignitate, et nescio qua imaginaria primatus larva, quam episcopis Salmasius affingit; sed gubernandi, præsidendi, ac regendi functione, si quid Chrysostomo credimus. Cui quidem auctoritatis fasces summittere non, ut opinor, ille dedignabitur.

XI. Eamdem, quæ ordinaria fuit in Petro, potestatem, jusque ac dignitatem capitis, in Petri esse successoribus Romanis Pontificibus, plerique veterum Patrum approbant. Nec dubitari potest, primatum illum habuisse semper in universa Ecclesia. Cui vel adversarii ipsi suffragantur, qui paulo moderatiores sunt, ac minus turbulenti, et antiquitatis ecclesiasticæ peritiores, quam sunt Messaliana καθάρματα. Sane Blondellus, qui nuper grande volumen edidit de hac controversia[2], « Protestantes, *ait*, neque apostolicæ cathedræ dignitatem unquam veteri Romæ denegarunt; neque primatum, quem habet in vicinas Ecclesias; imo etiam quem aliqua ratione obtinet in universas: ita tamen, ut ecclesiastico jure duntaxat, non divino, Romanis Pontificibus ista conveniant. » Quocirca saltem apostolica traditione fatebitur, primatum illum in omnes Ecclesias Romano constare Pontifici, si Augustini regulam illam sequimur, quam in primo libro capite 1. et 2. proposui: Id ab apostolis traditum videri, quod et perpetuo servatum sit in Ecclesia, et nullius concilii decreto primitus constitutum fuerit; qualem esse prærogativam Romanæ sedis, alio in loco disputabitur; ubi et divino jure, id est Christi auctoritate, ac præcepto, stabilitam esse demonstrabimus.

Nunc illud satis est, quod antiquitatis ecclesiasticæ utcumque perito liquet, fuisse veteri in Ecclesia, ut episcoporum in propriam Ecclesiam jus et potestatem, sive primatum; sic in episcopos, et Ecclesias istas in unaquaque provincia, potestatem unius item, et auctoritatem, qui provinciæ toti præerat. Quod Nicæna synodus canone 6. ἀρχαῖον ἔθος nominat. Ante quam nulla post apostolos generalis

(1) CHRYS. tom. 4. pag. 622. Καὶ ὡς θερμὸς, καὶ ὡς ἐμπιστευθεὶς παρὰ τοῦ Χριστοῦ τὴν ποίμνην, καὶ ὡς τοῦ χοροῦ πρώτος, ἀεὶ πρότερος ἄρχεται τοῦ λόγου.

(2) Id. pag. 624. Τί οὖν, ἐλέσθαι τὸν Πέτρον αὐτὸν οὐκ ἐνῆν; καὶ πάνυγε· ἀλλ' ἵνα μὴ δόξῃ χαρίζεσθαι, τοῦτο οὐ ποιεῖ.

(3) Id. pag. 623. Τὴν ἐπισκοπήν· τουτέστι, τὴν ἀρχὴν, τὴν ἱερωσύνην.

[1] Salm. pag. 405.

[2] Blond. De primatu in Eccl. p. 24.

extitit, nulla quæ morem hunc, et traditionem primitus statuerit, quo ne ab apostolis manasse credatur. Hoc, inquam, ad pueriles Cathari discutiendas nænias sufficit [1]; qui fucum facere conatur trita et obsoleta jam ratiuncula ista, quam in Puritanis conventiculis opifices, ac sellurarii elatrare solent, unde hanc hausit ille : nimirum unicum Ecclesiæ caput esse Christum, cui succidaneum dari nullum oporteat, cum sit perpetuum.

XII. « Omnes ante hoc introductum novum Ecclesiæ regimen, ait ex suorum cantilena Catharus [2], æqualiter pastores erant gregis, et unicum omnes per orbem dispersæ Ecclesiæ ἀρχιποιμένα agnoscebant, nempe Christum, non alium. Et sic Petrus in prima Catholica [3] omnes presbyteros singularum Ecclesiarum ἐπισκόπους, et ποιμένας gregis, hoc est ποιμνίου sibi crediti, esse statuit, sub uno ἀρχιποιμένι Christo. Nec per multa secula, etiam post constitutos singulares episcopos, qui capita erant particularium Ecclesiarum, Ecclesia universalis aliud caput se habere credidit, præter Christum. Ecclesia universa ex multis localibus Ecclesiis constans, corpus unum erat, et hujus corporis caput unum habebatur Christus. » Hic si quid tota ista disputatione conficit, aut contra semetipsum, aut pro nobis utique facit. Duo sunt, ex quibus argumentatur, nullum in Ecclesia καθολικὸν esse præsidem, et episcoporum episcopum, sive caput hierarchiæ totius, et Ecclesiæ. Primum, quia unus est *pastorum princeps*, ut ait Petrus. Alterum, quia caput itidem est unicum Ecclesiarum omnium. Utrumque porro Christus est. Hæc ratio non procedit, nisi ambo ista, *pastorem* esse, et *caput Ecclesiæ*, ita Christo conveniant, ut cum altero communicari nequeant; quemadmodum Deum esse, vel hominem esse simul ac Deum, Virginis esse filium, et cetera ejusdem generis, in nullum alium, quam in illum cadunt. Jam, quod ad *pastoris* nomen spectat, Christus tam et se *pastorem* vocat simpliciter ; ut cum ait [4], *Ego sum pastor bonus ;* et ab apostolis nominatur ,velut ab ipsomet Petro [5]: *Conversi nunc*, inquit, *estis ad pastorem, et episcopum animarum vestrarum* ; et a Paulo [6] : *Qui eduxit de mortuis pastorem ovium magnum.* Tam pastor ergo dicitur, quam *princeps pastorum.* Quare si ideo nefas est, quemquam *pastorum* dici *principem*, et ἀρχιποιμένα, quoniam titulum hunc Scriptura Christo tribuit ; ne *pastor* quidem, aut *episcopus* absolute nuncupari quispiam potest, ne par in Christum redundet injuria.

XIII. Atqui et episcopos singulis Ecclesiis ex antiquo præfuisse, tanquam pastores et capita suæ quemque Ecclesiæ, Salmasius fatetur, etiam temporibus apostolorum ; et quosdam insuper *episcopos episcoporum* [7], *id est primos presbyterorum, sive episcoporum* [8]. Cujusmodi apostolos fuisse credit, tam majorum gentium, quam secundos, quales erant Jacobus, Timotheus, Titus, et alii majorum discipuli ; qui presbyteros, et eosdem episcopos constituebant, et iis cum potestate, jurisdictioneque præerant: ut in primo libro ex ipsius verbis Salmasii latius ostendimus. Igitur ἀρχιποιμένες aliqui fuerunt, et *pastorum principes* præter Christum, tum apostoli ipsi, tum ab iis præpositi.

Nam quod spectat ad *capitis* vocabulum, si Ecclesia universalis corpus est Christi, et Ecclesiæ singulæ membra sunt unius corporis, ut ex collatione prima Carthaginensi, et ex synodo Parisiensi refert Salmasius [9]; profecto tam est absurdum, unius corporis, puta humani, plura esse capita, quam singulorum membrorum sua. Imo majus hoc, quam illud portentum sit, si et pedi suum caput sit, et utrique brachio suum, ac totidem denique sint capita, quot membra. Expediat se itaque solertissimus et acutissimus Salmasius ex istis pedicis, quibus seipsum irretiit. Respondeat, quinam verum sit, singulas Ecclesias, quæ sunt membra totius, suum habere caput, pastoremque suum, citra unius et summi capitis, ac pastoris offensionem ; citra monstruosam deformitatem, et ostenti similem ; dignam, de qua et aruspices consulantur, et quæ majore victima procuretur.

XIV. Respondebit, si quid sapit, id quod eum natura communis, et innata ratio docebit, non hæc invicem pugnare ; nec eamdem *naturalis* esse *corporis*, et ejus, quod *proprie* dictum corpus non est, sed *morale* vocatur, proprietatem ac rationem. Hujus enim, vel in hoc potius, plura esse capita posse ; sed sub uno, ac singulari, et primario ordinata capite : quæ singula eatenus capita sunt, quod vices obeunt supremi, et ab eo derivatam, acceptamque vim, ac potestatem exercent. Sic in regno unus rex est, ac summus princeps, sub quo innumeri sunt majores, minoresque principes, ac magistratus ; et unus etiam amplis-

[1] Salm. p. 405. et seq. — [2] Salm p. 408. et seq.

[3] 1. Pet. 5. 4. — [4] Joan. 11. 14. — [5] 1. Pet. 2. 25. — [6] Heb. 13. 20. — [7] Salm. p. 273. — [8] Id. p. 20. — [9] Pag. 409. — [10] Exod. 7.

simo jure, ac magisterio iis omnibus, ac toti adeo regno præficitur. Moses certe [10] universo Israelitarum populo, et Ecclesiæ Dei, id est Synagogæ, tanta auctoritate præerat, ut etiam Dei titulo Deus ipsemet eum honestaret, et ad veri, præpotentisque similitudinem prophetam illi fratrem suum assignaret Aaronem. Neque tamen suis, ut ita dicam, auspiciis rem illius populi gerebat; sed vicaria præfectura fungebatur, cum esset judaica πολιτεία, ut ait Josephus, θεοκρατία quædam: quod genus in humana gubernatione inauditum hactenus fuerat. Quocirca licet caput esset, pastorque populi, ac princeps Moyses, nihil hoc tamen obstabat, quominus summus eidem præesset populo, adeoque Mosi ipsimet, et Aaroni, et aliis utrique subjectis curatoribus, moderator ac princeps Deus; eo quod diversi sunt ordinis ambo illi principatus, nec se invicem excludunt.

XV. Quod ipsum naturalibus in causis licet cernere. Etenim, quod a philosophis vulgo traditur, non possunt ejusdem effecti duæ esse causæ, quas *totales* vocant, et *adæquatas*, quæ ejusdem sint generis, ordinisque; sed ex parte duntaxat, sive portionales, quas *partiales* nuncupant. Possunt tamen diversi ordinis in solidum esse duæ, cum una superior est, altera inferior. Sic enim Deus et ignis, ambo ex toto calorem eumdem producunt. Eodem fere modo quamvis uni communitati, sic tanquam capiti, duo ex æquo et in solidum præsidere capita nequeant, ut in regno reges esse duos pari potestate; nihilominus cum Deo, et sub ipso, mortalis quilibet princeps populo præest, ejusque rex et caput dicitur. Qui minus id in Ecclesia locum habet, in qua et episcopos esse *pastores*, et ἡγουμένους, hoc est *duces*, ac *præsides*, Scriptura declarat, et eosdem regia quadam potestate, sed spiritali, præditos Epiphanius in Nazaræorum hæresi docet? Ubi Christum ait ex utraque familia, regia et sacerdotali, originem traxisse; « (1) ac regalem, quam a Davide acceperat, dignitatem transferendo, largitum esse famulis suis una cum summo sacerdotio, catholicæ videlicet Ecclesiæ pontificibus. » Ergo spiritalis illa potestas, et suo modo regia, quam in episcopis agnoscit Epiphanius, in eo nimirum regno, cujus se regem esse Christus profitebatur, cum dixit [1], *Regnum meum non est de hoc mundo*, supremæ hujus majestati et auctoritati nihil officit, quoniam non paris cum ejus potestate ordinis est, sed infinitis partibus inferior, eique subjecta. Quod si in unaquaque Ecclesia, cui non minus, quam universæ, summus ille pastor, rectorque præsidet, duo esse hujusmodi capita, pastoresque duos, ne iste quidem audebit, qui nihil non audet, inficiari Catharus; cur non sub eodem pastore supremo et capite, generalis ab eo substitutus esse pastor, et caput Ecclesiæ totius poterit, quasi [2] *fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Aut ut Joseph [3] herilium omnium fortunarum, totiusque domus administrationem, et curationem cum amplissima potestate suscepit: « Tu princeps episcoporum, (ait ad Eugenium Romanum pontificem Bernardus [4],) tu es, cui claves traditæ, cui oves commissæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores, et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. » Huc ille spectat Augustini locus in tractatu ad Psalmum 86. ubi declarat, qua ratione apostoli, et prophetæ *fundamenta* dicantur, cum sit *fundamentum* Ecclesiæ Christus, *præter quod nemo aliud potest ponere*. « Quomodo putamus, ait ille [5], nisi quemadmodum aperte dicitur, sanctus sanctorum, sic figurate fundamentum fundamentorum? Si ergo Sacramenta cogites, Christus sanctus sanctorum; si gregem subditum cogites, Christus pastor pastorum; si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum. »

Adversus hæc languidi sunt omnes, irritique conatus et impetus Messalini Cathari;

> Velut in somnis oculos ubi languida pressit
> Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
> Velle videmur, et in mediis conatibus ægri
> Succidimus; nec lingua valet; non corpore notæ
> Sufficiunt vires; nec vox, aut verba sequuntur.

(1) EPIPH. hær. 29. num. 4. Τὸ βασίλειον τοῦ Δαβὶδ μεταστήσας, καὶ χαρισάμενος τοῖς ἑαυτοῦ δούλοις ἅμα τῇ ἀρχιερωσύνῃ, τουτέστι τοῖς ἀρχιερεῦσι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.

[1] Joan. 20. — [2] Matt. 24. 45. — [3] Gen. 39. — [4] Bern. 3. de Cons. c. 8. — [5] Cap. 3.

CAPUT OCTAVUM.

De episcopali dignitate, et potestate agitur. Non esse simplex onus, aut curationem. Quid curationis vox significet; tum quid munus sit, et quotuplex, ex jurisconsultis explicatur. Refellitur Salmasii error episcopatum asserentis non esse dignitatem, ac potestatem; sed nihil præter munus, et curationem. Nomina certis ex functionibus rebus imposita, quæ totam earum naturam non exprimunt. In episcopis, ut et in regibus, aliisque dignitatibus, præcipuum esse finem, utilitatem subjectorum; indeque peti nominum originem. Hinc Salmasii nugæ discussæ. Humanum quid significet. Cur Paulus episcopi dotes adeo vulgares præscribat. Hieronymi locus illustratur. Quid meritum vocet; et quo sensu dicat, episcopatus nomen non esse meriti.

I. Hactenus « difficilem satis, ac longam viam emensum se esse » Catharus scribit [1], « emersisseque lutosis volutabris. » Quod profecto non male illi ceciderit, imo vero optandum fuerit.

> Ire præcipitem in lutum, per caputque, pedesque :
> Verum totius ut lacus, putidæque paludis
> Lividissima, maximeque est profunda vorago;
> Si pote stolidum repente excitare veternum;
> Et supinum animum in gravi derelinquere cœno,
> Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.
> *Quippe* Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
> Bimuli.

Nos ad eam rem præsto illi erimus, et pro virili adjuvabimus, ut ad bonam ac sanam mentem redeat, errore deposito; cujus in postremo capite vires omnes, ac venena contraxit. Ac mihi videtur postremo illo in actu scenicæ suæ fabulæ, gratiam ab Catharis suis inire voluisse; a quibus, ut contra episcopos scriberet, subornatus, et auctoratus est. Nusquam enim inclementius in illos, ac protervius invehitur, dum id studet, omnem ab ipsis abjudicare dignitatem, ac jurisdictionem. Quod si, ut cupit, facere posset, non tam episcopalem ordinem, quam ipsius labefactaret atque everteret Ecclesiæ Christianæ statum. Verum percommode hactenus cessit, quod non valde acuto, ac solerti homini oppugnandæ catholicæ rei partes illæ mandatæ sunt; sed rudi doctrinarum istarum, et hebeti, qui nihil ad causam agendam exquisitum, nihil robustum, nihil suum ac proprium denique, præter os et confidentiam afferret. Hoc ut in superioribus hucusque fecimus, sic in postremo isto dissertationis illius enucleando capite, manifestum omnibus fore confidimus.

II. Reprehensum illud erat a nobis in primo Dissertationum ecclesiasticarum, quod Trapezita nebulo scripsit in sacro, et scelerato illo libro de Trapezitico fœnore [2] : « Veteribus episcopatum in Ecclesia non fuisse nomen dignitatis, aut potestatis, sed curationis, et administrationis. » Contra quæ copiosa disputatione probavimus, episcopos ab initio, et a prima sui origine, id est ex institutione Christi, *dignitatem et potestatem* habuisse, sive αὐθεντίαν, et ἐξουσίαν. Argumenta, quibus hoc ostendimus, invicta sunt, ac necessariis ex rebus fidem faciunt.

At Catharus Messalianus cum nihil habeat, quo vim illorum effugiat, frustra se contorquet, et μάτην πτερυγίζει, καὶ κορυβαντιᾷ. Ait, negat, versat in omnes se partes; et cum nihil dicat, multa verba fundit inania sanæ mentis, ac sensus boni. *Verba* dixi; nam præter voculas, et vocabulorum minutias, originationes, ac σκινδάλματα, et ἀποσμιλεύματα, nihil in rem ipsam, ac sui defensionem contulit.

Dixeram, « Episcopum, si hunc audimus, ex prima institutione sui, nihil aliud fuisse, quam curatorem nullo magisterio, nulla auctoritate præditum, quasi opificem quemdam, et ministrum. » Iste [3], ut hanc falsæ opinionis invidiam declinet, cum de re ipsa fateatur, ad nota et usitata præsidia confugit, enucleatas nominum, et grammaticas observationes. Quod ne ipsum quidem ei commode succedit. Nihilominus enim tenetur, ac suapte oratione convincitur. *Curare* nihil esse dicit [4] aliud nisi *administrare;* unde et *curare rempublicam*. Porro curare proprie pertinere ad episcopum, cujus est « curam Ecclesiæ gerere, ac sollicitudinem eidem impendere. » Vera ista sunt, sed ab eo, de quo agitur, aliena sunt. Etenim *curare* et *curatio* dupliciter apud Latinos usurpatur. Interdum simplex est rei, aut negotii alicujus administratio, et gestio, sine potestate, ac magisterio, sive magistratu. Hæc enim vox proprie rei effectum respicit. Alias potestatem habet adjunctam, et magistratibus tribuitur. Sic *curatio rei frumentariæ*

[1] Salm. c. 6. Dissert. p. 428. — [2] Pag. 412. — [3] Salm. Dissert. p. 409. — [4] Ibid. p. 430.

cum amplissima potestate Pompeio decreta [1], annitente Cicerone anno U. C. 697. Et *Asiatica curatio frumenti* M. Bruto, et L. Cassio commissa [2]. Hujusmodi curatio est episcopalis nominis, ac dignitatis, non prior. Itaque frustra sudat Catharus, ut illud excuset, quod falso dixerat, episcopum ex vi et proprietate nominis, imo ex origine et institutione sua, nihil præter curationem, et operam, sine honore ac potestate, sibi vindicare.

III. Sed ut penitus in causam intremus, et in ulcus illius scalpellum altius imprimamus; sciri debet, apud jurisconsultos aliud esse munus, et curationem ; aliud potestatem, et honorem, sive magistratum. Quæ jurisconsulti distinguunt sic [3], « Honor est administratio reipublicæ cum dignitatis gradu, sive cum sumptu, sive sine erogatione contingens. Munus vero publicum, quod in administranda republica cum sumptu, sine titulo dignitatis subimus. » Et Paulus [4], « Munus tribus modis dici *ait*, uno donum, et inde munera dici dari, mittive ; altero onus ; tertio officium, unde munera militaria, et quosdam milites munificos vocari. » Sic excubiæ, angariæ, « gestationes in usum belli, erectio valli, munera fuere militaria ; a quibus qui vacabant beneficiarii vocabantur ; qui non vacabant, seu munus reipublicæ faciebant, munifices, » ut ait Festus. Munus porro civile tripliciter ab Arcadio dividitur [5] : « Nam quædam munera personalia sunt : quædam patrimoniorum dicuntur : alia mixta. Personalia sunt, quæ animi provisione, et corporalis laboris intentione, sine aliquo gerentis detrimento perpetrantur, veluti tutela, vel cura ; Kalendarii quoque curatio, hoc est credendæ, et exigendæ pecuniæ fœneraticiæ, etc. Patrimoniorum sunt munera, quæ sumptibus patrimonii, et damnis administrantis expediuntur. » Mixta denique ; ut cum et tributis exigendis personalis opera confertur, et ex propriis bonis fiscalia detrimenta resarciuntur.

Hæc porro munera interdum cum honore, ac dignitate conjuncta sunt, ut iidem observant jurisconsulti. Nam et magistratibus certa onera, et munera mandantur. Muneris cum honore et magistratu copulati extat exemplum in ea functione, quam Athenis obibant, qui reficiendorum murorum curam suscipiebant, quos τειχοποιοὺς vocabant. Cicero *curatorem muris reficiendis* vocat in libello de optimo genere Oratorum, quæ est præfatio duarum orationum Æschinis, et Demosthenis de corona, quas ille in latinum converterat. Cum igitur tributim eligerentur οἱ τειχοποιοί, Demosthenes a Pandionide lectus, non operam tantum, sed etiam pecuniam contulit. Quam ob causam Ctesiphon de eo scitum fecit, ut corona aurea donaretur. Hunc vero Ctesiphontem in judicium adduxit Æschines, quod contra leges scripsisset, maxime contra eam, quæ vetabat magistratum ullum, rationibus nondum relatis, corona donari. Hanc igitur *curationem* ἀρχὴν, et *curatorem* ἄρχοντα Æschines appellat, necnon Libanius in argumento Demosthenicæ orationis.

IV. Jam vero Trapezita Catharus in libro de Trapezitico fœnore, de episcopatu agens [6], « Veteribus, *inquit*, episcopatus in Ecclesia non fuit nomen dignitatis, aut potestatis, id est ἐξουσίας, καὶ αὐθεντίας, sed curationis, et administrationis, βοηθείας, sive προστασίας, quæ est ἐπισκοπή. Et non solum in ecclesiasticis, sed etiam in civilibus curatio, et potestas diversa fuit. Nam quædam officia curationem habebant, non potestatem. Talis in Ecclesia fuit episcopatus. »

Fuit hæc ergo Salmasii, quæ et *Catharorum*, sive *Puritanorum* est, opinio, episcopatum olim, et a prima institutione sua, ac tempore apostolorum nihil præter munus, onus, et curationem fuisse ; non honorem, non dignitatem, non potestatem, non magistratum aliquem spiritualem, ac sacrum. Quare in eodem Trapezitico libro [7], « Si quis definire velit ἐπισκοπὴν ecclesiasticam, non melius queat, *inquit*, quam ex verbis ejusdem Arcadii ; » qui personale munus definit, ut supra meminimus. Unde colligit Catharus [8], « Episcopatum munus curationis olim fuisse, non honoris, aut potestatis. »

Hæc erant flagitia Trapezitici operis, quæ nos merito castigavimus in primo *Dissertationum ecclesiasticarum*. Idem porro in prima parte *Dissertationis de episcopis et presbyteris*, cui fœneum nescio quem *Wallonem Messalinum* inscripsit, multum æstuat, ut fœdam hanc, et abhorrentem ab communi Christianorum sensu labem opinionis abstergat. Ac verba mea primum arrodit [9], quibus scripseram [10], « Si hunc audimus, episcopum ex prima institutione sui nihil aliud fuisse, quam curatorem, nullo magisterio, nulla auctoritate præditum, quasi opificem quemdam, aut ministrum. » Quæ vocabula singillatim expen-

[1] Cic. pro domo. Dio. Plut. App. — [2] Lib. 15. Ep. ad Att. ep. 11. — [3] L. 14. D. de num. et hon. — [4] L. 18. D. de verb. sign. et Alciat. ad eamd. leg.

[5] L. 18. D. de num. et hon. — [6] Salm. pag. 412. — [7] Pag. 531. — [8] Ibid. p. 253. — [9] Salm. in Diss. Wal. pag. 429. — [10] Lib. 1. Dissert. Eccl. c. 4.

dens, probare satagit, in episcopatum reipsa quadrare. Hujus enim propriam fuisse *curationem*, propriam *administrationem*, ac reliqua hujusmodi, ut οἰκονομίαν, προστασίαν.

V. Atqui tergiversari istud est, et noctuarum more lucem defugere. Non enim negamus, episcopi ex prima institutione propria hæc esse; sed non ita, ut Catharus opinatur, citra potestatem, magisterium, et auctoritatem, qua, velut quidam ecclesiasticus ἄρχων, et magistratus, curationem illam, ac ministerium exercet. Nam munera et curationem interdum cum honore, ac potestate conjungi superius adnotavimus. Hoc modo episcopatum *ministerium honorabile* vocat Augustinus [1]; et Chrysostomus ἀρχὴν, et episcopos ἄρχοντας in oratione de S. Babyla [2]; et in ea de S. Ignatio, et alibi sæpe. Ejusdem proprium esse dicit [3], προΐστασθαι τῆς ἀρχῆς, *præesse imperio*, vel *imperium tenere*, et [4] προστῆναι, quod itidem vocat ἐγχειρισθῆναι τὴν πόλιν, *civitatem suæ curæ commissam regere*. Ac «(1) post Petrum successisse in principatum Antiochenæ urbis Ignatium » scribit. Quod ipsum nominat etiam ἐκκλησίαν οἰκονομῆσαι, *administrare* Ecclesiam, in eadem oratione de sancto Ignatio [5]. Quæ omnia vocabula συνωνύμως usurpata, non meram sine potestate, et honore curationem, ac personalem significant, sed magistratum ecclesiasticum. Quocirca frivola est longa illa, et otiosa disputatio Cathari litteratoris de notionibus nominum istorum, quibus exprimi ait curam, ac sedulitatem in officio exequendo. Quo primo utitur argumento, ut probet τὴν ἐπισκοπὴν non habere potestatem, honoremque conjunctum. Hoc vero ineptum, et ridendum esse quis non videt? Nam si de sola vocum proprietate agitur, primum ut honorem, ac potestatem directe non significet; non tamen excludit. Ac plerumque ambo ista designat, hoc est præfecturam cum imperio, et potestate. Sic ἐπίσκοποι τῆς δυνάμεως in libro Numerorum [6] appellantur *exercitus duces*, *tribuni*, *centuriones*, qui hebraice vocati פקודי החיל, *præfecti exercitus*, et שרים, id est *principes*.

VI. Deinde sæpe nomina rebus imponuntur a dote aliqua, et proprietate, quæ inest ipsis; aut efficientia, aut adjuncto quopiam: nec propterea negari, ac removeri cetera censentur, quod ab illis non deducta sit appellatio. Quid tam conjunctum cum honore ac potestate, quam munus regium? Et tamen *regendi* ipsa functio, a qua vocabulum oritur, nudam curationem, et administrationem significat, quæ sine magisterio, et ἀρχῇ potest intelligi. Quippe cæcum herum regit famulus, ut illa cæcum parentem in scena [7],

Cæci parentis regimen.

Navis item rector nauclerus, currus auriga dicuntur, et alia sexcenta. Quare ex acuta et lepida concludendi ratione, quam Salmasius de episcopis instituit, licebit peræque de regibus argumentari, non eos honorem, potestatem, et imperium habere, sed curationem, προστασίαν, et οἰκονομίαν, hoc est *animi provisionem*, et *corporalis laboris intentionem*, ac munus simplex; præsertim cum ἐπίσκοπος regem etiam designet, ut Hesychius docet.

Sane quidquid de episcopis affert Salmasius, quominus potestatem, et dignitatem habeat illorum functio, idipsum de regibus non minus usurpabitur, et quacumque præfectura, et ἀρχῇ. Etenim nomina primum ex officio, et curatione, ac ministerio solo in plerisque dicuntur. Sic Romæ consules ab eo, quod reipublicæ consulunt, dicti; quod muneris est et oneris genus, nullam habens adjunctam necessario potestatem. Censores item ab instituendo censu populi; quod nudum onus, et curatio sine magistratu esse potuit. Licet idem de plerisque populorum, ac civitatum magistratibus dicere. Quid quod ipsa vox *Deus*, aut Θεός, aut hebraicæ pene omnes, etiam arcanæ et augustæ, quæ ad summi numinis appellationem adhibentur, nullam honoris, potestatisque significationem continent, sed simplicem actionem, aut curationem, aut etiam usum, ac ministerium? ut ex iis patet, quæ de Dei nominibus alibi disputavimus [8]. Neget ergo Salmasius, honorem ac potestatem inesse divinitati, et ex ipsius nominibus argumentetur. Nihilo certe, quam de episcopis, ineptius ita concludet.

VII. Ad hæc, si finem præcipuum spectemus, cujus gratia magistratus, et præfecturæ, ac potestates a populis, et civitatibus expetitæ, constitutæque sunt, nullum reperiemus alium, nisi curationem, administrationemque publicæ rei; ac sollicitudinem, et provisionem animi in procuranda quiete illorum ac tranquillitate, qui hoc sibi præsidium, tanquam belli ac

(1) CHRYS. orat. 70. pag. 502. Τὸ μετ' ἐκεῖνον τοῦτον διαδέξασθαι τὴν ἀρχήν.

[1] Aug in Psal. 67. pag. 290. — [2] Chrys. tom. 5. Orat. 64. pag. 461. — [3] Idem Orat. 70. pag. 499. — [4] Idem Orat. 64. pag. 472. — [5] Idem Orat. 70. pag. 504. pag. 500. — [6] Num. 31. 14. — [7] Sen. Theb. — [8] Tom. 1. de Deo.

pacis temporibus necessarium, asciscendum esse decreverant. Æquaret hoc in Israelitici populi facto et exemplo, qui cum hactenus sub Judicum, et Sacerdotum, vel Dei potius imperio vixissent, regem sibi ceterarum more gentium dari postularunt ; et cur, quemve in finem peterent, his verbis explicarunt [1] : *Constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes.* Ac paulo post, quid *judicandi* vocabulo significarent, exponunt sic : *Judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis.* Judicandi vox non solum jus dicere, ac lites et controversias disceptare significat, sed etiam vindicare, protegere ac tueri. Unde judices illi hebraici populi ideo dicti, quod ad eos in libertatem asserendos, et ab oppressione, ac servitute vindicandos a Deo destinati fuerant. Hæc igitur sibi commode de rege pollicentes Israelitæ, et ob illa ipsa, quo privatim et tutius et securius degerent, regium optabant imperium.

Quin etiam illud inter eos constat, qui de politica scripserunt, ac potestatis omnis civilis, adeoque regiæ, finem esse, non privatum, sed publicum eorum, quibus præest, commodum. Hinc Aristoteles præclare legitimum regem in eo differre ait ab usurpatore violento, « (1) quod tyrannus in unum, quod sibi conducibile est, respicit; rex vero id, quod utile est iis, quibus imperat. » Et in Politicis, « (2) Appellare, *inquit*, solemus ex monarchicis imperiis illud, quod ad publicum commodum respectum habet regium. » Tum libro quinto : « (3) Vult autem rex esse custos, ut qui bona possident, nihil injuria patiantur, et ut ne populus afficiatur contumelia. At tyrannus, ut jam sæpe dictum est, ad nullam communem respicit utilitatem, nisi quatenus privatim id sua interest. » Denique « (4) Regem bonum *ait* oportere non tyrannicum esse, id est suæ tantum utilitatis cupidum, sed οἰκονόμον, id est dispensatorem, et regali animo præditum videri subjectis sibi populis, nec ad se commoda transferentem, ac sibi usurpantem, sed velut tutorem. » Quibus consentanea sunt, quæ a Platone traduntur, et ex utriusque fontibus Dio Pruseus, et Synesius in orationibus de Regno. Cicero ipse in primo libro de Officiis : « Omnino, *inquit*, qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant. Unum ut utilitatem civium sic tueantur, ut quæcumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus reipublicæ curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio reipublicæ, ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. »

VIII. Hinc autem evidens est, quam malus ratiocinator sit Catharus, qui duplici illo, ut dicere jam cœpimus, argumento probatum a se putat, episcopatum non esse proprie, atque ex instituti sui ratione, dignitatem aliquam, ac potestatem, vel magistratum, sed nudum officium, ac præstationem operis, et onus, ac curationem; quod *munus* jurisconsulti vocant ab honore, et potestate diversum. Nam eodem plane argumentationis genere demonstraverit, nullum in republica esse magistratum, id est potestatem, ac dignitatem ; neque regium imperium, ac nullum denique legitimum principatum aliud esse, præter simplicem procurationem, et onus, ac munus honoris et potestatis expers. Hoc si suis ex dictis, et rationibus consequens esse mihi non credit; age ponat mecum calculos, ac totam illam disputationem relegat, quam in libro de Trapezitico fœnore, et in postremo de Episcopis et presbyteris sub Wallonis Messalini nomine nuper edidit. Expendat ratiocinationis illic institutæ summam, quæ ad duo, uti dixi, fastigia redit; quorum alterum in vocabuli notatione consistit, quod nomen τῆς ἐπισκοπῆς [2] « nihil aliud significat, nisi provisionem, procurationem, et attentionem. » Et in Trapezitico libro [3], « Episcopatus in Ecclesia nomen non fuit dignitatis, aut potestatis, sed curationis, et administrationis, βοηθείας καὶ προστασίας, quæ est ἐπισκοπή. » Alter argumentandi locus ex officio ipso, ac functione petitur. « Episcopi, inquit idem [4], proprie

(1) ARIST. 8. Eth. cap. 12. Διαφέρουσι δὲ πλεῖστον· ὁ μὲν γὰρ τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ· ὁ δὲ βασιλεὺς, τὸ τῶν ἀρχομένων.

(2) Idem lib. 3. Polit. cap. 7. Καλεῖν δὲ εἰώθαμεν τῶν μὲν μοναρχίων τὴν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέπουσαν συμφέρον, βασιλείαν.

(3) Id. lib. 5. c. 10. Βούλεται δὲ ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας μηδὲν ἄδικον πάσχωσιν, ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζηται μηδέν. Ἡ δὲ τυραννὶς, ὥσπερ εἴρηται πολλάκις, πρὸς οὐδὲν ἀποβλέπει κοινὸν, εἰ μὴ τῆς ἰδίας ὠφελείας χάριν.

(4) Idem lib. 5. Polit. cap. 11. Ὅτι δεῖ μὴ τυραννικὸν, ἀλλ' οἰκονόμον, καὶ βασιλικὸν εἶναι φαίνεσθαι τοῖς ἀρχομένοις· καὶ μὴ σφετεριστὴν, ἀλλ' ἐπίτροπον.

[1] 1. Reg. 8. 5. — [2] Salm. in Diss. pag. 434. — [3] Pag. 412. — [4] Salm. Dissert. pag. 434.

officium, τὸ συμφέρον τοῖς πολλοῖς, quod pluribus utile est, quærere ac prospicere. » Amabo te, an non idem prorsus et de *rege* dici potest? Nam et vox ipsa *regendi*, *curationem et administrationem* significat. Et officium est ejusdem, ut ex Aristotele, aliisque cognoscimus, quod sibi subjectis utile est, quærere, ac prospicere. Hinc οἰκονόμον, et ἐπίτροπον *regem* nominat Philosophus, et φύλακα, id est *curatorem*, sive *dispensatorem*, et *tutorem*, et *custodem*. Quibus omnibus nominibus in episcopale munus cadentibus utitur Catharus, ut ab eo *dignitatem* et *honorem*, ac *potestatem* ableget. Quod de regibus dico, idem et de præcipuis quibusque magistratibus, atque imperiis usurpare possum. Unde vanam, ac stupidam liquet esse Cathari rationem, ex qua tam aperte falsa, et ab omni aliena judicio consectaria ducuntur.

IX. Verum, ut in tricis istis, ac vocabulariorum fæcibus nimium hærentem, ac sanæ sobriæque mentis emotum revocemus, si possumus; scire illum oportet, duo quædam inesse in præfectura qualibet, ac magistratu, sive ἀρχῇ, et legitima potestate. Unum est primarium, ac directe et suapte causa expetitum; qui est præcipuus finis, cujus gratia constituitur. Alterum veluti consequens, et primario annexum, ac sic tanquam umbra corpus assectans, ut ab eo separari nequeat. Horum duorum prius est, muneris officiique gestio; cui proposita est publica, privataque commoditas eorum, quibus præest. Hinc Apostolus orare nos jubet [1], *pro regibus*, *et omnibus*, *qui in sublimitate sunt*, *ut quietam*, *et tranquillam vitam agamus in omni pietate et sanctitate.* Et Dio Chrysostomus oratione prima de Regno, *mores et affectionem boni regis* ex Homero describens, his versibus comprehendi asserit,

(1) Cui Saturni filius versuti
Sceptrum, et jura tribuit, ut ipsos consilio moderetur.

Tanquam hoc regum proprium sit, isque regiæ finis ac scopus potestatis, « (2) consulere, ac cura sua providere subjectis sibi populis. » Quod argumentum fuse deinceps prosequitur, ut et illius imitator Synesius. Qui ambo proterea reges pastorum esse similes aiunt eamque comparationem edisserunt, sane tralatitiam, et ab antiquissimis scriptoribus, Homero, aliisque proditam, et, quod majus est, ac vulgo cognitum, sacrorum librorum auctoritate celebrem.

Ex hoc præcipuo, ac per se spectato usu, et fine principatus humani, ac cujuscumque potestatis, efflorescit altera dos, velut secundaria, et ex priore naturaliter sequens; honor ac dignatio, et adversus principes ac magistratus subjectorum reverentia, et obsequendi studium; tum ornamentum, ac splendor, opes, majestas, et quidquid illud est, quod Scriptura *jus regni* vocat [2]; quibus tanquam radiis sol, potestas illa, et amplitudo decoratur.

X. Ac si quis probum, ac moderatum, et eo nomine dignum imperatorem, ac regem interroget, cujus rei se causa factum a Deo esse principem existimet; nemo erit, qui ideo respondeat, ut honore, gloriaque fruatur; ut per populos, ac civitates ingenti pompa et magnifico apparatu spectandus incedat; ut laudetur ab omnibus, et colatur; ut felix, et fortunatus acclametur. Sed ob id unum, ut populum regat; ut ei jus reddat; ut illius tranquillitati, otio, ac paci consulat; ut quibus modis ac rationibus poterit, tum præsentis hujus vitæ, cum sempiternæ quietem, ac salutem procuret. Atqui prior ille privati commodi, dignitatisque fructus ex hoc posteriore nascitur, nec ab eo divelli potest. Verum, ut dixi, non est iste primario, ac per se, sed propter alterum, et secundum hunc, appetendus, aut præ se ferendus. Ac nullus tamen adeo sit vecors, oblitusque sui, ut regalem hunc statum neget esse potestatem, et honorem, sed onus esse tantum, ac munus, et curationem arbitretur. Non enim omnia, quæ ad rem quampiam spectant, et cum ea connexa sunt, hujus proprio vocabulo sunt expressa, aut ejus primario fine continentur; sed ab eo plerumque solo, ad quod per se, et ex instituto refertur, appellationem unumquodque accipit.

Hoc idem, quod de civili principatu natura ipsa nos docet, de sacro, et ecclesiastico, id est episcopatu, dici convenit. Tam vox ipsa τῆς

(1) Dio Chrys. Φέρε εἴπωμεν τά τε ἤθη, καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ χρηστοῦ βασιλέως ἐν βραχεῖ περιλαμβάνοντες, ὡς ἔνεστιν.

Ὃν ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας· ἵνα σφίσι βουλεύῃσι.

(2) Idem. Τὸ βουλεύεσθαι, καὶ φροντίζειν ὑπὲρ τῶν ἀρχομένων.

[1] 1. Tim. 2. 2.

[2] 1. Reg. 10. 25.

ἐπισκοπῆς, quæ est *inspectio*, curam, sollicitudinem, provisionem, munus, onus, officium significat; quam præcipuus finis, et causa instituendi illius est procuratio publicorum commodorum animi, ac salutis æternæ, et spiritualis commissi sibi gregis pastio. Ex quo deinceps oriuntur cetera, quæ secundaria esse dixi, nec in primis expetenda : potestas imperandi, ac coercendi, legesque condendi ; tum populorum erga illos veneratio, et honor, et obsequendi officium ; sine quibus prior ille fructus, et primario spectatus, obtineri non potest. Quocirca similiter, ut in civili præfectura , sceleratum est, et impium, ne dicam imperitissimum, negare episcopatum dignitatem, ac potestatem habere, vel esse magistratum ecclesiasticum, solo eum vocis sono, aut præcipui finis conditione metientem: quod rerum natura, et communis Christianorum sensus non patitur, nec in alterius mentem, ac sententiam venire potest, quam cui profanæ veneno hæresis afflatus rationem cum pietate perdiderit.

XI. Ex his explicari debent illa de episcopis tam Apostoli, quam Patrum veterum dicta, quæ stulte Trapezita cum fungo suo Messalino Wallone nobis intentat, ut episcopatum ex primaria institutione nihil, præter onus, et curationem habuisse probet, potestatis et dignitatis expertem. Imprimis autem locum illum prioris ad Timotheum ridicule versat in Trapeziticis nugis [1]. Ubi quia veteri in codice scriptum reperit, ἀνθρώπινος λόγος, totam illam Apostoli sententiam[2] explicat sic: *Humanus sermo, si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Hoc est, « Vulgi hic sermo est : si quis cupiat cujuscumque muneris, vel officii procurationem, honestum opus desiderare ; » ita ut « ἡ ἐπισκοπὴ non de episcopatus dignitate, sed de qualibet curatione cum aliquo præfecturæ honore, ac commodo conjuncta, » capiatur ab Apostolo ; ac sit καλὸν ἔργον idem, quod πρᾶγμα, vel χρῆμα, *res pulchra.* « Ut etiam nunc dicimus, *inquit*, Pulchrum est opus, Papam esse.» Sed anilis est hæc περιεργία, et a Pauli instituto, ac mente longe remotissima. Vera et recepta lectio est, πιστὸς ὁ λόγος, quam plerique scripti, et excusi omnes præferunt. Qua loquendi formula in utraque ad Timotheum epistola, et in ea ad Titum usus est Paulus, ut, quod dixerat, vel dicturus erat, affirmaret, nec incredibile esse monstraret. In illo porro, de quo agimus, loco, Chrysostomus verba ista πιστὸς ὁ λόγος ad antecedentia pertinere putat. Nimirum, quia dixerat, mulierem per filiorum generationem salutem adepturam, cum hoc parum credibile videri posset, illud asseverando confirmasse ; quasi diceret : *Verum illud est, quod dico, et fide dignum.* Quod etiam Œcumenius, ac Theophylactus secuti sunt. Alii ad sequentia trahunt potius, ut de episcopi dotibus, ac delectu verba facturus, prius iis fidem, auctoritatemque conciliet.

Apud auctorem commentariorum, qui Ambrosii nomen præferunt, legitur, *Humanus sermo,* pro *fidelis*, ut appareat, quædam exemplaria ἀνθρώπινος λόγος, non πιστὸς habuisse; quod utrumque sensu non absimili intelligendum est. Ut enim incredibile videtur, quod humanum modum, et captum superat; sic e contrario credibile est, quod humano more usuque continetur. Et, quod recte ab Sallustio dictum est, « Ubi de magna virtute, atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit; supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. » Itaque *humanum* idem est, ac *moderatum, mediocre*, non nimis arduum, et inusitatum.

XII. Sic in epistola ad Romanos [3], *Humanum dico, propter infirmitatem*, etc. quod sic exponit Chrysostomus. « (1) Quoniam, *inquit*, valde accuratam vitæ rationem exegerat, mortuos esse mundo jubens, et malitiæ item mortuos, et ad peccatorum operationem immobiles manere ; ac visus erat, ingens aliquid et grave dicere, quodque naturam humanam excederet ; idcirco demonstrare volens, nihil se immodicum petere, ac ne tantum quidem, quantum conferre eos oporteret, qui tam magno beneficio affecti essent ; verum admodum moderatum, et leve ; a contrariis illud confirmat, et ait : Humanum dico ; tanquam diceret, ex humanis cogitationibus petitum, et iis, quæ in consuetudine posita sunt. Etenim voce

(1) CHRYS. hom. 12. in ep. ad Rom. Ἐπειδὴ πολλὴν ἀπήτησεν ἀκρίβειαν τοῦ βίου, νεκροὺς εἶναι κελεύων τῷ κόσμῳ, καὶ τεθνηκέναι τῇ πονηρίᾳ, καὶ ἀκινήτους μένειν πρὸς τὴν τῶν ἁμαρτημάτων ἐνέργειαν, καὶ ἐδόκει μέγα τι, καὶ βαρὺ λέγειν, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ὑπερβαῖνον φύσιν· δεῖξαι βουλόμενος ὅτι οὐδὲν ὑπέρογκον ἀπαντεῖ. Οὐδὲ ὅσον ἐχρῆν τὸν τοσαύτης ἀπολαύσαντα δωρεᾶς, ἀλλὰ καὶ σφόδρα σύμμετρον, καὶ κοῦφον, ἀπὸ τῶν ἐναντίων αὐτὸ κατασκευάζει, καί φησιν, ἀνθρώπινον λέγω· ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ἀπὸ ἀνθρωπίνων λογισμῶν, ἀπὸ τῶν ἐν συνηθείᾳ γινομένων. Τὸ γὰρ σύμμετρον τῇ προσηγορίᾳ τοῦ ἀνθρωπίνου δηλοῖ.

[1] Salm. de Trapez. sent. p. 411.

[2] 1. Tim. 3. 1. — [3] Rom. 6. 19.

humanum, moderatum significat. » Cujus exemplum affert ex eodem Apostolo [1], *Tentatio*, inquit, *vos non apprehendat, nisi humana*, hoc est *mediocris et exigua*. Eumdem sensum refert Photius [2], et amplectitur Theophylactus, ut sit τὸ ἀνθρώπινον idem, quod σύμμετρον τῇ ἀσθενείᾳ, *accommodatum ad imbecillitatem, non nimium, nec humanis viribus majus*. Quem idiotismum, Cilicum ac Tarsensium esse indicat Hieronymus [3], unde Paulus erat oriundus. Recte quoque commentarius supposititii Hieronymi ad illum epistolæ ad Romanos versum, « Humana jam ratione digna loquor, quod omnes mecum sentire possent, et nullus abnuere. » Et Primasius : « Majora quidem exigere a vobis pro divinæ servitutis retributione deberem. Sed condescendens, et temperans infirmitati vestræ, humana et possibilia prædico, atque persuadeo. » Et supposititius Ambrosius accedit, necnon Petrus Chrysologus, qui sic scribit [4], « Parva, aut forte nulla exigit, qui cupit devicta proprietate concedere : et adimit excusationem, qui possibilia sibi, et usitata præcipit. »

XIII. Hæc nos paulo enucleatius ideo disserimus, ut ad meliorem sensum præeamus Catharo, quam iste est, quem verbis illis affingit Apostoli, futilem prorsus et inscitum. Finge enim, scripsisse Paulum in epistola ad Timotheum : *Humanus sermo ; si quis episcopatum desiderat*, etc. eadem erit nominis hujus *humani* notio, quæ in epistola ad Romanos ; ut sit idem, ac *moderatum*, *usitatum*, non majus quam ferre potest imbecillitas humanarum virium. Atque hoc dupliciter accommodari potest. Primum, utcum superioribus nectatur, quod Chrysostomo placuit ; nempe iis, quæ antecedenti capite docuerat, *mulierem per filiorum generationem salvam fore, si tamen manserit in fide, et dilectione, et sanctimonia cum pudicitia* ; quæ conditio, et quasi stipulatio humana est, et tolerabilis, usui et humanæ rationi consentanea. Non enim immodicum aliquid postulat, ac muliebres etiam vires superans, sed facile, ac parabile.

Deinde potest cum sequentibus copulari ; quod ut illustrius reddatur, observanda Chrysostomi est ad illum locum adnotatio. Quærit enim, cur Apostolus episcopi formam, ac velut exemplar describens, mediocria quædam ab illo, et vulgaria exigat officia, non exquisita et perfecta. Nam inter alia jubet eum deligi, qui non sit *ebriosus*, *non percussor*, *non turpi lucro deditus*, etc. quæ communis sunt virtutis. « (1) Cur autem non illud potius requirit, ut sit angelus, ut humanis affectionibus careat ; aut illa majora, quæ Christus in præceptis dedit, etiam iis, qui ab illis reguntur, ut cruci sint affixi, ut animam suam in manibus habeant ? » Ac respondet idcirco majora illa, et præstantiora non attigisse, quod pauci tunc essent, qui hæc possent consequi ; opus vero multis esset episcopis, qui gregem pascerent. Itaque ad ista minora, et facilia descendisse. Hoc modo respondet etiam Œcumenius. Accedit et Ambrosius libro de Noe et arca capite 25. « Generale enim omnibus, et commune præceptum, *inquit*, non altiora indicit genera virtutum, quæ utique paucorum sunt. »

XIV. Mihi vero aliter hæc solvenda quæstio videtur. Nimirum aliud esse vivendi præcepta dare ; aliud leges, et canones scribere. Qui ad Christianam vitam instituunt, summa quæque proponunt, ac perfecta ; nec ea tantum, quæ præcepti sunt, sed etiam quæ consilii. At legislator ea præcipit, quæ communiter, et ab omnibus præstari possunt, ac debent. Quamobrem ecclesiastici canones ea fere præscribunt, quæ *media* ab Stoicis *officia*, dicebantur ; non eximia quædam, et ardua limatæ, absolutæque virtutis, quæ iidem Stoici κατορθώματα vocabant, quo pertingere pauci possunt. Ea mihi causa videtur esse, cur Apostolus prima illa, et necessaria complexus sit, cum formam Ecclesiæ proponeret, ac legem ordinandorum episcoporum. Quare quod ibidem vult, eumdem esse ἀνεπίληπτον, non sic intelligendum est ex illa interpretatione, ut omni penitus culpa careat, etiam minima. Quod mirum est Chrysostomum in exponendo secutum esse ; ac secum adeo dissentire, ut qui Paulum existimat tantum mediocria, et vulgaria præcepta episcopo dedisse. Sed melius sit cum Theodoreto ἀνεπίληπτον explicare sic, « (2) ut nullam occasionem justæ reprehen-

(1) CHRYS. hom. 10. in 1. ad Tim. pag. 286. Διὰ τί γὰρ οὐκ εἶπεν, ὅτι δεῖ δὲ τὸν ἐπίσκοπον ἄγγελον εἶναι, μηδενὶ πάθει ἀνθρωπίνῳ ὑποκεῖσθαι, ἐκεῖνα τὰ μεγάλα ἃ Χριστὸς εἶπεν, ἃ καὶ τοὺς ἀρχομένους ἔχειν δεῖ, ἐσταυρῶσθαι, καὶ ἐν ταῖς χερσὶν ἀεὶ ἔχειν τὴν ψυχήν ;

(2) THEOD. Μηδεμίαν πρόφασιν μέμψεως παρέχειν δικαίαν, etc. παρακελεύεται τοίνυν μηδεμίαν ἀφορμὴν εὐλόγου παρέχειν κατηγορίας.

[1] 1. Cor. 10. 12. — [2] Apud Œcumen. — [3] Epist. 151. q. 10. — [4] Ser. 114.

sionis præbeat; aut aliquid committat, unde accusari merito possit. » Ex illa Chrysostomi, et aliorum interpretum sententia, facile est discernere, quo sensu lectio illa altera, *Humanus sermo*, pro *fidelis*, id est ἀνθρώπινος, accipienda sit. Cum enim minime difficilia, aut humanis majora viribus de episcopo statuere vellet, *Humanum sermonem* præmisit, hoc est observatu facilem, nec ab ullo detrectandum: non quod intra modulum istum coercendam putaverit episcopi sanctitatem; verum, ut recte commentarius Ambrosio tributus notat, « Si quis potiora sectatus, et corpus et animam suam Deo dicaverit, ne se copulet matrimonio, tanto magis dignus fiet. Ideo enim inferiorem posuit, ut de potiore nemo dubitaret. » Quod in omnibus aliis virtutibus valet, quas in episcopo requirit Apostolus.

XV. Confer jam cum hac expositione vocabuli τοῦ ἀνθρωπίνου, Trapezitæ balbutiem; nihil hac inficetius esse cognosces. Nam ne ipse quidem, quod dicit, capere potest; τὴν ἐπισκοπὴν ibi esse vult quamlibet curationem. Etiamne civilem? etiamne sordidam? etiamne fœnebrem, et Trapeziticam? Quid est autem καλὸν ἔργον isto sensu? Nempe quæstuosum, et commodum. Illud vero, *Pulchrum est opus, esse Papam*, quam puerile! Quasi *opus* idem sit, quod *res*, aut, quod idiotismus habet vulgaris, *une chose*. Quis enim sic stolide loquatur; *Pulchrum opus est Deus*, pro eo, quod vulgo dici amat, *Pulchra res est Deus?* Tum Apostoli cetera commentum illud jugulant, quod ex mensæ sordibus lucrioni isti, ac fœneratorum magistro subrepsit.

Hinc etiam lucet illud, quod tenebras omnes, et offutias illius discutit, argumentorumque nænias: quo sensu passim dici soleat, episcopatum oneris, ac muneris, et officii, vel curationis, et sollicitudinis esse nomen, non honoris, ac dignitatis. Non enim, qui sic loquuntur, antiqui negant, cum officio illo, ac munere conjunctam esse potestatem, et magistratum; sed, ut dixi, rationem ejus habent, quod in illo munere præcipuum est, et solum ab eo spectandum, qui hoc suscipit. Non enim honorem ac dignitatem, aut potestatem debet quærere, maxime qui episcopatum desiderat; sed opus, id est ἔργον, laborem, sollicitudinem, ut Christi se, et apostolorum ejus imitatorem præbeat. Neque tamen propterea nullam potestatem habet, neque dignitatem, quod in eam respicere, et affectare per sese prohibetur. Multa enim nonnisi turpiter, ambitioseque captantur, qua ampla et honorifica sunt, aut etiam quæstuosa, quæ ob alterum finem vel expeti possunt, vel oblata et imposita recipi. Quod de quibuslibet magistratibus, ac dignitatibus adeundis, Christianæ doctrinæ, ac sanctitatis norma præscribit.

XVI. Hac cautione, tanquam everriculo, omnes illæ Salmasianæ nugæ cispelluntur, et ἀκαντολογίαι, ac vocularum origines, quas velut agmine facto in nos immittit, ut episcopatum ex nominis ratione nihil esse probet præter onus, et curationem. Quo in genere præ ceteris attendendus est Hieronymi locus ex primo libro contra Jovinianum [1], ubi « episcopum, et presbyterum, et diaconum » scribit « non esse meritorum nomina, sed officiorum. » In quo pueriliter effertur, et insultat ὁ κέμφος, ac velut parta victoria ἰὴ Παιὰν cantat. Verum nec illum scire, quid dicat, quidve arguat, ostendam; et omnem illam Thrasonicam superbiloquentiam, ac fastum facile comprimam. Meritum illic ais [2] ἀξίαν ita significare, ut sit honor, dignitas, et ἀξίωμα; non autem id, quod vitæ merito, ac virtute comparatur, eique rependitur. Ego e contrario meritum esse dico, quo mereri aliquid dicimur; sive ut clarius exprimam, quod merenti, tanquam merces, ac præmium redditur. Etenim meriti vox σχετικὴ est, et τῶν πρός τι, ac duo significat, quæ invicem respiciunt: quorum unum est opera ipsa, cui merces datur, sive qualitas, et habitudo ejus, qui operam illam edidit, quæ *dignitas* vocatur; qua scilicet dignus est, et ad præmium, quo est dignus, respectum habet: alterum est merces ipsa, et præmium, tanquam *passive* meritum dicatur, quod meruit aliquis; sicut *meritam laudem*, *meritum honorem* dicimus. Utraque significatio reciproca est, et ideo sæpe confunditur. Quod ergo scribit Hieronymus, *episcopum, et presbyterum, et diaconum non esse meritorum nomina, sed officiorum*, dico posteriore isto modo *meriti* vocabulum ibi sumpsisse proprie, et consequenter etiam priore; quia neutrum sine altero potest intelligi. Ut hoc voluerit Hieronymus, nomina ista non significare virtutis ac meriti compensationem, ac præmium; quasi ut quisque ad eos gradus pervenerit, eo ipso melior et præstantior, digniorque, vel melius meritus esse putandus sit ceteris, qui illorum compotes esse nequiverunt.

[1] Hier. col. 488.

[2] Sal. in Trap. p. 413. et in Diss. p. 468. et seq.

XVII. Hanc Hieronymi mentem esse, ex antecedentibus, ac toto contextu sermonis, ac serie necessario concluditur. Nam contra Jovinianum disputat unum ex Catharorum tutelaribus diis, ac patriarchis; qui nuptias virginitati non exæquare contentus, eatenus quoque præferri dicebat, « quod frequenter in ordinatione sacerdotali virgo negligitur, et maritus assumitur. » Ex quo tacite colligebat, digniorem esse, ac mereri magis, ut sacerdos fieret, conjugatum, quam virginem. Hieronymus vero primum causas probabiles affert, cur in ordinationibus anteponantur virginibus mariti, citra majorem horum, quam illorum dignationem. Hoc enim absurdum dictu esse, quod « Joannes indignus hoc gradu existimabitur, et omnes virgines, et continentes, quibus quasi pulcherrimis gemmis Ecclesiæ monile decoratur. » Ac demum verba ista subjungit, de quibus hic contendimus, vocabula ista graduum, *non esse meritorum nomina, sed officiorum*. Quorum sensus non alius potest esse, quam qui a me dictus est: *Non esse consequens, ut majoris meriti sit conjugatus, quam virgo, vel cœlebs,* quod in ordinandis sacerdotibus, et clericis huic ille præferatur; vel vocabula ista, non esse nomina præmiorum, sive honorariorum, quæ qui auferat, majoris meriti censendus sit, quam qui non est adeptus. Hoc, inquam, tota illa sententia, et Hieronymi postulat oratio, ut in meriti voce includatur σχέσις illa, et habitudo ad dignationem et qualitatem merentis, et æstimationem, ac velut pretium. Quemadmodum in usu justitiæ illius, quæ *distributiva* dicitur, ac meritorum cujusque rationem habet, præmium illud, quod pro cujusque merito, id est dignitate, rependitur, si *meritum* vocetur, non absolute honorem vel commodum significat; sed quatenus merentium dignationem respicit. Interest enim inter donum, et præmium; eademque res prout donum est gratuitum, diversæ rationis est, ac, quando in compensationem cedit, meriti præmium dicitur.

XVIII. Ut autem Salmasii habet opinio; ac si meritum solum gradum, et ἀξίωμα præcise significat, sine comparatione cum dignitate promerentis; non cohæret Hieronymi ratio, nec ad rem pertinet. Vult enim hoc diluere, quod in maritorum gratiam contra virgines objectum fuerat. At illud Jovinianus opposuerat, præferri conjuges in promotione ad ecclesiasticos ordines. Quorsum igitur ista subjiceret Hieronymus, *non esse nomina illa meritorum, sed officiorum*, nisi ut refelleret id, quod isti tacite sumebant, idcirco majora capere præmia maritos, quia majoris sunt meriti, sive quia plus merentur quam virgines? Ideo paulo post ita colligit: « Cernis igitur, quod episcopus, presbyter, et diaconus non ideo sint beati, (adeoque melius cum iis non agatur, qui hæc adepti sunt,) quia episcopi, vel presbyteri sint, aut diaconi; sed si virtutes habuerint nominum suorum, et officiorum. » Quocirca nemini dubium erit, qui totum illum locum non cursim, ut solet Catharus, sed pedetentim, et cum nonnullo judicio legerit, quin verissima sit interpretatio nostra.

Nam quod objicit, Hieronymum paulo post illa verba subjungere: « Nec dicitur, si quis episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum; sed bonum opus desiderat, quod in majori ordine constitutus possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. » Et[1], « Quod meritum prius appellarat, ait Salmasius, postea vocavit gradum. At gradus est dignitas, ut et locus. Episcopatus, inquit, non est nomen meriti, id est dignitatis, vel gradus, sed officii. » Id totum est inanissimum. Non enim Apostolus, aut Hieronymus negant, episcopatum, vel sacerdotium gradus, ac dignitates esse in Ecclesia. Sed, quod supra docui, boni potissimum operis exercendi studio, ac proposito capessenda hæc esse demonstrant.

XIX. Et est insulsissima ista conclusio: Episcopatus, vel presbyteratus, vel diaconatus non sunt nomina graduum, vel dignitatum, sed operum, et curationum. Igitur non sunt gradus, aut dignitates. Velut si de Catharo quis ita colligat: Patronus, sive advocatus, nomina sunt, quæ causarum actionem, et forensem operam significant. Ergo qui nullam in foro causam agit, aut egit unquam, advocatus non est, aut patronus.

Atque Hieronymus ecce illo eodem in loco *clericatus gradum* nominat: « Quodque his pejus est, illis clericatus donant gradum, *ait,* quorum sunt obsequiis deliniti. » Episcopatum quoque subinde *gradum* vocat. Quare cum proxime post ista, verba illa subjiciat, quibus nomina eorum, quos gradus appellaverat, *meriti* non esse dicit, sed *officii;* profecto *meriti* vocem non pro *gradu* simpliciter accipit, alioqui sibi ipse contrarius esset.

Atenim cum Hieronymus scripserit, *episcopum, et presbyterum, et diaconum non esse meritorum nomina, sed officiorum;* quæ sic

[1] Pag. 473.

Trapezita citaverat, *episcopatum nomen fuisse non meriti, sed officii;* ego, vocabulo *nomen* omisso, Trapezitæ sententiam ita concepi, *Episcopatus non meriti fuit, sed officii.* In quo ille quidem furit, ac miras tragœdias facit, et usitata in me tela, hoc est probra, convicia, et illiberalia dicta conjicit. At, o iste, potin'ad bonam mentem redire? Quod enim adeo criminaris, crimen non est; imo ita necessario proferendum fuit, ut nefarium tuum dogma iis ex latebris, et involucris extraherem, quibus illud haud adeo tamen versute sepseras.

XX. Edquid enim, obsecro te, Trapezitica illa infami disputatione tua potissimum agebas? aut quem in finem vocum illas argutias, et enucleatas rationes, atque origines afferebas? An ut hoc tantum efficeres, Επισκοπῆς nomen *curationem* proprie, *operamque* significare, non *dignitatem?* Et quis te curaret omnino, si hoc unum obtinere velles? Non enim de vocabulis conflictari propositum est vel mihi, vel alteri, qui habeat, quod melius agere possit. Hoc igitur maxime studuisti, ut episcopi non nomen, sed rem ipsam probares, potestatem, dignitatem, magistratum non esse, sed curationem simplicem, et onus sine honore, ac dignitate. Eo tu totam illam disputationem, et argumenta tua omnia contulisti, quæ sola vocum interpretatione, ac notione continentur, re perquam ad probandum inepta; in eo vero, de quo agitur, etiam absurdissima: ut ex superiori nostra oratione jam te scire confido. Ut igitur, quæ tua mens esset, et quantum veneni lateret sub grammaticis illis tuis offutiis, intelligeret lector; summam ejus, quod efficere volebas, ita concepi, *episcopatum non meriti fuisse, sed officii*, hoc est, non esse dignitatis rem, vel ἀξιώματος, sed muneris et curationis.

Sed et Hieronymus, cum ita scribebat: nomina graduum istorum, ut eos ibi vocat, non meritorum fuisse, sed officiorum; non de vocibus ipsis, ac nominibus loqui volebat, sed de rebus illis subjectis, ac significatis, id est de ordinibus ipsis, et gradibus. Hos enim per sese, et ex primaria intentione, non in meritum, præmiumve meriti cedere significat, ut jam exposui. Itaque non tam vocabula, quam res vocabulis expressas respexit ille; quemadmodum in contrario, et pestilenti explicando dogmate facere debuit, et vero in animo habuit Catharus, quantumvis frigida se vocis controversia excusare contendat.

XXI. Risimus et illud ejusdem [1], quod ex illa, quam affingi a me queritur Hieronymo, sententia asserit: si ita dicatur, *Episcopatum non esse meriti, sed officii*, prætermissa voce *nominis;* sensum hunc existere, « Episcopatum meritis nunquam dari, nec ullum unquam factum, aut fieri solitum episcopum, qui merito, et vita id consequeretur. Non enim aliam hæc verba significationem capere possunt. » Quid hoc homine facias, qui in minutis istis, et vulgaribus tantum præ se fert stuporis? Falsum est, mi homo! falsum est, talem verbis ita conceptis subesse sententiam, cujusmodi fingis absurde. Sed istam potius, si quid saperes, subjiceres. *Episcopatum non esse meriti*, id est præmii, vel compensationis loco ducendum, sed oneris, et officii: non quod non sæpe digni hoc honore, ac bene meriti provehantur; sed quod non in eum finem tribuantur, ut sit mercedis, et compensationis instar dignitas et honor ille, qui ex iis capitur. Hoc enim posteriore, imo nullo potius habere loco debent sancta, et Christiana, vereque illo digna pectora; quibus nihil præter laborem, operam, assiduitatem, crucem denique oportet esse propositum, ut episcoporum episcopum, et summum pastorem propius imitentur, qui *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Et quoniam de Christo mentio nobis incidit, non prætermittam id, quod in ejus exemplo percommodum occurrit ad convincendam, compescendamque Cathari levitatem.

Etenim [2] « Homo ille, quem Deus Verbum tanta præ participibus suis charitate suscepit, et ipse ita Verbo Dei conjunctus est, ut ipsa conjunctione unus filius Dei, et idem ipse unus filius hominis fieret, nullis præcedentibus voluntatis suæ meritis fecit »; ut scribit Augustinus in secundo de Peccatorum meritis. Et alibi [3]: « Ille igitur, quos dignatur, vocat, et quem vult, religiosum facit, qui hominem, quem voluit unum, sine ullis humanæ voluntatis præcedentibus meritis, mediatorem Dei et hominum fecit. » Et in libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 12. « Nec ille, inquit de Christo, ullis humanis præcedentibus meritis, cum et ipse sit homo, liberator factus est hominum. » Quocirca mediatoris gratiam, et dignitatem illam; vel *liberatoris*, necnon Filii statum, *homo ille susceptus a Deo*, ut plerique Patres loquuntur [4], sine ullis meritis con-

[1] Sal. Differt p. 470.— [2] Aug. lib. 2. de Pecc. mer. c. 17. [3] Idem lib. 1. con. Jul. Oper. imperf. cap. 136. pag. 199.— [4] Ut Fulg. lib. 1. ad Trasim. cap. 8.

secutus est. Si quis ergo ita de eo diceret, *Deificatio*, ut Maximus Aquileiensis loquitur [1], vel θεοποίησις, ut Cyrillus Alexandrinus [2], hoc est *assumptio* in personæ divinæ consortium, ac *Mediatoris et Redemptoris dignitas nonfuit meriti, sed officii* homini assumpto, quis hoc reprehenderet? Aut quis aliter intelligeret, nisi hoc sensu; non tanquam meritorum præmium illi concessum fuisse tantum honorem, sed ideo, ut mediatoris, ac redemptoris officio fungeretur? An vero interest quidquam, si quis ita proferat: *Mediatoris, aut Filii nomen homini tributum non meriti fuit, sed officii;* aut ita, *Mediator, et Filius Dei in humana Christi natura non fuit meriti, sed officii?* Puto idem utraque verborum formula contineri; nisi quod posterior hæc ad excludendam κρύψιν tuam, et calumniam in ecclesiasticis dignitatibus, de quibus agebamus, visa nobis est aptior.

Ex illo itaque triti sermonis usu, et exemplo jam potes agnoscere, tam in reprehendendo præcipitem te esse, quam inconsultum, et hebetem; nec esse verius quidquam illa nostra Hieronymi interpretatione. Cui quidem enarrandæ, et illustrandæ aptissimus modo mihi locus occurrit Philippi abbatis Bonæ spei, in epistola 8. ubi sic scribit: « Sicut enim plerumque inferioris est meriti, qui tamen in Ecclesia gradum obtinet digniorem; sic nonnunquam inferior ordine vitam habet meritis potiorem, et juxta modum ordinis, vel exterioris cujuspiam dignitatis metiendum non arbitror interioris meritum sanctitatis. » Hæc verba luculentissimæ sunt paraphrasis instar, qua Hieronymi pauca illa declarantur, *Episcopus, presbyter, et diaconus non sunt meritorum nomina.*

CAPUT NONUM.

De episcopatu agitur: et ostenditur, non eum simplex esse munus, ac curationem solam; sed adjunctam habere potestatem, et esse magistratum ecclesiasticum. Quod primum in apostolis ostenditur, penes quos utraque potestas fuisse monstratur, jubendi, et coercendi. Idque ex canonibus; sive legibus ab illis editis, et traditionibus probatur. Ac leges esse demonstratur, cujusmodi sine potestate ferri nequeunt. Non solos apostolos eam potestatem habuisse; sed episcopos in illam successisse: et episcopatum ἀρχὴν esse, et imperium. Usitata loquendi ratio Scripturis et Patribus, id in totum negandi, quod altero adjuncto minus est; cujus inscitia fœde lapsus est Salmasius.

I. Discussa superiori capite vocabulorum calumnia, in qua præcipuum robur constituit Catharus argumentationis suæ, qua episcoporum dignitatem oppugnare nititur; superest, ut eam nos vicissim adstruamus disputatione nostra: ac penes illos cum curatione, ac munere, dignitatem, ac potestatem residere monstremus; ac denique magistratum hunc ecclesiasticum esse institutum a Christo, et per apostolos Christianæ traditum Ecclesiæ, ac per successionum seriem ad hæc usque tempora perductum. Et quoniam in dignitatis, auctoritatis, ac potestatis vocibus argute suo more ludificatur: prius statuendum videtur, quid sit id, de quo inter nos quærimus; ac nominum stabilienda notio, et potestas, quibus illud ipsum exprimitur. Nam nec omnem ab episcopo dignitatem, et auctoritatem removere se asserit [3]; quia cum munus sit, « utique potestatem ejus exercendi habuit, et cum auctoritate etiam illud exercere debuit; honore quoque dignus fuit. » Sed « primis illis temporibus pro magistratu ecclesiastico habitum » negat, aut potestate præditum, et auctoritate tali fuisse, quæ magistratui convenit. « Magistratus autem auctoritas, ait idem [4], potestas est, qua jubere potest, imperare, et dicto suo non obedientes coercere, et punire. » « Hanc negavit Salmasius, et cum eo quoque nunc nego, inquit Messalianus impostor, episcopatum primi seculi, qui cum presbyteratu idem fuit, habuisse. » Quamobrem duo sunt ad magistratum necessaria, sive ad potestatem, quæ non simplex onus, et curatio sit: unum est, *jubere*

[1] In Synodo Later. Secret. 5. pag. 730. tom 4. Concil. — [2] Lib. 20. Th. pag. 196.

[3] Salm. pag. 437. Dissert. — [4] Id. pag. 449.

et imperare: alterum pœnas non obedientibus infligere. In primo libro Dissertationum ecclesiasticarum [1], magistratus definitionem ex Aristotele proposuimus, in qua triplex illius functio præscribitur, deliberare de rebus, judicare sive discernere, et jubere : quod postremum maxime proprium esse dicit.

II. Quare si duo illa, quæ Salmasius ad magistratum requirit, episcopatum semper habuisse perspicuum fecero ; cogam illum, id quod negat fateri, magistratum ab initio fuisse. Ut hoc igitur efficiam, rem ad originem, institutionemque suam revocare necesse est ; ac probare, penes apostolos jus functionis utriusque resedisse. Hi enim primi omnium episcopi ab ipsomet constituti Christo fuerunt ; quorum successores sunt episcopi hodierni. « Denique et episcopi apostoli nominantur, ait Pacianus [2], sicut de Epaphrodito Paulus edisserit : fratrem et commilitonem, inquit, meum, vestrum autem apostolum. »

Præcepisse imprimis apostolos, et pro potestate jussisse, quæ fieri vellent, ac leges et mandata Christianis edidisse, vix est ut probare opus sit. Actorum sane 15. cum exorta esset quæstio de Mosaicæ legis ritibus, utrum necessarius illorum esset usus [3], *Convenerunt apostoli, et seniores videre,* id est consultare, *de verbo hoc.* En prima magistratus actio ab Aristotele tradita, βουλεύσασθαι, hoc est *deliberare.* Sequitur deinde *judicium,* et *decretum.* Jacobus enim [4], *Propter quod,* inquit, *ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum.* Tum communi omnes auctoritate [5], *Placuit nobis collectis in unum,* etc. Et [6], *Visum est enim Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria.*

III. Paulus vero potestatem, ac jurisdictionem illam gravissimis verbis, iisdemque disertissimis commendat. Ut cum ad Corinthios scribens ait [7] : *Nam si et amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam.* Quam potestatem Chrysostomus, OEcumenius, Theophylactus duplicem esse putant ; præcipiendi quæ facienda sunt, et castigandi, ac puniendi, si quid contra mandatum factum sit ; quod Apostolus vocat *ædificandi*, et *destruendi.* Nam, ut recte Chrysostomus adnotat, « (1) Illud ipsum maxime genus est ædificationis, impedimenta tollere. » Ac subinde : « (2) Et ad hoc quidem potestatem accepimus, ut ædificemus. Sin autem reluctetur aliquis, et pugnet, et insanabilis sit ; etiam actione utemur altera, ut eum destruamus, ac dejiciamus. » Igitur duplex in Apostolis fuit jus, potestas, et functio. Nam et jubere poterant, ac leges præscribere Christianæ Ecclesiæ, et pœnis afficere ; quas duas potestates *ædificandi*, ac *destruendi* vocabulis a Paulo significatas existimat. Quod autem negare videtur apostolus, *destruendi*, hoc est *puniendi*, potestatem habere se ; sic interpretatur, ut non præcipue, ac per se, et ex primaria voluntate, et intentione Christi ea sit apostolis tradita, sed ad alterius subsidium, et quasi secundo loco, ac velut ex accidenti, cum ita est necesse. Atque ita Theophylactus : « (3) Præcipue quidem ad ædificationem accepi. Quod si quispiam incurabilis fuerit, demolitione utemur, etc. Adeo ut potestatem habeam et benefaciendi primario, et puniendi, cum ad id cogar. »

Gennadius quoque apud OEcumenium, potestatem illam, quam Paulus a Domino se accepisse testatur, de qua gloriari nolle dicit, interpretatur « (4) jus et facultatem castigandi, et pœnis afficiendi eos, qui adversantur. » Tum idem quod, Chrysostomus et Theophylactus, subjicit de potestate ædificandi primario, ac per se tributa et altera velut secundaria, nec sui gratia expetita. Quam etiam ulciscendi potestatem penes Apostolum extitisse recte probat ex antecedentibus verbis [8] : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.*

IV. Manifesta igitur est utraque in Apostolo potestas, qua legitimi magistratus jurisdictio continetur ; jubendi scilicet, ac coercendi, sive puniendi. Cui potestati respondet obedientia. Sic in capite 13. 10. ejusdem epistolæ, pote-

(1) CHRYS. homil. 22. in 2. ad Cor. pag. 662. Ὅτι αὐτὸ τοῦ τομάλιστα οἰκοδομῆς εἶδός ἐστι, τὸ τὰ κωλύματα ἀναιρεῖν.

(2) Ibid. Εἰς τοῦτο μὲν οὖν ἐλάβομεν ἵνα οἰκοδομῶμεν. Ἐὰν δέ τις πυκτεύῃ, καὶ πολεμῇ, καὶ ἀνίατος ᾖ· καὶ τῇ ἑτέρᾳ χρησόμεθα ἐνεργείᾳ, καθαιροῦντες αὐτὸν, καὶ καταβάλλοντες.

(3) THEOPHIL. Προηγουμένως μὲν εἰς οἰκοδομὴν ἔλαβον· ἐὰν δέ τις ἀνίατος ᾖ, καὶ τῇ καθαιρέσει χρησόμεθα, etc. ὥστε ἐξουσίαν ἔχειν με καὶ εὐεργετεῖν, καὶ ὅταν ἐκδιασθῶ κολάζειν.

(4) OECUM. Περὶ τῆς ἐξουσίας ἡμῶν τῆς πληκτικῆς, καὶ τιμωρητικῆς τῶν ἀντιδιατιθεμένων δυνάμεως.

[1] Cap. 4. pag. 51. — [2] Epist. 1. ad Sympr. tom. 3. Bibl. PP. col. 53. — [3] Act. 15. 6.

[4] Ibid. vers. 19. — [5] Vers. 15. — [6] Vers. 28. — [7] 2. Cor. 10. 8 — [8] Cap. 10. 6. Epist. 2. ad Cor.

statem eamdem prædicat, quam illi ipsi proxime commemorati interpretes similiter explicant; ut prior illa benefica primum locum tenuerit; altera, nonnisi ad sanciendam alteram adhibenda sit.

Quapropter Hieronymus apostolatum grandem esse dignitatem ait[1], cui Christiani omnes subjecti fuerunt. « Ut enim judices seculi hujus, *inquit*, quo nobiliores esse videantur, ex regibus, quibus serviunt, et ex dignitate, qua intumescunt, vocabula sortiuntur; ita et apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem, apostolorum se Christi titulo prænotavit, ut ex ipsa lecturos nominis auctoritate terreret, indicans omnes, qui in Christo crederent, debere sibi esse subjectos. » Chrysostomus quoque apostolatum ἀρχὴν vocat, id est *magistratum*, cum ait, « (1) Spiritum sanctum in specie linguarum venisse, et unicuique suam orbis terrarum regionem ad docendum attribuisse; ac lingua data, velut codicillo quodam, indicasse commissi unicuique imperii, et ad docendum assignatæ provinciæ terminum. » Duplicem itaque dotem apostolatus statuit Chrysostomus: altera est docendi potestas: altera est imperium quoddam, et magistratus, id est ἀρχή. Quæ, ut dixi, tam in jussione, legibusque constituendis, quam in contumacibus, et immorigeris pœna aliqua plectendis posita est. Ad priorem pertinent canones, et decreta ab apostolis ipsis edita. Non enim aut isti nulla sanxerunt, aut non ea vim juris habebant, ac legum: quibus utique parendum fuit; et qui parere debebant, illis, tanquam potestatem imperandi, ac dicendi juris habentibus, morem gerebant.

V. In quo vix credibilis est Trapezitæ Cathari veternus, qui de jure canonico quæ a nobis erant objecta, stulte derisit. Nam ut penes episcopos jurisdictionem, et potestatem esse monstrarem, dixeram jus perinde esse *canonicum* et *civile*, et utrumque ab sui generis potestatibus exerceri. Quod ille nactus homo facetus, et urbanus lepide jocatus est[2]: « Ubi tunc jus, *inquit*, canonicum, o stulte, cum apostoli vivebant, et ab his instituti episcopi? At de illis episcopis loquebatur Salmasius, non de istis, qui jus canonicum exercent, cum dixit, episcopatum in Ecclesia non fuisse nomen dignitatis. » O hominem acutum! Ergone jus nullum, canones nulli, et quod ex utroque vocabulo componitur, *jus canonicum* apostolorum seculo nullum fuit? Quid imperitius, ac jocularius excidere potuit homini litterarum qualicumque notitia perfuso? Etenim apostoli, quod nemo nescit, multa constituerunt, multa Ecclesiis servanda præscripserunt. Hinc illæ, quæ dicuntur, apostolicæ traditiones; quarum frequens est apud antiquos scriptores mentio, ut Irenæum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Basilium, Epiphanium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum: de quibus in primo libro obiter egimus[3]. Quid autem pleræque sunt earum, quam leges, et canones, ac jura, quæ magistri illi ac duces, et principes, Ecclesiæ dixerunt? Nam traditiones apostolicæ aliæ ad fidem pertinent, cujusmodi multa in Scripturis minime continentur; de quibus agens Irenæus[4], queritur hæreticos, cum ad Scripturas vocantur, ad traditionem confugere: « Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversari traditioni, etc. Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos. » Et de isto genere contra hæreticos plerique veterum disputant, ut Gregorius Nazianzenus[5], Basilius[6], et Chrysostomus ad illa Pauli verba[7], *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram;* Gregorius Nyssenus[8], et alii passim.

VI. Aliæ sunt de iis, quæ non credenda, sed agenda sunt: uti quæ ad Sacramentorum usum, et administrationem pertinent. Qualis est parvulorum baptismus, et alia « vel ab ipsis apostolis, ut scribit Augustinus[9], vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta. Sicuti quod Domini passio, et resurrectio, et ascensio in cœlum, et adventus de cœlo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia: » contra quod, « quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ esse » dicit[10]. Cum igitur, quæ ab uni-

(1) CHRYS. hom. 2. de Pent. quæ est 89. tom. 5. pag. 612. Ἔρχεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν εἴδει γλωσσῶν, ἑκάστῳ μερίζον τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην διδασκαλίας τὰ κλίματα, καὶ διὰ τῆς δοθείσης γλώττης, καθάπερ δέλτῳ τινὶ, γνωρίζον ἑκάστῳ τῆς ἐμπιστευθείσης ἀρχῆς τε, καὶ διδασκαλίας τὸν ὅρον.

[1] Hier. in com. ad c. 1. epist. ad Tit. — [2] Sal. Diss. p. 453. — [3] Cap. 1. — [4] Iren. lib. 3. c. 2. Vide et c. 4. — [5] Orat. 37. p. 605. — [6] Lib. de Sp. S. c. 27. — [7] 2. Thes. 2. 15. — [8] Lib. 3. con. Eun. p. 126. t. 2. — [9] Ep. 118. — [10] Ib. c. 5.

versa Ecclesia servantur, de quibus nihil in Scripturis, aut a Christo constat esse præscriptum; neque porro concilii alicujus extat memoria, a quo primum instituta sint; ea ab apostolis tradita, et constituta esse doceat Augustinus; ut in primo capite libri primi diximus; hujusmodi vero leges istæ sint, quibus contradicere, vel obtemperare nolle, *insolentissimæ insaniæ sit;* evidens est, juris ac legum fuisse conditores apostolos, quibus Christiani omnes obstricti fuerunt, ut sine gravi delicto violare non possent. Quis autem ab eo, qui auctoritate, potestate, ac magistratus propria jurisdictione careat, legem aut constitutionem aliquam, qua quisquam teneatur et obligetur, ferri putet posse? Est enim proprium hoc legis, ut ait Cicero [1], « sancire, quod vult, aut jubendo, aut vetando. » Quare qui legem potest facere, jubere potest aut vetare. Hoc autem potestatis, et dignitatis ejus esse fatetur Catharus; quam idem ipse tamen Ecclesiæ, et episcopis, etiam primis temporibus, adimit. Quæ sane sunt ἀσύστατα.

Legem præterea ex Demosthene Jurisconsultus ita definit [2], « (1) Lex est commune præceptum; virorum prudentium consultum; delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur, coercitio; communis reipublicæ sponsio. » Consentit huic et Ciceronis altera legis descriptio [3]: « Est enim lex nihil aliud, nisi recta, et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. » Prohibet autem lex omnis proposita pœna; quam *sanctionem* proprie vocant, ut Festus indicat. Nam nulla sine coercitione, ac mulcta lex est. Unde Seneca [4], « Leges, *inquit*, quid aliud sunt, quam minis mixta præcepta. »

VII. Atqui totidem illa, ex quibus civilis potestas, magistratusque constat, pro portione, suique generis cernuntur in sacro, et ecclesiastico: cujusmodi apostolatum fuisse contendimus. Siquidem leges ab apostolis editæ sunt, non solum, quid facto esset opus, edicentes, ut sunt præcepta morum, et quas γνώμας, et ὑποθήκας nominant; sed etiam pœnam in transgressores statuentes, de quibus postea. Basilius certe in libro de Spiritu sancto, capite 27. complures ritus, et cæremonias recenset, sola citra scriptum traditione usurpatas in Christianis mysteriis, quarum originem refert ad apostolos. Ac paris esse momenti ad pietatem putat illa, « (2) quæ sine scripto, et quæ scripto tradita fuerunt. Cui sententiæ neminem repugnaturum *ait*, qui vel exiguum legum ecclesiasticarum usum habeat. » Igitur θεσμοὶ ἐκκλησιαστικοὶ, id est *ecclesiasticæ leges* sunt, quas apostoli tulerunt; quarum pleræque tales sunt, ut sine ingenti scelere prætermitti olim nequiverint, tametsi postea contrario vel usu, vel Ecclesiæ decreto antiquatæ, oblitteratæque sint. Sic trina in baptismo mersio extra necessitatem severe injuncta, nec sine gravi pœna prætermissa fuit. Itidemque ritus alii tam in eodem baptismo, quam in Eucharistiæ celebratione adhiberi soliti. Ad hæc, ut a jejunis, uno excepto die feriæ quintæ majoris hebdomadæ, ista ipsa vel in sacrificium offerretur, vel sumeretur Eucharistia, ex apostolica traditione descendit, ut supra meminimus [5]; ubi etiam ex Augustino demonstratum est [6], « Christum non præcepisse, quo deinceps ordine sumeretur Eucharistia, » sed hoc apostolis ordinandum reliquisse. Id quod Apostoli testimonio confirmat ita scribentis ad Corinthios [7], *Cetera, cum venero disponam.* Unde colligit, ea, quæ per totum orbem ab Ecclesia servantur, apostolica auctoritate constituta fuisse. Ex eodem genere legum apostolicarum, et ecclesiasticarum, jejunia sunt certorum dierum, præsertim in Quadragesima, etsi varia et multiplex hujus instituti ratio fuerit; tum celebrandi Paschatis ratio; et id genus alia, quæ nonnisi legibus præscripta, et in transgressores legitimæ potestatis auctoritate vindicata sunt.

VIII. Huc referri possunt apostolicæ Constitutiones, cujusmodi ab antiquis agnitas, et ascitas fuisse constat ex Epiphanio [8]; qui adversus Audianos scribens eas approbat, et unam illarum de Paschatis celebratione, quam isti proferebant, explicat. Quin hodiernis illis Clementis multum Catharus utitur, et quædam earum testimonia, quæ vera cupit videri, persuadere satagit. Accedunt et Canones, qui vocantur apostolici, quos idem vir gravissimi judicii Salmasius non raro citat; maxime autem in famoso illo de Usuris libro. Nam et illorum auctoritate legem fœnebrem clericis

(1) DEMOST. cont. Aristog. Νόμος ἐστὶν εὕρημα, καὶ δώρον θεῶν, δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων, καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινή.

(2) BASIL. Ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς εὐσέβειαν. Καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ ὡς τι γε κἂν μικρὸν γεῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται.

[1] Lib. 1. de leg. — [2] Papin. l. 1. D. de leg. — [3] Philip. 11. — [4] Epist. 99.

[5] Cap. 2. hujus lib.— [6] Epist. 118.— [7] In 1. Cor. 11. 34.— [8] Hær. 70.

editam probat; et eos non parum commendat his verbis[1] : « Et sane non aliis, *inquit*, quam episcopis, presbyterisque primitivæ Ecclesiæ, et temporibus apostolorum propior, usuras esse vetandas censuit. Quinimo vel ipsi apostoli, si modo eorum canones sunt, qui hoc nomen inscriptum præferunt, non aliter judicarunt. Ut germanos esse non præsto, ita possum vetustissimos asserere. Theodoretus Cyri episcopus in Canonum compilatione ἀνεκδότῳ, pro genuinis agnovit. Si non omnes sunt apostolici, quosdam forte esse, existimari potest. » Hinc assentiente Salmasio liquet, canones, id est leges ab apostolis Ecclesiæ latas fuisse; adeoque penes episcopos potestatem, et dignitatem ecclesiasticam, ac sacram extitisse. Quid enim aliud *canones* sunt, quam *leges?* Nam *canon* proprie est regula; est autem *lex*, *justi injustique regula*, ut ait Seneca[2]. Ut ergo civilis potestas, quæ magistratus dicitur, civiles leges fert; (ita enim *lex* ab Justiniano definitur[3], *quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante constituebat : plebiscitum*, *quod plebs plebeio magistratu interrogante ;*) sic ecclesiasticæ potestatis est, ac magistratus, leges ecclesiasticas condere.

Eat nunc, et *canonicum jus* neget apostolorum tempore fuisse Catharus, qui tot canones ab apostolis ipsis, certe quosdam ex illis sancitos fuisse, probabile judicavit.

IX. Jam si apostoli Ecclesiæ principes fuerunt, ac velut magistratus quidam sacri; si potestatem, et spiritale quoddam imperium acceperunt, quo et jubere, ac leges, et mandata Christianis edere possent, et delinquentes coercere, pœnisque subjicere; par est etiam, episcopos eodem jure potestatis, ordinario scilicet, ac magisterio censeri. Sunt enim apostolorum successores episcopi; imo et apostolici quondam ipsi, et eorum dignitas apostolica dicebatur. Non enim cum apostolis horum est potestas extincta, sed in eorum successoribus, quæ quidem est ordinaria, perseverat. Quod egregie Pacianus docet in epistola prima ad Sympronianum, cum agit de *ligandi ac solvendi* potestate : « An tantum hoc, *inquit*, solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam apostolis imperatum est. Quod si uno in loco, et resolutio vinculorum, et Sacramenti potestas datur; aut totum ad nos ex apostolorum forma, et potestate deductum est; aut nec illud ex decretis relaxatum est: *Ego*, inquit[4], *fundamentum posui; alius autem superædificat.* Hoc ergo superædificamus, quod apostolorum doctrina fundavit. Denique et episcopi, apostoli nominantur. Sicut de Epaphrodito Paulus edisserit : *Fratrem, et commilitonem,* inquit, *meum, vestrum autem apostolum.* Si ergo et Lavacri, et Chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi. Quod etsi ob nostra peccata temerarie vindicamus; Deus tamen illud ut sanctis, et apostolorum cathedram tenentibus non negabit, qui episcopis etiam unici sui nomen indulsit. »

X. Augustinus item in tractatu ad Psalmum 44. episcopos pro apostolis, qui patres erant Ecclesiæ, datos esse scribit, patres et ipsos nominatos. « Quid est, pro patribus tuis nati sunt tibi filii? *inquit.* Patres missi sunt apostoli. Pro apostolis filii nati sunt tibi. Constituti sunt episcopi. Hodie enim episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat : ipsa illos genuit; et ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. » Successerunt igitur in apostolorum locum episcopi, et in eorum sede constituti, hoc est ordinaria, et legitima potestate. Hanc enim sedis vocabulum significat. Atque ita docet idem Augustinus alio in loco, verba illa Joannis exponens[5], *Et vidi sedes, et sedentes super eas; et judicium datum.* Quæ sic explicat[6] : « Non hoc putandum est de ultimo judicio dici; sed per sedentes super sedes ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos nunc Ecclesia gubernatur. Judicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum est[7], *Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo; et quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo.* Unde Apostolus[8] : *Quid enim mihi est,* inquit, *de his, qui foris sunt, judicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos judicatis?* » Vides eam, quæ penes apostolos fuit, penes episcopos esse potestatem, et functionem judiciariam.

[1] Salm. lib. de Usur. c. 21. p. 633. — [2] Lib. 4. de Ben. c. 4. — [3] Just. 1. Instit. Tit. 2.

[4] 1. Cor. 3 — [5] Apoc. 20. — [6] Lib. 10. de Civit. c. 9.— [7] Matt 18 — [8] 1. Cor. 5.

XI. Idcirco Gregorius Nazianzenus [1] episcopatum, quam pastoralem præfecturam antea vocavit, ἀρχὴν, id est *principatum*, sive *magistratum* appellat. « (1) Homini, *inquit*, cum difficile sit scire parere, tum multo difficilius esse videtur, scire hominibus imperare : præsertim tali imperii genere, cujusmodi est nostrum, quod in lege divina positum est, et ad Deum perducit. Cujus imperii quanta est sublimitas, et dignitas, tantum etiam periculum est, prudenti utique homini, et cordato. » Hic eximiæ Gregorius nostræ, ac catholicæ suffragatur opinioni, dum episcopatum ἀρχὴν, et imperium, sive magistratum esse definit: non qualis est civilis ; sed sacer, et tantumdem ab eo distans, quantum lex, secundum quam jurisdictionem habet, et exercet, a lege, cui alter officium præstat. Etenim « Magistratus hanc esse vim » merito dicit Cicero [2], « ut præsit, præscribatque recta et utilia, et conjuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus; vereque dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. » Tum idem alibi [3], « Legum, *inquit*, ministri, magistratus; legum interpretes, judices. » Quare ut est natura legis, ita magistratus, qui legi ministrat, ἀξίωμα, id est *dignitas*. Ut silere discat Catharus [4], qui ἀξίωμα, et magistratum, ac potestatem externa specie, apparatuque metitur, atque idcirco Petrum, et Paulum, apostolosque ceteros non fuisse imperio, ac potestate præditos, sed tantum ministros, ac velut officiales apparitoresque putat; quod non, ut hodierni pontifices, et episcopi, splendorem illum, ac pompam adhibuerint, « nec satellites ; nec magna comitante stipatorum caterva incesserint, qua Papa nunc incedit. » Ecce habet ex Cicerone, quemadmodum et apostoli quondam, et episcopi hodie, ministri, dispensatores, et quasi villici esse possint : iidemque nihilominus potestate, auctoritate, imperioque præditi. Nam et magistratus civiles *quasi reipublicæ villicos* esse dixit idem Cicero [5]. Nec adventitiis opibus, aut cultu quodam externo, et habitu, sed nativis dotibus, et suopte censu æstimanda est magistratus, potestatisque conditio.

XII. Pergit vero Gregorius Nazianzenus : et episcopum ἰδιώτην, id est privatum esse negat ; sed ἄρχοντα, et προεστῶτα, id est *magistratum*, et *præsidem* vocat. Ex quo aureum vere præceptum istud edidit : « (2) Privati quidem hominis vitium illud habendum esse, mala, et supplicio digna facere ; principis autem, et præsidentis, non vel optimum esse. » Ac paulo post eumdem magistratum προστασίαν appellat : non, ut nugatur fœneratorum advocatus et προστάτης, curationem, vel officium merum ; sed dignitatem, et præfecturam cum potestate conjunctam. Quemadmodum et Chrysostomus [6] προστῆναι dixit de episcopo, quod subinde ἄρχειν vocavit ; et illum ipsum ἄρχοντα, cum de Ignatio Antiochiæ præsule loquitur, qui apostolorum ætate floruit. Ad hæc Gregorius alias episcopum κεφαλὴν, id est *caput*, nominat [7], et κριτὴν, id est *judicem*, et νομοθέτην, hoc est *legislatorem ;* tum vero ἄρχειν ipsum ait, eique populi ὑποταγὴν, id est *subjectionem, et obedientiam* opponit ex adverso, et ad eam hortatur ; « (3) ne principum multitudo in solutam sine principe licentiam erumpat. »

Idem præterea Oratione 17. præfectum, ac magistratum alloquens ostendit, et illo se majus imperium, et tribunal præstantius esse sortitum : « (4) An me, *inquit*, libere loquentem æquo animo feretis ? Nam vos quoque imperio meo, ac tribunali lex Christi subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam præstantius, ac perfectius. Alioqui carni spiritum, et terrenis cœlestia cedere oportebit. Omnino te libertatem illam meam accepturum in bonam partem scio. Sacri mei gregis ovis es sacra ; et alumna magni pastoris. » Ergo et ἀρχὴν, et βῆμα, id est *principatum*, et *tribunal*, habent episcopi ab ipsomet Christo illis attributum.

XIII. Sic Isidorus Pelusiota libro tertio, epi-

(1) Naz. ibid. pag. 6. Ἀνθρώπῳ δὲ χαλεποῦ ὄντος τοῦ εἰδέναι ἄρχεσθαι, κινδυνεύει πολλῷ χαλεπώτερον εἶναι τὸ εἰδέναι ἄρχειν ἀνθρώπων· καὶ μάλιστα δὲ ἀρχὴν ταύτην τὴν ἡμετέραν, τὴν ἐν μόνῳ θείῳ, καὶ πρὸς Θεὸν ἄγουσαν, ἧς ὅσον τὸ ὕψος, καὶ τὸ ἀξίωμα, τοσοῦτος καὶ ὁ κίνδυνος τῷ γε νοῦν ἔχοντι.

(2) Naz. orat. 1. pag. 8. Ἀλλ' ἡγεῖσθαι ἰδιώτου μὲν εἶναι κακίαν, τὸ φαῦλα πράσσειν, καὶ ὅσα κολάσεως ἄξια, ὧν καὶ ὁ νόμος βαρὺς δεσπότης· ἀρχόντος δὲ, ἢ προεστῶτος, τὸ μὴ ὡς ἄριστον εἶναι.

(3) Naz. orat. 9. Μηδὲ ποιῶμεν ἀναρχίαν τὴν πολυαρχίαν.

(4) Id. pag. 271. Ἆρα δέξεσθε σὺν παῤῥησίᾳ τὸν λόγον ; καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ, καὶ τῷ ἐμῷ βήματι. Ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. Προσθήσω δὲ ὅτι καὶ τὴν μείζονα, καὶ τελεωτέραν ἀρχήν. Ἢ δεῖ τὸ Πνεῦμα ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκὶ, καὶ τοῖς γηίνοις τὰ ἐπουράνια. Δέξῃ τὴν παῤῥησίαν οἶδ' ὅτι. Πρόβατον εἶ τῆς ἐμῆς ποίμνης, τῆς ἱερᾶς ἱερὸν, καὶ θρέμμα τοῦ μεγάλου ποιμένος.

[1] Orat. 1. p. 5. — [2] Lib. 3. de leg. init. — [3] In Orat. pro Cluen. — [4] Pag. 452. et 453. — [5] Orat. pro Planc.

[6] Hom. 70. de S. Ignatio tom. 5. pag. 501. et 502. — [7] Orat. 9. pag. 154.

stola 127. *sacerdotium* regiæ dignitati antecellere ait, quod illud in animas, hæc in corpora principatum obtinet. Tum illos redarguit, qui temere ad illam sacerdotii dignitatem aspirant, « (1) rati imperium esse quoddam a omni censura immune; non autem functionem reddendæ rationi obnoxiam. » Quod non eo dicit, ut neget episcopatum ἀρχὴν esse, sed ut prætera λειτουργίαν esse demonstret, hoc est *principatum curationi*, et *operi*, ac *negotio* junctum. Et quia functionis ipsius severa ab episcopo reposcenda ratio est; et hujus maxime gratia dignitas illa constituta est; idcirco primo loco spectanda, præque honore, qui ei est annexus, cura omni et æstimatione dignanda est officii gestio. Ac sæpe usitatum id est tum in sacris litteris, tum apud sanctos Patres, ut cum unum alteri præferendum, momentique majoris esse significant, id, quod minoris pretii est, ab communis conditionis, et qualitatis participatione secludant. Sic odio esse dicunt id, quod minus amatur. Et complures hoc sensu illud accipiunt[1], *Jacob dilexi; Esau autem odio habui;* id est minus amavi. Et illud de *dilecta*, et *odiosa* conjuge[2]; ac primogenito ex ista suscepto: ubi *odiosam* minus dilectam intelligunt. Sic apud Jeremiam, negat Deus se præcepisse Israelitis, ut holocausta sibi, et victimas offerrent; sed hoc tantum, ut obedirent sibi[3]: *Non præcepi eis*, inquit, *in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, et victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam*, etc. Tum istud[4]: *Numquid vult Dominus holocausta, et victimas?* Aut etiam[5], *Misericordiam volui, et non sacrificium;* et sexcenta hujus generis, in quibus, quod odisse se, ac repudiare, et non imperasse Dominus ait, nec oderat revera, neque rejiciebat, imo ab illis exegerat. Verum σχετικῶς, et comparatione cum altero facta quod præ illis optabat et postulabat, alterum se nolle odisseque, dicit. Sic Apostolus de vetere Testamento loquens[6]: *Nam nec glorificatum est*, inquit, *quod claruit, in hac parte, propter excellentem gloriam.* Negat fœdus illud prius, et Mosaicum, splendoris et excellentiæ quidquam habuisse, nimirum si cum novo conferatur.

XIV. Ad hanc loquendi normam exigenda sunt, quæ miserum Trapezitam in errorem adduxerunt, dicta illa veterum, quibus episcopatum negant ἀρχῆς, id est *imperii*, potestatis, honoris, ac dignitatis esse nomen; sed oneris, curationis, et officii, ac ministerii. Quæ homo minime malus sic amplexus est, tanquam nihil in ecclesiasticis præfecturis inesse potestatis, ac dignitatis omnino vellent. Quod longe ab mente illorum et sententia, communique adeo sensu dissidet; tum aliis eorumdem verbis, testimoniisque refellitur. Itaque comparate, et καθ' ὑπερβολὴν pleraque dicuntur. Tum vero, quemadmodum supra monui, de primario ac præcipuo fine loquuntur istiusmodi præfecturarum et magistratuum: quæ sicut ad subjectorum populorum rationes, utilitatesque referuntur; sic officii, curæ, laboris, et commodandi causa, non potestatis, et honoris, expetendæ sunt. Quod Gregorius papa in Pastoralis parte prima, capite 8. ad eadem illa verba Pauli admonet: « Ipse ergo sibi, *inquit*, testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. » Præclarum illius locutionis exemplum ille ipse, quem proxime ante memoravi, Gregorii Nazianzeni locus offert; ubi de provinciali magistratu loquens, « (2) Cum Christo imperium geris, *inquit*, cum Christo munus hoc administras. Ab illo gladium accepisti, non ut eo utaris, sed ut mineris, ac terreas. » Mirum, nisi Catharus statim, atque ista legerit, ut limati acutique judicii est, magistratibus illis, qui merum imperium, gladiique jus habere dicuntur, eo uti nefas esse statuat; neque hunc exercere, aut occidere licere quemquam, sed ad terrorem ostentare, et in vagina conditum circumferre. Quod si consequens esse non putat, dicat obsecro qui potius colligat, ex eo, quod Apostolus eum, *qui episcopatum desiderat*, *opus bonum desiderare* scribit, nihil præter opus, ac curationem episcopatum habuisse. Aut quia episcopum legit προστασίαν, οἰκονομίαν, πρόνοιαν, hoc est *curam*, *dispensationem*, *provisionem* suscipere, nihil ad eam functionem afferre potestatis, ac dignitatis existimet? Hæc sunt imperite, ac sine ulla ratione, nedum ratiocinatione conclusa.

XV. Volo nunc ad eum reverti, quem paulo

(1) ISID. Pelus. Νομίζοντες ἀρχὴν εἶναι ἀνεξέταστον, ἀλλ' οὐ λειτουργίαν, ὑπεύθυνον.

(2) NAZ. orat. 17. pag. 271. Χριστῷ συναρχεῖς, Χριστῷ καὶ συνδιοικεῖς. Παρ' ἐκείνου σοι τὸ ξίφος, οὐκ εἰς ἔργον, ἀλλ' εἰς ἀπειλήν.

[1] Mal. 1. 3. et Rom. 9. 13. — [2] Deut. 21. 15. — [3] Jer. 7. 22. — [4] 1. Reg. 15. 22. — [5] Ose. 6. 6. — [6] 2. Cor. 3. 10

antea laudavi, Isidorum Pelusiotam; et alterum ejus in medium afferre locum oppido insignem, et elegantem, in quo de episcopatu, et illa Pauli ex epistola ad Timotheum sententia, copiose ac luculenter edisserit, *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Hæc est epistola 216. tertii libri. In ea primum episcopatum ἀρχὴν diserte nominat, « (1) Non est, *inquit*, omnium hujusmodi imperium capessere, quod regno quoque sublimius est. Illud quippe divina, hoc humana moderatur. Sed paucorum admodum, quos non minus iis, quibus præsunt, quam pastores ovibus, æquum fuerit antecellere. » Quæ postrema Gregorius papa in Pastorali sic exprimit [1] : « Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. »

Pergit vero Isidorus, ac rursus Paulum ait, « (2) ejusmodi imperium episcopale sine reprehensione gessisse. » Deinde, cur idem de episcopi partibus ista præscripserit, causam ita reddit : « (3) Sciebat, *inquit*, complures imperii cupiditate ebrios esse, ac virtutis nullo desiderio tactos, imperium tamen affectare. Ac cum episcopatu annexos sudores, labores, pericula, sollicitudines, ac vigilias minime animadverterent. Nam incumbunt ipsi subjectorum necessitates omnes, etc. » In quibus episcoporum curationes, et officia, operasque percenset : « Quosdam existimasse *ait*, episcopatum esse animi oblectationem, ac delicias; neque aut viribus suis expensis, aut imperii magnitudine considerata, ad hujusmodi prosiluisse negotium. Ideo ut illorum periculosum impetum reprimeret, doceretque ne rem aggrederentur temere plerorumque captum superantem, ista scripsisse : Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. » Quamobrem Pauli tempore, ac judicio inerat episcopatui ἀρχὴ, τιμὴ καὶ ἀξία, ut idem mox Isidorus appellat; adjunctam habens operam, et laborem, ac sedulam curationem, et summam adeo difficultatem; (nam ἔργον sic etiam Isidorus interpretatur;) et propterea, ne quis sic in unum intentus esset, ut alterum non videret, de eo monendos putavit, qui illius honoris, et imperii cupiditate tenerentur. Ut, quod ait Philippus abbas Bonæ spei [2], « Prælatus opus bonum plus amplecteretur, quam honorem. » Hinc Bruno in libro de laudibus Ecclesiæ [3], « in Adamo intelligi *ait* Ecclesiæ custodes, episcopos scilicet et sacerdotes. » « Ut igitur Adam in paradisum missus est, ut operaretur, et custodiret illum, sic illi non sint otiosi, quia operarii sunt; vigilent, quia custodes sunt. » Ac profecto, ut ait Salvianus [4], « Nihil est turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine, et despicabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. »

(1) Isid. Pel. Οὐ γὰρ πάντων τὸ δύνασθαι τοιαύτης ἀρχῆς ἀντιλαβέσθαι, ἤ τις καὶ βασιλείας ἐστὶν ὑψηλοτέρα· ἡ μὲν γὰρ τὰ θεῖα, ἡ δὲ τὰ ἐπίγεια διέπει πράγματα· ἀλλ' ὀλίγων κομιδῇ, οἵ τοσοῦτον τῶν ἀρχομένων δίκαιοι ἂν εἶεν διαφέρειν, ὅσον οἱ ποιμένες τῶν προβάτων.

(2) Isid. in ead. ep. Ὁ τὴν ἀρχὴν ταύτην ἀμέμπτως διοικήσας.

(3) Ibid. Ἀλλ' ἐπειδὴ ᾔδει τοὺς πολλοὺς τῇ φιλαρχίᾳ μεθύοντας, καὶ ἀρετῆς μὲν μὴ ἐφιεμένους, ἀρχῆς δὲ ἀντιποιουμένους· καὶ τοὺς μὲν τῆς ἐπισκοπῆς μὴ συνορῶντας ἱδρῶτάς τε, καὶ πόνους, καὶ κινδύνους, φροντίδας τε, καὶ ἀγρυπνίας· εἰς αὐτὸν γὰρ πᾶσαι ἐπαιώρηνται τῶν ὑπηκόων αἱ χρεῖαι, etc. τινὲς ἀρχὴν, καὶ ἄνεσιν, καὶ τρυφὴν αὐτὴν εἶναι ὤοντο, καὶ μήτε τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐξετάσαντες, μήτε τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς ἐννοήσαντες, ἐπεπήδων τῷ πράγματι· ἀναστέλλων αὐτῶν τὴν κινδυνώδη ὁρμὴν, καὶ διδάσκων μὴ πράγματι ἁπλῶς ἐγχειρεῖν τοῖς πολλοῖς ἀνεφίκτῳ, ἔφη, Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ.

[1] Parte 2. Past. c. 1. — [2] Epist. 19. — [3] Cap. 1.

[4] Salv. l. 2. ad Eccles. Cath.

CAPUT DECIMUM.

De jurisdictione episcopali. Ostenditur eam apostolorum ætate penes episcopos fuisse ; deque eo Salmasii absurdum commentum refellitur. Episcopalem dignitatem et potestatem quantopere commendant Patres. Chrysostomi de illa insignis locus. Eadem populum maxime respicit. Ideoque tam in multis eamdem Ecclesiam regentibus, quam in uno episcopo resedit.

I. Episcopatum nomen esse dignitatis, et potestatis, ac magistratum quemdam ecclesiasticum, ne ipsum quidem negaturum amplius arbitror Trapezitam Catharum, si quid pudoris habet; sed convictum superiori disputatione, cessurum veritati. Quod ut, posita pervicacia, omnino cogatur facere, quod reliquum est in ejus dissertatione, hoc sequentibus capitibus conficiam; quantumvis leve, imbecillumque sit illud : ne quid a me in præteritis relinquatur. Jurisdictionem igitur episcoporum *non ante cœpisse* dicit[1], *quam ordinis distinctio nata est inter episcopum, et presbyteros.* « Cum nullus erat episcopus specialis, et unicus in quaque Ecclesia, sed omnes presbyteri audiebant episcopi, parique jure ac potestate administrabant sibi creditam Ecclesiam; nullam fuisse peculiarem episcopi singularis jurisdictionem, nullum tribunal, prorsus convenit. » Hæc si diligenter excutias, vanissima, et stupiditatis plena reperies. Primum jurisdictio episcopatus naturæ inest ipsi, ex eoque necessario sequitur. De pleno episcopatu loquor, et ordinaria illa potestate, quæ *actu*, ut loquuntur, ac reipsa fungitur, neque ex accidente circumscripta, impeditaque est ; ut cum episcopus in ordinem redigitur, vel aliqua ex causa usu potestatis interdicitur. Itaque quisquis legitime est factus episcopus, et certa in sede collocatus, is jurisdictionem ibi suam habet, et excercet; singularem quidem, si unus est; sin plures sunt, in commune illam obtinent. Ut enim episcopus unus una est potestas; ita plures episcopi plures sunt potestates quocumque fœdere, ac jure sociatæ.

II. Sic, « Quod ad magistratus attinet, ait Pomponius [2], initio civitatis Romanæ, constat reges omnem potestatem habuisse. Exactis deinde regibus, consules constituti sunt duo, penes quos summum jus uti esset, lege rogatum est ». Eadem ergo potestas penes duos fuit, quæ in uno hactenus resederat. Quemadmodum postea, « cum omnes magistratus abdicare se jussi sunt, et decemviri constituti, » eadem, quæ in consulibus fuit, in istos translata potestas est.

Sic e contrario, cum plures Ecclesiis singulis initio præessent episcopi, iidemque presbyteri, plures erant ἄρχοντες, et præfecti Ecclesiæ , potestate prædiți , quam communiter exercebant. Postquam autem unus toti Ecclesiæ præpositus est , non propterea sublata prior est illa potestas, sed in unum collata. Ergo nec ad plures ab uno redacta jurisdictio, nec a pluribus ad unum extinguitur; nec a seipsa diversa est, nisi τῷ ὑποκειμένῳ.

Ostendimus antecedenti capite, cum episcopatu, ex institutione Christi, et origine prima, connexam esse spiritualem, sacramque potestatem; et esse verum proprieque dictum Ecclesiæ magistratum, non humano jure, et auctoritate, sed divina voluntate constitutum: quoniam quidem [3] *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Hæc potestas episcopatum, ut jam dixi, sequitur ; ac sive unus uni præsidet Ecclesiæ, sive plures sint, nihilominus manet eadem. Nisi quis forsitan in synodo, ubi plures conveniunt episcopi, singulos sua potestate carere sentiat, cum ibi ea maxime quisque fungatur.

III. Quid ergo sibi vult Catharus cum sua illa episcopalis jurisdictionis origine ? Aut cur eam ab illo repetit initio, quo ex pluribus episcopis eamdem regentibus Ecclesiam, unus est summus constitutus ? Nonne plures illi presbyteri et episcopi Dominicum gregem in commune pascebant ? Nonne Paulus [4] *obedire præpositis* jubet, *eisque subjacere ? Ipsi enim pervigilant*, ait, *quasi rationem pro animabus nostris reddituri* ? Postremo Patres illi, quos superiori capite testes citavimus episcopatui insitæ jurisdictionis, et potestatis, hanc ipsam ordini isti convenire significant, qua episcopatus est et ecclesiastica præfectura, non ut

[1] Salm. c. 6. p. 458. — [2] L. 2. D. de orig. Jur. [3] Act. 20. 28. — [4] Heb. 13. 27.

ex humana institutione profluxit illius a presbyteratu disjunctio. Hoc enim ipso, quod erat in Ecclesia præses et episcopus aliquis, sive singularis, sive cum aliis, ejus curationem ἀρχὴν vocarunt, hoc est *imperium*, ac *principatum:* quod Ennodius [1] recte vocat *religiosum imperium*, et ipsum ἄρχοντα, hoc est *principem* ac *magistratum*. Cujus imperii principatus, magistratusque stirpem, ac fontem ex eo repetunt, quod [2] vices in terris agunt episcopi Pastoris magni, qui illos gregi suo præposuit, atque ut curationis, et provisionis, sic honoris, et potestatis participes esse voluit : *Qui enim vos audit*, inquit [3], *me audit ; et qui vos spernit*, *me spernit*. Quare aut a Christo nulli sunt instituti pastores, episcopi nulli ; aut, si qui auctore ipso facti sunt, ut Scriptura demonstrat [4], potestatem, auctoritatem, ac jurisdictionem habuerunt, hoc est, imperandi, ac coercendi jus, sine quo impositum sibi munus exercere minime poterant. Ob hanc pastoralem gubernandi regendique provinciam, apostolorum successores, hæredesque potestatis episcopos esse Pacianus affirmat ; ac ligandi solvendique jus habere : ideo patres illos, et judices Augustinus ; Gregorius Nazianzenus *principes*, et magistratus eosdem nominat. Hinc non modo *imperium*, ac *tribunal*, sed majus etiam, ac præstantius, quam civilibus magistratibus, imo quam ipsis regibus, idem Nazianzenus episcopis attribuit ; necnon Isidorus Pelusiota : quos capite illo commemoravimus.

IV. Præter quos modo Chrysostomum proferam, qui in libro tertio περὶ ἱερωσύνης, eam dignitatem « (1) tanto regiæ præstare » dicit, « quantum carni spiritus antecellit. » Tum Ambrosium, cujus ista sunt verba [5] : « Honor igitur, fratres, et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares ; quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se communiri. » Tum et esse potestatem hanc, et inde originem traxisse scribit, quod pascendas illis oves suas Dominus commiserit : « Quas oves, *inquit*, et quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed et cum illo eas nos suscepimus omnes. Unde regendæ sacerdotibus contraduntur ; merito rectoribus suis subdi dicuntur, etc. » Et in epistola ad Valentinianum [6], « Quis est, qui abnuat, in causa fidei ; in causa, inquam, fidei episcopos solere de imperatoribus Christianis, non imperatores de episcopis judicare ? » Quo in argumento late spatiatus est Lucifer Calaritanus libro primo pro S. Athanasio. Epiphanius quoque « (2) regium thronum concessum *ait* a Christo Ecclesiæ sacerdotio, ut regiam simul et pontificiam dignitatem in unum conflatam sanctæ suæ donaret Ecclesiæ. » Quare est idem *præpositum Ecclesiæ esse*, ac *præpositum gregis ;* quod utrumque Tertullianus nominat [7]. His sunt innumera Patrum aliorum dicta consentanea ; quæ hoc loco perscribere, non magnus labor, sed supervacaneus fuerit. In quibus omnibus illud spectare Catharum volo, quanam ex radice tanta, quantam episcopo tribuunt, dignitas, auctoritas, ac potestas ortum acceperit. Profecto non aliunde, quam ex origine illius, et institutione, atque ex ipsa proprietate, conditione, fine denique ordinis, et gradus istius ; cujusmodi edidisse, tradidisseque Christum, ac sanctum Spiritum, Scriptura ipsa testatur.

V. Hæc vera certaque regula est, qua metienda est, æstimandaque dignitas episcopalis, ut hujusmodi curatio, et administratio, et οἰκονομία, et quibuscumque illam Cathari ac fanatici nominibus appellare voluerint, quo ejus pretium elevent, nihilominus potestas et magistratus haberi, ac nuncupari debeat. Etenim si id attendas, quod usui ordinis, et gradus illius, ac functioni sic est affixum, ut ab eo divelli nequeat, et sine quo constare non potest ; intelliges haud temere ab antiquis illis Patribus, imperii, potestatis, et dignitatis etiam regiæ, aliisque splendidis, et eximiis titulis, ac vocabulis honestatum illum fuisse. Et ἀρχὴν esse, principatumque quemdam ex prima sua institutione, demonstrant *comparationes* illæ, ut vocat Ambrosius, quibus proprietatem illius explicare student, pastoris, chori ductoris, ducis, imperatorisque militaris, navis gubernatoris, civitatis rectoris, et magistratus, principis, ac regis denique.

(1) CHRYS. init. lib. 2. de Sacerd. Ἡ τοσοῦτον ἀνωτέρω βασιλείας ἔστηκεν, ὅσον πνεύματος, καὶ σαρκὸς τὸ μέσον.

(2) EPIPH. hær. 29. § 3. Θρόνος γὰρ Δαβὶδ, καὶ βασιλικὴ ἕδρα ἐστὶν ἡ ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ ἱερωσύνη. Ὅπερ ἀξίωμα βασιλικόν τε, καὶ ἀρχιερατικὸν ὁμοῦ ἐπὶ τοῦτο αὐτὸ συνάψας ὁ Κύριος δεδώρηται τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ.

[1] Enn. Dict. 5. p. 478. — [2] 1. Pet. 5. 2. — [3] Luc. 10. 16. — [4] Eph. 4. 11. Act. 40.

[5] Lib. de Dig. Sacer. cap. 2. to. 4. — [6] Quæ est 13. to. 5. — [7] Tertul. lib. de fuga c. 11.

Quas omnes administrationes potestate, ac jurisdictione pro modulo suo instructas, et ornatas esse nemo non videt; majori autem, quo quæque est præstantior, et excellentiorem ad finem comparatur. Cum igitur omnes istæ similitudines usurpentur a veteribus ad episcopatus naturam, et vim οὐσιώδη propius exprimendam; cumque singularum functionum, unde comparationes istæ trahuntur, proprietates ac dotes eminentiam quamdam, et ἀξίωμα cum potestate præ se ferant; manifestum est illum ipsum statum, præfecturam illam, cujus in rationem ac descriptionem universæ confluunt, potestate, ac jurisdictione, et eo omni, quod magistratus est proprium, carere nullo modo posse.

VI. Est ad hoc institutum apprime disertus, et elegans Joannis Chrysostomi locus; qui omnes illas fere similitudines complectitur, et episcopatum, qualis apostolorum fuit ætate, et ab iisdem informatur ipsis, principatum, magistratumque esse demonstrat. Quem locum, etsi paulo est longior, quia tamen necessarius est disputationi nostræ, non possum, quin ex parte saltem hic referam. Cum igitur apostoli ad Hebræos scribentis verba illa declarat, quæ jam attuli [1]; *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis,* etc. scribit sic: « (1) Nullos esse magistratus, ubique malum est, ac multarum causa calamitatum, et tumultus ac perturbationis principium. Ea porro tanto est in Ecclesia periculosior, quanto magistratus hujus conditio potior est, et sublimior. Ut enim, si ex choro chori ductorem sustuleris, neque concentum, neque ordinem ille retinebit; et si ab exercitu castrensi imperatorem detrahas, non jam decore, atque ordine acies instruetur; item si a navi gubernatorem auferas, illam submerges. Ita si a grege pastorem sejungas, evertes, et perdes omnia. Malum igitur est carere magistratu, et eversionis causam affert. Sed nec minus est malum subjectorum contumacia. Hinc enim idem efficitur. Siquidem populus magistratui non obtemperans similis est nullum habenti, ac nescio an non etiam deterior. » Vides, ut ex Chrysostomi mente, episcopatus, qualis erat ætate Pauli, et ut ab eo commemoratur, ἀρχὴ, id est *magistratus,* et *imperium* fuerit; imo magistratu omni potior ac sublimior, cui opposita labes est reipublicæ, ἡ ἀναρχία, quæ ἀρχῇ, hoc est magistratui, sic est contraria, ut luci tenebræ. Ut igitur veræ, proprieque dictæ tenebræ veram, ac proprie dictam lucem una significant; sic quæ contingere dicitur ἀναρχία in Ecclesia, veram itidem ἀρχὴν in ea esse alias ostendit. Pergit Chrysostomus, et illud objicit sibi: « (2) Atenim, dicat aliquis: Est et tertium malum, quando malus est magistratus. Novi equidem; neque mediocre istud est malum, sed pejus etiam, quam si nullus esset omnino magistratus. Satius est enim, ab nullo gubernari, quam ab malo gubernari. » Verum nihilo secius morem illi gerendum esse, quantumvis pravus sit, admonet ex illo Christi præcepto [2], *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate, et facite,* etc. « (3) Habent, *inquit,* dignitatem, sed impure vivunt. » Deinde ista pertexit: « (4) Audiant et principes, nec solum iis subjecti; quemadmodum morigeri debent esse, qui subjecti sunt, sic magistratus ipsos oportere vigiles, et sobrios esse. » Ac sæpius deinceps et ἄρχοντας appellat episcopos, quos ἡγουμένους dici interpretatur ab Apostolo; et episcopatum ipsum ἀρκὸν ἀρχῆς, id est *molem imperii,* nominat, eumque confert cum Aaronis, Mosis, ac Saulis imperio. Idem habent Œcumenius, et Theophylactus.

VII. Hinc evidens est, quod dixi, episcopos, quales erant apostolorum tempore, ἡγουμένους, hoc est *præpositos,* fuisse, quos ἄρχοντας intel-

(1) CHRYS. hom. 34. in epist. ad Hebr. Κακὸν μὲν ἡ ἀναρχία πανταχοῦ, καὶ πολλῶν ὑπόθεσις συμφορῶν, καὶ ἀρχὴ ἀταξίας, καὶ συγχύσεως· μάλιστα δὲ ἐν ἐκκλησίᾳ τοσοῦτον ἐπισφαλεστέρα ἐστὶν, ὅσον καὶ τὸ τῆς ἀρχῆς μεῖζον, καὶ ὑψηλότερον· ὥσπερ γὰρ, ἂν χοροῦ τὸν κορυφαῖον ἀνέλῃς, οὐχὶ κατὰ μέλος, καὶ κατὰ τάξιν ὁ χορὸς ἔσται. Καὶ φάλαγγος στρατοπέδου τὸν στρατηγὸν ἂν ἀποστήσῃς, οὐκέτι ῥυθμῷ καὶ τάξει τὰ τῆς παρατάξεως ἔσται. Καὶ πλοίου τὸν κυβερνήτην ἐὰν περιέλῃς, καταδύσεις τὸ σκάφος. Οὕτω καὶ ποιμνίου τὸν ποιμένα ἐὰν ἀποστήσῃς, πάντα ἀνέτρεψας, καὶ ἠφάνισας. Κακὸν μὲν οὖν ἡ ἀναρχία, καὶ ἀνατροπῆς ὑπόθεσις. Κακὸν δε οὐχ ἧττον, ἡ ἀπείθεια τῶν ἀρχομένων. Τὸ αὐτὸ γὰρ γίνεται πάλιν. Λαὸς γὰρ ἄρχοντι μὴ πειθόμενος ὅμοιός ἐστι τῷ μὴ ἔχοντι, τάχα δὲ χείρων.

(2) Ibid. Ἀλλ' ἴσως ἐρεῖ τις ἡμῖν, ὅτι ἔστι καὶ τρίτον κακὸν, ὅταν ὁ ἄρχων ᾖ κακός· Οἶδα κἀγώ, καὶ οὐ μικρὸν τοῦτο κάκον. Ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναρχίας πολλῷ κάκιον. Κρεῖττον γὰρ ὑπὸ μηδενὸς ἄγεσθαι, ἢ ὑπὸ κακοῦ ἄγεσθαι.

(3) Ibid. Ἔχουσι, φησὶ, τὸ ἀξίωμα· ἀλλὰ βίου εἰσὶν ἀκαθάρτου.

(4) Ibid. Ἀκουέτωσαν καὶ οἱ ἄρχοντες, μὴ μόνον οἱ ἀρχόμενοι, ὅτι ὥσπερ πειθηνίους εἶναι δεῖ τοὺς ἀρχομένους, οὕτω καὶ τοὺς ἄρχοντας ἀγρύπνους εἶναι, καὶ νηφαλίους.

[1] Hebr. 13. 17.

[2] Matt. 23. 2.

lexit Chrysostomus, eorumque præfecturam ἀρχὴν, id est *magistratum*, et ἀξίωμα, id est *dignitatem*, cum summa potestatis amplitudine. Quam sanctissimi, eruditissimi, eloquentissimi Patris orationem, ac sententiam longe suavius ac libentius audiemus, quam impuros Catharorum stridores, ac fremitus, quales audiebant

> [illegible]

Unde dissonæ, et horrendæ voces illorum excipi solebant.

> Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
> Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum :

Tales enim hæreticos esse Clemens Alexandrinus affirmat, et hac illos similitudine describit : « [1] Quemadmodum, *inquit*, si quis bestia fiat ex homine, similiter atque ii, qui Circæis venenis infecti fuerant. Sic hominem esse Dei, et fidelem Domino manere perdidit, qui ecclesiasticam traditionem calcibus abjecit, et ad humanarum opiniones hæreseon desiluit. » Principatum in eo genere tenet *Puritanorum* natio, omnium sine controversia deterrima, et antiquitatis ac traditionis inimicissima; ex quibus Elpenor Corocotta noster infanda illa, et absurda perstrepuit. At quanto, et quam intolerabili cum fastu : « Nunc te, *inquit* [1], docebo, quando in medium prodierit illa jurisdictio episcopalis, in qua nimirum diu te jactas, cujus usum, vimque plane ignoras, ut ejus origo te latet. » Tum illa pertexit, quæ supra commemorata sunt : jurisdictionem episcopalem cœpisse tunc scilicet, cum a presbytero primum distinctus est episcopus.

VIII. Atqui jurisdictio episcopi populum maxime respicit, quos *laicos* appellant. Et quamvis ad subjectos etiam clericos, presbyteros, ac ministros extenditur; potest tamen sine iis consistere, ac circa solos versari laicos : sine populo vero, quam *plebem* vulgo nominant, vetitum olim fuit ullum episcopum ordinare. Itaque priusquam episcoporum gradus a presbyteratu secerneretur, constabat tamen illi potestas sua, et jurisdictio, qua *regebat Ecclesiam Dei*, ut Paulus loquitur [2]. Ac Salmasius ipsemet asserit [3], « Ecclesiæ vocabulum olim usurpatum esse de solo fidelium cœtu; et sic accipi in Actis apostolorum. » Cum igitur etiam ante divisionem ordinum istorum, *fidelium cœtus* extaret, erat etiam Ecclesia, cui regendæ præerant episcopi, si non mendax est Apostolus. Jurisdictionem ergo, sine qua regi non poterat, habebant iidem. Neque postquam a presbyteris secreti sunt, novam in Christianum populum potestatem, ac jurisdictionem sunt adepti; sed in presbyteros duntaxat simplices, qui hactenus non erant. Proinde frivola, et vana est animadversio illa, et [illegible], nec secum cohæret. Ut illud omittam, quod identidem repeti necesse est, ab ipso Salmasio [4] singulares Ecclesiæ præfectos, ac primates jam tum ex ipsis Christianismi primordiis constitui episcopos κατ' ἐξοχὴν vocatos : quibus proinde κατ' ἐξοχὴν potestas, ac jurisdictio non solum in Christianam plebem, sed etiam in presbyteros, ceterosque clericos competeret. Ut sit illa prorsus incredibilis, et κατ' ἐξοχὴν horrenda cæcitas, ac stupiditas in tanta vel absurditate, vel inconstantia, repugnantiaque dictorum.

[1] Clem. Alex. 7. Strom. pag. 545. Καθάπερ οὖν εἴ τις ἐξ ἀνθρώπων θηρίον γένοιτο, παραπλησίως τοῖς ὑπὸ τῆς Κίρκης φαρμαχθεῖσιν· οὕτως ἄνθρωπος εἶναι τοῦ Θεοῦ, καὶ πιστὸς τῷ Κυρίῳ διαμένειν ἀπολώλεκεν ὁ ἀναλακτίσας τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν, καὶ ἀποσκιρτήσας εἰς δόξας αἱρέσεων ἀνθρωπίνων.

[1] Pag. 455. — [2] Act. 20. [3] Pag. 386. — [4] Pag. 273. et 274.

CAPUT UNDECIMUM.

Retractantur ea, quæ de episcopali dignitate, auctoritate, ac magistratu in opere Trapezitico scripta sunt. Ea recte in Dissertationibus ecclesiasticis reprehensa fuisse. Quid sit dignitas, et quomodo ab imperio, et magistratu differat. Item de auctoritate agitur. Ex privata civium in familias suas potestate oriri magistratuum potestatem. Ostenditur episcopos judiciariam habuisse potestatem a prima sua institutione, et pœnarum infligendarum jus, ex epistolis Pauli.

I. Dignitatem, auctoritatemque Catharus infando illo in Trapezitico libro [1] ab episcopo segregabat; asserens, « Veteribus episcopatum in Ecclesia non fuisse nomen dignitatis, aut potestatis, id est ἐξουσίας, καὶ αὐθεντίας, sed curationis, et administrationis, βοηθείας, sive προστασίας, quæ est ἐπισκοπή. » Quod illius decretum, si, ut hactenus fecimus, paulo interius excussum fuerit, ac si verbis singulis, quæ sit subjecta notio, singillatim requiras, nihil præter inanem habet strepitum vocum, quas ne ipse quidem explicare, qui dixit, liquido ac perspicue poterit. Certe tota illa in dissertatione quam hoc libro confutamus, cum de eo multa scribat, tantumdem scimus, quid velit, ac si omnino tacuisset. Age enim, cum episcopi nomen non fuisse dignitatis, aut potestatis dicit, non de sola, puto, vocabuli origine, ac significatione contendit, nisi præter omnem modum ineptus est; sed de re ipsa, et gradu, sive Ordine. Nam appellationes non omnem exhaurire naturam, proprietatemque rerum, quibus significandis impositæ sunt, extra controversiam est, ut supra docuimus. Episcopatum igitur carere dignitate, auctoritate, ac potestate vult; nec aliud esse, quam simplicem curationem, et munus, sive onus alicui commissum. Hoc vere, an secus, dictum sit ut plane constet, quid aliud faciendum est, nisi ut singulis, quas abjudicat, vocibus, qua sit subjecta vis, et significatio, disputetur ex eorum auctoritate, qui illas voces interpretati sunt? Hoc vero in Dissertationibus ecclesiasticis, quas Trapeziticis nugis opposuimus, sedulo præstitimus. Exposuimus, quid esset dignitas, quid auctoritas, quid magistratus. Ostendimus deinde in episcopatum hæc universa confluere.

II. At Salmasius, quid diceret, ac quo se verteret ignarus, de dignitatis, et auctoritatis, ac potestatis vocabulis stolide conflictatur. Negat [2], omnem se dignitatem, et auctoritatem ab episcopatu removere, sed eam duntaxat, quæ magistratus esset. Etenim « curationem eam, quam habuit in Ecclesia episcopus, cum dignitatem et honorem non esse notavit Salmasius, (ait hujus patronus nebulo Messalinus, et idem qui Salmasius,) non intellexit, sine dignitate, et honore fuisse. » « Ego vero aio (paulo post inquit [3]) episcopum cum dignitate, et cum auctoritate munus suum exercuisse, et potestatem ejus exercendi habuisse; cum auctoritate etiam illud exercere debere: honore quoque dignum fuisse; non tamen primis illis temporibus pro magistratu ecclesiastico habitum esse, nec dignitatem, aut potestatem eo sensu habuisse, quo ea vocabula distinxit Salmasius, cum potestatem a curatione sic proprie dicta docuit esse discernendam. » Mox ait se dignitatem sumpsisse pro *magistratu summo,* qui et *honor* ab Latinis vocatur; atque ita Græcos *dignitatem, et potestatem* nominare ἐξουσίαν, καὶ αὐθεντίαν.

Hæc et alia plura Messalianus Salmasius ἀκαντολογῶν more suo, et in tricis vocabulorum operam sedulo collocans. At nos illum vel in ipso suo artificio nihil esse; neque vim nominum, de quibus argutatur, intelligere, porro demonstrabimus.

III. Imprimis quod ait, non se *dignitatem* abjudicasse prorsus ab episcopatu, sed eam tantum, quæ sit *magistratus;* ac proinde male nos sibi dignitatis rationem, ac definitionem objicere, qualem Cicero in secundo libro de Inventione tradidit: supervacanea est μικρολογία. Magistratus omnis habet dignitatem, sed non omnis dignitas magistratus est. Nam illa patet latius, et universe definitur a Cicerone, *alicujus honesta, et cultu, et honore, et verecundia digna auctoritas.* Ea vero dupliciter dicitur. Aut enim ex privatis cuique suppetit corporis, vel animi dotibus, et ornamentis, ut ex virtute, scientia, ætate, moribus, habitu oris ipso, ac reliquis, quæ gratiam et auctoritatem

[1] Trapez. pag. 412.

[2] Salm. pag. 435. Dissert. — [3] Ib. 437.

conciliant; cujusmodi est ille, quem Poeta describit [1], qui coortam in populo seditionem auctoritate sua compescit.

> Tum pietate gravem, ac meritis si forte virum quem
> Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Aut ex functione aliqua honorifica, et splendida, sive magistratus sit, sive non sit. Nam et senatores magistratus non erant, et tamen penes illos erat dignitas. Interest autem inter illa duo dignitatum genera, quod prior nulli certo gradui, vel statui, aut gestioni est addicta; neque rata est, vel fixa : sed propemodum ex arbitrio, et judicio pendet eorum, a quibus *honor* tribuitur. Non enim ab honore, cultuque multum differt, quem in illis esse potius, qui deferunt, quam qui capiunt, docuit Philosophus (1). Ac quæ apud aliquos magni fiunt, et honesta ducuntur, ut liberales artes, et id genus cetera, apud alios contemptui sunt. Posterior vero, quæ gradum et ordinem, vel magistratum sequitur, certa est, ac determinata; neque ex ejus, cui convenit, proprio merito, vel deferentium arbitrio pendet, ac fere in signis quibusdam externis, atque honoris testimoniis posita est; quæ *ornamenta* vocat Cicero [2], et ea, quæ ab senatoribus obtinebantur, enumerat sic : « Locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen et gratia : toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, provinciæ. » Quorum omnium partim senatoribus cunctis erant communia, etiam magistratu functis; partim ab illius ordinis hominibus cum magistratu capiebantur, ut lictores, fasces, etc.

IV. Distat ergo τῷ λόγῳ, καὶ ἐπινοίᾳ, id est *ratione*, dignitas ab imperio, et magistratu. Nam magistratus, præter dignitatem, id est splendorem, amplitudinem, et honorem, sive honoris insignia, habet insuper jubendi, sive juris dicendi, et coercendi potestatem, uti supra meminimus. Sic et dignitas a potestate differt. Unde merito, negante Catharo penes episcopos olim dignitatem ac potestatem fuisse, amborum propria ratio, ac vis enucleanda fuit; ac quid esset dignitas, quid potestas, vel auctoritas explicandum. Ut si quis probare velit, Socratem esse hominem, singillatim primum animal, deinde rationis particeps probabit esse. Nec tu illum stolide reprehendes, cum primum animal esse colligere cœperit, ex eo, quod sentit; atque ita refelles, te non animal negare illum esse, sed hominem. Qui enim sic arguat, vix eum quisquam hominem judicet. At hoc plane Messalinus egit Salmasius in dissertatione sua. Cum enim adversus ipsum probare vellem, episcopatum ex institutione sua ecclesiasticum fuisse magistratum; duo illa, quæ in magistratu insunt, et ex quibus velut οὐσιωδῶς constat, reperiri in illo, ut par erat, ostendi : primum dignitatem, deinde potestatem, eamque magistratus propriam, qualis ab jurisconsultis, et ab Aristotele in Politicis describitur. Potuine magis in causam intrare; aut quod agendum erat, pressius, ac diligentius exequi, quam argumentatione ista feci? At iste languidum nescio quid hiscens, et præmortuum, de dignitate prius illud obstrepit; tum ei simile alterum de auctoritate. Quam quidem in episcopatu reperiri, inde constare dixi, quod idem est, ac *potestas*. Est autem, fuitque semper in episcopatu potestas, non qualiscumque, sed judicandi, et imperandi; quæ duo magistratus esse propria dicuntur ab Aristotele.

V. Hic vero surgit ex adverso Catharus, et ut ad dialectica egregie est paratus, argumentationem nostram sic elevare nititur [3] : « Si auctoritas eadem est, ac potestas; ergo fœmina, quæ hanc potestatem habet, etiam magistratum gerit. » At, o pepo! non auctoritas quævis aut potestas magistratum facit, uti neque dignitas; sed certa duntaxat, ea scilicet quæ jurisdictionem habet adjunctam. Tria ista quippe vocabula nonnunquam usurpantur laxius, atque in privatis constituuntur. Quare generis quodammodo sunt loco, vel generalium proprietatum, cum in magistratus descriptione ponuntur; ac per propriam deinde restringuntur, ac determinantur illius differentiam. Quæ primum hoc habet, ut ad populum, et communitatem aliquam referatur; deinde, ut juris dicendi, ac jubendi coercendique adeo facultatem contineat. Unde sic integra potest informari magistratus definitio : *Magistratus est dignitas juris populo dicendi, et jubendi potestate prædita.* Ex quo superior illa cavillatio Cathari ridicula plane, ac puerilis exploditur, de muliere auctoritatem ac potestatem habente. Nam etsi hanc capiat, ideo non est magistratus, quoniam ad communitatem non pertinet, nec ei jus dicit. Auctoritas porro, ac potestas, ut dixi, ex proprietate sua latius patet, ut mi-

(1) ARIST. 1. Eth. cap. 3. Δοκεῖ γὰρ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ.

[1] Æn. 1. — [2] Orat. pro Cluen. — [3] Salm. p. 436.

nime sit consequens, si hanc habeat fœmina, eam magistratum habere, cum ne paterfamilias quidem, qui in domum suam, hoc est uxorem, liberos, ac familiam potestatem, et auctoritatem tenet, eo ipso magistratus sit. Scitum illud est Aristotelis [1], civitatem, et rempublicam ex domibus, et familiis ortum accepisse, ut hæc sint velut partes, et elementa, ex quibus illa componitur. Etenim prima hominum inter se conjunctio, et communitas ex natura ipsa prodiit, et naturali societate maris ac fœminæ, tum ab utroque procreatis liberis, et ad usus quotidianos adjuncto servitio ; quæ communitas *domus* dicitur. Exinde multiplicatis domibus ac familiis, populi, ac civitates extiterunt. Est autem naturalis itidem in patribusfamilias auctoritas, et potestas in suos ; eoque ipso differt ab ea potestate, quam in populum magistratus obtinet, quæ adventitia est, et ex communitatis consensu initio profecta. Adscribatur itaque ad nugas ceteras Messalianæ, ac Trapeziticæ βωμολοχίας, argutia illa frigida, et illepida de auctoritate, ac magistratu mulierum.

VI. Sed ut hominem hunc ad justam, seriamque certationem revocemus ab deliciis istis, et facetiis, ad quod genus neque ab natura valde est aptus, neque hoc scriptorum ejus indoles sapit, quæ sunt morosa, et ad lectoris odium, ac fastidium facta; ut igitur de re ipsa contendamus, satis effectum arbitror duobus præsertim antecedentibus capitibus, episcopatum esse veram, proprieque dictam ἀρχὴν, hoc est magistratum, vel imperium ecclesiasticum ; nec meram esse curationem, munusve auctoritate, ac potestate carens : quod somniavit Catharus. Nam et juris dicundi penes illos a prima origine fuisse potestatem ; et imperandi, ac pœnis animadvertendi in refractarios jus, et usum eosdem habuisse. Cujus utriusque vestigia in canonibus antiquis et sanctionibus extare docui, et in omni ecclesiastica historia. Imprimis enim multa præcepisse, ordinasseque tum apostolos omnes, tum Paulum, ex Actis apostolorum, et istius epistolis patet. Deinde contra delinquentes pœnas esse ab hoc inflictas, eædem testantur epistolæ ; sed ejusdemmodi, qualis et ipsa potestas est, hoc est spiritales et ecclesiasticas, prout ecclesiasticus est et spiritalis magistratus episcopi. Non enim equuleos, ungues, ferrum, faces, aut carnificum manus ecclesiastica fora noverunt, ac judicia ; sed suas habent, peculiaresque pœnas, quæ ad animam proprie pertinent : qualis est excommunicatio , anathema, et ejectio extra ecclesiam, sacrarumque rerum interdictio, et si quæ sunt aliæ, quas *censuras* vulgo nuncupant ; quales antiquissimis in canonibus crebro in usu versantur.

Sic Apostolus Corinthium illum ob incestas cum noverca nuptias vel sententia sua condemnavit, vel condemnandum utique decrevit, et eorum, qui Ecclesiæ præerant, judicio tradidit. *Ego quidem absens corpore*, inquit[2], *præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum qui sic hoc operatus est : in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis nobis, et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri.*

VII. In hoc Apostoli loco judiciaria potestas elucet, et pœnæ modus, quo ecclesiasticorum præsidum auctoritate delicta coercentur ; nimirum excommunicatio, et segregatio a communione fidelium. Ac plerique præter hanc, aliam insuper ostendi volunt extraordinariam, et illorum temporum propriam pœnam, uti Satanæ dederetur variis modis excarnificandus, palamque vexandus, aut morbo cruciandus ; idque verba illa præ se ferre, *tradere Satanæ in interitum carnis*. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Græcique ceteri ; nec pauci Latini, ut Ambrosius libro primo de Pœnitentia, capite 12. et Augustinus [3], Primasius, Sedulius, Anselmus, etc. Alii simpliciter excommunicationem intelligunt; ut commentarius, qui Ambrosio tribuitur, qui tradi Satanæ sic exponit, ut sit ejici ex Ecclesia. Utramque interpretationem refert pseudo Hieronymus, qui vulgo Pelagius habetur. Posteriorem hanc ex recentioribus approbat Guillelmus Esthius, et priorem argumentis aliquot refellit. Quin etiam Calvinus, Beza, et Petrus martyr solam excommunicationem significari putant. Quam pœnam utique constitutam ab Ecclesia, ejusque pastoribus, non negabit Catharus, si magistris suis auscultabit.

Ceterum Chrysostomus , Theodoretus, et reliqui Græci indicant Apostolum non juridicam, et, ut vocant, peremptoriam in criminosum illum tulisse sententiam ; sed Corinthiis mandasse, ut eam ferrent ipsi, ac latam exequerentur. Ex quo tanto magis affirmatur,

[1] Lib. 1. Pol. c. 3. — [2] 1. Cor. 5.

[3] Lib. 1. de Serm. Dom. in mon. c. 20. tom 4.

judicandi, ac plectendi potestatem penes Ecclesiæ præsides fuisse. Quod duobus modis explicari potest, quemadmodum supra declaravimus. Nam vel presbyteri illi, qui Corinthiorum Ecclesiæ præerant, episcopali jure prædíti, illam in commune gubernabant; vel simplices erant presbyteri, sub Apostoli, tanquam episcopi, auctoritate illam administrantes, ut Græcis fere visum est.

VIII. Quocirca non solum apostolus Paulus, sed etiam Ecclesiæ præpositi, judicandi, puniendique potestatem ordinariam habuere per illa tempora : eaque pœna fuit excommunicatio; non autem extraordinaria illa solum, et cum miraculo conjuncta, qua Satanæ dederentur extemplo cruciandi. Hunc Apostoli locum fuse declarat Augustinus in libro 3. contra Parmenianum sub initium. Ubi primum animadvertit, « loqui Apostolum de vindicta, ad cujus significationem virgam nominavit. » *Quid vultis?* inquit, *In virga veniam ad vos?* etc. Deinde *carnis interitum* bifariam exponit : « Ut sive aliqua pœna, vel morte corporali, sicut Ananias, et uxor ejus ante pedes apostoli Petri ceciderunt [1]; sive per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam. » Qua ratione nihil nisi ordinarium, et usitatum in Ecclesia inerit in illo judicio, et condemnatione Corinthii istius. Ac recte Theodoretus illud observari jubet : « (1) Docemur inde, *ait,* in eos, qui excommunicantur, et ab Ecclesiæ corpore separantur, irruere diabolum, cum eos gratia destitutos invenit. » Ac paulo ante diabolo, velut carnifici, tradi sententia illa reum asserit, præstituto supplicii modo puniendum. In hanc vero sententiam, quæ nihil inusitatum intervenisse illo in judicio statuit, et verbis istis, *in interitum carnis*, nihil supra communem significari rerum ordinem consentiunt iidem, qui supra a me nominati sunt, Catharæ factionis antistites. Unde perspicuum sit, ex illo Apostoli judicio, atque usu potestatis, et præscripto vindicandorum scelerum, manasse deinceps in Ecclesiam similium actionum, judiciorumque formulam, quorum exemplis referta sunt veterum acta conciliorum, et decreta, et ecclesiasticarum rerum historici, annalesque libri. Ex quibus omnibus evidens est, episcopum, tanquam judices, et magistratus, suum forum, ac jurisdictionem obtinere suam; atque ex canonum, hoc est legum ecclesiasticarum, præscripto jus suum exercere, hoc est jubere, quæ facienda sunt, vetare contraria, lites controversiasque disceptare, ac denique pro delictorum modo congruentes pœnas infligere. Quæ quidem illorum auctoritas non ex hominum voluntate, sed institutione Christi, et apostolica traditione, ac disciplina proficiscitur; et ex iisdem Scripturæ testimoniis, quibus apostolorum potestas, vim suam, ac probationem repetit.

Cum autem de ligandi, solvendique potestate, et ea, quæ *clavium* dicitur, actum sit a nobis in primo Dissertationum adversus fœnebrem vitilitigatorem, præsertim in capite septimo; etsi pauciora ista sunt, quam pro argumenti gravitate; satis illa tamen in præsentiarum esse videntur, quod proprius sit alibi de ea re locus disputandi. Quamobrem hic ea solum tractabimus, quæ ad elevandam potestatem istam juridicam, contraque ecclesiasticos magistratus nebulo Messalianus effutiit.

(1) THEODORET. Διδασκόμεθα δὲ ἐντεῦθεν, ὡς τοῖς ἀφοριζομένοις, καὶ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ σώματος χωριζομένοις ἔπεισιν ὁ διάβολος, ἐρήμους εὑρίσκων τῆς χάριτος.

[1] Act. 5.

CAPUT DUODECIMUM.

Expenduntur argumenta, quibus Salmasius probare nititur, nullam penes episcopos esse potestatem, ac jurisdictionem. Imprimis de Tertulliano, quem testem adducit, fuse agitur. De Montani erroribus, ac Novatiani, qui potestatem illam impugnarunt. Ridiculum Salmasii factum; qui ex auctoritate hæretici Tertulliani illud ipsum dogma, cujus gratia dissensit a catholica Ecclesia, labefactare nititur. Tertullianum alio in loco contra, ac postea fecit, de ea re judicasse.

I. Primum, et præcipuum Trapeziticæ pompæ ferculum, ac rationum omnium robur, et caput, quibus episcopatum probat Catharus meram fuisse curationem, absque dignitate, et potestate, in nominum, ut supra memini, proprietate situm est, ac vocularum enucleata notione. Nam in eo totus est, ut ἐπισκοπῆς vocabulum oneris ostendat, non honoris habuisse significationem. Id cum in toto fere libro nugacissimæ dissertationis, tum in ejus capite sexto et postremo sedulo egit, ut quibus nominibus episcopatus ab antiquis afficiebatur, ea monstraret, ad opus, negotium, curam, sollicitudinem, onus, non ad honorem, splendorem, potestatem referri. Quod argumentum quam ludicrum, ac puerile sit, ostendimus supra, præsertim in octavo capite libri hujus. Huic alterum succedit vi, ac momento par, hoc est futile, ac nullum, quod ex Tertulliani testimonio deprompsit. Postquam enim grammatica scrinia sua, et omnes χρηστομαθείας, quas de episcopi voce in locis habebat, effudit; ac postremum ex Isidoro illud attulit, *Episcopum nomen esse operis, non honoris;* mox ista subtexit [1]: « Eodem plane sensu Tertullianus in libro de Pudicitia Episcopum Romanum alloquens: Quod si disciplinæ solius officia sortitus es, inquit, nec imperio præsidere, sed ministerio, quis aut quantus es, indulgere? » Ac porro alia citat ex eodem, unde istud effici putat [2], episcopum, et quidem Romanum, nihil habuisse, præter disciplinæ officium, ac docendi modum, sine ulla juris dicendi, vel coercendi potestate. Ut autem melius de Tertulliani mente, et Cathari judicio in illo teste citando prudens lector æstimet, altius repetenda Tertullianea ista disputatio, et quid in ea propositum habeat explicandum.

II. Primis Ecclesiæ temporibus, ac flagrante persecutionis ardore, tribus delictorum generibus nulla, nisi sub mortem, reconciliatio, ac venia tribui solebat, idololatriæ, mœchiæ, et homicidio. Paulatim vero de hac severitate remissum est, incumbentibus in lenitatem moribus. Ac Tertulliani primum ætate, Romanus Pontifex mœchiæ, ac fornicationis reis dandam pœnitentiam, ac reconciliationem censuit. Hac ille offensus indulgentia, ut erat Montani jam erroribus imbutus, quorum unus hic erat: non esse penes Ecclesiam veniæ illis criminibus dandæ potestatem; librum scripsit de Pudicitia contra *edictum* illud, ut vocat, *Pontificis maximi, et episcoporum Episcopi*. Quo in libro sectæ suæ, ac falsi Paracleti partes agit, quem in Montano fuisse, ex illius sacramento profitebatur. Mitto argumenta cetera, quibus ad communionem admitti maculosos illos nefas esse disputat; quod ad præsens negotium facit, istud est. Negabat Tertullianus, certorum delictorum veniam, ac pacem ab Ecclesia posse concedi. Ideo Catholicos reprehendebat [3], « qui omnis pœnitentiæ fructum, id est veniam, in sua potestate usurpaverant, cum a solo Deo exoranda sit. » Quanquam non videtur interdum ab Ecclesia funditus abjudicare peccatorum qualiumcumque relaxationem [4]: sed suæ duntaxat, hoc est Montanistarum Ecclesiæ, ejus tribuendæ potestatem facere, hoc est *spiritus Ecclesiæ*, sive *spiritualium hominum;* non *animalium*, sive *Psychicorum*, qualem appellabat catholicam. Id enim « Domini, non famuli, jus esse, et arbitrium; Dei ipsius, non sacerdotis. » Itaque non putabat ordinariam, ac ratam hominibus facultatem esse divinitus concessam remittendi peccata illa, quæ ad injuriam Dei proprie spectant, sed certis duntaxat hominibus attributam, pro illius arbitrio; dedisse vero solis Paracleti in Montano cultoribus: qui tamen illa uti nolent, ne veniæ facilitas illecebra sit peccandi.

III. Ac [5] ne quis fortassis apostolos objiceret, tanquam hi peccata omnia condonaverint, duo in illis ait oportere discerni, *doctri-*

[1] Salm. Dissert. pag. 438. — [2] Ibid. pag. 439. [3] Tertul. de Pudic. c. 2. — [4] Ibid. c. 22. — [5] Ibid. c. 21.

nam et *potestatem*. Doctrinam vocabat id, quod apostoli docendo tradiderant, ac faciendum, usurpandumque præscripserant; sive quod communi, et ordinario usu servandum esse decreverant: potestatem vero intelligimus, vim, ac facultatem ejus faciendi, quod humanum captum, ac naturam superat, ut sunt miracula. « Disciplina hominem gubernat, *inquit*, potestas adsignat. Seorsim quod potestas; spiritus autem Deus. » Apostoli qua doctrina præditi erant, disciplinam constituebant, qua Ecclesia gubernaretur. *Potestas* autem *adsignat*, hoc est eximium, et insignem facit, et quasi peculiari signo determinat, χαρακτηρίζει, ut recte doctissimus Rigaltius interpretatur. Proinde, ut quæ *doctrinæ*, disciplinæque propria sunt, in commune posuerunt apostoli, et ad successores deinceps suos transmiserunt; ita potestatem privatim habuerunt sibi, neque cum posteris communicarunt, ait Tertullianus. Ad potestatem vero refert jus delictorum remittendorum. Quamobrem docebant apostoli, id, quod servandum est, [1] *non communicandum operibus tenebrarum*. « Observa, quod jubet. Quis autem poterat donare delicta? hoc solius ipsius est. Quis enim dimittit delicta, nisi solus Deus? » Id enim potestatis est; adeoque non transit in Ecclesiæ ministros. « Itaque, pergit idem, si et ipsos beatos apostolos tale aliquid indulsisse constaret, cujus venia a Deo, non ab homine, competeret; non ex disciplina, sed ex potestate fecisse. Nam et mortuos suscitaverunt, quod Deus solus; et debiles redintegraverunt, quod nemo, nisi Christus; imo et plagas inflixerunt, quod noluit Christus. » Exinde contra catholicam Ecclesiam, et hujus pastorem invectus, « Exhibe igitur, *inquit*, et nunc mihi, Apostolice, prophetica exempla, et agnoscam divinitatem; et vindica tibi delictorum hujuscemodi remittendorum potestatem. Quod si disciplinæ solius officia sortitus es, nec imperio præsidere, sed ministerio, quis aut quantus es, indulgere, qui neque prophetam, nec apostolum exhibens, cares ea virtute, cujus est indulgere? »

IV. Postea ex adverso sibi opponentem istud Catholicum inducit. « Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi. » Cui respondet, non hoc juris habere catholicam. Non enim tanquam ordinarium quiddam in Scripturis contineri, unde facultatis in se derivatæ auctoritatem repetat; sed soli hoc Paracleto vindicari, qui in Montano fuit, et *in prophetis novis*, hoc est tam Montano, quam ejus asseclis Maximilla et Priscilla dixit: « Potest Ecclesia donare delictum; sed non faciam, ne et alia delinquant, etc. Ergo spiritus veritatis potest quidem indulgere fornicatoribus veniam; sed cum plurium malo non vult. »

Tum a Catholicis exigit, unde *hoc jus usurpent*: « Si quia dixerit Petro Dominus [2], *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Tibi dedi claves regni cœlestis*: vel, *Quæcumque alligaveris, vel solveris in terra, erunt alligata, vel soluta in cœlis*; ideo præsumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri propinquam; qualis es evertens, atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem? Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam; et, Dabo tibi claves, non Ecclesiæ; et, Quæcumque solveris, vel alligaveris; non quæ solverint, vel alligaverint. » Demum ita pertexit: « Quid nunc et ad Ecclesiam, et quidem tuam, Psychice? Secundum enim Petri personam spiritalibus potestas ista conveniet, aut apostolo, aut prophetæ. »

Ex tota hac oratione Tertulliani primum illud colligitur: Catholicam Ecclesiam illius ætate credidisse, potestatem remittendorum qualiumcumque criminum, ac peccatorum, non privatim soli Petro, vel etiam apostolis, quod istic ille dissimulat, a Christo fuisse traditam; sed per eos propagatam in successores fuisse, suo cuique jure servato, hoc est apostolico quidem Pontifici, et Episcopo episcoporum; quem Romanum significari Pontificem, etiam Salmasius fatetur; plena in omnes potestate: ceteris autem pro rata portione. Deinde constat, eosdem Catholicos potestatis illius, et ejus derivationis auctoritatem, ac fidem non aliunde repetivisse, quam unde contra ipsius hostes Catharos hodieque deduci solet; nimirum ex Christi verbis, quæ Matthæi 16. leguntur, et a Tertulliano descripta sunt.

Ad hæc indidem patet, Catholicæ partis adversarios Montanistas eadem respondisse, quæ nunc vicissim Cathari, et Romanæ catholicæque hostes Ecclesiæ contra nos opponunt: *Personaliter* Petro potestatem illam a Christo datam, non ut eam ad successores transmitteret; ac denique negasse, potestatem hanc

[1] Eph. 5. 11.

[2] Matt. 16.

penes Ecclesiam, ejusque præsides esse sitam. Hæc summa est Tertullianei istius loci, in quo firmissimum causæ suæ præsidium vir emuncti judicii Catharus habere se credidit.

V. Atqui in hoc argumentationis instruendo genere nihil a seipso dissentit Salmasius; sed est prorsus idem, qui esse solet. Huic enim familiare est, ut cum tueri ac probare aliquid instituit, eas rationes adhibeat, quæ ad causam evertendam suam, et contrariam adstruendam multo magis conducant; quod illi quidem hoc in loco admirabiliter evenit. Quid enim nobis, et catholicæ propugnandæ rei, Catharorum autem, et similium hæresi traducendæ fortius, opportunius, divinius excogitare potuit, quam quod istic imprudens de Tertulliano subjecit? Aut quis catholicæ esse fidei decretum dubitet, cui qui tum adversati sunt, eo ipso pro hæreticis habiti, damnatique fuerunt? Nempe *Psychici* erant illi, qui hoc sentiebant, quod impugnat Tertullianus, et cujus gratia tum ab catholica descivit Ecclesia, tum ab hac ipsa fidei hostis, desertorque judicatus est. Hoc, inquam, Catholici, quos ille Psychicos appellat, de ligandi, ac solvendi jure, deque clavium potestate per illud tempus existimabant, quod Romanæ communionis hoc tempore Christiani, hoc est peræque nominati catholici præseferunt: irrident vero, damnantque Cathari, atque iisdem, quibus priores illi hæretici, rationibus argumentisque labefactare student. Certe Hieronymus de Tertulliano scribens, « adversum Ecclesiam texuisse volumina multa » testatur [1]; inter quæ primum ponit illud de Pudicitia.

Idem in epistola ad Marcellam de Montani sectatoribus agens [2], « Illi ad omne, *inquit*, pene delictum, Ecclesiæ obserant fores, nos quotidie legimus, Malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem, etc. Rigidi autem sunt, non quo et ipsi pejora non peccant: sed hoc inter nos et illos interest, quod illi erubescunt confiteri peccata, quasi justi; nos, dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur. » Et in secundo libro contra Jovinianum [3], « Verum ne Montanus, *ait*, et Novatus hic rideant; qui contendunt, non posse renovari per pœnitentiam eos, qui crucifixerunt sibimet filium Dei, et ostentui habuerunt, consequenter hunc errorem solvit, etc. » Tum alibi, « Facessat itaque Novatus errantibus manus non porrigens. Montanus cum insanis fœminis prosternatur, jacentes in barathrum præcipitans, ne leventur. Quotidie peccamus omnes, et in aliquo labimur. Qui ergo in nos clementes sumus, rigorem contra alios non tenemus, etc. »

VI. Idem post Montanum Novatus, ac Novatianus amplexi sunt, ut ex Cypriano, et Epiphanio constat; de qua hæresi latissime disputavimus ad Epiphanium [4]. Ubi et illud præsenti negotio apprime necessarium ostendimus: Novatianum non ob id præcise pro hæretico damnatum, quod dandam gravioribus delictis veniam ac reconciliationem negaret, sed quod ejus dandæ potestatem penes Ecclesiam non esse diceret. Deinde non omnibus peccatis ab illo remissionem denegatam fuisse, sed atrocioribus duntaxat; quod ipsum et Tertulliano visum est, et, ut apparet, etiam Montano. Quamvis enim nec Epiphanius, nec Augustinus, nec Eusebius, aliive, qui Montanistarum hæresim descripserunt, illius, quod equidem meminerim, mentionem erroris faciant, qui remittendi peccata potestatem Ecclesiæ detrahit; tamen ex Hieronymo, et Tertulliano liquet, ita illos opinatos fuisse. Atque hoc demum caput hæreticæ labis adscribendum est ad illa Montanistarum dogmata, quibus irretitum, ac dementatum fuisse Tertullianum, alibi docuimus [5]. Duo illa, quæ animadvertimus in Novatianorum hæresi, etiam in Montanistas competere, ex Tertulliani libro de Pudicitia colligitur. Qui in capite secundo peccatorum duo genera discernit: « Alia erunt, *inquit*, remissibilia, alia irremissibilia. Secundum quod nemini dubium est, alia castigationem mereri, alia damnationem. » Posteriora sunt, quæ Joannes [6] *peccata* vocat *ad mortem;* priora, quæ *non ad mortem.* Et postea [7], « Pœnitentiam post fidem *ait*, aut levioribus delictis veniam ab episcopo consequi posse; aut majoribus, et irremissibilibus a Deo solo. » De utrisque capite sequenti disserit, et quæ *remissibilia* sunt, vocat *delicta quotidianæ incursionis*, « quibus omnes sumus objecti, ut sunt, irasci, manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia aut necessitate mentiri. » Hujusmodi ergo peccata remitti posse vult ab Ecclesia; alia non posse.

[1] Lib. de Script. cap. 63. — [2] Epist. 54. — [3] Col. 517. — [4] Hær. 59. — [5] Tom. 2. lib. 1. de Trin. c. 14. § 6. — [6] 1. Joan. 5. — [7] Cap. 18.

VII. Ceterum, licet Ecclesia, vel episcopus majora illa dimittere nequeat, pœnitentiam tamen ob ea censet agendam, in capite tertio; ubi Catholicos sic objicientes facit: « Si aliqua pœnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur pœnitentia, si caret venia. Omnis autem pœnitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur; quia non erit agenda, si frustra agatur. Porro frustra agetur, si venia carebit. » Huic simile quiddam Ambrosius contra Novatianos opponit [1]: « Quid autem durius, *inquit*, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent? etc. » Tertullianus vero respondet sic: « Merito utique ita opponunt, quoniam hujus quoque pœnitentiæ fructum, id est veniam, in sua potestate usurpaverunt. Quantum enim ad illos, a quibus pacem humanam consequitur; quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, et utique mortalia, non frustra agetur. Ad Dominum enim remissa, et illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam a solo Deo exorat. » Quorum verborum hic est sensus: Pœnitentiam, quæ ob atrocia illa, et *irremissibilia* scelera sic indicitur, ut nunquam pacem, id est veniam, et reconciliationem mereatur, apud Psychicos, id est Catholicos, frustra fore; qui remittendorum illorum jus penes se esse sentiunt, apud *spiritales* autem, id est Montanistas, non inanem futuram, qui a solo Deo talia condonari putant. Vides, quæ catholicæ tum esset Ecclesiæ fides; quæ Montanistarum hæreticorum perversa, damnataque opinio. Hinc etiam constat, quod supra memoravi, Montanistarum, et Novatianorum in eo potissimum hæresim fuisse positam, non quod gravioribus flagitiis veniam ex toto negarent, ac vel apud Deum ipsum; nam a Deo solo sperandam eorum remissionem ambo dicebant; sed quod Ecclesiæ, hujusque præsidibus illorum remittendorum potestatem negarent a Christo fuisse commissam: et hujus illa verba, quibus datam esse Catholica pars asserebat; nempe [2], *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Et ista: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Tum hæc [3], *Tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. Quod illa, inquam, Christi verba non sic interpretanda dicerent, ut ex iis constaret, potestatem hujusmodi condonandorum peccatorum non solum apostolis traditam fuisse, sed per eos etiam Ecclesiæ, apostolorumque successoribus; idcirco damnati sunt, et pro hæreticis ab Ecclesia judicati, rejectique sunt.

VIII. His paulo quidem fortasse longius, sed necessario, de Montani ac Tertulliani hæresi disputatis, revisendum modo est Messalianum κάθαρμα, et ejus contemplandum acumen argumenti, quo contra Romanam, et catholicam Ecclesiam probare instituit, potestatem ac jurisdictionem nullam esse penes episcopos et sacerdotes remittendorum peccatorum. Id enim Tertulliani Montanistæ testimonio confirmat, ejusque contra Psychicos, id est catholicos, verbis ac sententiis. Quæ ratio non aliter procedit, quam ut Tertullianum, et Montanum, orthodoxos, et catholicos fuisse; quos autem ille *Psychicos* nominat, qui revera sunt catholici, hæreticos fuisse pronuntiet. Quod si ita judicat, non satis de se prædicavit Salmasius, nec quanti esset, ex toto significavit, cum se Waldensem, Wiclefistam, Aerianum esse professus est; addere enim debuit, Montanistam, sive Cataphrygem, et Novatianum se esse. Quanquam hoc ipso forte, quod Catharus est, huic affinis sectæ jamdudum esse cœpit, cui Catharorum nomen proprie congruit. Sed sit iste quodcumque volet hominis, vel monstri potius; tamen putida, et ridicula est argumentandi formula, qua is utitur, dum veteris Ecclesiæ usum, atque dogma ejus auctoritate ac testimonio metitur, quem [4] *et hominem Ecclesiæ non fuisse*, hoc est hæreticum fuisse, et in eo ipso, quod probare ex illo vult, hæreticum, atque Ecclesiæ hostem infensissimum, catholici Patres consentiunt. Poterat eadem argumenti specie demonstrare Salmasius, fidem hanc Ecclesiæ fuisse veteris et catholicæ, Spiritum sanctum, quem Christus missurum se, cum ad Patrem rediisset, promiserat, nondum illapsum in Ecclesiam ante Montanum, et Maximillam, ac Priscillam, ac per hos locutum esse Paracletum; idque Tertulliani verbis adstruere. Poterat et ex eodem ostendere, secundas nuptias illicitas esse. Aut illud: nefas esse in persecutione fugere; et hoc ipsum tum illius probare sententiis, tum acuta, et valida ejusdem ratione concludere [5]: « Si enim persecutio a Deo evenit, nullo modo fugiendum erit, quod a Deo evenit. » Item: « Non debere vitari, quia bonum. Necesse est

[1] Lib. de Pœnit. cap. 2.— [2] Matt. 20. 23.— [3] Matt. 16. 19. [4] Hieron. — [5] Tert. lib. de Fuga in persec. c. 4.

enim bonum esse omne, quod Deo visum est. » Quod subinde ex libro Genesis approbat, *Et vidit Deus quia bonum est;* ut hoc sono portenderet bonum esse, quod Deo visum est. »

IX. Dixi supra, auctorem istum, etiam cum vere, ac sobrie disputat, hoc est cum catholicam fidem contra hæreticos defendit, non raro futilem esse, ac sine nervis. Quod tum illi contigit, postquam ad hæreticos scopulos navem impegit; et spurcissimæ sectæ præstigiis implicatus ingenium, ac judicium obtudit. Ergo id multo magis in eum convenit, cum adversus catholicam fidem eadem humanæ rationis, doctrinæque arma convertit. Non minus hoc et in Messalianum Catharum usurpare licet; nisi quod iste simili ex hæresi nullam ejus, quod forte haberet, ingenii, judiciique jacturam fecerit, quia nullum unquam habuit.

Facessat itaque cum Tertulliano, non catholico, sed Montanista, et stolidæ hæresis venena jaculante, Messalinus, juxta atque ille Catharus et hæreticus; imo vero pejor, ac detestabilior, quod Tertullianus, etsi non omnia, certe aliqua delicta, Ecclesiæ potestati condonanda permittit, ut et Montani, et Novatiani secta; Messalinus ne unius quidem remittendi jus relinquit, qui ligandi solvendique potestatem, hoc est jurisdictionem omnem, adimit ecclesiasticis ministris, ac nominatim episcopis. Quorum in elevanda dignitate, Montanistarum, ac Phrygum imitatur insaniam; « Apud quos, ut scribit Hieronymus [1], in tertium, id est pene ultimum locum episcopi devolvuntur; quasi exinde ambitiosior religio fiat, si quod apud nos primum est, apud illos novissimum sit. »

Nos vero solide Christianos potius, et catholicos Patres audiamus : quod si facimus, ne eos quidem « audiemus, qui negant Ecclesiam Dei posse omnia peccata dimittere, » ait Augustinus [2]; nedum illos, qui ne unius quidem solvendi jus, probo ac legitimo sensu, reliquum faciunt. Verum quid hic Patres appello?

X. Ille ipse Tertullianus, sed nondum hæreticus, et adhuc catholicus contra se, et qui se antestatus est, Salmasium testimonium dicet in libro de Pœnitentia. Quo in libro publicam illam, quæ in Ecclesia semel quondam agi post baptismum solebat, pœnitentiam ac reconciliationem luculenta oratione commendat; ad eamque Scripturæ testimonia eadem accommodat, quæ in libro de Pudicitia postmodum elusit, ac ludicra interpretatione corrupit. « Collocavit, *inquit* [3], in vestibulo pœnitentiam secundam, (nempe post baptismum, quam cum Montano delirans postea submovit,) quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundo. » Quod subinde ex Apocalypsi probat, ubi Dominus criminum, ac scelerum omnium reos, etiam stupri, et idololatriæ, ad pœnitentiam invitat, et veniam ostentat utique talem, qua in integrum restituerentur, et pacem ab Ecclesia, veniamque consequerentur. Alioqui ne semel quidem pœnitentia daretur, hoc est pœnitentiæ fructus. Quod enim ad pœnitentiam solam attinet, eam ne Montanus quidem, aut Novatianus negarunt; sed ea conditione, ut ne pacis et reconciliationis ab Ecclesia spes esset. Quin idem postea cap. 9. et 10. ritum illius pœnitentiæ, ad quam Christianos post baptismum adhortatur, exponit; præsertim omnium molestissimæ, et ærum nosissimæ, quam *exomologesim* nominat. Quod genus idem est cum eo, quem synodi veteres præscribunt, quæ de pœnitentium gradibus, et officiis nominatim, accurateque sanxerunt; necnon Cyprianus, et alii Patres: quod et baptismo jam initiatis propositum erat, et comitem habebat in fine reconciliationem. Ut nulla dubitatio sit, quin Tertullianus in illo libro veniam, ac remissionem peccatorum pro potestate concedi ab Ecclesia, et ejus antistitibus agnoverit; quod postea vanissimis illusus muliercularum præstigiis rescidit. At Catharus, pro eo ac judicio est acri, et sagaci, furentem, et Montani insania percitum Tertullianum audire nos jubet; eumdem vero compotem sui, ac pro sano et catholico loquentem dissimulanter præterit.

XI. Ceterum de potestate clavium, et jurisdictione sacerdotum, et episcoporum in criminosis mulctandis, et pœnitentiæ, quæ est utique pœna, subjiciendis, ac deinde revocandis in gratiam et absolvendis, plena est, et luculenta mentio in antiquis Synodorum canonibus, et apud græcos, latinosque Patres, necnon in ecclesiasticis historiis. Nec a nobis de eodem argumento pauca sunt hactenus edita [4], novissimeque in Dissertationibus ecclesiasticis adversus Trapezitam nonnulla diximus [5]. Ex illis autem omnibus perspicuum

[1] Ep. 54. — [2] Aug. lib. de agon. Christ. cap. 31. tom. 3. — [3] Tertull. de Pœn. c. 7.

[4] Vide Anim. nostras ad Epiph. Hær. 59. et ad Syn. ep. 67. in Diatr. de Pœn. — [5] Lib. 1. c. 7.

est, quod contra eumdem modo Trapezitam contendimus, antiquioris hanc Ecclesiæ fidem extitisse, Christum Dominum per illa verba, quæ apostolis suis edidit, supra a nobis posita, *Quæcumque ligaveritis*, etc. *et quæcumque solveritis;* aut ista, *Quorum remiseritis*, etc. potestatem ac jus dedisse, non iis solum, quos tunc alloquebatur, sed eorum successoribus, sententiam in reos dicendi, ac vel condemnandi, vel absolvendi jurisdictionem, et auctoritatem inde omnes adeptos esse. Quod, ut jam ostendi, plenius alias a nobis tractabitur, si Deo visum fuerit. Quod ergo modo reliquum est, oscitantis de eo Cathari gerras, ac languidas, et emortuas voces insequi pergam, ac refellere.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De jurisdictione ecclesiastica, præsertim episcopali : quæ contra Salmasium adstruitur ; cujus frivolæ argumentationes eliduntur. Episcopos pœnæ infligendæ jus habere, etiam invitis. Excommunicationem pœnam esse gravissimam ; mulctare aliquem communione probe dici. Utrum pœna sit, quam volens subit quispiam. An volenti fiat injuria ; velut cum Christo mors est illata. Rursus ecclesiasticas animadversiones veras esse pœnas. Explicata obiter potestas ecclesiastica ; ejusque species. Potestas Ordinis et Jurisdictionis ; et quatenus differant. Tum jurisdictionis in foro interno, et externo.

I. Episcopali ordini duplex antiquo ex usu munus, et officium Catharus injungit, *doctrinæ*, ac *disciplinæ*. « Doctrinæ, *inquit* [1], magisterium penes eos fuit, quo et doctores audierunt. Doceri volentes docebant ; invitos non cogebant. Disciplinæ officium sortiti erant, quia curabant, ut ea observaretur in Ecclesia. Inobedientes non coercebant. Ne mulctæ quidem dicendæ potestatem habebant. Si qui essent indisciplinabiles, per vim eos adigere non poterant, ut mores mutarent. Qui vero spontanea pœnitentia corrigi non recusabant, eos admittebant ; pœnis, quas Ecclesia imposuisset, castigari obnoxios, sed sponte, non coacte. Qui subire eas nollet, aut ea conditione Ecclesiæ simul, ac disciplinæ restitui, quod libebat, licebat. « Ex his, et quæ deinceps prosequitur, evidens est sentire ipsum, episcopos nullam ideo jurisdictionem habuisse in Ecclesia veteri, quod neminem invitum cogere possent, aut in Ecclesia retinere, hoc est vim ejus inferre corpori, ac vel catenas innectere, vel gladio etiam in contumacem animadvertere, vel certe pignoribus ablatis, aut mulcta aliqua coercere ; quasi absque pœnis istis, et externa coercitione, nulla jurisdictio, et potestas exerceri queat. Atqui quod jam supra significatum est, ut est jurisdictio, sic usus est ejus, et effectus, ac pœna, quæ illius decreto constituitur. Ecclesiastica et episcopalis potestas spiritalis est, et ad animum pertinet. Talis est igitur animadversio, qua reos suos plectit, ut est excommunicatio. Quod si quid extrinsecus in puniendo geritur, quod in oculos, ac sensus hominum incurrat, cujusmodi est ab ecclesiarum septis, et Christianis conventibus extrudi vi, et hujus generis alia; non hæc per sese, sed alterius gratia, et *indirecte*, *ac secundario*, ut dici solet, usurpantur : præcipua quidem, et directa jurisdictionis illius functio ad animum refertur.

II. Quid illud, *ne mulctæ quidem dicendæ potestatem episcopos habuisse?* Itane disciplinæ vindices illi sine mulcta, pœnaque jus exercebant suum ? Nonne ab ecclesia proscribebant ? non arcebant a communione fidelium ? non pœnitentiæ delictorum capitalium reos, confessosque subjiciebant ? Quid est autem pœnitentia, si pœna non est ? Atenim præclare noster occurrit : nulla vi coactos ait, ut aut mores mutarent, aut pœnitentiam obirent. Hæc sunt insulsa multis modis, et stupida. An necesse est ad potestatem exercendam, ut morum in eo, qui punitur, consequens sit mutatio ? Nonne dæmones, damnatique pœnis affici dicuntur, et quidem æternis, quamvis nulla mutationis, ac salutis de illis spes supersit ? Nam quod invitum neminem ecclesiasticas pœnas, et episcopali judicio decretas subiisse narrat, sic fallitur, ut se rudem iis in rebus, de quibus disputat, ac peregrinum esse demonstret. Pœnitentiam ab

[1] Salm. pag. 410.

canonibus, et episcoporum sententia constitutam ultro alii subibant, alii ingratiis, et coacti; nisi ab Ecclesia, Christique corpore mallent ejici, quæ est ipsa longe atrocissima, et extrema omnium pœna. Ac plerosque renitentes, et invitos ad pœnitentiam adactos fuisse, ex Tertulliano, Cypriano, et innumeris aliis constat; idque in Animadversionibus ad Epiphanium olim probavimus [1]. Nam quod is, qui subire pœnas eas nollet, ab Ecclesia discedere potuerit, ex quo *sponte, non coacte* pœnas ab illis receptas esse probat Catharus, id est oppido ridiculum. Quippe licebit eodem modo concludere, nullas ab magistratu civili, vel capitali pœnas infligi, quod qui in jus vocatur, et damnatur solum vertere potest, et alio commigrare, ut non amplius legibus istis, pœnisque teneatur. Potest et qui damnandum se ab judice videt, voluntaria morte sententiam hujus, ac supplicium antevertere. Ut ille Romæ [2], qui a M. Cicerone jamjam damnandus in judicio, « misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse; ac protinus sudario ore, et faucibus coarctatis, incluso spiritu, pœnam morte præcurrit. »

III. Enimvero sacrorum interdictionem, et excommunicationem, maxime quæ anathema dicitur, pœnam esse gravissimam omnium, quæ infligi ab homine queunt, passim antiqui Patres prædicant. Videri inter alios potest Chrysostomus homilia quadam *de anathematismo fugiendo* [3], quem in Miscellis exercitationibus contra Salmasium citavimus [4], ubi multa de anathemate, ac pœnarum genere isto disserimus. Augustinus certe de hoc loquens [5], « Neque enim, *inquit*, hæc corporalis est pœna, qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos, etc. Spiritalis autem pœna, qua fit, quod scriptum est [6], *Quæ ligaveris in terra, erunt ligata et in cœlo;* animas obligat. » Est igitur, uti nos dicimus, et imperite negat Catharus, auctore Augustino, *pœna* aliqua *spiritalis*, quæ ab episcopo decernitur; cujusque statuendæ potestas ex illa Christi sententia venit: *Quæcumque alligaveritis super terram,* etc. Cujus imago potestatis, ac pœnæ olim apud Druidas sacrorum inter gallos antistites extabat; de quibus ita Cæsar [7]: « Si quis aut privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. »

IV. Ubi ergo Cathari aut pudor est, aut sensus, qui ut jubere non posse probet episcopum, quod civilis potest magistratus, lepide ita ratiocinatur [8]? « Non dicto audientem pignoribus captis coercet magistratus, mulctam irrogat, corporalem pœnam infligit. Etiam vitam adimit, et capite plectit ille, qui jus gladii habet. An episcopo ita animadvertere licet in eos, qui præceptis ejus, sive jussis non auscultarunt? » ac cetera ejusmodi, quæ profecto pinguem, et obtusam indolem sapiunt. Ac pœnam aliquam in rerum natura *spiritalem* esse, quod egregie testatur illic Augustinus, qui adhuc ignorat, haud scio an spiritum habeat; adeo totus in corpus, sensusque corporis immersus vix supra pecudis captum sese extulit. Sane Augustinus idem alibi [9] de gladio loquens, quo Phinees scortatores confodit, « Quod utique, *inquit*, degradationibus, et excommunicationibus significatum est esse faciendum in hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus. » Ergo episcopi spiritalem habent gladium, eoque in peccatores animadvertunt, ac *vindicant*, ut idem rursus alio in loco loquitur, ubi de concubinariis agit [10]; et quærenti, *Quare qui hoc agunt, a communione non suspenduntur?* respondet: « Ideo enim tantum scelus a sacerdotibus non vindicatur, quia a multis admittitur. »

Vetus est Canon inter apostolicos [11], quo clericus « in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus, deponi » jubetur; « non tamen communione privari. Dicit enim Scriptura: Non vindicabis bis in idipsum. » Ita vindicta pœnaque est una, dignitate mulctari: altera, mulctari communione. Dixi *mulctari* communione, ac *dignitate:* quod reprehendit Messalinus Catharus. « Sed ubi legisti, *inquit* [12], mulctare aliquem communione? » Atqui ne in tirone quidem grammaticæ impunita hæc abiret inscitia. Quid enim? Non est latinum, *mulctare aliquem communione* pro eo, quod est *condemnare* ἀκοινωνησίᾳ, *et excommunicationem infligere!* Sic enim jurisconsulti dicunt [13] *mulctare parte bonorum*, vel [14] *patrimonii parte;* sic *mulctari patria*; sic *regno mulctari* dixit Cicero [15]. Salvianus vero [16], *mulctare se usu præsentium*; ubi idem est, quod privari. Ita ergo

[1] Ad Hær. 59. pag. 238. — [2] Val. Max. lib. 9. — [3] Hom. 37. tom. 5. — [4] In calce oper. Jul. cap. 14. et seq. — [5] Ep. 75. — [6] Matt. 16. — [7] Lib. 6. de bello Gall. — [8] Salm. pag. 454.

[9] Lib. de Fide, et Oper. cap. 2. tom. 4. — [10] Serm. 243. de Temp. — [11] Can. 25. — [12] Salm. p. 455. — [13] Lib. 3. § Pœn. D. de his qui not. — [14] Lib. 6. de Sep. viol. in C. Th. — [15] Lib. 1. de Div. — [16] Salv. lib. 1. ad Eccl. Cath.

mulctari communione idem erit, ac *privari jure communicandi*. Quam quidem in Ecclesia veteri usitatam fuisse pœnam qui nesciat, omnium rerum ignarus sit oportet.

V. Jam illa quanta irrisione castiganda sunt, quibus pœnam non esse probat excommunicationem ! « Illis, *inquit* [1], pœna est, qui in aliquo peccato deprehensi, quo se indignos communione fidelium reddiderunt, vel ipsi volentes pœnitentia ob hoc delictum petita, et accepta ultro reconciliari student; vel excommunicatos se dolentes, laborant, ut recipiantur, et pœnitentiæ legitimo tempore exacto ad communionem redeunt. Totum hoc voluntarium est, et in conscientia cujusque positum. Nec in his sita est jurisdictio episcopi. Nihil juris quippe habet episcopus in eos, qui sunt impœnitentes. Nullæ enim in eos pœnæ ecclesiasticæ sunt constitutæ, qui nolentes ipsi restitui ab Ecclesia extorres libenter manent. » Hæc ille; quæ oratio partim se ipsa collidit, partim absurde nugatur. Pœna est, inquit, excommunicatio duntaxat iis, qui suapte voluntate illam suscipiunt. Ergo saltem istis est pœna, et in eos potestatem episcopus exercebit suam, qui volentes eam admittent. Nec enim, opinor, pœna non est, quam ex merito culpaque venientem sponte aliquis amplectitur, cum et mortem ob sua damnati crimina nonnulli patienter, quidam etiam ultro, ac libenter tolerent. Certe apostoli, et martyres ab judicibus, et magistratibus supplicio addicti, summa sua voluntate, imo et voluptate patiebantur: neque tamen propterea non ea pœna, quam passi sunt, fuit; aut aliud, quam usus jurisdictionis, et potestatis extitit in eos lata illa sententia. Christus ecce, qui *oblatus est, quia ipse voluit*, et libenter mortem pertulit, pœnam certe passus est, eamque ab legitima potestate, et jurisdictionem exercente, quantumvis inique sibi inflictam. Quam enim potestatem a Deo concessam ipsemet testatur, quis non legitimam putet ? *Non haberes*, inquit [2], *potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper ;* quia, ut ex Apostolo adnotat Augustinus [3], *non est potestas, nisi a Deo.*

VI. Quanquam ita usuvenit, ut eodem tempore inviti, ac volentes pœnas luant, pro diversa videlicet, quæ homini insita est, appetitione ac voluntate. Cujusmodi conflictionis Christus, antequam pateretur, indicium præbuit. Hic enim et instantem perpessionem aversatus est, et eamdem voluit, ac sponte subiit. Unde mors eadem et voluntaria illi fuit, et non voluntaria. Ex quo illud etiam explicari solet, quod interdum quæritur : utrum Christo ipsi ab iis, qui illum occiderunt, injuria facta sit. Nam illatam non esse videri potest ex ea canonici juris Regula [4] : *Scienti et volenti non fit injuria, neque dolus.* Quæ ex Aristotelicis fontibus manasse videtur. Hic enim in Ethicis docet, « (1) Nemini volenti injuriam fieri ; tametsi damnum ei volenti possit afferri. » Cui et S. Thomas adstipulatur [5]. Cum igitur Christus mortem sponte, ac volens oppetierit, extra injuriæ culpam videntur fuisse, qui illum occiderunt. Verum ad injuriam satis illud fuit, quod naturali appetitu mortem perhorrescebat, ac refugiebat; cumque vitæ retinendæ, ac doloris illius et mali non patiendi jus haberet, quidquid contra jus illud irrogatum ipsi est a Judæis, injuria censetur, et quodammodo non voluntarium fuit, utpote naturali, eique legitimæ voluntati contrarium. Scio ad hanc plenius enodandam quæstionem adhuc nonnulla desiderari, ac videri hoc posse *Tuscum litigium*, et *nil agere exemplum, quod litem lite resolvit.* Sed cum ab hoc loco aliena sit ista controversia ; quod certe fas est; id ex eo tantum sumimus, posse aliquid et sponte perferri, ac suscipi, et tamen voluntati esse contrarium. « Est namque alia voluntas præter rationalem, ait Hunaldus quidam [6], quæ proprie dicitur appetitus, secundum quam dicitur velle comedere : qua etiam jejunium celebrans ab escis vult abstinere. Vult igitur idem, et non vult comedere. Et huic quidem voluntati multa Christus tulit contraria; illi vero nihil. »

VII. Hinc apparet, pœnas illas, quæ pœnitentibus ob delicta imponebantur ab episcopis, non ita voluntarias fuisse, ut non ex parte ab nolentibus, et invitis admitterentur. Quare si hoc uno deterretur Catharus, quominus pœnas esse putet mulctas illas ecclesiasticas, quod soli eas volentes subirent ; potest ex iis, quæ diximus, intelligere, quadamtenus ab nolentibus easdem esse susceptas. An non Theodosius imperator [7] summus vir, ob cædem Thessa-

(1) ARIST. 5. Eth. c. 11. Βλάπτεται μὲν οὖν τις ἑκών, καὶ τὰ ἀδικα πάσχει. Ἀδικεῖται δὲ οὐδεὶς ἑκών.

[1] Salm. p. 456. — [2] Joan. 19. 1. — [3] Tract. 116. in Joan. — [4] In 6. l. 5. Reg. 27.— [5] In 2. 2. q. 59. art. 3.— [6] Hunal. ad Præp. Est ultima inter epistolas Phil. Abb. bonæ Spei. — [7] Paul. in Vita Ambr. Ruff. l. 1. c. 18. Theodoret. lib. 5. c. 8. Sozom. lib. 7. c. 24.

lonicæ factam, pœnas Ambrosii episcopi sententia dedit, cum ab illo interdictus ecclesiæ aditu, communioneque sacrorum, diu multumque illas deprecatus, perseverante nihilominus episcopo, in ejus potestate fuit; et ut injunctum sibi erat, raro modestiæ exemplo satisfecit? Hic igitur pœnam utique volens, sed non sine molestia, et repugnantia aliqua, quam jubebatur exsolvit. Idem et alii pœnitentes fecere; quos sæpius invitissimos, et quoad licebat, renitentes ad pœnitentiam adactos esse supra diximus. De quo frequentes extant querelæ Patrum antiquissimorum, et eorumdem partim cohortationes, ac minæ, partim exprobrationes. Ex quibus unum, non amplius, Augustini locum adducemus e sermone quodam ad Pœnitentes, quem sic orditur [1] : « Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, et non estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo. Et vos enim cum catena pascetis. Qua, inquis, catena? Quæ ligaveris in terra, erunt ligata et in cœlo. Audis ligaturam, et Deo putas facere imposturam? Pœnitentiam agis, genu figis, et rides, et subsannas patientiam Dei, etc. »

Atenim absolute potuit Ecclesiæ nuntium remittere, et ad gentiles deficere, cui indicebatur ab episcopo pœnitentia. Eone minus pœna illa fuit, quod iste vel eam detrectaret, vel extrema desperatione defugeret? Sed jam stupori huic, et flagitio argumentationis occurrimus. Ut in reum sententia fertur, et ex lege pœna dicitur, sive etiam æqui bonique consulat, sive reluctetur, ac vel morte antevertat, vel fuga devitet; nihiloque secius et sententia judicis, et jurisdictionis ac potestatis usus ille est, actioque legitima. Sic Ecclesiæ præsides in coercendis peccatis auctoritatem exercent suam, ac legitimas pœnas inferunt, quicumque tandem earum consequatur exitus.

VIII. Quid enim est pœna? aut quæ tandem ei voci subjecta potestas est, ac notio? « Pœna, inquit Jurisconsultus [2], est noxæ vindicta. » Ac quæ ibidem sequuntur, multum ad negotium nostrum pertinent. « Inter mulctam et pœnam, pergit idem, multum interest, cum pœna generale sit nomen, omnium delictorum coercitio; mulcta, specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est. Pœna autem non tantum pecuniaria, verum capitis, et existimationis irrogari solet. Et mulcta quidem ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit; pœna non irrogatur, nisi quæ quaque lege, vel quo alio jure specialiter huic delicto imposita est: quinimo mulcta ibi dicitur, ubi specialis pœna non est imposita. » Ex quo jurisperitorum responso liquido constat, pœnas ecclesiasticas revera pœnas fuisse, quibus et noxæ vindicatæ sunt, et delicta coercita; et eædem legum auctoritate, id est *canonum*, adeoque *jure canonico* (quod multum ridendus ipse Catharus ridebat) constitutæ et impositæ fuerunt. Quam porro joculare est istud Cathari, et ab omni ratione, ac judicio derelictum : « Nullas in eos pœnas constitutas, qui nolentes ipsi restitui, ab Ecclesia extorres libenter manent! » Quasi non satis ista magna pœna sit, extorrem ab Ecclesia fieri, et ab ejus communione, hoc est Sacramentorum usu, ac precum, et sacrorum omnium fructu, et participatione repelli. Atqui in civili republica non levis pœna censetur exilium; et olim Romæ capitalium, et maximorum criminum pœna fuit aquæ et ignis interdictio, vel relegatio, ac deportatio. Cui proportione respondet ecclesiastica illa, et spiritualis animadversio, qua excommunicantur, ac tum ab Ecclesia, sic tanquam patria, tum ab cœlesti regno pelluntur, ac proscribuntur scelerosi omnes, aut hæretici; et inter hos pessimi, ac longe pestilentissimi Cathari, quantumvis in suis sordibus, et criminum, ac perfidiæ suæ cœno libentes, alacresque volutentur. An non ad triremes, aut ad perpetuum damnati carcerem, aut procul ab natali solo in inculta, et inamœna loca relegati, paulatim eorum consuetudine ita capiuntur, ut amare incipiant, et in illis libenter habitent patriæ, ac pristinæ felicitatis obliti?

IX. Cum hæc, et hujusmodi alia de episcoporum, sacrorumque magistratuum potestate dicimus; ad hæc interim respicere volumus eruditum lectorem, nec ea nescire, quæ theologi nostri, et canonum interpretes de illius genere potestatis, et partibus, ac functionum varietate disputant. « Cujus rei ignorantia, vel inadvertantia gignit confusionem apud aliquos infinitam, » ut verius, quam elegantius ait Joannes Gerson in libro de Potestate ecclesiastica [3]. Quod ad Catharum Messalinum apprime quadrat, qui potestatis istius, et argumenti, de quo commentabatur, inscitia fœde omnia confudit, ac permiscuit.

Sciri ergo debet, ecclesiasticam potestatem dividi primo in potestatem Ordinis, et Jurisdi-

[1] Hom. 42. de 50. tom. 10. — [2] Lib. 131. D. de Ver. Sig.

[3] Cons 5. col. 118. tom. 1.

ctionis [1]. Illa rursus est duplex : una quæ ad verum Christi corpus refertur, qua sacerdotes consecrare et sacrificare possunt : altera mysticum, ut vocant, corpus respicit, quod est Ecclesia, et fideles omnes, quatenus iis Sacramenta ministrantur. Potestas jurisdictionis alia est *in foro interiori*, ut vocant, qua remitti peccata possunt in sacramento Pœnitentiæ : alia *in exteriore foro*, quæ, ut ab eodem Gersonio definitur [2], « est potestas ecclesiastica coercitiva, quæ valet exerceri in alterum, etiam invitum, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ. » Est autem jurisdictio, ut diem mox subjicit, *potestas dicendi jus in alterum etiam invitum.* Interest porro [3] inter potestates istas duas, quod quæ ordinis dicitur, auferri, abdicarive nequit, et eadem est in omnibus, qui ejus participes sunt. Itaque tanta est in sacerdote quovis simplici consecrandi corporis Dominici potestas, quanta in episcopo, ipsoque adeo summo Pontifice. Quam ideo Gersonius vocat *inabdicabilem, inauferibilem et illimitabilem in sua essentia.* Quamvis enim communione, vel usu ordinis interdictus sacerdos, si consecrare audeat, gravissimum scelus admittat, reipsa tamen consecrat.

X. Dixi, parem et eamdem in omnibus esse, qui ejus sunt participes, propter eam ordinis potestatem, quæ ad mysticum Christi corpus extenditur. Non enim Sacramenta omnia possunt ab omnibus administrari sacerdotibus [4]. Nam episcopis solis quædam attributa sunt, quæ simplices sacerdotes nefas est attingere; nec, si audeant, quidquam omnino faciunt, ut de ordinatione supra uberrime demonstravimus. At potestas jurisdictionis in utroque foro, tam interno, quod *conscientiæ* dicitur, quam externo, nec omnibus conceditur, nec eadem inest in illis, qui ea sunt præditi. Sed interioris fori jurisdictio in minores sacerdotes ab episcopali auctoritate dimanat. Ad externam jurisdictionem, de qua potissimum hic agitur, et qua episcoporum propria est, pertinet *juridica*, ut idem Gersonius ait [5], *potestas excommunicandi, vel interdicendi ab ecclesiasticis sacramentis, et communione fidelium, rebelles, et inobedientes Ecclesiæ.* De hujusmodi potestate, ac jurisdictione toto hoc in opere maxime contra Catharum agimus; cum episcopos contendimus non simplicem habere, ex vi officii institutionisque suæ, muneris curationem, sed etiam honorem, dignitatem, potestatem, jurisdictionem, qua et jubere possunt, ac leges ecclesiasticas ferre, et delinquentes coercere, ac pœnis itidem ecclesiasticis subjicere etiam invitos, ac reluctantes; et idcirco sacros esse, ecclesiasticosque magistratus, et ἄρχοντας, Ecclesiæque præsides, inter quos supremus unus est, ac fidelium omnium caput Romanus Pontifex. De hac potestate legendus imprimis Joannes ille Gersonius; tum Jacobus Almainus in libro de auctoritate Ecclesiæ; et in alio de Potestate ecclesiastica, et laica; seclusa tamen illa parte quæstionis, quæ de auctoritatum invicem comparatione ex transverso apud illos agitatur, de qua nihil in utramvis partem disputo; tum vero Franciscus a Victoria in Relationibus duabus de potestate ecclesiastica.

Hinc discet Catharus, quam levia, et puerilia sint, quæ adversus ecclesiasticam potestatem præscribit ex eo, quod sponte se illi fidelium quisque subjicit. Hæc enim, de qua loquimur, *exterioris fori jurisdictio* coercitiva est, *et invitos etiam, ac resistentes pro imperio continet.*

[1] Gerson. ibid. Consil. 2. — [2] Cons. 4. — [3] Idem Cons. 2. — [4] Idem Cons. 3. — [5] Cons. 4.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Excursio contra Edmundi Richerii librum de Ecclesiastica et politica potestate, ejusque dogma : quod primum summatim exponitur ; tum ejus vitia castigantur. Quo sensu ecclesiastica potestas communitati ipsi conveniat. Cujuscumque reipublicæ potestatem, ac magistratum ad commune bonum tanquam finem ordinari. Potestatem ecclesiasticam in communitate fidelium *formaliter*, ut vocant, ac *subjective* non messe ; idque ex ejus institutione, et Scriptura probatur ; maximeque ex iis similitudinibus, quibus Ecclesiæ conditio describitur, velut domus, ac familiæ.

I. Jam ad finem spectabat hæc nostra lucubratio, nisi me Cathari vox illa tanquam injecta manu retraheret, quam obiter ac velut oscitans, et semisomnus injecit : *Ecclesiasticam pœnam, cujusmodi est excommunicatio, non indici ab episcopo, sed ab Ecclesia.* Revocavit enim illius mihi contentionis, et controversiæ memoriam, quæ ante annos paulo plus triginta, versari hac in urbe et Academia cœpit, et in partes, ac factiones nonnullorum studia distraxit. Cujus dissidii sane luctuosi causam libellus quidam attulit anno editus 1611. nullius auctoris inscriptus nomine, sed quem ab Edmundo Richerio scriptum, ac vulgatum esse nemo dubitabat, *de Ecclesiastica et politica potestate.* Quo in libro novæ, ac pestilentis doctrinæ sparsit semina, quæ magnis deinceps auctibus adoleverunt in quorumdam animis : qui de summi Pontificis, et episcoporum omnium potestate occasionem inde sumpserunt existimandi secus, quam aut vetus judicavit Ecclesia, aut catholicæ integritas fidei, ac formula præscribit. Hujus opinionis velut ἀπάχημα, est Cathari illa, quam dixi, sententia, quam propterea in stirpe, atque origine sua persequi decrevi, ac præcipua Richeriani capita dogmatis illo in libello comprehensa refellere ; ut ea quivis agnoscat, non esse solum nefaria, et a fidei salubritate, qua catholici sumus, aliena, sed etiam absurda, stolida, et insulsa, utpote dissonis et pugnantibus invicem ex rebus, decretisque conflata.

II. Summa Richerianæ doctrinæ in eo vertitur, quod initio posuit operis sui : « Christum fundando Ecclesiam, prius, immediatius, atque essentialius, claves, sive jurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ, quam Petro, seu, quod eodem redit, claves toti contulisse Ecclesiæ, ut per unum ministerialiter exercerentur. Quandoquidem tota jurisdictio ecclesiastica primario, proprie, ac essentialiter Ecclesiæ convenit ; Romano autem Pontifici, atque aliis episcopis, ministerialiter, et quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo. » Hanc veluti conclusionem ex *vulgari illo, et indubitatæ fidei axiomate* colligit : « Deum, et naturam prius, atque immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere ; eamque ob causam, facultatem videndi, exempli gratia, toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum, et ministrum hominis exerceretur. Nam oculus per et propter hominem existit. »

Hac in oratione vitia insunt maxima duo ; quod et verborum se ambiguitate jactat ; et cum primis non cohærent, sed repugnant sequentia : quæ ambo deinceps explicanda sunt. Imprimis quod dicitur, *Jurisdictionem ecclesiasticam proprie, ac essentialiter Ecclesiæ convenire, quod, ut Deus et natura prius atque immediatius ad totum suppositum intendunt, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam ;* ita Christus in Ecclesia, et ecclesiastica instituenda potestate potiorem duxerit totius corporis, id est Ecclesiæ, rationem, quam unius membri vel præstantissimi, qualis est Pontifex summus, aut episcopi ceteri ; captiose dicitur, ac duplicem continet sensum. Nam primo sic intelligitur : In Ecclesia constituenda Christum primario, ac per se totum, et integrum corpus sibi formandum proposuisse, ac designasse ita, ut in hunc finem, tanquam ultimum ac præcipuum intentus fuerit, ut communitatem quamdam, ac rempublicam sacram, velut corpus ex membris omnibus, capite videlicet ac ceteris, compactum coagmentaret, ac fingeret. Atque hoc sane verissimum est, nec in hac tantummodo societate valet, quæ ejusdem fidei et Sacramentorum communione censetur, sed in naturalibus etiam corporibus cernitur, maximeque vita et sensu præditorum.

III. Etenim Deus in humano fabricando corpore non unam tantummodo partem destinavit, ad eamque primo, ac per se consilium suum retulit, veluti caput, vel cor, aut aliam quamcumque licet excellentem ceteris ; sed in

totum ipsum intuetur, ac totius gratia partes elaborat singulas; ac quidquid in iis fingendo molitur, id ad universi corporis structuram, usum et utilitatem accommodat. Eodem modo Christus quæcumque in Ecclesiam commoda, et ornamenta contulit, omnia gratiæ beneficia, sacramenta, potestatem, jurisdictionem, ac reliqua, totius ad corporis emolumentum ac fructum retulit, tanquam primarium, ultimumque finem. Non enim Petrus *clavium potestatem,* vel ligandi, solvendique jus, et functionem propter se unum, et suapte causa consecutus est, sed Ecclesiæ gratia, et ut Christianis omnibus in commune prodesset. Quo quidem illud Apostoli pertinet[1]: *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Prorsus ita sese res habet: tota ex capite ac membris, hoc est ex populo, et episcopis, horumque capite ac principe, conflata Ecclesia, finis est, quem in fidelis ac sibi dicati gregis designatione primario, ac præcipue propositum habuit Christus, et ad quem omnia revocavit. Quemadmodum et in reliquis hominum cœtibus accidit: qui communis boni cujuspiam adipiscendi gratia congregantur, in quibus universitatis ratio major habetur, quam partium singillatim ac seorsim sumptarum. Sic in navigatione præcipuus gubernandi scopus est, navim ipsam cum multitudine omni, quæ navi vehitur, tueri, et incolumem ad portum appellere; singulos autem, ac vel rectorem ipsum, non primo ac per se, sed quatenus partes sunt totius, et eorum salus communi salute continetur. Sic in exercitu procurando illud ante oculos habet imperator, ut salvum, et victorem reducat exercitum; non ut privatim sibi consulat, nisi quatenus pars est illius, et cum eo status ac sortis conditione conjungitur.

IV. Quo illud potissimum attinet, quod supra memoravi: magistratus, ac legitima imperia civitatum, et populorum, non propter se, neque sui commodi gratia, sed eorum, quibus præsunt, utilitatis causa comparari. De qua re præclare istud a Philosopho proditum est in tertio Politicorum, quod hic juvat referre. Scribit hoc interesse inter herilem dominatum, et domesticam præfecturam, « (1) quod ille, quamvis idem revera sit ei utile, qui naturæ conditione servus est, et ei, qui natura dominus est: nihilominus ad domini commodum gubernationem accommodat; ad id vero, quod servi interest, tantum ex accidenti. Nec enim, pereunte servo, tueri se potest herilis dominatio. At imperium in liberos, et uxorem, ac totam domum, quod œconomicum dicimus, vel eorum gratia est, qui reguntur, vel communis alicujus utrisque commodi; ac per se quidem ad eorum, qui subsunt, commodum ordinatur, sicut in artibus ceteris evenire cernimus, ut in medicina, et palæstrica. » Ac paucis interjectis, ita concludit: « (2) Perspicuum est igitur, quæcumque respublicæ in communem utilitatem intentæ sunt, eas esse rectas, et ei, quod justum est, simpliciter consentaneas; quæcumque vero privatum tantummodo illorum, qui præsunt, emolumentum spectant, vitiosas omnes esse, et ab recta rerumpublicarum forma degenerare. Transeunt enim ad herilem dominationem. Atqui civitas societas est liberorum. » Hæc Aristoteles, quæ sunt ad id, quod modo pertractamus, opportunissima. Docent enim nos, quem ad finem ecclesiastica potestas ex natura sua pertineat, nimirum ad totius Ecclesiæ bonum; sicut ad totius corporis usum, et utilitatem, quæ inest in illius parte oculo, videndi facultas dirigitur. « Omnis pars, ait S. Thomas[2], ordinatur ad totum, ut imperfectum ad perfectum. Et ideo omnis pars est propter totum. » Hoc sensu verum est, quod et ex priore ad Corinthios supra commemoravimus, Apostoli dictum, et quod Richerius ait, jurisdictionem ecclesiasticam toti Ecclesiæ primo, ac per se convenire. Sed non ea mente scripsit ista; nec id in animo habuit, quod nihil necesse fuit ostendere, ac de quo nulla inter quantumcumque

(1) ARIST. 3. Polit. cap. 6. Ἡ μὲν γὰρ δεσποτεία, καίπερ ὄντος κατ' ἀλήθειαν τῷ τε φύσει δούλῳ, καὶ τῷ φύσει δεσπότῃ ταὐτοῦ συμφέροντος, ὅμως ἄρχει πρὸς τὸ τοῦ δεσπότου συμφέρον οὐδὲν ἧττον· πρὸς δὲ τὸ τοῦ δούλου, κατὰ συμβεβηκός. Οὐ γὰρ ἐνδέχεται φθειρομένου τοῦ δούλου, σώζεσθαι τὴν δεσποτείαν. Ἡ δὲ τέκνων ἀρχὴ, καὶ γυναικὸς, καὶ τῆς οἰκίας πάσης, ἣν δὴ καλοῦμεν οἰκονομικὴν, ἢ τοι τῶν ἀρχομένων χάριν ἐστὶν, ἢ κοινοῦ τινος ἀμφοῖν, καθ' αὐτὸ μὲν, τῶν ἀρχομένων· ὥσπερ ὁρῶμεν καὶ τὰς ἄλλας τέχνας, οἷον ἰατρικὴν, καὶ γυμναστικήν· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ κἂν αὐτῶν εἶεν.

(2) Ibid. Φανερὸν τοίνυν ὡς ὅσαι μὲν πολιτεῖαι τὸ κοινῇ συμφέρον σκοποῦσιν, αὗται μὲν ὀρθαὶ τυγχάνουσιν οὖσαι κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον· ὅσαι δὲ τὸ σφέτερον μόνον τῶν ἀρχόντων, ἡμαρτημέναι πᾶσαι, καὶ παρεκβάσεις των ὀρθῶν πολιτειῶν· δεσποτικαὶ γὰρ· ἡ δὲ πόλις, κοινωνία τῶν ἐλευθέρων ἐστί.

[1] 1. Cor. 3. 22.

[2] In 2. 2. qu. 64. art. 2.

doctos est controversia ; sed alio sensu potius, de quo proxime est agendum.

V. Alter itaque Richeriani illius decreti sensus est, cum ait, *Jurisdictionem ecclesiasticam primario, proprie, et essentialiter Ecclesiæ convenire ; Romano autem Pontifici, atque aliis episcopis instrumentaliter, ministerialiter*, etc. ut hoc velit : Potestatem ipsam, et jurisdictionem in ipso Ecclesiæ corpore, ac communitate residere, tanquam in subjecto, quod in Scholis *formaliter* inesse dicunt ; sicut priorem illum modum, quem proxime ante posui, sic efferunt : potestatem illam *finaliter* convenire toti Ecclesiæ, quatenus in hujus bonum, et commodum, velut præcipuum finem, primario conspirat. Atque hic posterior modus, quem *formalem* nominari dixi, bifariam rursus accipi potest. Primum ut penes ipsam Ecclesiæ communitatem, ab origine, institutioneque sua, jurisdictio illa fuerit, ei a Christo tributa ; sed eam subinde in unum aliquem transfuderit, ut esset deinceps, quod Richerius asserit, *politia monarchica*. Quod in omnibus imperiis, ac regnis usuvenisse putant, qui de rebuspublicis scripserunt, ut jus et potestas omnis a natura ipsa communitati conveniat ; quæ eam postea vel in plures magistratus, ac rectores partiatur, vel integram in unum aliquem transferat ; pro eo ac plurium regimen, vel unius elegerit : ex quo civilium pergentes, ac populos administrationum orta sunt discrimina. Sic inter alios Almainus existimat in libro de auctoritate Ecclesiæ [1], ac vulgo ceteri. Porro ubi jus, auctoritatemque, quam habebat, in eum, quem elegit, transfudit principem, non eam penes se retinet, nec revocare amplius potest. Huc enim memorabile illud Valentiniani primi imperatoris responsum pertinet, quo milites, a quibus recens factus erat imperator, instantes uti in collegium imperii fratrem suum Valentem assumeret, castigavit, ac compescuit. « (1) Vestrum fuit, o milites, cum imperator nullus esset, imperii mihi habenas tradere. Sed postquam illud suscepi, meum deinceps, non vestrum est, publicis rebus prospicere. »

Altera opinionis illius Richerianæ potest esse ratio, ut communitas ipsa fidelium potestatem, ac jurisdictionem, quam primario possidere dicitur, sic in alterum derivet, ac trajiciat, ut eam non amittat, sed retineat ; ac solam ejus functionem, executionemque, vel, ut idem loquitur, ministerium committat. Quemadmodum in populari republica, velut Athenis, ac Romæ, ita magistratus creabantur, et quidem maxima interdum prædita potestate, ut tamen summa penes populum esset ; nec propterea jurisdictione populus cederet, aut ea se in perpetuum spoliaret.

VI. Horum duorum alterutrum intelligi debet in illo Richerii dogmate, et utrumque tamen falsum est, et ἀσύστατον. Quod ita breviter ostendimus. Potestas omnis Ecclesiæ, ac jurisdictio, ut et ipsa Ecclesia, non naturali, et humana, sed divina Christi auctoritate niti debet. Quare non aliter de ea pronuntiare fas est, quam ut ab ipsomet auctore illius, et conditore Christo traditum esse constat. Certum est autem, eodem momento, quo communitatem illam, quæ Ecclesia vocatur, Christus instituit, potestatem illam introductam fuisse, ac tam uni Petro, velut capiti, quam apostolis sub eo commissam, ut per illos ad eorum successores transiret. Imo vero prius ista potestas fixa, constitutaque fuit, et ministri ejus et episcopi prius designati, quam Ecclesia, hoc est totum corpus, ac respublica tota coaluisset. Itaque non antea penes communitatem ipsam jurisdictio ecclesiastica resedit, et inde velut populari suffragio, et consensu in magistratus est translata ; sed statim ab origine prima destinatus est unus princeps futuri corporis Petrus, ac post eum apostoli reliqui. Ut hic etiam locum habeat, quod Basilius, et Ambrosius in explicando dierum opere sex adnotarunt : contra, atque architecti solent, fecisse Deum in fabricanda universitate. Siquidem illi a fundamentis opus ordiuntur, et ab imo ad summum promovent, postremumque omnium culmen, ac fastigium imponunt ; Deus autem e contrario primum cœlum qui mundi vertex est, condidit, deinde terram. Ita illi quidem. Quod utcumque se habet, de quo alibi dictum est, hoc ipsum sane in Ecclesia fabricanda videtur præstitisse Christus, qui ante caput, et principatum, quam corpus reliquum, ac membra spiritualis illius ædificii fundare voluit.

VII. Quod si verba illa Christi consideremus, quibus institutam esse potestatem ecclesiasticam Catholici omnes, ac Richerius adeo

(1) Theodor. lib. 4. Hist. cap. 5. Ὑμέτερον ἦν, ὦ στρατιῶται, βασιλέως οὐκ ὄντος, ἐμοὶ δοῦναι τῆς βασιλείας τὰς ἡνίας. Ἐπειδὴ δὲ ταύτην ἐδεξάμην ἐγὼ, ἐμὸν λοιπὸν, οὐχ ὑμέτερον, τὸ περὶ τῶν κοινῶν διασκοπεῖσθαι πραγμάτων.

[1] Cap. 1. et Victoria Relect. de pot. civ. Bellar. tom. 1. Contro. 5. de Laic. lib. 3. c. 6.

ipse decernit; nullum in iis vestigium reperiemus communitati prius traditæ jurisdictionis, aut desponsæ, tum de ejus voluntate transmissæ in episcopos, ac Pontificem summum. Quod si ita est, profecto temerariæ est novitatis, minimeque sobriæ, præter id, quod expresse in Scripturis ordinatum a Christo legitur, imo contra istud ipsum, comminisci aliquid audere, et in usum, ac fidem Christianæ religionis innectere. Verba ipsa, quibus origo et initium potestati illi datum est a Christo, Richerius cum Catholicis omnibus agnoscit hæc [1]: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc. Et [2], *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Item illud [3]: *Pasce agnos meos; pasce oves meas.* Tum universe apostolis omnibus [4]: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Ad hæc [5], *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* In illis omnibus lucet illa jurisdictio, et potestas solis Ecclesiæ data principibus, potestas, inquam, *ligandi atque solvendi*, ac *remittendorum peccatorum*, sive *clavium potestas.* Nusquam autem communitati, ac multitudini fidelium donata legitur, nisi eo, quem dixi supra, modo, ut ad totius corporis utilitatem, velut ad finem referatur; non ut in illa, tanquam in subjecto resideat. Ac vel similitudo illa visus et oculi, quam ad hoc negotium Richerius adhibet, ipsius convincit errorem. Etenim facultas videndi soli inest oculo, quia solus ea non utitur tantum, sed etiam præditus est oculus; nec tam stolide quisquam insanit, ut videndi in toto corpore vim, ac δύναμιν inesse dicat. Alioqui fusa per totum corpus esset, et membra occuparet omnia; ac tam pes, manusve, quam oculus videret. Quidquid enim in toto esse dicitur, si non falso dicitur, nulla eo carere pars debet; caret autem, si extra quampiam est, ac multo magis si in una duntaxat est, eaque minima. Ut in sophisticis fallaciis numeratur tritum illud, *Æthiopem album esse, quia dentes ejus albi sunt;* sic non minus versutum, et inepte subdolum est, visum in toto esse corpore, quia sit in minima capitis parte. « Oculus solus videt, ait Augustinus [6], in corpore; sed numquid soli sibi oculus videt? Et manui videt, et pedi videt, et ceteris membris videt, etc. » Hoc modo, non alio, verum est toti corpori convenire videndi sensum. Ergo non dissimilis est, nec magis acuta calumnia, jurisdictionem ecclesiasticam in toto inesse corpore Ecclesiæ, quæ in solo est capite, sive principatu illius et magistratu.

VIII. Ad summam nusquam Scriptura docuit, omnibus Ecclesiæ membris potestatem pascendi gregis, ac gubernandi, ligandi itidem, ac solvendi dedisse Christum; quin e contrario sunt innumera testimonia, quibus constat, certis tantummodo, et insignibus illius corporis membris inditam fuisse, negatam vero ceteris. Præter illa, quæ percensui, loca, illustris ille est Apostoli in priore ad Corinthios [7], ubi Ecclesiam describit, tanquam corpus quoddam variis partibus, membrisque distinctum, quorum aliis alia præstant; et sunt quædam honorata et nobilia, quædam ignobilia, et honore carentia: quemadmodum in humano corpore aliud membrum est oculus, aliud pes, aliud manus. *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, sed unum corpus.* Paulo vero post explicat, quid ea membrorum similitudo significet; ac docet, varios in illa Ecclesiæ ordines, et gradus intelligendos esse, qui velut membra sunt, e quibus mysticum corpus Christi componitur; ac proinde, ut in humano, distare invicem debent, nec eamdem habere functionem. Hujusmodi enim est similitudinis ratio et expositio [8]: *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro;* vel *ex parte*, ut Augustinus explicat [9]; sive, ut Chrysostomus, τόγε εἰς ὑμᾶς ἦκον, *quod ad vos attinet, ac pro virili vestra parte.* Legerunt enim ἐκ μέρους; latinus autem noster, ἐκ μέλους, *ex membro*, hoc sensu, *post unum membrum, aliud ex alio.* Pergit Apostolus, et quæ membra sint illa, ac cujusmodi sit eorum varietas, declarat sic: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas etc. Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ?* etc. Quibus verbis ostendit in Ecclesia Christi multa esse membra, sed non eumdem actum habere; velut in epistola ad Romanos scribit, ubi eadem comparatione utitur [10]: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum*

[1] Matt. 16. — [2] Ibid. — [3] Joan. 20. — [4] Joan. 18. 18. — [5] Joan. 20. 23. — [6] August. Tract. 22. in Joan.

[7] 1. Cor. 12. — [8] 1. Cor. 12. 27. — [9] To. 10. Ser. 61. in Evang. Joan. c. 4. — [10] Rom. 12. 4.

corpus sumus in Christo : singuli autem alter alterius membra. Ecce membra Ecclesiæ non eumdem actum habere dixit, id est πρᾶξιν, sive *functionem.* Ergo neque δύναμιν, sive *facultatem* eamdem habent. Est autem *facultas* idem ac *potestas agendi.* Jam in illo epistolæ ad Corinthios loco demonstrat, ex illis Ecclesiæ membris *alios esse apostolos*, nec omnes apostolos esse. Apostolorum porro gradus, et ordo idem erat, atque episcoporum, et sacerdotum.

IX. Cum igitur nulla sit ecclesiastica potestas, nisi a Christo constituta ; hunc vero nec aliis, quam apostolis, et eorum successoribus illam commisisse Scriptura testetur : evidens est, non in multitudine ipsa fidelium, sed in pastoribus, et episcopis summam inesse potestatem.

Ac sunt præter illa, quæ descripsimus, alia Scripturæ testimonia, quæ manifeste istud ipsum persuadere possunt. Paulus Actorum 20. 28. presbyteros, et episcopos alloquens, *Attendite vobis*, inquit, *et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Tum in epistola ad Ephesios [1] : *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Quæ pastorum similitudo ad id, quod volumus, aptissima est. Non enim pascendi potestas ab ovibus manat in pastorem, sed ab hero, ac gregis domino communicatur : qui quem vult gregi suo præficit. Atque hoc exemplo sacræ passim litteræ præfecturam ecclesiasticam adumbrare solent. Nam et Christus Ecclesiam vocat [2] *gregem, et ovile suum ;* et ipsemet tum [3] *pastor*, tum *magnus ovium pastor* dicitur [4], tanquam dominus gregis, et paterfamilias, cujus vicarius, et famulus est summus Pontifex, ac deinceps episcopi reliqui. Unde et *princeps pastorum* a primo ipsius vicario nominatur [5] : *Pascite*, inquit, *qui in vobis est, gregem Dei*, etc. *Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Quibus verbis pulchre commendat Apostolus Christum, velut totius possessionis, ac bonorum omnium, patrimoniique dominum, penes quem summum jus est, et suprema potestas. Qui ad gregem unum e multis, quos habet, id est *militantem*, ut vocant, Ecclesiam pascendam quoscumque libitum est allegat e familia, et vice sua præponit, sub honorarii præmii, ac liberalis auctoramenti spe potius, quam temporariæ, ac servilis mercedis pactione : qualis conductitiis, ac mercenariis repræsentari solet. Sic enim pastori mercenarius opponitur a Christo [6]. Itaque mercenarii non sunt episcopi, quibus præmii loco, non vile aliquod pretium, sed corona, regius honor, et ejusdem cum gregis, ac fortunarum omnium domino, conditionis ac possessionis consortium, et quasi collegium dignitatis ostenditur.

X. Atque ut institutus plerumque sermo in aliud ex alio decurrit; in ea comparatione, quam a domo, possessione, ac patrefamilias ad Christum et hujus Ecclesiam accommodant litteræ sacræ, ratio altera pellucet, quæ potestatem ecclesiasticam demonstrat, neutiquam multitudini fidelium a Christo tributam fuisse, sed certis, ac designatis ab ipsomet præsidibus, ac præfectis. Non enim, ut adversarii falso putant, *ecclesiastica politia*, id est *communitas*, et *respublica*, sic est, ut civilis; nec ad eamdem formam, ac regulam, aut originis, institutionisque modum exigenda est utraque, sed longe invicem distant. Etenim civilis, ac profana respublica (profanam appello sine nominis invidia, prout sacro profanum opponitur) ortum quidem habuit ex domesticis ac privatis familiarum cœtibus, velut elementis; tanquam ex litteris, ac dictionibus oratio componitur : quod eleganter in Politicis traditum est ab Aristotele [7]. Verum necesse præterea fuit, ut ad coeundam ejusdem civitatis, ac reipublicæ societatem, singularum familiarum, vel capitum ipsorum potius, ac patrum consensus accederet, et mutua inter illos pactio in commune vivendi, atque iisdem legibus utendi. Quo constituto, deinceps et publicæ administrationis ac regiminis formam, qualem voluerunt, elegere sibi; eique consentaneas leges ac jura sive condiderunt ipsi, sive a principibus et potestatibus, quas sibi præposuerant, latas sponte susceperunt. Prima hæc rerumpublicarum, et imperiorum origo perhibetur a sapientibus ordinaria, et communi jure sancita; nisi si quid certis in communitatibus aliter usuvenit, ut summæ imponendæ potestatis jus sibi Deus usurparit; et eodem momento utraque initium, et ortum acceperit, communitas ipsa civilis, et gubernandi ratio ac principatus divina auctoritate fundatus : quod quidem in

[1] Eph. 4. 11. — [2] Joan. 11. — [3] Ibid. — [4] Heb. 13. 20. — [5] 1. Pet. 5. 2. — [6] Joan. 10. 12. — [7] 1. Pol. c. 2. et seq.

Hebræorum republica factum videtur, quando gens illa ex Ægypti finibus, ac dominatu Pharaonis educta, in peculiarem Domini, ac sacerdotalem populum transiit. Ac tum profecto civile regimen, et, ut Aristoteles loquitur, τὸ πολίτευμα, non pro arbitrio suo, quale voluit, ascivit : neque magistratus cujusmodi, et quos libuit, sibi præfecit; sed a Deo supremo moderatore pro sua voluntate delectos et creatos accepit. Itaque merito Josephus reipublicæ formam, qua tum usa est Hebræorum natio, neque democratiam, neque aristocratiam, neque monarchiam, si de humana loquimur, fuisse, scribit; sed novam quamdam, et humanæ sapientiæ hactenus ignotam, quam eleganter appellat θεοκρατίαν.

XI. Nihil hoc exemplo præstantius ad ecclesiasticæ reipublicæ, ac potestatis explicandam originem, ac conditionem. Non enim humano invento, vel consensu ea nata est, et confecta societas; sed ejus auctor, conditor, et moderator est Christus, qui, qualem placuit, eam instituit, et quos voluit, principes, et magistratus imposuit, sive vicarios potius et œconomos. Hac enim similitudine Scripturæ passim hanc communitatem, πολιτείας speciem declarant. Quod dum faciunt, una illud admonent, in quo magna vis est ad nostram fulciendam sententiam posita; nimirum non tam civilis alicujus communitatis, quam πολιτείαν vocant, Ecclesiam esse similem, quam οἰκίας, id est domus, et familiæ. Est enim ingens quædam domus, cujus paterfamilias est Christus. Cujus quia figuram Moses adumbravit, ut et Ecclesiæ Synagoga; idcirco pari utrosque similitudine comprehendit Apostolus. Qui ad Hebræos scribens [1], Mosem sic tanquam domesticum dispensatorem, Synagogam vero quasi domum, et familiam describit, Mosis ipsius testimonio fretus, qui Deum sic de se loquentem inducit [2] : *At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.* Deinde cum Christo, et Ecclesia sic utrumque confert : *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Christus vero tanquam filius in domo sua; quæ domus sumus nos.* Hinc sæpe Christus in Evangelio talem comparationem reperit; et identidem apostolos, ac per eos, Ecclesiæ præpositos, cum servis, et œconomis, Ecclesiam cum familia componit [3] : *Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Tum dispensatoris istius servi munus et officium diligenter exponit. Quæ parabola apud Lucam etiam legitur ibique vocatur [4] *fidelis, et prudens dispensator, quem constituit dominus super familiam suam.* Eodem spectat parabola illa villici, sive procuratoris, quem dominus bonis omnibus suis administrandis præfecerat [5].

XII. Est autem animadvertendum in insigni illa Matthæi et Lucæ parabola, ubi Ecclesiæ τάξεις, et ordines, qui præfectis, sive pastoribus, et grege constant, graphice delineat sub figura fidelis servi, et familiæ reliquæ, nomen *familiæ* pro famulorum turba proprie sumi, quæ significatio apud Latinos usitatissima est; ac Cicero « familiam intelligi » dicit [6], « quæ constet ex servis pluribus. » Nam et græca habent θεραπείας, (1) quæ *famulitium* significat. Porro « in magna familia, ut idem ait Cicero [7], sunt alii lautiores servi, ut atrienses, alii inferiore loco, ut mediastini; » atque inter illos unus ab hero constituebatur, qui præesset reliquis, iisque demensum, ac cibaria distribueret : quod Lucas nominat τὸ σιτομέτρον. Et ita in veteri glossario σιτόμετρον, *cibarium*, *diarium*. Et aliæ glossæ, *demensum*, ἀπομέτρημα. Ita quippe servorum cibaria *demensa*, vel *diaria* mos fuit dicere, ut Horatius,

Cum servis urbana diaria rodere mavis.

Qui igitur hanc servilem præfecturam gerebat, eum atriensem vocabant; ut apud Plautum [8],

PS. Condus, promus sum procurator peni.
HA. Quasi te dicas atriensem. PS. Imo atriensi ego impero.

Hujusmodi servum Christus apud Matthæum designat, qui conservis suæ curæ mandatis alimoniam dispensat. Ita fidelium omnium multitudo, quasi *famulitium* quoddam est Christi, ac servorum turba, quam *familiam* nuncupant; qua ex familia quosdam eligit dominus, quos reliquis tanquam œconomos, curatores, dispensatores, nec tamen sine imperio ac potestate præficit. Sic enim apud eumdem Plautum alibi [9], servus quidam pro atriensi se gerens inducitur, qui mandata dat ceteris, et imperiose illos habet, objurgat, minatur, coercet.

(1) MAT. 24. 45. et Lucas 12. 42. Ὃν κατέστησεν ὁ Κύριος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ.

[1] Hebr. 3. — [2] Num. 12. 7. — [3] Matt. 24. 45. — [4] Luc. 12. 42. — [5] Luc. 16. — [6] Orat. pro Cæc. — [7] Parad. 3. — [8] In Pseud. Act. 2. sc. 2. — [9] Plaut. Asin. Act. 2. sc. 3.

XIII. Jam in illa familiæ similitudine egregie illud apparet, cujus gratia ad hæc lapsa est oratio nostra, potestatem ecclesiasticam, ac jurisdictionem nullam unquam penes communitatem fuisse, tanquam ejus, ut vocant, *subjectum*. Quippe famulitium, servorumve cœtus, ac familia jus nullum proprium vindicat sibi; neque præfectum, et atriensem, quem velit, optare potest, et in eum curationem, potestatemque transferre. Sed hoc totum ex heri voluntate, jussuque pendet, qui pro eo, ac sibi visum est, familiam ordinat, ac verbis, externoque nutu, ac significatione, cuinam illos subesse, ac parere velit indicat. Ita Christus in verbo suo, et evangelicis apostolicisque litteris, domus, et familiæ suæ constituendæ modum, rationem, ordinemque præscripsit; et alios pastores creavit, qui tanquam cœlestis promptuarii, ac peni procuratores spiritalem servis reliquis annonam dividerent, et in officio continerent. Tales apostolos, et episcopos, ac pro curationis modulo ceteros Ecclesiæ præsides tanquam vicarios suos instituit; servos porro reliquos, hoc est Christianam plebem, obtemperare illis, atque æternæ vitæ cibum ab iis mandavit capere. Quare, ut in Mosaica lege, in qua velut in typo adumbrari dixi ecclesiasticæ reipublicæ,ac potestatis formam [1], *nullus sibi honorem sumebat, neque se clarificabat, ut Pontifex fieret ;* sed ille solum, qui vocatus *erat a Deo tanquam Aaron*, hoc est rite, ac legitime ex Dei ordinatione promotus: et [2] qui auctoritate propria, aut etiam multitudinis consensu, et factione freti in eam functionem, ac dignitatem irrepserant, horrendo, et extraordinario exempli genere pœnas dederunt. Sic in ecclesiastica communitate nefas sit et sacrilegium, si vel multitudo ipsa populi Christiani, hoc est non minus laici, quam clerici cujuscumque ordinis, jus sibi tam exercendæ, quam conferendæ potestatis illius assumant; vel qui ad eam aspirant, aliter quam ex ordinatione, ac lege a Christo præfixa suscipere audeant.

XIV. Nam cum potestas ista neque naturalis, nec ad communem et naturalem efficientiam comparata sit, sed creaturæ captum viresque superet, et ad stupenda quædam, ac Dei propria solius opera præstanda referatur, nonnisi ex Dei voluntate constare, communicarive potest. De hac porro voluntate non aliunde certiores fieri possumus, quam ex ejusdem revelatione Dei; cujusmodi nullam cum Richerius habeat, nec in medium possit afferre ; imo cum Scripturæ ipsæ contrarium tot locis, ac tam evidenti testificatione nos doceant; vana sit necesse est, ac temeraria illius assertio, dum ita sciscit, *Totam jurisdictionem ecclesiasticam primario, proprie, et essentialiter Ecclesiæ convenire ; Romano autem Pontifici, atque aliis episcopis instrumentaliter et ministerialiter.*

Atque hæc, quæ proxime ante, tum quæ toto hoc capite disputata sunt, universe illud efficiunt : nullo modo in Ecclesia tota, id est fidelium omnium corpore, velut in subjecto resedisse, vel in eam fuisse collatam jurisdictionem, ac potestatem ecclesiasticam ; sive ita, ut eam primitus acceptam in episcopos trajiceret, a seque transferret; sive ita, ut eam nihilominus penes se retineret. Utrovis enim sensu Richerianum interpretari dogma necesse est; et utrumque rationibus iis, et argumentis, quæ hactenus adduximus, convictum penitus arbitror, et eversum. Sed de posteriore illo, absurdioreque sensu, qui Richeriani decreti magis proprius videtur, diligentius nobis est agendum; ut, quod initio demonstrandum suscepimus, cumulate præstemus : tum ancipiti, ac vafro genere loquendi conceptam esse Richerii sententiam; tum quocumque modo a nobis exponatur, inextricabilem, et absurdam esse, ac sibimetipsi contrariam.

[1] Hebr. 5. 4.

[2] Num. 16.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Richerii declaratur opinio. Putasse hunc in Ecclesia ipsa, tanquam in subjecto inesse potestatem, non in summo Pontifice, et episcopis ceteris. In quo repugnare sibimet ipsum, et incondite loqui monstratur. Explicantur reipublicæ genera tria ab Aristotele, aliisque vulgo tradita. Eorum natura, et distinctio. Gersonii, Almaini, et aliorum Parisiensium theologorum a Richerio dissensio. De ministeriali et instrumentali potestate, quam Romano Pontifici vindicat Richerius idem. Eam absurdam, et ejus assertioni contrariam esse. Illius argumenta diluuntur. Perperam ab eodem dici, individue, et *collective* inesse potestatem in Ecclesia.

I. Si quibus verbis opinionis suæ summam Richerius expressit, attente consideremus; plane ita, ut in antecedente dixi capite, judicabimus, hanc illius fuisse mentem, ut ecclesiastica jurisdictio toto in Ecclesiæ corpore, tanquam in subjecto etiamnum hæreat ita, ut non eam ipsam, sed hujus tantummodo usum, et executionem Romanus Pontifex, et episcopi omnes obtineant. Hoc ubi illius ex verbis ostendero, tum iis esse contrarium, quæ in eodem libro posuit, argumentis evincam certissimis.

Duo sunt in illa complexione verborum: alterum, *totam jurisdictionem ecclesiasticam proprie, ac essentialiter Ecclesiæ convenire:* alterum, *Romano Pontifici, atque aliis episcopis instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem convenire.* Hic primum apparet, quod ait, convenire *jurisdictionem* idem esse, ac velut *in subjecto* residere, et hærere; quemadmodum in magistratu auctoritas inesse, ac potestas, imperiumque dicitur. Quocirca jurisdictionem censet in tota Ecclesia, et communitate fidelium inesse proprie; non autem in Pontifice summo, vel in episcopis, quibus potestatis executio, et ministerium, velut instrumentis convenit. Sic enim faber ferrarius, exempli causa, malleo cudens, et operis aliquid faciens, fabrilem in sese artem, ac peritiam habet, quæ in ejus inest animo; malleus autem, utpote instrumentum artificis, habitum in sese artis non recipit, sed impulsum tantummodo, et effectum, quo ad moliendum opus illius applicatur. Hæc enim propria, et naturalis est instrumenti conditio, qua a *principali*, ut vocant, causa distinguitur: quod principium hæc agendi, ac potentiam, et primariam vim continet, qua caret instrumentum; hoc vero nonnisi *actualem*, ut loquuntur, motionem, et impressionem recipit. Non igitur potestatem, et jurisdictionem ecclesiasticam habent præsules et episcopi, sed tota multitudo fidelium, ex Richeriano illo dogmate. Et quamvis episcopi, ac pastores Ecclesiæ præpositi sint, non tamen in eos potestas trajicitur, quam Christus proprie, et essentialiter, ac primario communicavit Ecclesiæ: sed in hac tota, et integra perseverat, cum ne auferri quidem possit; quia quod *proprie*, et *essentialiter* alicui *convenit*, eo salvo non potest eripi.

II. Ex hoc cœnoso, ac lutulento fonte, qui rivi, et quam turbidi corruptique scateant, divinare opus non est, cum per sese res pateat, et propemodum in conspectu sit posita. Nos vero primum illud animadverti volumus, quod initio propositum est; quæ ibi ab Richerio dicuntur, e diametro pugnare cum illa Ecclesiæ descriptione, quam totius operis et doctrinæ fundamentum constituit, ac propterea in libri fronte collocavit, et deinceps inculcare studuit: « Ecclesia, *inquit*, est politia monarchica, regimine aristocratico temperata. » Hanc ego definitionem nego cum superiore decreto cohærere; neque fieri posse, ut *Ecclesia politia sit monarchica*, et tamen *jurisdictio tota et potestas ecclesiastica primario, proprie, et essentialiter Ecclesiæ conveniat; Romano vero Pontifici, et episcopis nonnisi instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem tantum.* Ambo enim ista sese invicem collidunt, et adversantia sunt.

Tria sunt apud Platonem, Aristotelem, ac philosophos ceteros rerumpublicarum et gubernationum legitimarum genera notissima, monarchia, aristocratia, et democratia. Hæ inter se certa proprietate et essentia dissident. Ea vero in administrationis, ac regiminis modo, et ratione consistit, hoc est in eo, quod τὸ κύριον dicitur, ut scribit Aristoteles [1]; nempe quod summam habet auctoritatis, ac potestatis, et cujus ex nutu, arbitrio, et imperio communitas pendet. Hinc enim τῶν πολιτειῶν, ac rerumpublicarum differentiæ petuntur. Itaque

[1] Lib. 3. Polit. c. 6. et 11.

Aristoteles idem in Politicis inquirens, sitne unum πολιτείας genus, an plura; respiciendum esse dicit ad id, quod est κύριον, hoc est quod summam gerendæ rei auctoritatem obtinet, et a quo tanquam a fonte repetitur omnis potestas, et jurisdictio, idque est quod vocant τὸ πολίτευμα : « (1) Est autem, *inquit*, politia, id est administrandæ reipublicæ forma, civitatis ordinatio, ac tum aliorum magistratuum, tum præsertim illius, penes quem summa est potestatis. Ubique enim summam potestatem habet in civitate id, penes quod ejus est regimen. Regimen autem est id, quod politiam vocamus, hoc est, gubernandi formam. Verbi gratia in popularibus administrationibus summa auctoritas est penes populum ; e contrario vero penes paucos, in paucorum dominatu. » Ita τὸ πολίτευμα est *regimen*, sive *civile imperium*, quod πολιτείαν Glossarium vetus græcolatinum interpretatur. Hoc autem penes illud est, quod in civitate κύριον dicitur, quod videlicet in ea dominatur, ac prævalet, et cujus est τὸ κῦρος, vel κράτος, ut apud Homerum, τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ, in quo regiminis est summa.

III. Inde ergo reipublicæ, ac civilis gubernationis species, et discrimen ducitur, quo ab aliis secernitur. Ut si quis roget, quænam reipublicæ forma apud Athenienses fuerit, non dubitabit, quin democraticam respondeat ; quoniam apud illos τὸ κύριον, id nempe, in quo summa potestatis fuit, erat multitudo, atque idcirco « (2) præponderabantur ibidem nobiles, ac divites pauperibus, ac plebe, » ut ait Xenophon. Tum civibus omnibus ad magistratus, et ad publicas consultationes, ac jurisdictionem capessendam patebat aditus. Ita τὸ κύριον, et τὸ πολίτευμα, id est regimen, penes populum fuit. Atqui complures in illa civitate magistratus erant; et hos inter unus insignis, cujus nomine anni singuli notabantur, qui et ἀρχων ἐπώνυμος dictus est. Cur non ergo vel monarchicus illius reipublicæ status habetur, vel aristocraticus, sive timocraticus ; siquidem tot in illa magistratus rem gerebant? Nonne propterea, quod plures isti principes nullam, nisi a populo, et de ejus voluntate potestatem haberent? quod eos, si vellet, in ordinem cogeret? quod quæcumque publice decrevisset, illis exequenda mandaret? quod rationem ab illis administrationis suæ reposceret? quod contra jussa facientes, aut male alioqui de se meritos, judicio ac pœnæ subjiceret? Hæc enim supremæ sunt argumenta potestatis. Imprimis autem legum latio, et, antequam receptæ sint, probatio, vel antiquatio, summæ est jurisdictionis signum. Est enim in bene morata communitate, ac republica, præcipua legum vis, et potestas, quas « (3) ideo satius, et optabilius esse imperare, » sciscit Aristoteles, « quam unum quempiam e civibus ; ac si quos præesse oporteat, eos custodes legum, et ministros esse constituendos. » Ex quo intelligitur summi imperii proprium esse, sancire leges, ac ratas esse jubere.

Certe apud Romanos, cum popularis plurimum posset, ac prævaleret administratio, nulla lex, nisi jubente populo, recipi poterat: quem qui legem ferre volebant, rogabant ; unde et *rogatio* dicta, et hujus formula erat ista, *Velitis, jubeatis, Quirites ;* et cum eam approbabant, singuli cives in tabella præscribebant U. R. id est *Uti rogas.* Quæ argumenta sunt summæ jurisdictionis, ac potestatis penes populum ; tametsi et consules illic erant regio propemodum jure, et magistratuum aliorum ingens numerus, et senatus denique amplissima auctoritate præditus; sed hactenus, ut huic *auctoritas* tanquam propria tributa sit, populo vero *majestas.* Ab quibus longe sunt diversa, quæ in paucorum, aut unius dominatu geruntur ; ubi populo ac magistratibus singulis tantum juris datur, quantum iis placet, qui principem in republica locum obtinent ; ad quorum scilicet arbitrium leges aut feruntur, aut exercentur, ac jus civibus dicitur. Sed hæc satis sunt, ut κριτήριον quoddam et regula statuatur, qua discerni possit, cujusmodi sit forma reipublicæ, quod ad institutam quæstionem accommodetur.

IV. Dixi contradicere sibi Richerium, ac duo invicem contraria ponere, cum *ecclesiasticam politiam monarchicam* esse definit ; et nihilominus *jurisdictionem ecclesiasticam primario, proprie, et essentialiter Ecclesiæ*, id est toti communitati, *convenire ; Romano autem Pontifici, atque aliis episcopis, instrumentali-*

(1) ARIST. 3. Polit. cap. 6. Ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων. Κύριον μὲν γὰρ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως. Πολίτευμα δέ ἐστιν ἡ πολίτεια. Λέγω δὲ οἷον ἐν μὲν ταῖς δημοκρατικαῖς κύριος ὁ δῆμος. Οἱ δὲ ὀλίγοι τοὐναντίον ἐν ταῖς ὀλιγαρχικαῖς.

(2) XENOPH. initio libri de rep. Ath. Ὅτι δικαίως αὐτόθι καὶ οἱ πένητες, καὶ ὁ δῆμος πλέον ἔχει τῶν γενναίων, καὶ τῶν πλουσίων.

(3) ARIST. 3. Polit. cap. 16. Τὸν ἄρα νόμον ἄρχειν αἱρετώτερον μᾶλλον, ἢ τῶν πολιτῶν ἕνα τινά. Κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον τοῦτον, κἂν εἴ τινας ἄρχειν βέλτιον, τούτους καταστατέον νομοφύλακας, καὶ ὑπηρέτας τοῖς νόμοις.

ter, etc. Hæc enim posteriora meram esse democratiam arguunt ecclesiasticam rempublicam, in qua summa potestatis et jurisdictionis est penes totam multitudinem, non penes unum aliquem principem, neque penes paucos optimates, nisi quatenus pars sunt illi communitatis, ac multitudinis. Itaque talis administrandi forma nihil præter populare imperium præ se fert; ac ne mista quidem, ac temperata est ex monarchico et aristocratico, sed pura puta democratia est. Etenim, ut paulo ante ex Aristotele didicimus, æstimanda est reipublicæ cujuslibet natura, et proprietas ex ea parte, quæ supremam jurisdictionem obtinet, quæ τὸ κύριον dicitur, et cujusmodi est τὸ πολίτευμα, id est cui regendi, et gubernandi, imperandique suprema, et ultima potestas inest, a qua magistratuum omnium, ac legum civilium auctoritas manat dispersa per singulos, et ad eam, tanquam ad fontem, caputque revocatur. In Richeriana vero Ecclesia nulla prorsus est in Romano Pontifice, nulla in episcopis potestas, vel auctoritas; sed totam communitas apud se retinet. Sola illis executio et functio, quasi ministris, et instrumentis relinquitur. Diceret saltem id, quod Joannes Gersonius, Almainus, aliique Parisienses dixere theologi, quibus visum est Concilii generalis auctoritatem esse majorem ea, quam Romanus habet Pontifex; affirmaret, inquam, in utroque inesse potestatem, et a Christo immediate communicatam fuisse.

Joannes Gersonius libro de Potestate ecclesiastica sic eam definit[1] : « Potestas ecclesiastica est potestas, quæ a Christo supernaturaliter, et spiritualiter collata est suis apostolis, et discipulis, ac eorum successoribus legitimis usque in finem seculi, ad ædificationem Ecclesiæ secundum leges evangelicas, pro consecutione felicitatis æternæ. » Idem postea[2], « Potestas, *inquit*, ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter, et subjective in solo Romano Pontifice, etc. » Post[3] « in Ecclesia eamdem esse » dicit, « sicut in fine, et sicut in regulante applicationem, et usum hujusmodi plenitudinis ecclesiasticæ potestatis. » Non dicit *subjective* in tota inesse Ecclesiæ multitudine, quod ex Richeriana opinione sequitur. Jacobus Almainus in libro de auctoritate Ecclesiæ[4] : « Tam Petro primo summo Pontifici immediate collatam a Christo esse, quam Ecclesiæ, potestatem illam; » neque Petro solum, sed etiam Petri successoribus *immediate collatam* docet in sequenti capite; licet tempore prius Ecclesiæ, quam Petro datam asserit. Quod etsi non probat, neque idoneo concludit argumento; tamen ut concessum sit, peræque *immediate* a Christo manavit in utrumque, nec *immediatius* uni, quam alteri convenit. Vide ejusdem Almaini librum de Potestate ecclesiastica et laica.

V. At Richerius, ut ejus verba sunt, in summo Pontifice, et episcopis aliis, nullam, quæ per se proprieque insit, potestatem agnoscit. Quæ enim potestas *instrumentaliter* solum, et *ministerialiter*, et *quoad executionem*, non autem *proprie*, *et essentialiter* alicui convenit, non est in ipso, nec ab ea tanquam forma denominatur, nisi ἀναλόγως, et ὁμωνύμως, et propter externam quamdam habitudinem ad id, in quo proprie residet. Sicut medicamentum, aut herba quæpiam *sana* vulgo dicitur, non proprie, sed abusione quadam vocis, et σχετικῶς, quatenus respectum habet ad animantis corpus, in quo reipsa sanitas inest, ut loquuntur, *subjective*. Sic enim regia potestas proprie in solo est rege, tanquam in subjecto; qui et ab illa rex solus appellatur : in vicariis, et ministris nonnisi *instrumentaliter*, *ministerialiter*, *et quoad executionem*. Potestas item, et jurisdictio, sive *magisterium* civile, a quo *magistratus* nomen accipit, vel quod græce felicius consonat, ἀρχὴ, a qua vocantur ἄρχοντες, proprie in solo inest eo, qui magistratus, et ἄρχων, interdum etiam ἀρχὴ apud Græcos vocatur : in officialibus vero, et actuariis, ac ministris, servisque publicis, qui illorum sententias exequuntur, non inest proprie; neque denominari ab illa potestate, nisi inepte possunt. Quis enim consules, prætoresve nominandos putet accensos, vel lictores, qui coram illis apparitura fungebantur, ac dicto audientes erant, ut quæ decreta ab iis essent, exequerentur? aut quis in ministris istis consulatum, vel præturam, vel civilem Romanæ reipublicæ potestatem, ac magistratum fuisse dixerit? Idem et de ecclesiasticis magistratibus usurpare possumus, ut episcopis; qui et ipsi suos habent officiales, atque etiam commentarienses, ministrosque ceteros, quorum opera utuntur ad coercendum? Num quis ergo vel episcopos istos appellet, vel penes eos esse dicat ecclesiasticam jurisdictionem, ac potestatem? Nemo tam impudens, imo vero tam vecors insanusque sit, cui talia in animum veniat eloqui, ac

[1] Cons. 1. — [2] Cons. 10. — [3] Cons. 11. — [4] Cap. 6.

palam proferre. Cur id autem ? Nimirum quocumque te verses, nullam vel cogitabis ipse, vel ab alio sano ac sobrio causam alteram rei istius audies, nisi quia apparitores isti, ministri isti, officiales isti neque civilem, neque ecclesiasticam potestatem obtinent ipsi; nec in eis inest alio modo, quam quo in summo Pontifice, et episcopis omnibus inesse Richerius asserit ecclesiasticam jurisdictionem, hoc est *non primario, proprie, et essentialiter, sed instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem.* Nihil enim officiales isti sunt aliud, quam *instrumenta, ministri*, et *executores* potestatis : ideo magistratus non sunt, neque ἄρχοντες. Unde sive unus, sive plures jurisdictioni ministrent, non propterea monarchicum fit reipublicæ regimen, aut aristocraticum, quia ἡ πολιτεία, vel τὸ πολίτευμα, quod est regimen, in illis neutiquam inest. Quis in calamo vel stilo, quem manus ex rationis ac voluntatis imperio movet, antiquarii scientiam, aut rationem ipsam, ac voluntatem inesse putet? Atqui in illo totidem modis hæc insunt, quot in episcopis Richerius potestatem esse scribit ecclesiasticam. Quocirca fœde a se ipse dissentit, ut jam diximus, qui et politiam monarchicam Ecclesiæ tribuit; et regimen jurisdictionemque nullam in Pontifice summo, aut in episcopis residere patitur; sed eam in turbam, ac multitudinem fidelium ablegat.

VI. At etiam definitio ipsa, quam in fronte libri posuit, Ecclesiæ, si per se, ac sola spectetur, ex contrariis, et dissidentibus mutuo partibus contexitur. Sic enim loquitur : *Ecclesia est politia monarchica, regimine aristocratico.* Atqui πολιτεία idem est, quod *regimen;* hoc enim est πολίτευμα. Aristoteles autem πολιτείαν ait esse τὸ πολίτευμα. Expendamus nominis istius vim ac notionem, quod est *regimen.* Regimen est forma, ratioque regendi, vel gubernandi, et idem quod gubernatio. Huic vocabulo duo subesse possunt. Aut enim potestas ipsa, et auctoritas gubernandi significatur, ac τὸ κῦρος, vel τὸ κράτος, ut supra dicebam ; quam potestatem *in actu primo* nominant, quæ est stirps ipsa, fonsque juridicæ omnis effectionis, qua respublica continetur. Cujusmodi in monarchica politia singularis persona sustinet, in aristocratica soli optimates, in democratica tota pro indiviso communitas. Aut potestatis illius usus, functio, et executio. Quo constituto, totidem illa redeunt, quæ paulo ante contra Richerii commentum attulimus, ut nulla sit prorsus in episcopis, aut Pontifice summo ecclesiastica jurisdictio, sed in sola communitate versetur; adeoque sit Ecclesia politia monarchica, et non sit; hoc est nulla prorsus in rerum natura sit Ecclesia, aut ecclesiastica potestas. Hæc sunt consectaria opinionis illius tum novæ, tum indoctæ, et inconditæ, ac non minus secum, ut initio monui, quam cum fidei catholicæ veritate ac pietate pugnantis.

VII. Nec dispar est argumentorum ratio, quibus illam fulcire videri voluit. Nam et ipsa non solum nihil ad propositum faciunt; sed hoc etiam labefactant, ac falsitatis arguunt. Claves ait regni cœlorum Ecclesiæ nomine Petro esse commissas [1]. Tum et hunc, et alios apostolos, ac discipulos missos a Christo; « et hanc missionem veram, et realem esse collationem jurisdictionis. » « Christus, ait præterea, omnes apostolos, atque discipulos, qui episcopalem et presbyteralem ordinem referebant, immediate, individue, et collective misit; sicut a Patre suo, id est cum justa et spirituali auctoritate, ad Ecclesiam regendam necessaria, missus fuerat. » Ex quo concludit: « Totum ordinem hierarchicum episcopali, et sacerdotali ordine constantem, immediate, proportionate tamen, atque subordinate, suam potestatem et jurisdictionem, hoc est facultatem regendi Ecclesiam a Christo derivare. » Hæc Richerius, quæ quidem superiori illi adversantur Ecclesiæ definitioni, eamque demonstrant, non *monarchicam politiam* esse, sed *aristocraticam.* Ex quo tertium rursus oritur, et utrique repugnans, quo tota illius libri doctrina, et quidquid in eo elucubrando, edendoque propositum habuit, dissipatur, ac dissolvitur. Sequitur enim, non esse penes Ecclesiam ipsam *primario, proprie et essentialiter totam jurisdictionem ecclesiasticam.*

VIII. Quæ ut breviter ostendam, illud ante omnia concedi mihi volo, de quo nullus, nisi ignarus omnium, controversiam faciet ; cum rempublicam aliquam dicimus hac vel illa constare forma, quod unius, vel plurium arbitrio regatur, dici id propter partem communitatis illam, quæ principatum in reliquas obtinet. Ut aristocratia idcirco censetur, quod nobilior, et honoratior pars reipublicæ imperium exercet in ceteras ; monarchia vero, quod singularis, et primaria pars communitatis præest reliquis. Non enim respectum habemus ad angelos, quos civitatibus, provinciis, regnisque præsidere, sacris ex libris com-

[1] Richer. pag. 2.

perimus ; multo minus ad supremum, ac præpotentem moderatorem omnium Deum. Ita quippe nulla, præter monarchicam, humanis in rebus esset forma gubernandi. Sed hæc longius arcessita sit. Quare ex proximo et aspectabili principatu, conditionis et appellationis ratio deducitur. Hoc eo dixerim, ne quis monarchicam ideo politiam dici putet Ecclesiam, quod illius caput sit Christus, et unicus, ac præcipuus dominus, rex, paterfamilias, et quidvis denique. Verum propius aliquid intueri nos oportet, ut inter mortales mortale sit illud, cujusquemodi est, quod, quia excellit et eminet, speciem dat, nomenque societati civium.

Præterea meo jure sumam etiam istud : *Ecclesiæ* voce comprehendi non solos clericos, aut sacrorum administros, uti sacerdotes, et episcopos, sive *totum ordinem hierarchicum*, sed una cum his Christianos, ac fideles ceteros, quos laicos vocant. Nam nulla est respublica, quæ solis magistratibus constet, et iis qui imperant ; sed præter hos quosdam oportet esse, quibus illi imperent. Itaque tota Ecclesia ex duobus ordinibus, ac primariis partibus componitur : in quarum altera sunt pastores, qui *sacrorum principes*, et ἱεράρχαι dicuntur : in altera censentur oves, et qui *sacris initiantur*, atque οἱ τελούμενοι nuncupantur ; sicut illi sunt οἱ τελοῦντες. Certe *politia monarchica*, qualem Richerius Ecclesiam esse putat, falso nominatur, si nulli sint, quibus monarcha ille præsit, ac regnet ; sed nec *regimen aristocraticum*, quod eidem affingit Ecclesiæ, consistet usquam, nisi qui regantur aliqui sint, et optimatibus subjecti ; postremo neque familiæ, id est famulitio præpositus, et cibariorum dispensator ullus in ea est domo, ubi conservos ille nullos habet.

IX. Ex iis primum sequitur contradicere sibi Richerium, qui Ecclesiam definit *monarchicam politiam ;* et tamen πολίτευμα, id est gubernandi, ac regendi potestatem ab illius reipublicæ conditore Christo non uni commissam, asserit, sed *omnibus apostolis, atque discipulis, qui episcopalem, et presbyteralem ordinem referebant, immediate, individue, et collective traditam, ac missione collatam.* Ut enim ex antecedentibus colligitur, sicut unum, sive unitas multitudini, ita plurium potestas potestati unius opponitur. Quare cum monarchia sit illa, in qua unius est suprema potestas una, quæ exinde in plures inferiores, et ab illa primaria profectas, eique subjectas, potestates dispergitur ; non potest ecclesiastica respublica monarchica censeri, cujus potestas omnis et auctoritas, et utique summa, statim pluribus *immediate, individue, et collective* communis est facta. Hæc enim potestas, quæ *collective* apostolis omnibus, et discipulis, ac per eos hierarchis illorum successoribus tributa est a Christo, una fuit, utpote *individue*, ac *collective* data : hoc est non divisa per partes, ut uni alicui major, alteri minor cederet ; sed tota hierarchico toti est ordini concessa. Proinde summa fuit eadem, et ad constituendam propriam reipublicæ formam ac speciem οὐσιώδες aliquid conferens. Igitur non potuit *monarchicam* efficere *politiam* potestas illa, quæ ex natura sua, et auctoris institutione, non uni convenit, sed pluribus in ejusdem hierarchici ordinis societate conjunctis. Denique *monarchiæ* id essentia postulat, ut potestas regendi tota sit in uno aliquo, cujus arbitrio in inferiores, ac subjectos sibi magistratus illa dimanet. Non debuit ergo Ecclesia definiri *monarchica politia*, sed, si forte, ex monarchico et aristocratico temperata statu ; quod piis, et eruditis plerisque placuit. Sed si hoc Richerius poneret, recantare illud oporteret, quod subjecit, potestatem *individue*, et *collective* toti hierarchico ordini collatam fuisse. Verum distributam, ac divisam dicere debuit statim ab origine sua plures in magistratus, et in uno maximam, in ceteris minorem, et pro rata cuique portione congruentem. Præsertim cum subinde asserat, *proportionate, atque subordinate suam unicuique potestatem, et jurisdictionem, hoc est facultatem regendi Ecclesiam a Christo derivatam.* Quomodo *individue, et collective* dari potuit, quæ et divisa est in sese, utpote non æquali ratione partita ; et non eadem singulis obvenit ? Non enim indivisa potestas est, quæ hoc modo distribuitur ; quia idem et unum, qua idem est, non est divisum, ac multiplex, nec a seipso distinctum.

X. Licet hoc in animalium corporibus animadvertere, in quibus vegetandi vis, exempli causa, quæ in unum finem data est a natura tuendi, firmandique corporis, varias in partes atque officia distribuitur, habetque functionum singularum sua quædam adminicula. Nec de illa dici potest, eam *individue, et collective* toti corpori esse concessam. Id si esset, eadem in toto corpore, ejusque partibus foret ; nec essent descriptæ cuique partes agendi, ac velut munera ; uni quidem, cibi admovendi, alteri comminuendi, ceteris trajiciendi, concoquendi, commutandi, eliquandi, dividendi, etc.

Sic Apostolus unum eumdemque spiritum per totum Ecclesiæ corpus non eamdem diffundere gratiam ait[1] *individue, et collective ;* sed statim *divisiones* ab illo manare *gratiarum, divisiones administrationum, divisiones operationum.* Quo fit, ut quemadmodum in uno corpore diversa membra diversas habent facultates, et facultatum actiones ; sic in Ecclesia gradus sint, ac potestates, ordinesque distincti, et alius capitis instar sit, alius oculi, pedis alius. Unde[2] *alii sunt apostoli, alii prophetæ, alii evangelistæ, alii pastores.* Quo Apostoli testimonio Tridentini patres utuntur [3], ut contra recentes hæreticos probent, ecclesiasticam potestatem non eamdem in tota Ecclesia, ejusque membris Christianis omnibus, etiam laicis inesse, sed graduum, et functionum esse discrimen ; adeo ut ecclesiastica hierarchia sit[4] *ut castrorum acies ordinata,* propter ordinum, officiorumque varietatem. Quæ varietas non aliunde est orta, quam a Christo, et eadem institutione, qua et hierarchiam ecclesiasticam condidit : ut sub anathematis pœna credendum esse Synodus illa decrevit[5].

XI. Non solum itaque falsa est, sed etiam hæretica, et synodali judicio damnata Richerii hæc opinio : *Episcopalem, et presbyteralem ordinem immediate, individue, et collective missum, sicut a Patre suo missus est Christus ; ita ut missio illa vera, et realis sit collatio jurisdictionis.* Siquidem missio Christi, ut et potestatis ac jurisdictionis in eum collatio, tum suprema fuit, et absoluta ; tum una simplex, et individua, in qua omnis omnium ordinum, graduum, ac magistratuum ecclesiasticorum potestas et jurisdictio, tanquam in capite ac fonte continebatur ; ut[6] *de plenitudine ejus omnes acciperent*, non solum gratiam, sed etiam auctoritatem, ac potestatem. Quocirca, si universi ordines hierarchici *immediate, individue, et collective* missi sunt a Christo, eaque missio *collatio fuit jurisdictionis* itidem, ut a Patre missus est Christus, et hac ipsa missione illam accepit ; par est in omnibus, et eadem, utpote individua, nec minor in simplici quolibet sacerdote potestas, et ecclesiastica jurisdictio, quam in episcopo, imo quam in supremo omnium pastore Pontifice Romano. Neque, quod statim subjicit, *proportionate tamen, atque subordinate potestatem illam, ac jurisdictionem a Christo derivari,* ad minuendam dogmatis istius invidiam facit ; sed stuporem potius, et inscitiam auctoris ostendit, qui quid esset consequens non vidit, ac duo invicem pugnantia in eamdem sententiam inclusit.

Nam quod exemplum e gallicanis judicibus, ac magistratibus affert, contra ipsum est. « Inferiores judices, ac magistratus, *inquit,* quanquam subditi parlamentis, æque tamen immediate auctoritatem suam a Rege Christianissimo mutuantur, quam ipsa parlamenta. » Verum quis propterea dixerit, potestatem, ac jurisdictionem omnem, quæ ab Rege dimanat, non solum *immediate*, sed etiam *individue, et collective* in omnes tam superiores, quam inferiores diffundi magistratus? Duorum enim alterum verba ista significant : vel non majorem in uno esse, quam inaltero ; tolluntque re *proportionem* illam, et *subordinationem*, quam voce tenus in sequentibus affirmat : vel illud indicant, nonnisi in tota multitudine magistratuum qualemcumque residere potestatem, in singulis vero nullam esse definitam, ac distinctam, sed confusam, quatenus scilicet pars est aliqua multitudinis istius. Non secus ac consortes aliqui fratres duo, tresve, antequam paternam hæreditatem inter se partiti sint, totum patrimonium simul omnes, et pro indiviso possident ; nec unus eorum certam illius partem vindicare sibi potest, sed in commune duntaxat jus in eam obtinere dicitur.

XII. Ac tanto manifestior erit dictorum illius absurditas, et conflictio, si quorsum ista scripserit, et quem in scopum intentus fuerit, animo repetimus. Nimirum eo illa spectant, ut Ecclesiæ *regimen aristocraticum* esse persuadeat. Postulat autem ejusmodi reipublicæ forma, ut suprema potestas non sit in uno quopiam cive, nec in tota communitate civium, sed in paucis optimatibus, et honoratis, qui *individue, et collective* summam in se jurisdictionis habeant, non in singulos, particulatimque divisam. Hinc quoniam optimates illi in ecclesiastica communitate sunt, quos ἱεράρχας vocant, quorum principatus in jurisdictione, ac potestate consistit ; hanc autem a Christo institutam acceperunt : idcirco, quod erat consentaneum, asseruit eamdem potestatem non uni alicui tributam esse summam, ne *monarchicum regimen* esset, sed toti hierarchico ordini *individue, et collective* datam ; quod proprium ejus est, quod adstruere moliebatur, *aristocratici regiminis.*

Versatur autem in illo afferendo gallicano-

[1] 1. Cor. 12. — [2] Ibid. et Eph. 4. — [3] Sess. 23. cap. 4. — [4] Cant. 6. — [5] Sess. 23. cap. 6. — [6] Joan. 1.

rum magistratuum exemplo altera hominis ἀλογιστία. Quippe potestas illa, quæ ab Rege diffunditur in plures magistratus, ac judices, non efficit, ut aristocraticum sit reipublicæ Francicæ regimen, eo quod jurisdictio illa absolute, et in fonte suo, ac stirpe monarchica est, cum sit is, penes quem summa rerum est, unus duntaxat homo, parsque præcipua communitatis, cui subjecti sunt, et supremæ potestatis administri, magistratus illi omnes, ac judices. At in Ecclesia, si est ulla summa potestas, ea non ex Christo, vero illius supremoque capite ac principe, metienda est, ut supra memini, sed in parte aliqua communitatis aspectabili, ac mortali residet : eaque si unus ac singularis homo est, monarchica dici debet; si plures sunt, sed dignitate tantum prædíti, et in commune, atque æquo jure gubernantes, aristocraticum regimen erit; sin postremo tota ipsa communitas ex magistratibus ac populo composita, *individue* ac *collective* jus illud supremum obtinet, democratica merito censebitur.

XIII. At Richerius, quod mirum, et prodigii instar est, triplex illud politiæ genus impingit Ecclesiæ, dum unum quærit. Nam et *monarchicam politiam* diserte illam esse dicit; et aristocraticum nihilominus regimen assignat; tum vero, ut proxime ante monstravimus, summam auctoritatem in multis optimatibus individuam collocat, ut non alia sit forma, quam aristocratica. Ac denique, quod superiora funditus evertit, *totam jurisdictionem ecclesiasticam primario, proprie, ac essentialiter Ecclesiæ convenire* ait; *Romano autem Pontifici, atque aliis episcopis, instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem.* Quæ postrema popularem, ac democraticam esse rempublicam istam necessario significant. Etenim Ecclesia, ut ante dixi, corpus est, et communitas quædam ex hierarchis, id est magistratibus, qui sunt optimates, et privatis, sive laicis composita, uti quævis alia respublica civilis. Quare si in ipsa multitudine Christianorum inest potestas omnis; in magistratibus vero, et in ipso principe omnium, et capite, non inest proprie, nec essentialiter, sed tantummodo velut in instrumentis, ac ministris, et executoribus : nec monarchicum, neque aristocraticum erit regimen illud, sed democraticum. Quemadmodum Athenis, ac Romæ jurisdictio omnis, et suprema potestas in communitate civium, sive populo universo manebat, velut in subjecto. Magistratus porro quam revera habebant in se, hanc et a populo capiebant, et ejusdem nomine auctoritateque populi eam administrabant. Ita mere populare fuerit Ecclesiæ regimen, omniumque adeo (quod Aristoteles, et philosophi docent) a perfecto remotissimum, ac deterrimum.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Falso monarchicum statum Ecclesiæ dici ab Richerio, cum aliter revera sentiat. De clavibus Ecclesiæ perplexa illius assertio. Potestatem earum perperam ab eo statui datam esse *individue, immediate, et collective* omnibus Ecclesiæ administris. Eamdem potestatem Petro, et suo modo apostolis tributam esse reliquis. Quo sensu toti Ecclesiæ concessam velint aliqui veteres. Explicantur illa Christi verba, quibus peccantis in nos fratris delictum deferri ad Ecclesiam præcipit. Nullam ex illis demonstrari penes totam Ecclesiam esse potestatem.

I. Non dissimilem in sequentibus pusillæ mentis æstum, ac jactationem, et conflictum deprehendet, cui in iis legendis jacturam facere temporis libitum erit. Nam [1] statum monarchicum Ecclesiæ imputat, quatenus penes unum Romanum Pontificem est canonum executio; regimen vero aristocraticum, quod Concilii sit canones constituere, ac præscribere, quibus exequendis Pontifex operam, ac vigilantiam adhibeat. Hoc si ita est, nullo modo constituenda fuit Ecclesiæ *monarchica politia*, sed *aristocratica;* ac ne ista quidem, si tota jurisdictio est penes Ecclesiam, id est communitatem integram. Ita monstri similis est, ut jam dixi, forma illa reipublicæ, quam Richerius inducit Ecclesiæ, quæ cum

[1] Pag. 9.

omnes contineat, nullam certam retinet, ac velut hydra est multiceps, aut tricorpor nescio quod portentum ex poetarum fabulis.

Jam quod ad claves spectat, quas toti datas Ecclesiæ contendit, similem id habet ambiguitatem, et repugnantiam. Ut enim ex ejus disputatione colligitur, Ecclesiam ibi non totam fidelium communitatem intelligit, sed episcopos omnes; vel potius præter hos, etiam *presbyteros curam animarum habentes*. Quippe ita paulo post scribit [1] : « Porro senatum, aut consilium nativum Ecclesiæ a Domino institutum vocamus, non modo episcopos, verum etiam omnes presbyteros curam animarum habentes; quorum illi apostolis, hi vero septuaginta duobus discipulis successerunt. » Tam igitur episcopis, quam presbyteris potestatem clavium Christus contulit : quod et antea scripsit, affirmans [2], « Christum omnes apostolos, atque discipulos, qui episcopalem, et presbyteralem ordinem referebant, immediate, individue, et collective misisse, eaque missione potestatem dedisse. » Ex quo evidens est, Ecclesiam a Richerio accipi pro *toto ordine hierarchico*, laicorum ordine secluso. Hoc autem ei contrarium est, quod pro fundamento structuræ totius, libri initio posuit. Ibi enim Ecclesiam a Romano Pontifice, et episcopis aliis distinxit, cum *totam jurisdictionem ecclesiasticam convenire* dixit *primario, proprie, ac essentialiter Ecclesiæ : Romano autem Pontifici, atque aliis episcopis, instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem*. Ergo Ecclesiam hic quidem pro tota multitudine fidelium usurpat, comprehensis una Pontifice Romano, et episcopis; quod illud existimasse potius interpretor, quam ut solos laicos significari voluerit, pastoribus exclusis.

II. Sed utcumque de ea senserit, perspicuum est, non illum constanter, et consentanee loqui, sed impedite, ac perplexe : nec omnino scire, quid dicat, qui clavium potestatem modo asserat toti Ecclesiæ, hoc est corpori ipsi, ac velut populo fidelium esse concessam; alias solis Ecclesiæ principibus, ac magistratibus : quorum prius aristocraticam reipublicæ formam, posterius democraticam efficit, neutrum monarchicam, quam Ecclesiæ definitioni, velut ludibundus, et aliud agens inseruit.

Certe clavium potestas quo in Scripturæ loco commemoratur, et a Christo communicata legitur, non alteri data quam Petro reperitur : *Tibi dabo*, inquit [3], *claves regni cœlorum*. Ac tametsi tum ex sequentibus, tum aliis ex locis cognoscitur, etiam apostolis pro suo modo permissas fuisse, ut qui parem æqualemque cum Petro, sed extraordinariam, ut missionem, ita potestatem sortiti sunt; non tamen aliis eadem illa jurisdictio tributa uspiam proditur. Ac prorsus ariolatur, somniatque Richerius, dum missionem apostolorum, qua potestas illis est ecclesiastica tradita, hoc est ligandi ac solvendi jurisdictio, amplissima illa, et cujusmodi principes ac magistratus Ecclesiæ decebat, etiam ad discipulos extendit ceteros, qui apostoli aut episcopi non erant; ac tum scilicet reipsa datam autumat, cum illos ad prædicandum per Judææ oppida destinavit [4], ad quæ mox erat ipse venturus. Nam prior ista missio nullam aliam, quam prædicandæ pœnitentiæ, ac tam doctrina, quam miraculis præparandi ad Christi fidem populi facultatem illis indidit; non regendi, gubernandique jus ullum, aut potestatem, sive ordinis, quam sub cœnam ultimam contulisse creditur, sive jurisdictionis, quam post resurrectionem suam reipsa, et, ut loquuntur, *actu* tradidit.

III. Frivolum est ergo, quod de septuaginta duobus discipulis asserit Richerius, eos, cum episcopi non essent, potestatem tamen clavium accepisse cum apostolis *individue*, *immediate*, *et collective*. Quod nullo argumento probat aut vero probare potest, non modo Scripturæ, quæ mandatam solis apostolis, ac per eos, episcopis, regendæ gubernandæque Ecclesiæ potestatem docet; sed neque canonis alicujus. Quatuor in totum affert Richerius. Primus est ex pseudo Damaso petitus [5], qui cujusquemodi est, nihil aliud continet, nisi duos a Christo institutos esse ordines, « apostolorum duo- « decim, et septuaginta discipulorum. » Quales autem isti fuerint, et quatenus jurisdictionem habuerint, nihil omnino loquitur; nec de curam animarum habentibus presbyteris littera ulla meminit. Secundus ex Hieronymi ad Heliodorum epistola sumptus hoc unum dicit [6], « Ecclesiam habere cœtum presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachis agere licet. » Quid ad rem istud pertinet ? An propterea potestatem clavium, aut jurisdictionem illis tribuit ex Christi institutione venientem ? Certe Romæ Senatus magistratus non fuit, nec jurisdictionem civilem per sese, et qua sena-

[1] Pag. 8. — [2] Idem pag. 2. — [3] Matt. 16.

[4] Matt. 10. Luc. 9. et 10. — [5] Dis. 68. cap. Chorepisc. — [6] 16. qu. 1. can. Eccl.

tus erat, exercuit. Sed et Hieronymus [1] in eodem citatus canone, nullas senatui illi presbyterorum partes alias assignat, quam consilii dandi. Sequitur canon tertius [2], ex Carthaginensi quarta synodo descriptus, qui nihil ad rem facit. Agit enim tantummodo de ordinatione presbyteri, in qua, « Episcopo manus supra caput ejus tenente, etiam ceteri presbyteri manus suas juxta manum episcopi super caput illius tenere » jubentur. De quo canone supra dictum est; quem ideo Richerius in medium adduxisse videtur, ut novitio illi Catharorum dogmati tacite suffragaretur, cui et Salmasius subscribit: presbyteros simplices nihil ab episcopis differre. Cujus argumentum ex illo canone, et communi utriusque manuum impositione desumptum copiose confutavimus. Hanc ipsam de Richerii mente suspicionem auget canon ille, quem quarto loco citavit [3], qui ex epistola Hieronymi ad Evagrium translatus est, in qua parem et eumdem cum episcopatu ordinem esse presbyteratum videtur ostendere. Sed quemadmodum ab hujus dogmatis invidia purgandus sit Hieronymus, in superioribus latissime disseruimus.

IV. Atenim clavium potestatem non uni Petro, sed Ecclesiæ toti concessam, quidam ex antiquis videntur agnoscere; qui Petrum in illa confessione personam Ecclesiæ sustinuisse dicunt. Quod Augustinus indicat, dum ait [4], « hoc nomen ei, ut Petrus appellaretur, a Domino impositum esse; et hoc, ut ea figura significaret Ecclesiam: » et paulo ante « Petrum apostolum » vocat « Ecclesiæ unicæ typum. » De clavibus vero in primo de doctrina Christiana sic: « Has igitur claves, *inquit*, dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terra, soluta essent in cœlo; quæ ligaret in terra, ligata essent et in cœlo, etc. » Et alibi disertius [5]: « Petrus enim, multis locis Scripturarum apparet, quod personam gestet Ecclesiæ; maxime illo in loco, ubi dictum est: Tibi dabo claves regni cœlorum. Quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveris in terra, erunt soluta et in cœlo. » Et in alio loco [6]: « Sicut in apostolis, *ait*, cum esset etiam ipse numerus duodenarius, id est quadripartitus in ternos, et omnes essent interrogati, solus Petrus respondit, Tu es Christus filius Dei vivi; et ei dicitur, Tibi dabo claves regni cœlorum: tanquam ligandi, et solvendi solus acceperit potestatem; cum et illud unus pro omnibus dixerit; et hoc cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis, acceperit. Ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus. » Cui præterea concinere videtur Cyprianus in libro de unitate Ecclesiæ, dum ait, « Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuisse Dominum, et dixisse: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, retinebuntur. Tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consensione pascatur. » Quibus verbis significari putant, non tam Petro ipsi, velut uni et singulari capiti, tributam esse regendi, ac pascendi gregis potestatem, quam omnibus pastoribus, qui conjunctim, et in commune, tanquam unus pastor, cœtus omnes fidelium, unius gregis instar gubernabant.

V. Hæc et similia veterum dicta nihil Richerianam opinionem sublevant. Primum, quia non eo sensu, quem illa præfert, datam Ecclesiæ toti potestatem adstruunt; hoc est communitati ipsi fidelium: ita ut in ea sit, et hæreat tota jurisdictio; *in summo vero Pontifice, atque aliis episcopis non proprie, sed instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem.* Illi enim e contrario tam in Petro, quam in aliis apostolis, et eorum successoribus solis inesse potestatem illam prædicant; ut et illam habeant, atque in se contineant ipsi, et eamdem ad usum applicent, et exerceant. Ad summum igitur *aristocraticam politiam* esse definient Ecclesiam, si ita, ut adversariis placet, verba illorum accipiamus; non autem *monarchicam* esse *politiam*, sed *regimen aristocraticum:* quod est Richeriani ingenii prodigiosum, et inextricabile figmentum. Sed nunquam prisci illi Patres in illa communione potestatis asserenda, Romanæ prærogativam Sedis excludere voluerunt; hoc est *extensionem*, ut ita dixerim, *jurisdictionis* inæqualem, ac disparem: quam et Concilia

[1] Ad c. 3. Esa. — [2] Dist. 23. can. Presbyter. — [3] Dist. 93. can. Legimus.

[4] Ser. 13. de Verb. Dom. init.— [5] Ser. 26. de Div. cap. 6.— [6] Tract. 118. in Joan.

ipsa, et veterum testimonia Patrum, et innumera ætatum omnium exempla confirmant. Verum ad ipsam, ut sic loquar, potestatis illius *substantiam* et *essentiam* respexerunt, quæ per omnes Christiani orbis episcopos una eademque diffunditur ; tum ad finem, et scopum rectionis, sive pastionis, aut jurisdictionis illius, quæ velut pro indivisa in commune possidetur ab omnibus pastoribus, sicut ex omnibus variarum regionum gregibus unum ovile fit, et grex unus, qui ad eamdem æternitatis consequendam gloriam destinatur, ac dirigitur.

VI. Ceterum si Ecclesiæ nomine, cum ei claves in Petro traditas antiqui Patres asseverant, totam ipsam fidelium communitatem intelligendam putet aliquis ; non tamen idcirco causam obtinebit suam Richeriana factio. Quippe duabus de causis toti concessa communitati fidelium dici potest clavium potestas. Prima quod ipsius causa, et ad ejus commodum, hoc est ad illam tuendam, regendam, et ad sempiternam salutem adducendam a Christo instituta fuerit, non autem per se, ac directe propter eos, qui illam obtinent, et administrant ; quod supra latius exposui. Atque hoc sensu *ministeriale*, et *instrumentale* caput Ecclesiæ nominari potest Romanus Pontifex, in quo stulte conflictatur Richeriana natio, ac fumos suos venditat. Nam minister est, et quidem primarius, summi vel regis ac monarchæ, vel patrisfamilias, vel pastoris, vel heri, ac Domini Christi Jesu ; et ejusdem instrumentum, sive *vas*, ut Scriptura ex hebraica proprietate loqui amat ; itidem ut eum, qui major inter discipulos esse velit, *ministrum* jubet esse Christus [1]. Et ministrum se Christi sæpe nominat Paulus [2], ceterosque consortes apostolatus ejusdem, et Evangelii prædicatores [3]. Quin et ipsemet Christus [4] *minister circumcisionis* ab eodem dicitur ; quemadmodum [5] *puer*, sive *servus* Dei Patris a Propheta, nec non ab Evangelista vocatur idem Christus. Sed in eo Richerii observandus est fucus, et κρύψις quædam subdola ; qui sic *instrumentale*, ac *ministeriale caput* appellat Romanum Pontificem, ut dissimulet, qua ratione, et quocum comparatus ita dici mereatur. Nam duplex appellationis istius causa est, et notio. Aut enim quatenus cum efficiente causa primaria confertur ; aut ad finem, ac *subjectum*, ut vocant, circa quod fungitur, relatus, *instrumentum*, ac *minister* nominari potest apostolus quilibet, adeoque Pontifex Romanus. Priore modo solius Christi *ministri* sunt, et *instrumenta*, quicumque præsunt Ecclesiæ ; quod ab illo solo potestatem, et jurisdictionem, auctoritatemque capiunt, non ab communitate ipsa, ut antea demonstravimus. Posteriore vero sensu *ministri* sunt, et *instrumenta* ; tum Christi, velut efficientis, et moventis, atque ad opus applicantis causæ præcipuæ ; tum corporis ipsius *mystici*, id est communitatis Ecclesiæ, cui ministrare, ac servire debent, ejusque studere et incumbere commodo, ac saluti. Atque hoc etiam modo Paulus reges, et principes *Dei ministros* nuncupat [6]. Poterat et populi ministros nihilo secius vocare, quod in eum finem a Deo constituti sunt, ut tanquam divinæ in homines providentiæ et bonitatis administri, ac publicæ quietis, et utilitatis procuratores essent. Propterea Gregorius M. et ejus exemplo deinceps ceteri Romani Pontifices *servos servorum Christi* appellari se voluerunt.

VII. Hoc si unum Richerius vellet, nihil attinebat turbare ipsum, ac tantas in Ecclesia ciere tempestates, ut etiam communitatem ipsam, et unitatem, quantum fuit in ipso, scinderet. Facile hoc omnes concedent ; ac ne Romanus quidem ipse Pontifex negabit, illo se sensu *ministeriale* esse caput. Tametsi putida vox ista est, et propter veteratoriam eorum, qui hac utuntur, calliditatem, cavenda est, et suspecta. Verum minister utcumque dicatur, et instrumentum Christi tam ipse, quam episcopi omnes, et rectores Ecclesiæ. Sed non eo contentus ille fuit ; plus aliquid obscuritate illa sua, et malitia verborum, ac sententiarum ambiguitate captavit. Nempe *instrumentale*, ac *ministeriale* caput existimari voluit Romanum Pontificem, quod immediate ab Ecclesia ipsa, communitateque fidelium potestas in eum omnis, ac jurisdictio profecta sit ; quippe qui illam a Christo *prius*, et *immediatius* corpori ipsi communicatam asserat, quam capiti ; ac per præsides suos tanquam instrumenta, ministrosque agere communitatem ; quemadmodum corpus per oculum videt, eumque applicat ad usum, et actionem suam, vim illi, ac motionem imprimens. Prorsus ille utcumque cavillari, ac ludificari studeat, et quantoscumque fumos, ac nebulas ancipitis, et inconditi sermonis obducat, persuadere

[1] Matt. 13. 11. — [2] Marc. 10. 43. — [3] Ep. 3. 7. Rom. 15. 16. Col. 1. Rom. 13. 6. 1. Cor. 3. 5. et 2. Cor. 6 4.

[4] Rom. 15. 8. — [5] Isa. 42. 1. et Matt. 12. 18. — [6] Rom. 13. 4.

istud tamen nititur, episcopos omnes, et horum supremum Romanum Pontificem, non a Christo proxime, et *immediate* jurisdictionem accepisse, sed ab Ecclesia ipsa, hoc est ab multitudine fidelium. In quo habet adjutorem non valde doctum, nec multum momenti ad causam afferentem Catharum Messalinum : cujus occasione dicti in eam sumus digressi de ecclesiastica potestate controversiam, affinem institutæ contra illum disputationi, nec affectatam, aut otiosam.

VIII. Sequitur altera ratio, cur interdum a Patribus antiquis non tam Petro, quam toti Ecclesiæ communicata dicatur ecclesiastica jurisdictio : ut hoc pacto demonstrent, non sic affixam, et addictam uni illi fuisse, et quasi circumscriptam unius persona, ut, eo sublato, etiam illa periret, nec amplius in Ecclesia maneret. Ergo eatenus Ecclesiæ traditam fuisse intelligunt, quod perpetuo habet illa successores potestatis, ac dignitatis istius. Quemadmodum qui dicit, Francorum populo regiam potestatem concessam fuisse, nihil significat aliud, nisi esse ibi semper aliquem, qui regnet, ac potestatem illam non exequatur modo, sed in se hærentem, ac residentem circumferat. Nec propterea consequens erit, penes communitatem ipsam civium supremum esse jus regni; nec aliud esse regem, quam ministrum, executoremque mandati popularis, et imperii. Sic igitur Ecclesiæ Dominus auctoritatem regendi, ac potestatem tribuit; quoniam pars illius sunt omnes ii, qui ejusmodi potestatem gerunt, et pastores sunt Dominico gregi ab summo Pastore præpositi : quibus extinctis, « vivit tamen potestas, et excellit auctoritas; ac dignitas etiam in indigno hærede non deficit. » ut ait sanctus Leo [1]. Quocirca claves illas non soli Petro datas fuisse, nec solis cum eo ejusdem apostolatus consortibus, sed etiamnum in Ecclesia perseverare docet Augustinus in eo sermone, quem supra laudavimus [2] : « Numquid istas claves Petrus accepit, et Paulus non accepit? Petrus accepit et Joannes, et Jacobus non accepit, et ceteri apostoli? Aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est. Ergo Petrus figuram gestabat Ecclesiæ; Ecclesia corpus Christi est. » Ad eamdem sententiam accommodandus est Fulgentius [3], dum ita Petro claves esse concreditas asserit regni cœlorum, ac ligandi solvendique potestatem, ut per eum accepisse dicat Ecclesiam ; nempe quod id expensum feratur Ecclesiæ, quidquid ejus capiti conceditur.

IX. Et sunt alioqui crebra, et expressa Patrum eorumdem testimonia, quæ Petro ipsi nominatim claves esse creditas, cumque iis amplissimam regendæ Ecclesiæ potestatem adstruunt. Sic enim Optatus Milevitanus [4], « Bono, *inquit*, unitatis beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, et præferri apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas ceteris solus accepit. » Et Augustinus [5] rationem hanc reddit, cur Dominus illum labi in peccatum permiserit : « Credendæ enim erant, *inquit*, Petro apostolo claves Ecclesiæ. Imo creditæ sunt ei claves regni cœlorum. » Chrysostomus « (1) coryphæum » vocat « Petrum apostolici chori, cui creditæ sunt claves cœli. » Cyrillus Hierosolymitanus « (2) principem » vocat « apostolorum, ac regni cœlorum clavigerum. » Insignis est Eulogii Alexandrini locus ex libro secundo contra Novatianos ; ubi « (3) neque Joanni, neque alteri cuipiam apostolorum dixisse Salvatorem *ait*, Tibi dabo claves regni cœlorum, etc. præterquam Petro, qui Christum negaturus erat, et lacrymis ac pœnitentia diluturus peccatum suum, ut exemplo suo humanitatis erga peccantes affectum disceret. » At Photius negat soli Petro claves esse commissas, sed in illius persona ceteris etiam apostolis datas esse scribit, quemadmodum et illorum successoribus. Non toti datas Ecclesiæ asserit, ut Richerius, et Cathari, sed solis præsulibus; quod eatenus verum est, si principatus cathedræ Petri, ac propria sedis illius prærogativa servetur. Ceterum iis, quæ de Petro scribit Eulogius, affinia

(1) CHRYS. hom. 6. in Acta pag. 640. Ὁ κορυφαίος τοῦ μακαρίου χοροῦ, etc. ὁ τὰς κλεῖς πιστευθεὶς τοῦ οὐρανοῦ.

(2) CYRIL. cat. 17. Ὁ πρωτοστάτης τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος Πέτρος.

(3) EULOG. apud Phot. cod. 280. Ὅτι διὰ τοῦτο, φησὶν, οὔτε πρὸς Ἰωάννην, οὔτε πρὸς ἕτερόν τινα τῶν μαθητῶν ἔφη ὁ Σωτὴρ τὸ· καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ τὰ ἑξῆς· ἀλλ' ἢ πρὸς Πέτρον ὡς ἔμελλε τῷ τῆς ἀρνήσεως περιπίπτειν ὀλισθήματι, καὶ διὰ δακρύων, καὶ μετανοίας ἀπονίπτειν τὸ ἁμάρτημα, ἵνα τῷ καθ' ἑαυτὸν ὑποδείγματι πρὸς τοὺς ἐξαμαρτάνοντας φιλανθρωπότερον διατιθεῖτο.

[1] Serm. 6. in Anniver. die assumpt. suæ. — [2] Aug. Ser. 26. de Diver. — [3] Lib. 1. de remiss. pecc. c. 19. — [4] Lib. 7. — [5] Serm. 124 de Temp.

sunt, quæ apud Optatum leguntur in libro septimo: « Provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores; et quæ necessaria est unitas, esse non posset. » Verum nihil hoc loco necesse est plura de ea re testimonia conquirere, quæ et innumerabilia sunt, et tractationi propriæ seponenda.

X. Alius est locus, quo Richerius [1] plenam potestatem ordini hierarchico probat a Christo esse collatam, qui est Matthæi 18. ubi Christus præcipit, ut si contra nos frater aliquid deliquerit, nec a nobis castigatus resipiscat, eum deferamus ad Ecclesiam [2]: *Dic*, inquit, *Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Hac Christi sententia omnes illi admodum utuntur, qui Concilii majorem esse, quam Romani Pontificis auctoritatem disputant, ut Joannes Gersonius, Almainus, Joannes Major, Ochamus, Tostatus ad illud Matthæi caput, et Nicolaus Cusanus [3], ac ceteri fere. Hinc ergo Richerius affirmat, « Christum immediate concessisse ordini hierarchico, quem hic nomine Ecclesiæ designat, facultatem excommunicandi, etc. » Atqui levissimum istud argumentum est, et Richerianæ causæ magis obest, quam vires ac robur addit. Nam si *Ecclesiæ* nomine hierarchicus ordo significatur, cui verbis illis tradita sit potestas, imo, ut ille loquitur, plenitudo potestatis ecclesiasticæ; ruit illud, quod fundamenti loco substruxit, doctrinæ caput, Ecclesiam esse politiam monarchicam. Erit enim aristocratica potius; quandoquidem reipublicæ qualitas æstimanda est ex ea parte, quæ principatum, et summam jurisdictionem in communitate obtinet. Quæ si in Ecclesia penes ordinem hierarchicum erit, id est optimates; non alia potest videri politia, quam aristocratica. Sic illud etiam verum esse desinet, quod ab eodem Richerio positum est, *Totam jurisdictionem ecclesiasticam primario, proprie, et essentialiter Ecclesiæ convenire; Romano autem Pontifici, atque aliis episcopis instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem.* Jam enim primarium, ut vocant, *subjectum* potestatis istius erit optimatum consessus, in quo judicandi puniendique facultas sit, non simplex ministerium, et executio alienæ sententiæ. Quare nullus locus magis adversatur Richeriano commento, quam ille Matthæi.

XI. Ceterum nullam verbis istis potestatem esse traditam, vel jus excommunicandi, aut juridicæ functionis alicujus, probabilius est, ut Cajetanus [4], et cum eo Franciscus a Victoria [5] censent; sed solam denuntiationem præcipi, ac vitationem ejus, qui Ecclesiæ monitis obtemperare noluerit. Quod si qua significatur auctoritas, aut futura, ac danda promittitur, ea non communitati ipsi fidelium primario, et *immediate* a Christo tribuenda monstratur; sed eadem intelligitur, quæ ecclesiasticis magistratibus tum singulis, tum in unum collectis convenit. Ridiculum enim esset ita præceptum illud interpretari, ut quoties peccantem in se aliquis, nec privata reprehensione correctum denuntiare volet, generale concilium ex episcopis omnibus convocandum sit, aut etiam tota ipsa multitudo Christianorum; quorum alterutrum consequens est ex Richeriano dogmate. Sive enim plena, et absoluta potestas, et jurisdictio ecclesiastica in toto Ecclesiæ corpore inest, cujus ministri, et executores sunt episcopi; sive hierarchico ordini data est, (quæ duo Richerius secum, ut dixi supra, discors, ac dissentiens in libro suo posuit,) alterum amborum congregari cœtum necesse est; quandoquidem ad eos omnino deferendus est reus, qui summum jus, et potestatem habent. Id enim toto illo in loco significari contendit Richerius. Quod cum ineptum, absurdumque sit, et ab omni ratione, usuque hominum alienum; nihil inde concludi potest de potestate Ecclesiæ *data congregandi sese in concilium, atque infallibiliter decernendi*, ut affirmat Richerius, nec de plenitudine aliqua jurisdictionis impertita communitati, aut ab ea diversa, quam apostolis, et eorum successoribus a Christo concessam sacræ litteræ testantur.

XII. Ex hac tota superiori disputatione, cui jam modus adhibendus est, perspicuum esse arbitror, falso istud crocitare Messalinum Catharum, *Ecclesiasticam pœnam, cujusmodi est excommunicatio, non indici ab episcopo, sed ab Ecclesia.* Quod ex eo primum refellitur, quod nulla, nisi in episcopis, et præsidibus, potestas est ecclesiastica, ut hactenus probavimus; nec aliud in Scriptura traditum est de illius origine jurisdictionis, quam apostolis, ac per eos antistitibus deinceps ceteris communicatam fuisse. Deinde usus ipse, ac mos Ecclesiæ canonum auctoritate sancitus perpetuum hoc tenuit, ut soli episcopi, atque Ecclesiæ præsides ecclesiasticis

[1] Pag. 9. — [2] Matt. 18. 17. — [3] Lib. 2. de Concor. c. 17.

[4] In Opusc. de Pot. Pap. et Conc. — [5] Relect. 2. de Pot. Eccl. Sect. 1. in fine.

præessent judiciis, ac pœnas decernerent, excommunicarent, ecclesiæ intercluderent aditum, pœnitentiam publicam indicerent, ac vicissim pœnitentia functos, aut quoquo modo delicti veniam remissionemque meritos in integrum restituerent. Nihil hac re tritius, nihil frequentius occurrit iis, qui concilia vetera, et eorum canones evolvunt. De quo quantum erat satis in primo Dissertationum ecclesiasticarum libro disseruimus[1]. Quicumque anathemate, vel excommunicatione, aliave quapiam ecclesiastica pœna est affectus, nonnisi episcopi alicujus, aut episcoporum in unum coeuntium, capitaque conferentium judicio, ac sententia damnatus est; nec alia potestate, auctoritate, ac jurisdictione, quam cujus in Scripturis origo prodita est. Nulla porro in iis extat, præter eam, quæ pastoribus, et præsidibus Ecclesiæ committitur, quibus regendam hanc, moderandamque credidit.

XIII. Atque hæc adversus Messalinum Trapezitam, eumdemque Catharum Salmasium hactenus disputata sint. Cujus equidem hoc in opere theologico mentionem nominis nullam fecissem, neque quidquam in refutandas nænias istas temporis et operæ contulissem, nisi stultam fautorum illius reprimendam fiduciam putassem, qui dissertationem istam vix in lucem editam, necdum a se lectam, ac ne fortasse quidem conspectam, præconio suo, famaque latius dissiparunt, ut ab illa minas etiam intentarent catholicæ parti. Qui profecto si scissent, quantum monstrum libri istud esset, nunquam eum tantopere jactassent. Spero illos, quod ex ejus lectione animadvertere cœperunt, plenius ex hac disputatione nostra cognituros, quantopere spes illos sua, expectatioque fefellerit; ac cautiores parciosresque fore prædicandis in istius libris, quos nondum legerint, sed promitti tantum ab eo ac parari didicerint. Nam et alii propediem dissertationem istam debent subsequi, nisi ea nos fallit, quæ se priorem esse partem, totius utique, ac majoris alicujus operis, in fronte testatur, ut secundam saltem expectari oporteat, et nescio quæ alia moliri pridem ipsum; velut *de primatu Petri*, amici ejus ostendunt, interque ceteros omnium illi notissimus, et familiarissimus, ut qui sub eadem cuticula vivit, et eumdem ducit spiritum, Wallo iste Messalinus homo sincerus, minimeque mendax: qui de quæstionibus iis, quas modo disputamus, « plura et meliora ab Salmasio expectari » scribit[2]; « quem audiat paratum tractatum habere de Ordine ecclesiastico. »

Expectemus itaque meliora ista; nam plura ut sint, nihil ad rem attinet. Cujusquemodi autem ea futura sunt, dum ab homine sano, et ratione ac judicio nonnihil utente profecta sint, non possunt non iis esse meliora, quæ nebulo iste Messalinus commentatus est. Qui tam acutus fuit in scribendo, ut cum certum sibi destinasset argumentum, de quo librum faceret, ac videlicet oppugnare instituisset illa, quæ in Dissertationibus nostris ecclesiasticis contra Catharum Trapezitam explicata sunt; cumque probare suscepisset, episcopatum eumdem ordinem esse cum presbyteratu ex Christi, et apostolorum ordinatione: ubi ad rem ventum est, eo negotium deduxit, ut id affirmaret, ac disputando colligeret, quod dixeram; damnaret autem illud ac refelleret, quod antea scripserat, et cujus asseverandi gratia ad illam se dissertationem elucubrandam contulerat. Hic fructus, exitusque Messalianæ dissertationis fuit; in quo veritas profano ex ore divinitus expressa de mendacio, et inscitia triumphavit. Nec disparem reliquorum, quæ porro nobis intentat, librorum ac certaminum conditionem fore, jam nunc animo prospicimus. Nam quod de Salmasio meliora pollicetur fœneus Wallo, more suo mentitur. Quominus enim expectari talia debeant, facit inclinata jam ætas, tam ad illa dediscenda, quæ scire se putat, quam ad ea, quæ nescit, capienda minus utilis. Tum præsertim insolens ex amore, ac fiducia sui, et contemptor aliorum animus, quo fit, ut admoneri, reprehendique se, quamvis necessario ac merito, pejus et intolerabilius putet, quam in quantacumque suscepti semel erroris amentia persistere.

[1] Cap. 6.

[2] Pag. 467.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

1. Status quæstionis, ac disputationis argumentum. — 2. Episcopatum, et presbyteratum ordines esse, ac semper fuisse duos, et in quo sita est amborum differentia. — 3. Difficilis ex Apostolo contra discrimen illorum ordinum objectio proposita. — 4. Quæ duplici ratione dissolvitur, et utraque comprobatur.

I. De hierarchicis ordinibus, episcopatus præsertim ac presbyteratus, et eorum discrimine, deque Scripturæ locorum, quibus illorum mentio fit, interpretatione, quid sentirem, exposui duobus in libris, quos grassanti ad Christianorum sacrorum injuriam temeritati, ac petulantiæ Salmasii, Leidensis ex causidico grammaticæ professoris, objeci. Hos libros neminem qui legerit, si quidem rationis et judicii, quo uti possit, pusillum habeat, confido fore, quin quid velim, quæque mea sententia sit proposita de re, clare et perspicue cognoscat. At iste, quem contra scripsi, sive per κακοήθειαν, sive, ut ingenium est hominis perinde, ac loquendi genus, inconditum et confusum, sensum opinionemque nostram obscure ac præpostere concepit; ac plerumque contra id, quod falso dici a me suspicatus erat, non adversus hoc, quod reipsa dixeram, declamare instituit.

Quamobrem faciendum id mihi visum est hoc initio, ut summam opinionis meæ propositæ illic et uberius explicatæ conficerem, et sub unum aspectum erudito lectori subjicerem, quo facilius et imperiti, ac tenebricosi nebulonis fucus et calumnia, et solidæ, constantisque veritatis lux dispici, dijudicarique possit.

II. Cum igitur in medium adducta esset illa quæstio, utrum olim apostolorum seculo, et videlicet ex institutione Christi, distinctus ab episcopo fuisset presbyter; mea imprimis ratio ista fuit, secernendos in hac controversia ipsos ordines, et dignitates a personis videri, hoc est episcopatum et presbyteratum ab iis hominibus, qui episcopi fuerunt et presbyteri; tum quod ad prius attinet, dubitandum non esse, quin ex instituto Christi, divinoque jure, duo illi ordines diversi fuerint, sive in unum, eumdemque collati sint, sive personis disjuncti ita, ut alter episcopus simul esset et presbyter, (quæ duo necessario in summo gradu conjuncta sunt,) alter nonnisi presbyter, vel, ut vulgo loquuntur, simplex presbyter esset. De altero vero, nempe utrum presbyteri omnes, etiam episcopi, temporibus illis forent, quæstionis rem esse dixi.

Jam illud ex antiquorum placitis, et perpetuo sensu, atque usu Christianæ, ac catholicæ Ecclesiæ certo constitui, episcopatus et presbyteratus simplicis præcipuam, et quodammodo οὐσιώδη differentiam in eo sitam esse, quod episcopus solus administer est sacrorum ordinum, ac nemo præter ipsum; episcopos, presbyteros, et diaconos ordinare potest; neque jus istud habet presbyter simplex, uti, si hoc usurpet, non modo illicitam rem, ac nefariam faciat, sed nihil omnino faciat. Est quidem presbyteri potestas hujusmodi, qua ab diacono distinguitur, quod tum consecrandi Dominici corporis, et offerendi sacrificii functionem exercet, tum remittendorum in sacramento Pœnitentiæ peccatorum, quod clavium potestatem vocant; quod utrumque, ac quidquid aliud presbyter potest, etiam episcopus potest, eo quod episcopus omnis presbyter est, non omnis autem presbyter est episcopus.

III. Ex his controversiæ capitibus unum præsertim in quæstione versari dixi; ex quo etiam nostra est orta contentio: an qui in epistolis apostolicis, et in Actis nominantur presbyteri, iidem episcopi fuerint. Dubitandi porro causa hæc est, quod et Actorum vicesimo capite Paulus, Mileti cum esset, τοὺς πρεσβυτέρους eo convocasse ex Epheso dicitur[1]. Quos deinde coactos in unum alloquens, Ἐπισκόπους nominat

[1] Act. 20.

commate 28. et a Spiritu sancto constitutos ait ad regendam Ecclesiam Dei. Et epistolam ad Philippenses episcopis, et diaconis inscribit, nulla interjectorum presbyterorum mentione facta. Rursus in priore ad Timotheum, capite tertio, postquam episcopis, quæ erant eorum officii, præscripsit, subinde transit ad diaconos, eisque præcepta dat, nullo ordine interposito.

Item in epistola ad Titum [1] ait se hunc in Creta reliquisse, ut constituat per unamquamque civitatem presbyteros : quos deinceps [2] episcopos appellat ejusdemmodi, quales in priore ad Timotheum instituerat. Nam iisdem fere verbis, quibus ad hunc scripserat, ibi quoque presbyteris partes suas, et officia describit. His de causis nata illa suspicio est, unum et eumdem ordinem apostolorum tempore fuisse presbyterum, et episcopum.

IV. Nos autem, quibus constat, ex institutione Christi, duplicem ac distinctum ordinem fuisse, duas illorum interpretandorum Apostoli locorum, ac ceterorum, quæ ad eamdem significationem implicata sunt, rationes adhibuimus. Harum prior exposita est in primo libro Dissertationum ecclesiasticarum, capite secundo, quæ est ejusmodi : Videri apostolos dixi, in quibusdam Ecclesiis a se constitutis clerum sic instituisse, ut majores, et ad regendam Ecclesiam, gubernandamque præpositos complures ordinarent presbyteros eosdem et episcopos, hoc est episcopali charactere, ac potestate præditos, ut esset parata copia præsidum, et episcoporum, quos ad alias, quas deinceps fundarent, Ecclesias administrandas destinare possent. Cum enim perpetuo fere huc, illucque discurrerent apostoli, nec eodem loco consisterent, non facile poterant ad ordinandos, ubi opus erat, episcopos plures convenire. Itaque expeditius visum est in quibusdam Ecclesiis aliquot episcopos ordinare, quos ad manum haberent, et ad loca varia, in quibus Ecclesiæ coaluerant, sine mora destinare possent. Hinc vero simile est accidisse, ut ad quas Ecclesias ita scribebat Apostolus, duos ut tantummodo commemoraret ordines, horum primus ex episcopis constaret, quos promiscue presbyteros, et episcopos vocaret. Etenim mos fuit primis illis temporibus majores clericos, qui in primo, ac secundo de tribus hierarchicis ordine censebantur, episcopos ac presbyteros nominare; quorum vocabulorum prius ab *inspectione*, et *curatione*, posterius non tam ab ætatis prærogativa, quam ab dignitate, ac veneratione cepit originem, ut in superioribus libris de Hierarchia docuimus [3]. Utroque sane appellabantur illi, qui honore, ac functione ceteris antecellebant, et horum curam gerebant, eosque verbo Dei, ac sacramentis pascebant, et administrationi Ecclesiæ in commune præerant; cujusmodi per illa Christianorum initia primarii duo erant ordines, quorum alter episcopi postea proprium sibi nomen fecit, alter presbyteri : ambo, inquam, illi ordines episcopi simul, et presbyteri vocabantur sub initia prodeuntis Ecclesiæ Christianæ.

V. Altera quæstionis illius enodatio, quam ab antiquis traditam mihi in mentem postea venit usurpare, cum superiores libros de ecclesiastica Hierarchia conscriberem, sic a nobis illic explicata fuit [4]. Apostolos dixi plerisque in Ecclesiis recens excitatis nondum episcopos, hoc est ordinis primi gubernatores, et pastores instituisse; sed secundi duntaxat, hoc est presbyteros simplices, qui curationem illam Ecclesiarum capesserent, et utroque nomine censerentur. Hujusmodi ergo in administranda Ecclesia communia sibi cum superiori ordine munia præstabant, quæ quidem præsenti necessitate magis urgebant, nec differri longius poterant; cetera, quæ majoris erant potestatis, in apostolorum, aut ab iis missorum episcoporum, adventum interim reservabant. Hoc institutum nostra ætas in longinquis Ecclesiis media in barbarie constitutis etiamnum servari videt, ut apud Sinenses, et Canadenses, aliosque barbaros, in quos Christianæ fidei lux illata parem haud modicis condendis Ecclesiis numerum aggregavit : quæ omnes ab simplicibus presbyteris, quorum studio, et laboribus acquisitæ sunt, sine ullo interim episcopo gubernantur. Talia sine dubio, prædicantibus apostolis, esse potuere rudimenta Christianismi. Neque tamen ubique, et in omnibus civitatibus, Ecclesiarum ille status constitutus fuit; nec ibi, ubi primum adhibitus est, diuturnus, nedum perpetuus extitit, cum in alterutra instituenda, retinendave forma, pro rerum opportunitate, proque Christianorum numerositate, vel paucitate, consilia sua moderarentur apostoli.

VI. Non absurdam, nec incredibilem hanc esse conjecturam nostram, persuadet illud, quod in Actis apostolorum [5] legimus : Sama-

[1] Tit. 1. 5. — [2] Ibid. vers. 7.

[3] Lib. 1. c. 2. § 1. et lib. 2. c. 9. § 4.— [4] Lib. 2. c. 5.— [5] Act. 8.

riæ primum, opera et prædicatione Philippi diaconi conditam Ecclesiam fuisse; cumque nullus ibi adhuc creatus esset episcopus, qui baptismo initiatos Spiritu sancto confirmaret, ac manus imponeret, Hierosolymis ad eos missos esse primarios episcopos, hoc est apostolos, per quos ea, quæ sunt episcoporum propria, interim administrarentur, dum proprius illis pastor, et episcopus ordinatus esset. Sic ergo Corinthi, Ephesi, et in aliis quibusdam civitatibus, ubi nuper ab apostolo Paulo, vel ab Apollo, aliisque discipulis, et apostolis, greges acquisiti Christo fuerant, verisimile est, nullos tanstisper primi ordinis sacerdotes, hoc est veros, uti nunc censentur, episcopos attributos esse : sed ex secundo ordine, qui nunc presbyterorum simplicium dicitur, ac tertio, qui ministros habet, clerum constitisse; donec summus omnibus præficeretur Ecclesiæ rector, et episcopus, cum id tempestivum videretur.

Hæc de ordinibus hierarchicis, deque rudis adhuc, et nascentis Ecclesiæ administratione duplex mea fuit opinio, duplici in opere probabilibus argumentis, et veterum testimoniis approbata; quorum perinde summa cogenda hic est, perstrictis singulis rationum capitibus, ne quid temere affirmare tantis de rebus, ac divinare videamur, et illum, quem contra scribimus, imitari Leidensem Trapezitam, ridiculum hominem : qui collectam ex Puritanorum suorum usu, cui innutritus est, formam regiminis ecclesiastici in antiqua illa Ecclesiæ tempora refudit, nulla nec idonea satis auctoritate, nec argumentationis specie, ac colore fretus; qui non stultum hominem veri aliqua similitudine morari, et advertere posset.

CAPUT SECUNDUM.

Quæ antecedenti capite proposita sunt, explicantur, et confirmantur. 1. Ordinationis verum sacramentum esse, ut et baptismi. — 2. Ex Augustino probatum; quod et iterari nefas asserit, et characterem imprimere. — 3. Item ex Joanne Chrysostomo probatur. — 4. Triplex gradus hierarchiæ ecclesiasticæ. — 5. Distingui presbyteratum ab episcopatu ex eo demonstratur, quod ordinare soli isti licet, nefas est illi. — 6. Idque uberius ostenditur. — 7. Nulli constitutam a Deo sacramento Ordinis substantiam abrogare, aut mutare licere.

I. Ut ratione ac via disputatio nostra progrediatur, illud imprimis obtinendum est, esse in Ecclesia sacramentum quoddam Ordinationis, institutum a Christo, quod baptismo, Eucharistiæ, ac ceteris annumeretur. Id adeo ex ipso sacramenti Christiani notione, definitioneque constat, in quam Romanæ hostes Ecclesiæ consentiunt, ut alibi docui [1]. Inter quos Philippus Melanchthon « Sacramenta ritus esse » dicit, « qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ. » Et Kemnitius asserit, « auctoritatem, et potestatem instituendi sacramenta, ut sint efficacia signa gratiæ, non esse ullius creaturæ, sed solius Dei, qui gratiam illam operatur. » Ex quo duo quædam ad Sacramenti rationem necessaria esse, tam isti, quam Calvinus, Beza, ac ceteri earumdem partium approbant : alterum, ut sit externum quoddam signum institutum a Christo, et Ecclesiæ traditum : alterum, ut gratiæ sit efficiens. Utrumque vero inest in Ordinationis ritu, hoc est, in manuum impositione, qua Christianorum sacrorum administri creari solent, quam Græci χειροτονίαν, et χειροθεσίαν appellant. Hoc enim Apostolus demonstrat in secunda ad Timotheum [2] : *Admoneo te*, inquit, *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.* Ac nonnullis aliis in locis mentio fit *impositionis manuum*, tanquam cæremoniæ cujusdam, qua sacri ministri ordinabantur. Est igitur novæ legis Sacramentum ex Christi institutione descendens, Ordo, sive Ordinatio.

Huic catholicæ fidei decreto Christiana retro omnis antiquitas auctoritatem conciliat, tum plurium in synodalibus cœtibus aggregato-

[1] Lib. 2. de Ecclesiast. Hier. c. 9. § 6.

[2] 2. Tim. 1. 6.

rum, tum seorsim singulorum. Qui ritum illum ordinandi, ac manuum impositione consecrandi, nec humano jure constitutum esse testantur; et non minus sacrosanctum esse, quam reliqua sacramenta; et cœlestem gratiam, ac Spiritum sanctum per illum tribui.

II. Augustinus certe verum, ac proprie dictum in Ecclesia Ordinationis esse sacramentum, luculenter asserit in libro secundo contra epistolam Parmeniani, capite 13. atque et cum baptismo confert, et utrumque non humanæ, sed divinæ institutionis esse confirmat: « Utrumque, *ait*, sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur. Ideoque in catholica utrumque non licet iterari. » Ac duo istic docet Augustinus, quæ certissimam fidem faciunt, non ex humana, sive ecclesiastica institutione, ac potestate manasse ritum illum ordinationis, sed ex divina prorsus, unde et baptismus profectus est. Alterum est, quod nunquam iterare illam licet; ut cum ab hæresi ad catholicam Ecclesiam revertuntur, qui vere ordinati sunt, non eis denuo manus imponitur; sed neque cum depositi sunt, aut usu ordinis prohibiti, *eis ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos*. Alterum, quod præter gratiam sanctificantem, quam ut baptismi, sic Ordinationis sacramentum in animam nostram derivat, aliud quoddam effectum utriusque commemorat, ut *hæreant sacramenta illa Christiana non minus, quam corporalis nota*, hoc est *militaris character*, quo tirones in militiam adscripti signari solebant; ex quo theologi spiritalem illam notam, quam sacramenta quædam imprimunt, quæ repetere nefas est, characterem vocarunt. Hinc igitur, quod dixi, firmissima ratiocinatione colligitur, tam humani, aut ecclesiastici non esse juris ac potestatis ordinationis ritum, quam baptismi. Nam si ex hominum uterque arbitrio penderet, nihil prohiberet, quominus iterari posset; nec adversus Donatistas, ac reliquos, qui hæc duo sacramenta repetere audebant, tantas capere lites oportuisset, aut pro hæreticis illos ab communione segregare. Imo vero facile hoc Ecclesia catholica tolerasset, et cum tam parvi momenti re, tot a se dissidentium salutem, et pacem publicam, otiumque compensare maluisset. Vide quæ in secundo libro de Hierarchia de hoc argumento scripsi.

III. Joannes item Chrysostomus in aureis præsertim libris illis, quos de Sacerdotio scripsit, (quod vocabulum in episcopatum maxime convenit, tametsi pro ratione munerum, ac functionum utrique communium, etiam ad simplices sacerdotes pertinet,) illis ergo in libris Chrysostomus multa de sacerdotali ordine, ac dignitate perhonorifice dixit, quæ divinam institutionem perspicue testantur; ex quibus unum afferam imprimis disertum. « (1) Sacerdotium, *inquit*, in terra quidem perficitur; sed ordinem tamen cœlestium illarum legionum obtinet; idque adeo jure meritissimo. Etenim non homo, non Angelus, non Archangelus, nec alia quæpiam creata virtus, sed ipsemet Spiritus sanctus hanc totam seriem ordinavit, et manentes adhuc in carne angelicum ministerium animo concipere persuasit. »

Ut hic locus Chrysostomi de utroque sacerdotii ordine, primo et secundo, debet accipi; sic quæ Augustinus contra Donatistas de non iteranda ordinatione tradit, non minus in utrumque quadrant, ac potissimum etiam de episcopatu in illis ambo isti Patres loquuntur. Quare tum Sacramentum esse, tum divini juris, et institutionis esse probatur indidem episcopatus; cujus ordinationem efficientem esse gratiæ, necnon ab auctore Deo per impositionem humanarum manuum proficisci, luculentum est Ambrosii testimonium in libro de Sacerdotali dignitate, capite quinto. « Quis dat, frater, *inquit*, episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus; homo imponit manum; Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, et Deus tribuit dignitatem. »

IV. Quocirca « in Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, » merito Tridentina synodus decrevit [1], « eamque constare ex episcopis, presbyteris, et ministris. » Quam perpetuam Ecclesiæ fuisse, ac constantem professionem, antiqui canones demonstrant, qui hierarchicos ordines triplici

(1) Chrys. lib. 3. de Sacer. pag. 15. Ἡ γὰρ ἱερωσύνη τελεῖται μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, τάξιν δὲ ἐπουρανίων ἔχει ταγμάτων· καὶ μάλα γε εἰκότως. Οὐ γὰρ ἄνθρωπος, οὐκ ἄγγελος, οὐκ ἀρχάγγελος, οὐκ ἄλλη τις κτιστὴ δύναμις, ἀλλ' αὐτὸς ὁ Παράκλητος ταύτην διετάξατο τὴν ἀκολουθίαν, καὶ ἔτι μένοντας ἐν σαρκὶ τὴν τῶν ἀγγέλων ἔπεισε φαντάζεσθαι διακονίαν.

[1] Sess. 23. can. 6.

illo gradu definiunt : eosque commemorat Optatus libro secundo. « Certa membra habet, *inquit*, Ecclesia, episcopos, presbyteros, diaconos, ministros, et turbam fidelium. » Non solo *ministrorum* vocabulo Tridentini patres diaconos, et inferiores ceteros ordines complexi sunt. Et alioquin Optatus ipse trifariam hierarchicos ordines partitur eodem illo in libro, cum ait : « Ut cum sint quatuor genera capitum in Ecclesia, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, et fidelium, nec uni parcere voluistis. » Vides ut sacros Ecclesiæ ordines tres itidem, ut Tridentina synodus, enumeret; quibus adjuncta plebe fidelium, quatuor Ecclesiæ membra, sive capita, ut vocat Optatus, existunt.

V. Jam ordinum illorum trium primos duos a se mutuo distinctos esse, præter antiquitatis expressa testimonia, quæ partim in Conciliorum decretis et canonibus, partim in libris sanctorum Patrum innumerabilia continentur; evincit hoc etiam argumentum, quod ordinis sacramenta pro sacræ functionis discrimine distingui debeant, cum est aliqua scilicet, quæ ab uno geri, administrarique potest, ab altero non potest. Quamobrem cum episcopatui hierarchica quædam attributa sint officia, quæ presbyteratui attingere nullo modo licet, ut si hæc usurpare audeat, non modo nefarie agat, sed nihil agat omnino; perspicuum est, ambos illos ordines, ut genere conveniant, specie esse diversos. Quod vero sit officium illud, munusque sic episcopali affixum ordini, ut ab reliquis omnibus non modo *licite*, ut loqui solent, sed ne *valide* quidem exerceri queat; catholici ad hoc usque tempus nominis consensus, ususque perpetuus ostendit. Nimirum illa est, quæ a Græcis χειροτονία, ab Latinis *ordinatio* dicitur. Sic Epiphanius in hæresi 75. Aerii cujusdam insanum dogma redarguens, quale est hodie Lutheranorum, et Calvinistarum, et inter hos maxime Puritanorum, cujus patronum se profitetur Leidensis scholæ magister Salmasius, hoc illum argumento refellit, quod episcopus solus ordinare per manus impositionem presbyterum, adeoque et episcopum possit; neutrum possit presbyter. « (1) Quomodo enim, *ait*, fieri posset, ut presbyterum constituat, qui ad ordinandum non habet impositionem manuum? » Quibus verbis non eatenus tantum ordinandi munus presbytero detrahit, quod ab eo sine gravi piaculo exerceri nequeat; cum alioquin, utcumque fecerit, opus irritum non sit : sed ita, ut jure, ac potestate ordinandi prorsus carere significet. Hoc enim voces istæ declarant, καὶ πῶς οἷόν τε ἦν, *quinam vero posset?* Non potest igitur presbyter simplex ordinationem facere presbyteri, vel episcopi; quos quidem ordines, *patrum*, ac *præceptorum* ibidem Epiphanius vocat : quoniam per baptismum, qui penes illos ex officio constat, filios gignunt, quos quidem solos propagare possunt, qui episcopi non sunt; hi vero tum filios per regenerationis Sacramentum, tum patres, hoc est filiorum genitores, et præceptores, episcopis ac presbyteris ordinandis. Vide integrum Epiphanii locum, quem in Dissertationibus ecclesiasticis [1], et in primo de Hierarchia libro [2] descripsimus.

VI. Idem traditum est ab Hieronymo in epistola 85. ad Evagrium, his verbis : « Quid enim facit, excepta Ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » Chrysostomus item in homilia undecima in priorem ad Timotheum, de episcopis loquens, ait, « (2) ipsos sola manuum impositione superiores esse, et hoc uno videri excellere presbyteros. » Tum in homilia prima in epistolam ad Philippenses, causam hanc affert, cur Apostolus ad Philippenses scribens, epistolam suam episcopis, et diaconis solis inscripsit, quod per illud tempus presbyteros, etiam simplices, appellare mos esset episcopos. Non enim episcopos illic Paulum intellexisse primi ordinis, ac proprie dictos, qui plures ejusdem urbis esse non poterant. Agnovit igitur Chrysostomus episcopi et presbyteri, hoc est primi et secundi ordinis, discrimen; idque Pauli apostoli temporibus extitisse ita, ut singulis, ubicumque essent, Ecclesiis singuli præsiderent : quæ eadem OEcumenius, et Theophylactus in commentariis adnotarunt.

Rursus idem Chrysostomus in homilia undecima in epistolam primam ad Timotheum quærit, cur Apostolus post episcopis data præcepta, mentione presbyterorum omissa, ad diaconos transvolet; respondetque, idcirco presbyteros illum præteriisse, quod eadem fere sit horum, et episcoporum ratio, cum

(1) EPIPH. hær. 75. § 4. Καὶ πῶς οἷόν τε ἦν πρεσβύτερον καθιστᾶν, μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν.

(2) CHRYSOST. init. hom. 11. pag. 289. Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνῳ δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.

[1] Lib. 1. cap. 3.

[2] Cap. 3. § 9.

nihil inter ambos intersit, si ordinationem excipias; quæ verba proxime ante descripsimus. Ex quo perspicuum est, Chrysostomum existimasse, jam tum, scribente illa Paulo, tres in Ecclesia distinctos ordines fuisse, et presbyteratum re ab episcopatu discrepasse; etsi promiscua inter illos esset appellatio, cum τῆς χειροτονίας, hoc est *ordinandi per manuum impositionem* potestas penes solos esset primi ordinis presbyteros, vel episcopos.

Theodoretus quoque amborum ordinum differentiam per eadem tempora fuisse non dubitat [1]; sed qui in secundo ordine censebantur, et postea presbyteri simplices habiti sunt, tunc presbyteros et episcopos nominari solitos; eos autem, qui primi erant ordinis, apostolos fuisse dictos.

VII. Cum autem ordinationis ritum novæ legis esse Sacramentum, et institutum a Christo fuisse demonstratum sit initio capitis hujus, ac nominatim id de episcopatu probatum fuerit; ex ipsa Sacramenti natura, et juris, institutionisque divinæ proprietate consequens est id, in quo Lutherani, Calvinistæ, ac Puritani nobiscum sentiunt, nulli hominum fas esse mutare, vel innovare quidquam in Ordinis sacramento; quod quidem ad ea pertinet, quæ sunt οὐσιώδη. Hujusmodi vero sunt species ipsæ, ac differentiæ ordinum sub eodem genere constitutorum; tum singulorum proprietates, et functiones, ab quibus εἰδοποιητικὴ, hoc est *specifica*, ut scholæ nominant, singulorum differentia petitur. Ideo neque sacramentorum augere numerum, aut e contrario minuere, quibusdam vel additis vel extinctis, Ecclesia potest; neque, quod divino jure unicuique tributum est, functionis genus in totum eripere, uti *valide* saltem, quod dici solet, præstari nequeat. Nam usus illius eatenus interdici potest, ut non liceat; non ut nihil agat, si contra interdictum audeat facere. Ex quo istud etiam ratiocinando deducitur : episcopatum, et presbyteratum ita, ut hodie censentur in Ecclesia catholica, perpetuo distinctos, ac pro diversis habitos fuisse; nec unquam unum ambos, et eumdem ordinem extitisse, tametsi in eamdem personam convenire possint. Siquidem episcopatus nunquam a presbyteratu separari potest. Verum ideo differre, ac diversi ordines esse dicuntur, quod presbyteratus ab episcopatu distractus, ac simplex in plerisque consistit; sicut anima rationis particeps, etsi necessario sensu præditam vi et eminentia quadam continet; specie tamen ab hac discrepat, quæ separatim in aliis, ut in bestiis, existit.

CAPUT TERTIUM.

Duplex Apostoli locorum interpretatio primo exposita capite defenditur, et illustratur; atque ex antiquorum dictis colligitur : — 1. Chrysostomo, et Græcis aliis, et Hieronymo; — 2. Theodoreto. — Epiphanii quæ sit opinio. — 4. Et nonnulla ex ea consectaria. — 5. Velut non eodem modo semper formam Ecclesiæ administrandæ constitutam fuisse. — 6. Magna concordia docere veteres, ordinandi jus penes solos episcopos fuisse. — 7. Tum adversus Leidensem professorem probatur ordinum amborum distinctio; — 8. maxime ex episcoporum singulorum per Ecclesias serie, ac successione memoriæ prodita.

I. Nunc duplicis illius est responsi reddenda, et approbanda ratio, quod allatum est capite primo ad illa Scripturæ loca, quæ episcopum eumdem cum presbytero constituere videntur.

Utriusque responsi non auctores nos, inventoresque fuimus, sed a græcis, et latinis enarratoribus Pauli, et iisdem perantiquis traditum accepimus. Horum prius, quod episcopos illos, eosdemque presbyteros ab Apostolo nominatos primi ordinis fuisse sacerdotes ait, qui in singulis ibi commemoratis Ecclesiis plures tunc erant, ex Chrysostomi loco illo sumpsimus, qui est in homilia undecima in priorem ad Timotheum : ubi cum quæsisset, cur Paulus, post episcopis edita præcepta, statim ad diaconos instruendos sermonem verterit; nec secundo ordini, qui est simplicium sacerdotum, monita ulla dederit; respondet, id eo contigisse, quod secundorum sacerdotum pene sit eadem, atque primorum, hoc est episcoporum, ratio : siquidem hi solo jure ordinandi distant a prioribus, et iis antecellunt; quæ

[1] In ep. ad Philipp. c. 2, et in 1. ad Tim. cap. 3.

verba capite superiori retuli [1]. Hinc igitur verissime concluditur, Chrysostomi isto in loco hujusmodi fuisse sententiam, ut presbyteros, id est secundi ordinis sacerdotes, prætermiserit Apostolus, solosque commemorarit episcopos, qui promiscue usurpata tum appellatione tam presbyteri, quam episcopi vocabantur; adeoque paucis illis saltem in Ecclesiis, quarum mentionem facit Paulus, plures in clero extitisse, qui, quoniam ordinati erant episcopi, utroque initiati erant ordine, presbyteratus et episcopatus. Licet hoc idem ex OEcumenii, et Theophylacti commentariis ad eumdem locum Apostoli colligere. Nam uterque more suo Chrysostomi vestigia persequitur.

Idipsum quoque ex Hieronymi opinione conficitur. Nam in epistola 85. ad Evagrium [2] affirmat, Apostolum in epistolis ad Titum et ad Timotheum, « de ordinatione episcopi duntaxat, et diaconi dixisse; de presbyteris omnino reticuisse; quia in episcopo, *inquit*, et presbyter continetur. » Quibus verbis plane istud significat, diversum fuisse tempore apostolorum episcopatus ordinem a presbyteratu. Nam, nisi ita sentiret, non diceret, Apostolum de presbyteris, hoc est de ordine presbyterorum, (neque enim de solo vocabulo presbyterorum ita loqueretur,) *omnino reticere;* nec sic diceret, *contineri in episcopo presbyterum;* quandoquidem, si solas voces intuearis, neutra in altera comprehenditur, sed Ordo in Ordine, in majore minor. Igitur distinctos ambos Pauli ætate fuisse, non dubitavit Hieronymus; et eorum differentiam exposuit ibidem, cum *sola ordinatione*, id est ordinandi potestate, discrepare dixit, ut capite superiore animadvertimus [3].

II. At idem Chrysostomus alibi censet, Apostolum, cum episcopos nominat in epistola ad Philippenses, secundi ordinis intellexisse, non primi sacerdotes; nempe cum epistolam inscribit τοῖς συνεπισκόποις, *coepiscopis*. « (1) An enim plures ejusdem urbis erant, *inquit*, episcopi? Minime. Sed presbyteros ita nominavit. Tunc enim nomina invicem communicabant. » Quare non episcopos ibi gradus primi sacerdotes appellari credidit, sed presbyteros simplices, qui tunc erant illis cognomines. Siquidem de episcopis illis, qui singuli in singulis Ecclesiis erant, negat Apostolum loqui. Tales autem sine dubio fuerunt primi ordinis sacerdotes. Ergo de secundo gradu interpretatus est, qui constabat iis presbyteris, qui, cum episcopi tunc etiam vocarentur, non tamen episcopalem ordinem, et characterem, hoc est ordinandi jus habebant.

Sic Hieronymus in epistola ad Evagrium [4], eumdem docet apostolum Actorum capite vicesimo eos ipsos, quos et presbyteros et episcopos nuncupat, secundi tantum ordinis sacerdotes facere; quod itidem et de episcopis initio epistolæ ad Philippenses nominatis asserit. Cum enim *eosdem esse presbyteros, quos et episcopos*, apud Apostolum, probare vellet, testem citat eumdem apostolum in epistola ad Philippenses, qui *sanctos omnes* salutat, *qui erant Philippis, cum episcopis, et diaconis*. Tum alio testimonio ex Actorum vicesimo capite allato idem adstruit, ubi Paulus *unius Ecclesiæ sacerdotes* alloquens, eos vocat episcopos. Et subinde quales intelligat, ostendit his verbis : « Ac ne quis contentiose in una Ecclesia plures episcopos fuisse contendat, etc.» Ex quo satis apparet, Hieronymum neutiquam episcopos hujusmodi ab Apostolo nominatos existimasse, qui singulares in quaque erant Ecclesia, non uno plures. Igitur non de primi ordinis sacerdotibus Paulum exposuit Hieronymus, sed de secundariis duntaxat; prorsus ut est Chrysostomi sententia, quocum etiam in reddenda ratione consentit, ex verorum episcoporum singularitate. Idem et Hieronymo falso tributus commentarius in epistolam ad Philippenses censuit; ubi ad eumdem locum, in quo post episcopos diaconorum meminit Paulus, hæc adnotantur : « Hic episcopos presbyteros intelligimus. Non enim in una urbe plures episcopi esse potuissent. »

Theodoretus quoque non aliter Apostoli mentem exposuit, quam ut episcoporum vocabulo, ut et presbyterorum, secundi ordinis sacerdotes significaverit. Quippe ad caput tertium prioris ad Timotheum notat, « (2) eosdem olim vocatos esse presbyteros, et episcopos; eos autem, qui nunc vocantur episcopi,

(1) CHRYS. hom. 1. in ep. ad Phil. Τί τοῦτο; μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; οὐδαμῶς· ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε. Τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι.

(2) THEODOR. Ἀλλ' ὅπερ ἔφην, τοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν ποτὲ πρεσβυτέρους, καὶ ἐπισκόπους· τοὺς δὲ νῦν καλουμένους ἐπισκόπους, Ἀποστόλους ὠνόμαζον. Χρόνου δὲ προϊόντος, τὸ μὲν τῆς ἀποστολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς Ἀποστόλοις κατέλιπον, τὴν δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις Ἀποστόλοις ἐπέθεσαν.

[1] § 6. — [2] Tom. 1. col. 933. [3] § 6. — [4] Ep. 85.

nominabant apostolos. Procedente vero tempore, apostolatus nomen iis, qui veri erant apostoli, reliquerunt; episcopatus autem appellationem imposuerunt iis, qui olim apostoli dicebantur. » Hæc Theodoretus : unde perspicuum est, episcopos et presbyteros a Paulo simplices tantummodo sacerdotes ex illius sententia nuncupari; non utique primi ordinis, in quo veri episcopi, qui quondam apostoli dici consueverant, collocantur.

III. Epiphanius vero media quadam incedit via; quæ et ipsa nostro instituto plurimum conducit. Nam existimat, apostolos non in omnibus a se constitutis Ecclesiis episcopos instituisse; aut vero tres illos ordines, ex quibus integra hierarchia componitur : sed pro re nata, et ut rudis adhuc, et inchoatæ Ecclesiæ primordia ferebant, in quibusdam unum episcopum cum ministris, sive diaconis ordinasse, in aliis nullum episcopum, sed presbyteros plures cum diaconis. Verba Epiphanii merito hic describentur, quibus Aerio iisdem, quibus hodie Cathari utuntur, argumentis catholicam oppugnanti fidem occurrit : « (1) Cum recens adhuc esset, *inquit*, Christiani dogmatis prædicatio, prout res ferebant, sanctus Apostolus scribebat; atque ubi constituti jam erant episcopi, ad episcopos et diaconos scribebat. Neque enim apostoli statim ordinare omnia poterant. Et quidem presbyteris, et diaconis imprimis opus erat, siquidem ab his duobus ecclesiasticæ functiones obiri possunt. At ubi nemo inventus est episcopatu dignus, nullus ei loco præpositus est episcopus. Sed ubi et necessitas postulabat, et eorum, qui episcopatu digni essent, copia suppetebat, constituti sunt episcopi. Cum autem haud magna multitudo esset, reperiri nulli potuerunt, qui presbyteri ordinari possent; unde solo episcopo illo in loco contenti fuerunt : sine diacono vero episcopus esse non potest. »

IV. Ex his Epiphanii verbis nonnulla colliguntur, quæ ad rem nostram pertinent. Primum apostolos non ita certæ, et uniusmodi formulæ constituendarum Ecclesiarum, et cleri in iis ordinandi, adstrictos, et obligatos fuisse, ut aliter facere nefas ducerent. Sed pro arbitrio suo, et prudentia, modo integram hierarchiam instituisse, quam tribus ordinibus constare, episcopo, presbytero, et ministro, Tridentina decrevit synodus; modo absque primo ordine, clerum ex secundo conflatum et tertio collocasse; alias ex primo et tertio, prout scilicet usus, et hominum copia permittebat. Deinde hoc etiam intelligimus, presbyteros, qui ab Apostolo in epistolis appellantur, ex Epiphanii opinione, simplices esse sacerdotes; episcopos vero primi esse ordinis, et presbyteris majores. Tertio illud etiam apprime notatu dignum animadvertimus, Epiphanium eumdem sentire, duos inferiores hierarchiæ ordines, presbyteratum et diaconatum, absolute necessarios esse singulis Ecclesiis, quod ecclesiasticæ functiones proxime urgentes, et quotidianæ ab illis exerceantur; cujusmodi sunt sacramentorum, sine quibus æterna salus obtineri nequit, administratio, baptismi, ac Pœnitentiæ, tum etiam Eucharistiæ, itidemque ceterorum, duobus duntaxat exceptis, Ordinationis, et Confirmationis : quorum omnium vel solus, vel certe ordinarius minister est sacerdos, qui, ut rite pleraque illorum exequatur, tertii ordinis adminiculo et opera utitur. Quæ quidem necessitas etiam ad episcopatum pertinet, qui cum sacerdotii sit apex, presbyteratum in sese complectitur. Unde quod Epiphanius dicit, nullam sine presbyteratu Ecclesiam posse constare, id perinde de episcopatu dici ab eo putandum est, qua presbyteratum continet. Ut si quis affirmet, vegetantem vim animæ absoluta necessitate ad vitam requiri, non minus hoc de sentiente brutorum anima, et de rationali hominum accipietur, quam de vegetante stirpium; sed ita tamen, ut prioribus illis duabus eatenus conveniat, qua eamdem vegetandi facultatem obtinent. Eodem modo episcopalem ordinem, qua presbyteratus in eo comprehenditur, ad Ecclesias constituendas absolute requiri censet Epiphanius; ut autem episcopatus est, posse aliquanto temporis spatio propria ejus functione carere particulares, et locales Ecclesias, quæ ab solis presbyteris simplicibus curari interim possunt. Id quod experientia quotidiana in barbaris, et longinquis nationibus approbari supra docuimus.

V. Postremo illud observandum est, quod

(1) Epiph. hær. 75. num. 5. Νέου ὄντος τοῦ κηρύγματος, πρὸς τὰ ὑποπίπτοντα ἔγραφεν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος. Ὅπου μὲν ἦσαν Ἐπίσκοποι ἤδη καταστα θέντες, ἔγραφεν Ἐπισκόποις, καὶ Διακόνοις. Οὐ γὰρ πάντα εὐθὺς ἠδυνήθησαν οἱ Ἀπόστολοι καταστῆσαι. Πρεσβύτερων γὰρ ἐγίνετο χρεία, καὶ Διακόνων. Διὰ γὰρ τῶν δύο τούτων τὰ ἐκκλησιαστικὰ δύνανται πληροῦσθαι. Ὅπου δὲ οὐχ εὑρέθη τις ἄξιος ἐπισκοπῆς, ἔμεινεν ὁ τόπος χωρὶς Ἐπισκόπου. Ὅπου δὲ γέγονε χρεία, καὶ ἦσαν ἄξιοι ἐπισκοπῆς, κατεστάθησαν Ἐπίσκοποι. Πλήθους δὲ μὴ ὄντος, οὐχ εὑρέθησαν ἐν αὐτοῖς Πρεσβύτεροι κατασταθῆναι, καὶ ἐπέστησαν ἐπὶ τῷ κατὰ τόπον μόνῳ Ἐπισκόπῳ. Ἄνευ δὲ Διακόνου Ἐπίσκοπον ἀδύνατον εἶναι.

ibidem significatur ab Epiphanio, formam illam, ac dispositionem Ecclesiarum, cujusmodi primis Christianismi temporibus instituerunt apostoli, in plerisque illis locis minime perpetuam fuisse, sed paulatim ad perfectum esse deductam. Ut exempli causa in majoribus populis, ubi soli cum diaconis constituti erant presbyteri, postea impositi sunt episcopi; ubi autem solus cum diaconis collocatus erat episcopus, ibi adjuncti sunt secundi ordinis clerici, id est presbyteri. Hoc enim verbis istis indicat Epiphanius : *Neque enim apostoli statim ordinare omnia potuerunt.* Tum vero quod in fine sectionis addit : « (1) Hunc per illud tempus locorum statum fuisse, (hoc est Ecclesiarum iis in locis constitutarum.) Neque vero ulla res est quæ ab initio suis omnibus numeris absoluta fuerit. Sed procedente tempore sua opportunitatibus omnibus ad perfectionem contigit accessio. »

Atque hoc Synagogæ veteris exemplo, hoc est Ecclesiæ judaicæ, probat idem Epiphanius; quæ initio rudis erat et inchoata, postea lege ac præceptis, tum sacerdotibus et levitis, atque omni sacrorum apparatu expolita et ornata, nihil ad perfectum sui statum reliqui fecit : « (2) Sic illa, *inquit*, habuerunt, quæ scribit Apostolus, ac tamdiu obtinuerunt, donec amplificata est Ecclesia; donec suam ac legitimam ad mensuram pervenit; donec prudenti quadam moderatione justissime est a Patre, Filio, et Spiritu sancto temperata. » Igitur non eadem ubique servata est ordinatio cleri iis in Ecclesiis, quas fundarunt apostoli, et quarum meminit in epistolis Paulus, si Epiphanio credimus; quod, vel ipso tacente, verisimillimum esse suus cuique communis sensus, ac vel mediocris intelligentia persuadere potest.

VI. Habes, erudite lector, interpretationis utriusque nostræ, qua difficiles Scripturæ locos enodavimus, probabilem rationem, non ex arbitrio, et opinionis temeraria quadam licentia, sed ex antiquorum Patrum auctoritate confectam. Qui ut in parvis, et exigui momenti rebus non eadem sentiunt; sic in summa catholici dogmatis belle inter se conveniunt. Nam et episcopatum a presbyteratu, id est ordinem ab ordine, ut deinceps fuit, sic apostolorum fuisse temporibus distinctum ostendunt, tametsi in eamdem personam ordinatio utraque concurreret: et episcopos veros, proprieque dictos, qui in primo ordine censentur, singulos in singulis Ecclesiis ibi, ubi erant, extitisse confirmant; non secundo demum, tertiove seculo, sed primo, dum adhuc apostoli viverent; quamvis initio quibusdam in locis, et aliquanto temporis spatio, plures in eadem Ecclesia primi ordinis collocatos esse sacerdotes illorum aliqui significent. Cujus instituti adstruendi non nos auctores, sed, ejus verisimili excogitata ratione, fautores, ac defensores in priori interpretatione fuimus; neque fuisse nos adhuc pœnitet.

Horum, quæ posui, duorum alterum, quod ad amborum discrimen ordinum spectat, Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus imprimis testimonio suo ratum faciunt, dum ordinandi potestatem, quam χειροτονίαν, vel χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν appellant, ut alibi dictum est[1], soli primo ordini competere, non secundo, concordissime docent; idque non ex humana, et ad libitum mutabili lege, sed eadem, qua ordines ipsi constituti sunt, divina scilicet, ac perpetua, cujus immutandæ violandæque nulla sit penes homines potestas. Id adeo cum aliis argumentis in secundo de Ecclesiastica hierarchia latissime demonstravimus[2]; tum hoc firmissimo, et invicto, quod nec in omni ecclesiastica memoria, nec in tanta synodalium decretorum copia, nec in veterum monimentis, certum, et exploratum extat ullum vestigium juris illius, quo jure presbyteri, ac sacerdotes simplices quemquam sacris initiarint ordinibus. Cujusmodi profecto nec testimonia, nec exempla deesse possent. Sed videnda sunt omnino quæ in eam rem capite decimo, et undecimo de Hierarchia disputavimus.

VII. Atque ut ab antiquis illis Patribus, quorum ex dictis et sententiis duas illas explicandæ quæstionis rationes expressimus, nondum disputatio nostra recedat, velim hoc apud se lector expendat; si, quod Leidensi professori, ac Trapezitæ in animum venit, unus et

(1) EPIPH. ibid. Οὕτω κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἦσαν οἱ τόποι. Καὶ γὰρ ἕκαστον πρᾶγμα οὐκ ἀπ' ἀρχῆς πάντα ἔσχεν. Ἀλλὰ προβαίνοντος τοῦ χρόνου, τὰ πρὸς τελείωσιν τῶν χρειῶν κατηρτίζετο.

(2) Ibid. sect. 6. pag. 909. C. Οὕτω καὶ τὰ παρὰ τῷ Ἀποστόλῳ γεγραμμένα· ἕως ὅτε ἐπλατύνθη ἡ ἐκκλησία· ἕως ὅτε εἰς τὸ ἴδιον μέτρον ἐλήλακεν· ἕως ὅτε τὸν κόσμον τῆς συνέσεως, δικαιότατα ἐκ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος ᾠκονόμηται.

[1] Lib. 2. de Hier. cap. 6. § 9.

[2] Vide c. 10. § 7. et c. 11.

idem ordo est per sese, et ex Christi institutione, presbyteratus et episcopatus ; si duobus primis seculis disjuncti, separatique non erant ; quinam istud aut ignorarunt summi illi viri, Epiphanius, Chrysostomus, Hieronymus, aliique, qui in locis illis controversis enucleandis apud Paulum tanta contentione versati sunt ? aut si illud intellexerunt, cur tot ambagibus posteritatis studia frustrati sunt ? cur in presbyterorum et episcoporum nominibus alii primi ordinis, alii secundi sacerdotes solos, ac separatim expressis ab Apostolo dixerunt ; causasque, cur alterutri ab eo prætermissi erant, excogitarunt ? Quanto enim parabilior, expeditiorque fuisset illa responsio, si unum ambos tunc ordinem fuisse pronuntiarent, idque ex divina, et primaria institutione, quam insecuta ætas interpolasset ? Hoc utique dixissent potius, quam quæ scriptis tradiderunt, morosa, et perplexa, et vero falsa ; si est vera Leidensis professoris opinio. Sed neque dixerunt, imo contraria docuerunt omnia, et episcopatus a presbyteratu summum, ac certissimum discrimen liquido definierunt ; neque verum est, sed commentitium, ac frivolum illud inventum Salmasii : quod fractum a nobis, et elisum duplici in opere, paulo post iterum conficietur.

VIII. Sequitur alterum genus argumenti, quo tum ab Christo et apostolis diversos illos Ecclesiæ traditos ordines esse probatur ; tum ex illorum præscripto divisos etiam ac separatos : etsi, ut est antiquorum opinio, certis locis ac temporibus, unum tantummodo, suppresso altero, genus Ordinis reipsa, et, ut loquuntur, *actu* constitutum, explicatumque fuerit. Quod argumentum ex episcoporum successione petitur, quam ab apostolorum tempore ad ætatem usque suam propagatam fuisse antiquissimi quidem testantur, et in singularum archivis Ecclesiarum laterculos extare dicunt ; in quibus episcoporum illorum descripta sunt nomina, qui singillatim unus post alterum Ecclesiæ cuique præfuerunt. Ac tum iidem illi, qui ad archivorum, et laterculorum istorum fidem hæreticos provocant, tum alii, qui horum mentionem non faciunt, certos ex apostolis, vel discipulis Christi constanter proferunt, qui in plerisque Ecclesiis singularem præfecturam, id est episcopatum gesserunt, et in laterculi cujusque serie primi numerantur.

Ex iis, qui in unaquaque Ecclesia episcopatu functorum nomina servari docuerunt [1], memorandus est imprimis Irenæus apostolorum suppar ætati, de cujus auctoritate nemo hactenus controversiam movere est ausus. Hic in libro tertio, capite tertio, catholicæ doctrinæ traditionem, de qua hæretici litigabant, ex illa episcoporum descriptione probat, in qua successores eorum, « qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, » usque ad suum tempus extare scribit ; et ne commemorandis omnium successionibus longior sit, unius Romanæ seriem in specimen, exemplumque proponit, cujus episcopos singulos a Petro et Paulo, usque ad Eleutherum, duodecim recenset. Ergo unus duntaxat, et singularis post apostolos Ecclesiæ Romanæ præfuit episcopus ; eoque defuncto, successit alter. Quinetiam capite eodem tertio, « Habemus, *inquit*, annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos. » Velut Polycarpum ibidem nominat apostolorum discipulum, ab iisque Smyrnæ constitutum episcopum, utique singularem ; ut et Linum Romæ singularem ab apostolis ordinatum, et post Linum singulares deinceps episcopos successisse refert.

IX. Sic Tertullianus [2] eodem, atque Irenæus, argumento ex singulorum sibi succedentium episcoporum in Ecclesiis serie catholicam fidem, et apostolicas traditiones affirmat ; ac nominatim « Polycarpum in Smyrnæorum Ecclesia conlocatum a Joanne » scribit, « sicut Romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum edit. » Ac subinde ista pertexit : « Proinde utique et ceteræ (apostolicæ Ecclesiæ, id est ab ipsis apostolis fundatæ) exhibent, quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici sermonis traduces habeant. »

Eusebius in plerisque libris ecclesiasticæ suæ Historiæ, episcoporum successiones variis in civitatibus ex ecclesiasticis tabulariis descriptas refert ; et « Romæ post apostolorum martyrium, Linum primum episcopatum esse sortitum » ait, tum post eum, Anacletum, postea Clementem. Hierosolymis vero primum episcopum præfuisse Jacobum, post hunc Symeonem ; Alexandriæ primum Marcum, postea Anianum ; Antiochiæ primum Evodium, tum Ignatium, ac ceteros deinde singulos in demortuorum locum suffectos enumerat. Quos etiam in Chronico accuratius digerit latine ab Hieronymo reddito ; qui et

[1] Vide lib. nos. 1. de Hier. c. 2. et 3.

[2] Tert. de præs. c. 32.

ipse in libro de Scriptoribus ecclesiasticis complures illorum singillatim percensens, episcopatus eorum meminit. Quæ omnia fusius in primo de ecclesiastica Hierarchia adversus Vallonem collybistam contentiosum hominem exposuimus.

Ex tot porro antiquitatis, et traditionis apostolicæ, ecclesiasticæque testibus constat illud, cujus asseverandi causa in eum locum deducti sumus : episcoporum, id est primi ordinis sacerdotum, eorumque singularium, in Ecclesiis præfecturam ab apostolis institutam fuisse; idque adeo divini esse juris, et a Christo traditi; cujus executio pro locis, ac temporibus illorum est prudentiæ permissa.

CAPUT QUARTUM.

Salmasii de episcopis, et presbyteris opinio proponitur. — 2. Duo ab illo intervalla temporum constituta. Primum, quo primatus ex antiquitate, non ex merito, et electione concessus; alterum, quo ex electione. — 3. In Alexandrina tamen Ecclesia morem istum variasse. — 5. Explicantur opinionis illius firmamenta.

I. Nunc Leidensis professoris Salmasii examinanda est opinio; ac cujusmodi sit, in primis videndum; tum quibus firmamentis, et quam certis rationibus ab illo fundata, constitutaque sit. Nihil isto homine quidem vel ad fingendum, et excogitandum aliquid obtusius, vel ad probanda, quæ dixerit, imbecillius, atque ineptius fieri potest. Perturbatio vero sententiarum, ac verborum, et obscuritas inest tanta, ut, quid sibi velit, quid probare ac refellere instituat, difficile sit quamlibet intenta mentis acie discernere. Quantum tamen ex ista stili fæce, ac barbarie possumus exsculpere, eo conatus illius, et impetus fertur, ut episcopatum a presbyteratu simplici nihil ex primaria institutione differre probet, et, ut a Christo apostolisque traditum est, unum omnino genus Ordinationis esse; quod humano deinde consilio, ac voluntate scissum est, et in duo partitum : atque initio non unum aliquem præsidem, et episcopum Ecclesiæ cûique præfuisse; sed a multis ejusdem ordinis, ac pari potestate præditis, iisdemque presbyteris simul et episcopis administratam fuisse. Cum autem animadverteret, plurimum ex eo commenti illius elevari fidem, quod jam tum ab apostolorum tempore singulares in plerisque Ecclesiis episcopos fuisse constaret, ac singulorum deinde successiones ex istorum archivis ab idoneis auctoribus, et illorum pene temporum æqualibus collectas : ut in antecedente capite summatim ostendimus; uberius autem in superioribus libris de ecclesiastica Hierarchia : novam et jocularem fabulam texuit de variis primatus in ordine presbyterorum modis, ac generibus per certa temporum intervalla distributis. Quod inventum non minus communi sensu, et ratione, quam auctoritate destitutum, in fœda illa Wallonis Messalini dissertatione primum edidit, sed nondum satis liquido, et expresse conceptum. Post autem in Apparatu ad librum de primatu Petri paulo disertius, hoc est minus obscure, et sic, ut intelligi quomodocumque posset, de eo locutus est. Id, quale sit, ante omnia proponendum videtur, ut ejus deinde vitia, vel flagitia potius deprehendi, castigarique possint.

II. Duo Salmasius tempora distinguit, quibus totidem in Ecclesia gubernanda mutationes factas putat. Primum fuit apostolorum tempus [1], ac deinceps usque ad Victorem papam, qui anno Christi circiter centesimo nonagesimo secundo pontificatum iniit. Quo intervallo censet presbyteros eosdem, et episcopos re, ac nomine in commune Ecclesias administrasse; sed ita tamen, ut unus primatum inter eos teneret, non ex electione, aut merito, sed *ex ordine* πρωτοκλησίας, et προγενεσίας, id est antiquitatis, et promotionis ad presbyteratum. Verba professoris hujusmodi sunt [2] : « Primo viguit πολιτεία Ἀποστολικὴ, quæ et ubi-

[1] Salm. in App. p. 62. et 91.

[2] Salm. pag. 91.

que terrarum in omnibus Ecclesiis obtinuit, non solum sub apostolis, sed etiam sub eorum discipulis, qualis nempe ab apostolis ipsis instituta est ex præcepto divino. Hæc æquales omnes habuit episcopos, sive presbyteros. Cujus æqualitatis ratione postulante, primatus decedentis, qui antiquior in ordine fuerat, dabatur sequenti. Hæc ratio duravit ultra secundam successionem apostolorum usque ad tempora, ut notavimus, Antoninorum ; imo vel usque ad Victorem, ut supra observavimus. »

Secundum tempus fuit ab Victoris pontificatu, quando primatus aliud genus institutum est, non ex ordinis, et antiquitatis prærogativa, sed [1] « ex electione, et sola meriti contemplatione. » « Tum quasi decreto facto, *inquit* [2], per totum orbem ea consuetudo immutata est, et nova recepta τάξις, quæ ex uno ordine duos fecit, et nomina etiam distinxit episcopi ac presbyteri. » « [3] In hoc posteriore modo, non ordo, sed meritum creabat episcopum. Eligebatur ex corpore presbyterorum, vel etiam ex laicis in episcopum, qui id videbatur promereri. Non ordo amplius spectabatur, in deferendo sequenti decedentis primatu. Imo nec amplius jam primatus erat, aut dicebatur; quem olim obtinebat, qui in primum locum ex secundo succedebat. Dignitas potior ita promoto, ac potestas major concedebatur. Nomen etiam ei mutabatur ; quia in alium ordinem altiorem evehebatur, et pro presbyteris, sicut omnes antea nominari solebant, nuncupabatur episcopus. Ita nominis, ordinis, et honoris magna distinctio facta est in hac nova institutione. »

III. In Alexandrina tamen Ecclesia, post primam illam institutionem, non statim observatam fuisse posteriorem existimat Salmasius [4]; sed primatum aliquandiu retentum : ita tamen ut non amplius ordini, et antiquitati, sed merito daretur, *usque ad Heraclam, et Dionysium, vel usque ad Nicæni concilii tempora, et Alexandri patriarchæ Alexandrini.* « In hoc secundo primatu, qui electione deferebatur, nominis quidem mutatio intervenit, sed nulla ordinis. Episcopus dictus est, quem, ut primus esset, e suo corpore eligebant presbyteri. Quandiu ex presbyterorum collegio sumptus est ille, qui ceteris præesse debebat nomine episcopi, communi presbyterorum suffragio eligendus, non diversus ordo factus est episcopi, et presbyterorum. Sine ordinatione nova, vel consecratione, sed sola electione præponendus ceteris sumebatur. Ubi vero ex aliis corporibus, puta ex laicis, vel inferioribus Ecclesiæ ordinibus in episcopum aliquis elegi cœptus est, tum per impositionem manuum ordinari debuit, ac benedici, vel consecrari. In tertio hoc genere regiminis, non solum distincta nomina fuere, sed etiam ordo ipse divisus, et ex uno duo facti. Nullus in hac gubernandi ratione primatus proprie fuit. Ubi enim ordo alius est, et alter altero superior, non datur ex altero ordine in alterum primatus. »

IV. Quocirca commenti totius hæc summa subducitur : Duobus fere primis seculis episcopatum, et presbyteratum non fuisse distinctos ordines, nec unum aliquem, et singularem unicuique Ecclesiæ præfuisse, cum episcopi, cujusmodi hodie est, nomine, gradu, et potestate ; sed plures in singulis civitatibus presbyteros, et eosdem episcopos Ecclesiam administrasse, pari jure, ac potestate : ita tamen, ut qui ordinationis tempore antiquior esset, primatum obtineret inter pares, ipso jure antiquitatis, non electione, aut merito ; quo mortuo, alter in ejus locum succederet antiquitate proximus, atque ita deinceps sibi presbyteri omnes succederent. Post secundum seculum, non ordinationis tempore prior, sed electione et merito potior suffectus est in locum demortui, non solum ex ordine presbyterorum, sed etiam ex laicis ; ac tum ex uno ordine duo sunt facti, et episcopatus a presbyteratu divulsus est, et utriusque munia sunt divisa. Nam soli episcopo, qui unus in quaque erat Ecclesia ordinandi jus, ac munus attributum est, et presbyteris ademptum.

Hanc de Ecclesiæ utroque regimine sententiam suam quemadmodum Salmasius approbet, ac quibus vel argumentis, vel testimoniis utatur, operæ pretium est expendere. Non enim affirmare tantis de rebus, et quid cuique libitum erit excogitare, atque in medium conferre, sufficit ad impetrandam fidem. Sed tantum credi sibi velle par est unumquemque, quantum efficere probando, et idoneis rationibus persuadere potuerit.

Quatenus igitur ex confusa, et indigesta illa farragine, quæ tædio ac nausea lectores suos conficit, extundi, exprimique potuit, probationum hæc fere sunt capita.

V. Primum duobus illis seculis, quæ apostolos, et eorum discipulos tulerunt, non fuisse

[1] Salm. p. 62. vers 14. — [2] Idem p. 91. ver. 9. [3] Ibid. p. 66. vers. 21. — [4] Pag. 91.

per Ecclesias singulares episcopos, sed presbyteros plures pari potestate illas administrasse, hoc unico genere argumentationis ostendit, quod veteres scriptores mentionem faciunt τῶν πρεσβυτῶν, et τῶν πρεσβυτέρων, qui in illis extiterunt, aut iis etiam præfuerunt. Sic [1] Irenæus apud Eusebium, in epistola ad Victorem papam, Soteris decessores Anicetum, Pium, Hyginum, Telesphorum, et Xystum, πρεσβυτέρους vocat. Et in libro tertio adversus Hæreses, capite secundo, « per successiones presbyterorum in Ecclesiis traditionem apostolicam » servatam esse dicit, quas sequenti capite *successiones episcoporum* nominat.

Utitur et Pii papæ testimonio Salmasius ex utraque ad Justum Viennensem epistola; quarum in priore ita scribit : « Presbyteri illi, qui ab apostolis educati usque ad nos pervenerunt, cum quibus simul verbum fidei partiti sumus, a Domino vocati, in cubilibus æternis clausi retinentur. » In posteriore vero, « Episcopum, ait Salmasius, non esse majorem presbyteris affirmat. » Rursus Victor papa in epistola ad Desiderium Viennensem ait [2], « Presbyteros, qui apostolos in carne viderunt, Ecclesiam usque ad Desiderii tempora rexisse. » Cum igitur [3] ex illis auctoribus, aliisque constet, usque ad Irenæi, et Victoris tempus episcopos nomen habuisse presbyterorum; inde concludit, « nondum illo tempore episcopatum a presbyteratu separatum sic fuisse, ut tam re, quam nomine hi gradus dividerentur. Nam ab eo tempore, quo ex uno ordine presbyterali, et episcopali duo facti sunt, nomen presbyteri dari desitum est episcopo. Quod ex commentarii in epistolas Pauli auctore [4] confirmat, qui falso inscribitur Ambrosius. Hunc enim refert « affirmare, ex quo immutatio illa nominum facta est, et distinctio graduum inter episcopum et presbyteros, episcopum non posse vocari presbyterum, neque presbyterum sibi appellationem episcopi vindicare. »

« [5] Ergo, cum episcopus dici poterat presbyter, ut immutatio nominum non fuit, ita nec muneris, aut dignitatis inter episcopum, et presbyterum divisio extitit. Non eam fuisse porro Victoris tempore jam probavimus, quia non solum ipsum, sed etiam anteriores episcopos Romanos πρεσβυτέρου nomine appellatos constat ab Irenæo, et aliis. Quin imo Pius, et Victor diserte scribunt in epistolis suis, ab apostolorum usque temporibus gubernatam a presbyteris fuisse Ecclesiam. Ex quo recte concludo, presbyterorum primatum tunc habuisse qui Ecclesiis præessent, potius quam episcopatum re et nomine distinctum a presbyteratu. »

VI. Indidem et probari putat, alteram gubernationis ecclesiasticæ formam, quæ priori successit; in qua unus episcopus præfuit ab omnibus electus ex merito, et in altiorem ordinem provectus, mutato nomine : quod Ambrosio tributus ille commentarius Salmasio videtur asserere.

Cur autem *medium seculum secundum Ecclesiæ a Christi resurrectione* assignaverit mutationi illi, non aliud argumentum attulit [6], quam quod Ignatius in epistola quadam sua ordinem istum νεωτερικὴν τάξιν vocat. Hunc autem ementito (ut putat) nomine vocatum Ignatium circa illud tempus extitisse, conjecturam facit.

Nam [7] quod in Alexandrina Ecclesia serius mutationem illam admissam existimat, partim Hieronymi, partim Eutychii Alexandrini patriarchæ testimonio nititur; quorum ille [8] « a Marco evangelista usque ad Heraclam, et Demetrium episcopos, *ait*, presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominasse. » Eutychius vero Alexandrum patriarcham, qui Nicænæ synodo interfuit, mutationis illius auctorem facit; ac decrevisse illum ait, ut ne amplius a presbyteris patriarcha, sed ab episcopis eligeretur.

[1] Salm. App. p. 60. ex Euseb. l. 5. c. 26. — [2] Extat in Bibl. Floria. et apud Bar. ad an. 198. — [3] Salm. p. 61.

[4] In ep. ad Tim. apud Amal. — [5] Salm. p. 62. — [6] Salm. p. 66. — [7] Salm. p. 77. et 91. — [8] Hieron. ep. 85.

CAPUT QUINTUM.

Evertuntur firmamenta Salmasiani commenti. 1. Quorum primum ex communione nominis petitum refellitur. Irenæus singulares in Ecclesiis episcopos agnoscit. — 2. Item ex epistola Lugdunensis Ecclesiæ, et ejus urbis martyrum ostenditur. — 3. 4. Irenæum, cum epistolam illam Romam pertulit, fuisse adhuc presbyterum, non episcopum. — 5. Quod ex [illegible] probatur. — 6. Refellitur Salmasius, qui illos martyres episcopos ait fuisse. — 7. [illegible]. 8. Sacerdotum nomine tam presbyteros, quam episcopos comprehendi. — 9. Ex Pii et Victoris epistolis et Salmasii [illegible] argumentum dissolvitur.

I. Caput argumentationis, probationisque Salmasii, quo singulares apostolorum seculo nusquam episcopos fuisse confirmat, expositum est antecedenti capite. Idem vero quam futile, ac frivolum sit, et auctore dignum suo, deinceps explicabimus.

Imprimis tota vis argumentationis istius in hoc incumbit unum, eoque nititur, quod passim ingerit : Tamdiu episcopatum, et presbyteratum unum ordinem fuisse, dum nomen presbyteri datum est episcopo ; nec prius ex uno factos esse duos, quam vocabulis discreti fuerunt, ut alius episcopus, alius presbyter vocaretur. Hoc negato, et extorto, non lapsu, sed præcipitio, tota moles disputationis illius corruit. Nos vero istud ipsum, quod pro certo confessoque suo jure sumpsit, falsum et commentitium esse defendimus. Nam nulla ratione, auctoritate idonea nulla probatum ab Salmasio illud est, quod eo profecto accuratius esse fixum, ac fundatum oportuit, quod omnis inde reliqua structura pendebat. Nec longe quærenda nobis argumenta sunt, quibus falsum istud esse monstretur. Illi ipsi, quorum pro se testimonia Leidensis professor attulit, operam ad id suam nobis accommodant, et hominis ἀκρισίαν, cæcitatemque convincunt.

Omnium, quos inepti, et jocularis commenti vindices, et assertores citat Salmasius[1], antiquissimi sunt Irenæus, Pius, et Victor Romani pontifices ; hoc enim ordine ab illo commemorantur. At isti neque vel littera ulla insulsæ isti fabulæ gratificantur ; et eam potius evertunt, ac falsi arguunt. De Irenæo[2] scimus ex antecedente capite tertio, singulares ab eo commendari episcopos, eorumque successiones a primis ortas, *qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis* ; quorum successores usque ad se perductos asserit : nominatim vero *successiones episcoporum* Romanæ ab apostolo Petro et Paulo fundatæ Ecclesiæ percenset, uti dictum est. Qua in narratione verba Irenæi perpendenda sunt, quæ singulorum singulis ordine succedentium episcoporum, et Ecclesiæ præfecturam obtinentium seriem ostendunt, vacuam ab nugis, et præstigiis inventi Salmasiani : « (1) Lino (inquit de Petro et Paulo scribens Irenæus) officium episcopatus injungunt. » Ita Ruffinus apud Eusebium vertit. Vetus interpres Irenæi, *Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt*. In sequentibus sæpe utitur verbo διαδέχεται, quod est *succedere* ; ut ab uno traditum uni, quasi per manus, episcopatum intelligas, usque ad Eleutherum, quo sedente litteris ista prodebat Irenæus : qui et post apostolos duodecimum illum numerat. Atque hic mortuus anno Christi 192. successorem habuit Victorem, cujus pontificatum limitem figit instituto veteri Salmasius, quo plures Ecclesiam quamque gubernarunt presbyteri, nondum singularibus ordinatis episcopis. Cur igitur non presbyteros presbyteris, aut episcopis saltem episcopos successisse scribit Irenæus ; sed episcopum unicum unius successorem fuisse tam aperte declarat ; idque per omnes Ecclesias factum esse significat ?

II. Accipe nunc adversus Leidensis ejusdem grammaticæ professoris nænias validissimum argumentum, et invictum ex Lugdunensium martyrum, qui sub Marco Aurelio imperatore passi sunt, epistola, quam Eusebius refert in libro quinto Historiæ. Cum enim illi adhuc in vinculis essent, litteras miserunt Romam ad Eleutherum per Irenæum presbyterum Ecclesiæ Lugdunensis, quem et honorificentissimo testimonio commendant : « (2) Has

(1) IREN. lib. 3 cap. 3. apud Euseb. lib. 5. hist. cap. 6. Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν.

[1] Salm. in App. p. 60. et seq. in Diss. Wallon. c. 3. p. 264. et seq.

(2) Lugd. mart. ibid. Ταῦτα σοι τὰ γράμματα προετρεψάμεθα τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, καὶ κοινωνὸν Εἰρηναῖον διακομίσαι.

[2] IREN. l. 3. c. 3.

inquiunt, litteras ut ad te perferret, fratrem nostrum et socium hortati sumus Irenæum; quem et commendatum ut habeas, rogamus, virum testamenti Christi apprime studiosum. Quod si illud intelligeremus, locum et ordinem alicui conciliare justitiam, illud ante omnia commemoraremus, Ecclesiæ, cujusmodi est, eum esse presbyterum. » Hic utrumque vides expressum, ac distinctum ordinem, quem τόπον nominant, episcopi et presbyteri. Siquidem Eleutherum Romanum pontificem episcopum vocant, Irenæum vero Lugdunensis Ecclesiæ presbyterum; et inter ambos manifestum discrimen constituunt, dum Irenæum *fratrem*, et *socium* appellant, Eleutherum vero *Patrem*. Sic enim in epistolæ, ut apparet, clausula scripserunt : « (1) Bene te valere in Deo in omnibus et semper optamus, pater Eleutheri. » In priore autem, et longissima epistola Lugdunensis Ecclesiæ ad Asianas, et Phrygias, in qua celeberrima illa Lugdunensium martyrum historia describitur, Pothini fit mentio Lugdunensis episcopi : « (2) At beatus, *inquit*, Pothinus, cui commissum erat episcopale apud Lugdunum ministerium, supra nonagesimum ætatis annum agens. » Hinc apparet jam tum Eleutheri papæ, et Irenæi tempore, antequam Victor sederet, primi ordinis fuisse proprium nomen episcopi; secundi vero ordinis presbyteri nomen. Quanquam πρεσβυτέρου vox nonnunquam episcopo tributa videtur; non tamen vicissim episcopi vocati sunt secundi ordinis sacerdotes, nisi primo illo ineunte seculo, superstitibus adhuc apostolorum principibus, ut postea dicam.

Quare, si est vera Leidensis Trapezitæ sententia, tunc duos illos ordines, ac separatos esse cœpisse, cum appellationes utrique diversæ sunt impositæ, ut alter episcopus, alter presbyter nominaretur; id quod ante Victorem papam accidisse res ipsa docet; falsa est et commentitia divinatio illius, haud ante Victoris tempus istud esse factum.

III. Sed stuporem hominis, et oscitantiam vide. In dissertatione illa, quam sub Wallonis Messalini nomine ante annos quinque in lucem edidit [1], et in Apparatu libri de Primatu identidem laudat et approbat, illo eodem Lugdunensium martyrum epistolæ testimonio abusus est, ut episcopum propterea eumdem tunc cum presbytero fuisse monstraret. Cum autem refelli hoc mendacium suum perspicua narrationis illius luce cerneret, tum eo præsertim, quod attigimus, appellationis discrimine, quo Pothinum et Irenæum designari in epistolis istis animadvertebat; ad notas confugit artes temere confictas, inanesque conjecturas, quibus ad historiam assutis, quod vellet utcumque consequens faceret.

Tria sunt præ ceteris falso ab eo, et contra fidem historiæ prodita. Primum, quod Irenæum, quo tempore Romam a martyribus missus est, episcopum fuisse fingit; ut inde suadeat, episcopum eumdem et presbyterum appellari solitum. Alterum, quod Pothinum pridem e vivis decessisse narrat. Tertium denique, quod *martyres illos Galliarum fuisse episcopos* ait. Quæ sane commentitia sunt. Nam quod ad primum attinet, manifeste cum historia, et epistola martyrum pugnat. Eusebius post descriptam Lugdunensis Ecclesiæ ad Asiaticas epistolam, in qua martyrum certamina, et gloriosam pro Christo per horrendos cruciatus obitam mortem explicat, et inter alios Pothini episcopi Lugdunensis; meminit aliarum litterarum, quas iidem martyres, dum adhuc in vinculis haberentur, ad fratres, qui in Asia Phrygiaque manebant, scripserunt; tum illarum, quas ad Eleutherum Romanum episcopum miserunt per Irenæum « (3) Presbyterum tunc adhuc Ecclesiæ Lugdunensis, » ut scribit Eusebius. Hic nominum ipsa diversitas, quod alter episcopus, alter presbyter vocatur in continenti narratione, satis admonet, distinctum illorum ordinem, sive τόπον, id est locum fuisse. Nam episcopum per id tempus episcopum nominari consuevisse, testis est Ecclesiæ Lugdunensis epistola, quæ Pothino nomen istud attribuit. Quid igitur causæ esse potuit, cur martyres in litteris, quas ad Eleutherum Romanum episcopum, ut vocat Eusebius, per Irenæum scribunt, illum quidem Patrem nuncupent,

Καὶ παρακαλοῦμεν ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει, ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ. Εἰ γὰρ ἤδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην περιποιεῖσθαι, ὡς Πρεσβύτερος ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα.

(1) Ibid. Χαίρειν ἐν Θεῷ σε ἐν πᾶσι εὐχόμεθα, καὶ ἀεὶ, Πάτερ Ἐλευθέριε.

(2) Ibid. cap. 1. Ὁ δὲ μακάριος Ποθεινὸς ὁ τὴν διακονίαν τῆς ἐπισκοπῆς ἐν Λουγδούνῳ πεπιστευμένος, ὑπὲρ τὰ ἐννενήκοντα ἔτη τῆς ἡλικίας γεγονώς.

(3) Eus. lib. 5. cap. 4. Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας τῶ τε δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην Ἐπισκόπῳ συνίστων.

[1] Wallon. Messal. p. 271. et seq.

hunc vero nec episcopum, nec patrem, sed *presbyterum, fratrem, et* κοινωνὸν, id est *socium;* nisi quod *tunc adhuc presbyter* erat, ut Eusebius ex Ruffini interpretatione loquitur? Quæ vox τότε, et hæ latinæ *tunc adhuc*, indicant nondum Irenæum, cum legationem obiret istam, episcopum fuisse, quod postea fuit; sed tantummodo presbyterum, quando, Pothino mortuo, in ejus locum substitutus est.

IV. Quod enim Messalinus Wallo « ex ratione temporum facile esse » dicit [1] « ostendere, Pothinum, cui successit Irenæus in episcopatu, sive primatu presbyterii Lugdunensis, eo tempore pridem e vivis decessisse; » solemnia nugatur. Qui enim, aut unde probare istud poterit? Pothinum in M. Aurelii Antonini persecutione una cum aliis martyribus comprehensum scribit Ecclesia Lugdunensis [2], et ex carcere productum ad tribunal præsidis, ac diris tormentis excarnificatum, rursus ad carcerem retractum, biduo post obiisse. Iidem porro martyres, dum in vinculis haberentur, ad Eleutherum papam Irenæum adhuc presbyterum cum litteris mittunt, quarum litterarum aliquot verba descripsit Eusebius. Quo igitur argumento demonstrari potest, mortuo potius, quam superstite adhuc Pothino, Irenæum Romam esse profectum, ut episcopus jam illius esse loco potuerit? Ut hoc omittam, etsi Pothinus jam vita functus esset, non statim novum ei substitutum episcopum, in tanta Ecclesiæ consternatione, tantaque trepidatione, ac fuga cleri, atque populi Christiani; cum nec istis, nec aliarum urbium episcopis ad eligendum illius Ecclesiæ pastorem tuto convenire liceret: qui mos ex antiquo servari in episcoporum ordinatione consuevit.

Nam primatus nescio cujus fabulam, in quo proximus quisque loco, et ordine, priori mortuo, sine nova electione, aut ordinatione succedebat, cujusmodi sunt ceteræ Messalino-Salmasii nugæ, indignam judicamus, cujus ratio hic aliqua ducatur; ac pompam illius, et fucum paulo post disjiciemus.

V. Itaque non dubium est, Irenæum adhuc episcopum non fuisse, sed hoc solum, quod martyres ipsi referunt, Lugdunensis Ecclesiæ presbyterum, hoc est secundi ab episcopo loci, atque ordinis.

Utriusque testis est auctor gravis Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis; cujus verba ejusmodi sunt, ut per ea mutis esse Salmasiis omnibus liceat. « Irenæus, *inquit* [3], Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter a martyribus ejusdem loci, ob quasdam Ecclesiæ quæstiones, legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum episcopum perfert litteras. Postea, jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur. » Quid contra hæc mutire Leidensis professor audebit? aut qua fronte tam expressæ auctoritati tanti viri nænias suas, et præstigias opponet? Sunt et alia quamplurima in eodem Hieronymi libro testimonia, et argumenta singularium per Ecclesias episcoporum, de quibus in tertio capite dixi.

VI. Jam quod *martyres illos Galliarum fuisse episcopos* dicit [4], et idcirco fratrem, et collegam Irenæum appellasse, temere divinat. Horum nomina recenset Gregorius Turonensis [5], et quadraginta octo numerat; necnon Ado Viennensis in Martyrologio, die secundo Junii; et uterque Pothinum solum episcopum nominat; Ado vero etiam Zachariam presbyterum, ut et Eusebius. In reliquo numero partim mulieres viginti censentur; partim aliqui, quos ne presbyteros quidem fuisse litteræ martyrum indicant. Tales sunt Vettius Epagathus moribus et vita sanctissimus adeo, « (1) ut, quamvis juvenis esset, cum Zachariæ presbyteri martyrio exæquaretur; » tum Maturus recens a baptismo; Sanctus diaconus Viennensis; Ponticus puer annorum quindecim, Blandinæ frater Alexander; Phryx arte medicus. Hos quinque nec presbyteros, nec episcopos fuisse perspicuum est; qui fœminis viginti, et Pothino episcopo, ac Zachariæ presbytero annumerati, viginti septem efficiunt: quorum nemo, præter unum Pothinum, episcopus; nemo, præter Zachariam, presbyter fuit. Duorum præterea nomina commemorat Eusebius, Attalum Pergamenum, et Alcibiadem. Horum ille Pergamenus genere ab eo dicitur, nec aliud de statu illius refert: ex quo colligi potest, laicum hunc fuisse; certe episcopum non fuisse, plus quam verisimile est, non enim hoc alioqui tacuisset Eusebius. Quod etiam in Alcibiade valet argumentum, quem Ἀλκιβιάδην τινα vocat, hoc est *Alcibiadem quemdam*. Quisquamne de episcopo, imo de pre-

(1) Euseb. lib. 5. cap. 1. Ὡς καίπερ ὄντα νέον συνεξισοῦσθαι τῇ τοῦ πρεσβυτέρου Ζαχαρίου μαρτύρια.

[1] Pag. 272. — [2] Euseb. l. 5. c. 1. fol. 46. p. 1. ed. Gr. — [3] Hier. de Scri. c. 45. — [4] Wall. pag. 272. — [5] Lib. 1. de glor. mart. c. 49.

sbytero, aut diacono sic loqueretur; præsertim qui tres alios suo quemque gradu, et ordine notasset? Nullus igitur horum omnium, quos Eusebius nominavit, clericus fuit, nedum episcopus, præter Pothinum episcopum, Zachariam presbyterum, Sanctum diaconum. Supersunt, præter fœminas viginti, viri novemdecim, de quibus idem, quod de superioribus, debet esse judicium : neminem ex his episcopum, aut presbyterum videri fuisse, quod sine ullo titulo acervatim congesti sunt ab Adone, qui Pothinum episcopum, Zachariam presbyterum ; et ab Gregorio, qui Pothinum postremum omnium episcopum appellat. Edat nunc Leidensis academiæ professor auctores, si quos habet, a quibus martyres Lugdunenses episcopos fuisse didicerit.

VII. Cum tam gravi, tam diserta Irenæi testificatione, quam hucusque contra insulsam Salmasii fabulam opposuimus, de singularibus per Ecclesias episcopis, et horum a presbyteris discrimine, comparemus modo rationem illius, quam ex eodem Irenæo nobis intentat. Hujus eo summa nimirum redit, quod Irenæus Romanos Pontifices πρεσβυτέρους appellat in epistola ad Victorem [1]; et alias sæpe presbyteros vocat episcopos [2]. Hinc igitur Wallo Messalinus, hoc est Salmasius, in utroque opere contendit [3], eumdem tunc ordinem cum episcopatu presbyteratum fuisse. Futilis ac sine nervis argumentatio. Primum, quod, ut in superioribus libris de Hierarchia demonstravimus [4], πρεσβυτέρου vox interdum generatim pro majoribus in Ecclesia ordinibus accipitur, sitque communis primi et secundi ordinis appellatio : ut græci interpretes Pauli epistolarum animadverterunt; præsertim Chrysostomus [5], ac Theodoretus [6], ut in primo Dissertationum adversus Trapezitam ostendimus. Nec dubium est, quin presbyterorum vocabulo, quod honoris interdum nomen est, Irenæus in locis, quæ notavimus, episcopos intellexerit. Nam et Clemens Alexandrinus, cum ejus tempore jam distincti essent ordines illi duo, ac tres distincte, annumeratis diaconis, in Ecclesia percenseat [7]; nihilominus eodem in loco [8] presbyteri appellatione majores duos complectitur, ut in primo libro de Hierarchia demonstravimus [9].

Deinde si ex nominis communione ordinis singularitas colligi debet, quo unico firmamento Salmasii commentum nititur; non solum primis duobus seculis, sed etiam posterioribus omnibus, eumdem presbyteratum cum episcopatu fuisse in Ecclesia, licebit asserere. Siquidem uterque ordo perdiu communem habuit *sacerdotis* appellationem, ut ex citimæ vetustatis canonibus probavimus eodem in loco [10]. Quibus addendi modo sunt alii prioribus illis recentiores, in quibus *sacerdotis* nomen alias secundo ordini tribuitur, alias promiscue huic, et episcopo, cum *presbyteri* voce solus secundus exprimatur.

VIII. In Capitularibus Caroli M. libro 5. capite 20. sacerdotes nuncupantur secundi ordinis clerici, cum ita decernitur : « Quod non oporteat sacerdotes, vel clericos habentes adversus invicem negotia, proprium episcopum relinquere, et ad secularia negotia convolare. »

Et in capite 34. sæpius *episcopi, et reliqui sacerdotes* nominantur ; atque ambo perspicue discernuntur. Sic in capite 37. et 38. et aliis passim, *sacerdotes* vocantur *presbyteri* simplices. At vero capite 62. libri ejusdem, sacerdotum nomine utrique comprehenduntur, episcopi et presbyteri, ut et libro 7. capite 49. « Nullus sacerdos in alterius civitate, vel diœcesi, *inquit*, pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, vel qui reconciliatum se esse dixerit, sine consensu et litteris episcopi, vel presbyteri, in parochia presbyter, aut episcopus in civitate suscipiat. » Item capite 61. « Non est permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium provehendi. » Ubi *sacerdotium episcopatum* significat, ut et titulus indicat, et caput antecedens, in quo episcopi judicio metropolitanorum et vicinorum episcoporum provehi jubentur. Sic in edicto Caroli ejusdem, quod Capitulis ecclesiasticis præfixum est [11], pontifices vocat sacerdotes, quos a presbyteris secernit; et tamen episcopos ipsos a sacerdotibus subinde separat. Et in iisdem Capitulis titulo primo, capite secundo [12] : « Volumus, atque præcipimus, ut omnes suis sacerdotibus, tam majoris ordinis, quam et inferioris, a minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cujus jure in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. » Sic in libro septimo Capitularium capite 103. « Volumus, *inquit*, ut nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo, vel tres tan-

[1] Apud Eus. lib. 5. c. 26. — [2] Iren. lib. 3. c. 2. et 3. et lib. 4. c. 43. — [3] In Dissert. p. 269. et seq. et in Appar. ad lib. de Pri. p. 60. — [4] Vide lib. 1. c. 12. § 16. — [5] Chrys. hom. 1. in ep. ad Phil. [6] Init. com. in ep. 1. ad Timoth. — [7] Clem. Alex. Strom. 6. pag. 481. — [8] Ibid. pag. 480. — [9] Cap. 52. § 13. — [10] Ibid. § 14. — [11] Tom. 2. Conc. Gall. — [12] Extat lib. 7. cap. 301.

tum episcopi electione ceterorum, propter benedictionem, et prædicationem, populique reconciliationem ; et cum illis electi sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentias dare, Missas celebrare. » Hic manifeste sacerdotis vox utrique ordini communiter attribuitur.

Quamobrem ut ex *presbyteri* vocabulo utrique ordini concesso, episcoporum et presbyterorum, primis seculis duobus, disputat Salmasius nonnisi unum ordinem fuisse ; eodem jure concedet, reliquis deinceps seculis unum et eumdem fuisse, cum *sacerdos* uterque sit vocatus. At hoc, illius etiam judicio, perspicue falsum est. Desinat igitur de altero tam pervicaciter, tamque stulte contendere.

IX. Ejusdem indolis est argumentatio illa, quam ex Pii, et Victoris Romanorum pontificum epistolis instruit professor Leidensis, quod ambo presbyteros appellant episcopos. Cujus ratiocinationis stupor simili responso diluendus est. Nam presbyteri in commune omnes Ecclesiæ moderatores, hoc est clerici majores, vel sacerdotes, comprehensi sunt, uti veteres affirmant.

Et quoniam Pii et Victoris epistolas, tanquam genuinas, in auctoritatem assumit [1], age constet ipse sibi, et eorumdem decretis auscultet. Scribit Pius ille in epistola prima, « Sanctam Sedem apostolicam, hoc est Romanam, omnium Ecclesiarum caput esse ex præcepto Christi, qui principi Apostolorum dixit : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Victor vero in epistola prima, tum eadem de Romanæ Sedis dignitate refert ; tum de causis episcoporum, et eorum appellationibus ad apostolicam Sedem pertinentibus, nec ab alio dijudicandis non pauca disserit. Utrique ergo Leidensis professor assentiatur, quando illorum epistolis semel habere fidem instituit ; ac se profiteri Catholicum, ac Romanum incipiat. Qui enim potius epistolis istis Pii ac Victoris, quam tribus aliis diffidat, quarum testimoniis utitur ad commenti sui fulciendam auctoritatem ? Quod argumentum ? quod κριτήριον habet, quo Pii ad Justum Viennensem, et Victoris ad Desiderium epistolas, quas identidem obtrudit, genuinas esse probet ; ceteras eorumdem rejiciat ? Nonne hoc est sortito, quod velis, proferre ; imo ἀκρίτως, temereque nugari ?

Atque hoc non eo dico, quod in illis epistolis momenti aliquid ad causam istius insit ; quod hac præscriptione summoveam. Nihil enim aliud inde nanciscitur, nisi obsoletum illud et putidum : episcopum ibi vocari presbyterum, et a presbyteris gubernatam esse tunc Ecclesiam. Quæ satis superque confutata sunt, præsertim in primo libro de Hierarchia [2].

CAPUT SEXTUM.

1. Salmasii mira a seipso dissensio. — 2. Qui primum asserit, a pluribus presbyteris initio gubernatam esse Ecclesiam ita, ut nullum inter eos aut dignitatis, aut nominis discrimen esset. — 3. Idem vero mox contrarium docet, initio et dignitate et nomine fuisse discretos. — 4. Κρύψις ejusdem, et excusatio falsa erroris, et frivola. — 5. Utcumque vero decreta illius se habeant, refellitur commentum primatus inter presbyteros ex ordinationis tempore ab eo confictum. — 6. Cujus firmamenta convelluntur. — 7. Maxime ex Hieronymi auctoritate.

I. Qualem Ecclesiarum administrandarum initio fuisse formam, Leidensis professor existimet, dixi capite 4. Hujus modo pressius, et subtilius examinanda ratio est, ut intelligant omnes, quam non solidis ex rebus, sed futilibus ex conjecturis ridicula ista fabula collecta sit. Quod equidem non aliunde magis, quam illius ex dictis, et sententiis, totaque ipsa disputatione perspicuum faciam. Sed ante omnia singularis exponenda est hominis levitas, et in eo, quod posuerat, retexendo ac refellendo inusitatus attonitæ mentis stupor : qui in Wallonis Messalini dissertatione reprehensus a nobis, et convictus, in Apparatum ipsum redundavit. Adeo superbum et illiberalem animum magis emendare agnitum errorem, quam in eo perseverare puduit. Quin enim apud se tacitus hunc agnoverit, dubitare

[1] Salm. App. p. 60.

[2] Cap. 12. § 17.

nemo poterit, nisi qui multo secus de isto, quam de se sentit ipse, judicarit. Cujusmodi vero vel erratum illud sit, vel in eo dissimulando quam non mediocre, aut condonandum istius facinus, res per se ipsa declarabit.

II. Salmasius sub Wallonis Messalini larva mimum suum agens, diserte scribit sub initium capitis secundi Dissertationis primæ [1], sic Ecclesiæ præfuisse primis temporibus presbyteros complures, qui et episcopi erant, nemo ut unus dignitate antecelleret ceteris, uti nec nomine distabat. Nam græcos interpretes Pauli Chrysostomum, Theophylactum, OEcumenium redarguit, quod asserant, « tempore, quo scribebant apostoli, presbyteros fuisse vocatos episcopos, episcopos vero presbyteros; nec tamen plures episcopos, sed unum singulis præfuisse civitatibus. » « Quomodo hæc explicabimus, *inquit*, ut recta his sententia concilietur? Ponamus, quod volunt, unicum, ut nunc, per singulas civitates constitutum fuisse episcopum; episcopus etiam, ex consuetudine illius seculi, presbyter vocabitur. Ipsi autem presbyteri, qui sub illo presbytero erant, episcoporum quoque appellatione censebantur. Sic unus episcopus, qui et presbyter, pluribus presbyteris, qui et episcopi dicti, præerat. Hoc modo presbyter in presbyteros, id est pares, episcopus in episcopos summam habebat potestatem; et nullum erat discrimen nominis, cum tantum esset discrimen dignitatis. » Negat itaque Salmasius, ex pluribus presbyteris, qui tunc Ecclesiam in commune regebant, unum aliquem fuisse dignitate præcellentem, qui appellatione differret a ceteris, et episcopus diceretur. « Cum igitur, *inquit* [2], presbyteri omnes ex æquo vocarentur, et episcopi pariter omnes, nullum inter eos tum discrimen fuisse dignitatis ex eo comprobatur, quia nullum esset appellationis. »

III. At vero postea primatum inter presbyteros fuisse docet ex ordinationis tempore [3]: « Antiquior, *ait*, ac prior mos fuit Ecclesiarum, ab ipsis apostolis institutus, ut primatus inter presbyteros, non ex electione decerneretur, sed ex ordinationis tempore seniori deferretur. » Quem morem usque ad finem primi seculi, et initium secundi obtinuisse suspicatur [4]. « [5] Ita inter presbyteros prima sedes dabatur, sive πρωτοκαθεδρία, ei qui ordinatione antiquior ceteris esset. Qui successionem primorum in variis civitatibus episcoporum litteris consignarunt, dum ad suorum temporum consuetudinem respiciunt, episcopos nominarunt, qui primi erant ordinis ex tempore ordinationis, et qui primum in ordine officii gradum habebant. » Hactenus igitur affirmat Salmasius, utroque illo seculo, quo presbyteri plures, iidemque episcopi, Ecclesiam in commune gubernabant, neminem fuisse primum inter pares, nisi ex tempore ordinationis; ac ne ipsum quidem, qui primam isto modo sedem nactus fuerat, appellatione ab reliquis discrepasse, ut episcopus insigniter vocaretur. In quo errasse putat illos, qui in primorum episcoporum describendis successionibus *primos ordinis sui presbyteros episcopos nominarunt*, quod hoc ipsum in usu esse temporibus suis animadverterent.

Verum statim, ac ne littera quidem interposita, contrarium asserit, et primates illos proprio quodam jure, ac titulo nominatos fuisse dicit episcopos, cum ceteri vocarentur presbyteri. Verba Leidensis professoris Messalini [6] : « Fortasse etiam ita nominabantur κατ' ἐξοχήν, quibus primatus eo modo delatus fuisset, cum ceteri nuncuparentur presbyteri. » Habes κατ' ἐξοχήν ita nominatos episcopos primates illos presbyteros per id tempus, quo tempore ita nominatos, aut ab reliquis appellatione distinctos negaverat. Ac paucis interjectis, quod *fortasse* tunc fuisse factum quasi dubitando dixerat, plane, asseverateque confirmat his verbis [7] : « Eodem prorsus modo primo toto seculo, et magna parte secundi, presbyterorum primates, quibus hunc primatum ordo tribuebat, in successionis episcoporum serie, nomine episcoporum signati, ac censiti sunt. » Quid hoc homine levius, et inconstantius? aut quis ulla in re isti fidem habeat, qui tam diversa, et inter se pugnantia, non iisdem modo paginis, sed paginarum etiam versibus affirmet?

IV. At idem in Apparatu [8] mentiri nos ait, quod dici hoc ab eo docuimus, « Apostolorum ætate unum aliquem fuisse in singulis Ecclesiis episcopum, qui episcopi sibi peculiare nomen haberet. » Negat enim, *de temporibus apostolorum ibi loqui Messalinum*. Atqui manifesti, et inverecundi mendacii ipsemet tenetur. Nam aperte de primis illis, et apostolicis temporibus id primum dubitanter asserit, et

[1] Wall. Mess. p. 85. — [2] Ibid. p. 86. — [3] Idem c. 4. p. 205. — [4] Salm. ib. p. 207. et pag. 273.

[5] Pag. 273. — [6] Ibid. p. 273. et 274. — [7] Ibid. p. 274. — [8] Salm. in Appar. p. 64.

addita particula *fortasse*, quod asseverantius deinde pronuntiat. Quid autem vox illa *fortasse* designat aliud, aut quo tandem refertur, nisi ad illa, quæ proxime ante scripsit, veteres illos presbyterorum primates, qui apostolorum tempore vixerunt, episcopos nominatos κατ' ἐξοχὴν a posteriorum seculorum scriptoribus, qui in mandandis memoriæ successionibus idem illis nomen attribuerunt, quod ætate sua videbant illorum proprium esse cœpisse? Non enim de *presbyteri* appellatione verba illa possunt accipi, cum neque primates illi κατ' ἐξοχὴν a posterioribus presbyteri nuncupati sint; nec de hoc, sed de episcopi vocabulo sermo illic habeatur. Deinde, quod pagina sequente dixit, « Primo toto seculo, et magna parte secundi, presbyterorum primates, quibus hunc primatum Ordo tribuebat, nomine episcoporum signatos, ac censitos esse; » nonne de primis, adeoque apostolico seculo, et insequentis magna parte debet intelligi? His enim temporibus duntaxat primatum ex ordinationis tempore cessisse vult, cum postea electione, atque ex merito primates instituti sint. Apostolicis ergo temporibus primates presbyterorum *nomine episcoporum signatos, ac censitos esse* docuit ibi Leidensis professor; et impudenter negat, hoc scripsisse Messalinum, quod disertis et conceptis verbis palam est ab eo esse scriptum.

Quinetiam puerili, ac ridiculo fuco, cum purgandi Messalini gratia ejus verba proferret, quibus mentionem illius rei fecerat, ea sola, quæ sunt in pagina 273. descripsit, quæ minus erant expressa; posteriora, quæ nos attulimus ex sequente pagina 274. suppressit, in quibus citra dubitandi particulam idipsum clarius, et affirmatius est elocutus.

V. Verum, mala fide, ac tergiversatione illius omissa, quod consequens est, videamus quam belle commentum illud cohæreat, quod de collegii presbyterorum primatibus excogitavit, quodque in Wallonis dissertatione labefactatum, in Apparatu resumpsit, ac fulcire conatus est. Sed illud imprimis animo repetendum est, quod supra dixisse me puto, et quod sua cuique ratio, ac prudentia suggerit: cum de ritibus antiquis agitur, deque usu ac moribus Ecclesiæ veteris, quam *primitivam* vocant, tantumdem, nec amplius, affirmari oportere, quantum ex idoneis, et æqualibus illorum temporum scriptoribus potest colligi; idque adeo pro certo, confessoque habendum, quod expressis illorum verbis, ac testimoniis, non assutis ad eorum sententias interpretationibus, et divinationibus innititur. Hac ego regula constituta, cui nemo prudens et doctus homo reluctari poterit, plane ita confirmo, nullum auctorem habere Salmasium ludicræ illius fabulæ; neque quemquam extare ex omni antiquitatis memoria, qui liquido ac disserte doceat, episcopos apostolicis temporibus nihil aliud præterquam primates fuisse presbyterii; ita ut sola temporis, quo quisque ordinatus erat, habita ratione, in prioris gradum ac locum proximus succederet; idemque nisi episcopali jam ordine, ac charactere præditus esset, velut si presbyterorum collegium, e quo ille capiebatur, ex secundi ordinis sacerdotibus constaret; sine nova, et episcopatus propria manuum impositione, hoc est episcopali ordinatione episcopus fieret. Quocirca totum illud, quod in Wallonis Messalini dissertatione, tum in Apparatu postea Leidensis professor ad ravim et nauseam usque declamat, ex frivolis et futilibus conjecturis dico esse contextum, et sine communi sensu, ac judicio ullo confictum contra catholicæ veritatis perinde, ac memoriæ veteris, et historiæ fidem. Hujus assertionis adstruendæ una scilicet ista verissima, et expeditissima ratio est, si auctores illos, quos inventi sui testes ac vindices appellat, nihil ejusmodi, quale iste finxit, iis ipsis, quæ protulit, verbis ac sententiis significasse planum fecero.

VI. Ecquem vero fundum, auctoremque nominat commentitii illius primatus, ac citra electionem subrogati in demortui episcopi locum ex ordinationis antiquitate presbyteri? Unus nimirum, aut certe præcipuus est commentarii illius in Pauli epistolas scriptor, cui falso Ambrosii nomen inscribitur. Hujus admodum solius testimonio fretus Leidensis professor tam inauditam hactenus, tamque ridiculam fabulam contexuit. Age ergo faciamus periculum, quantum ad hanc novitatem adstruendam, et ex antiquitatis latebris eruendam, judicii et acuminis grammaticus iste contulerit. Scribit suppositicius Ambrosius [1], « Primum presbyteros episcopos appellatos, ut, recedente uno sequens ei succederet, etc. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, ut non Ordo, sed meritum crearet episcopum multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus te-

[1] In c. 4. ad Eph. 504. M.

mere usurparet, et esset multis scandalum. » In his commentarii verbis nihil liquidi est, et expressi, ad quod commentum illud adhærescat. Num enim vel ulla littera istic est, quæ citra electionem promotos ad episcopatum fuisse suadeat antiquiores quosque presbyteros ? aut illud consequens est, proximum quemque ordinationis tempore, jure ipso duntaxat antiquitatis ceteris antelatum esse, ut statim defuncto sufficeretur ? Nonne hoc divinare est, et affectata, temereque assuta verborum interpretatione, quoquo libido tulerit, mentem scriptoris illius inflectere ? Nam quod, *recedente uno*, *sequentem ei successisse* dicit, non eo pertinet, ut aut citra electionem solo antiquitatis jure successerit, aut *sequens* qui vocatur, proximus ordinatione semper defuncto fuerit. Etenim *sequentem* simpliciter successorem nominat, quicumque tandem is fuit, et quocumque modo suffectum. Quod Optati Milevitani auctoritate probavimus in primo de Hierarchia[1] ; qui post Constantini M. mentionem, de Juliano incontinenti ista pertexit : « Deinde alter, ut omnibus notum est, secutus Imperator. » Ut ergo Constantinum secutus Imperator non is intelligitur qui ab illo proximus, sed qui post eum imperavit : sic in collegio presbyterorum *sequens* ille non necessario interpretandus est, qui ordinationis tempore proxime ab defuncto in matricula scriptus erat ; sed is esse potest, et vero fuit, qui utcumque et ex quolibet collegii loco in mortui locum est electus. Quid adversus hæc mutire potest Leidensis grammaticus ?

VII. Sed ut ferreum os validiore ictu tundamus ; ac ne itidem, ut iste facere assolet, sola contra illum conjectura pugnare, nitique videamur, age graviori, quam est falsi istius Ambrosii, auctoritate doceamus, successionem illam non sola prærogativa ordinationis, sed electione constitisse, etiam in Alexandrina Ecclesia, de qua præsertim supposititius Ambrosii commentarius iste loquitur. Hieronymus in epistola 85. ad Evagrium, « Nam et Alexandriæ, *inquit*, a Marco evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat. » Hic tria sunt ab eruditissimo et sanctissimo viro prodita, quæ grammatici Leidensis febriculosa commenta disturbant. Primum ait, a Marci evangelistæ tempore unum ex inferiori gradu translatum, et in excelsiori collocatum fuisse. Secundo, hunc ipsum electione presbyterorum ad gradum istum provectum. Tertio, eumdem nominatum episcopum, nempe κατ' ἐξοχήν, ut Leidensis professor ipse nos docuit, et insigni ac singulari appellatione.

Quæ tria, uti dixi, securim illepidæ, et ineptæ fabulæ Leidensis professoris infligunt.

CAPUT SEPTIMUM.

1. De loco quodam commentarii ad epistolas Pauli ab Amalario citato, quem Salmasius ad causæ suæ patrocinium attulit. — 3. Tria ex eodem loco colliguntur. — 4. Ex quibus intelligitur, commentarii illius auctorem idem cum Theodoreto sensisse, cujus opinio supra est exposita capite tertio ; quid in eodem improbetur. — 5. Ex quo Salmasii falsa divinatio refellitur, et ejusdem stupor arguitur.

I. Amalarius Fortunatus in libro secundo de Ecclesiasticis officiis capite 13. quædam ex Ambrosii commentariis in Pauli epistolas citat, quæ in vulgatis hodie non extant. Ea loca magno sibi præsidio esse Leidensis professor existimat[2], quod presbyterum apostolorum seculo eumdem cum episcopo fuisse demonstrent. Sed non est ita, et multum iste opinione sua fallitur. Nam presbyterum eumdem, et episcopum nominari ab Apostolo, scribit quidem ille tributus Ambrosio commentarius ; sed utrumque nomen sacerdotio secundi ordinis imputari, qui presbyteri deinceps proprie vocati sunt, idem asserit ; longeque ab Salmasiano commento dissidet : quod ejus verba perspicue declarant, non

[1] Cap. 13. § 13.

[2] Appar. pag. 39.

raptim nec incuriose lecta, ut mos isti grammatico est, sed attente et solerter expensa. Sic igitur Amalarius [1] : « Dicit Ambrosius in tractatu super Timotheum : Opinabitur quisquis usum divinarum non habet Scripturarum, B. Paulum presbyteros prætermisisse ; sed non ita se res habet. Illa enim, quæ de episcopo in anterioribus dixit, etiam et de illis dicit, qui nunc nominantur presbyteri, eo quod antiquis temporibus utrisque nominibus vocabantur presbyteri. Et post pauca : Melius autem qui (for. *quis*) cognoscere poterit illud ex illis, quæ ad Titum scripsit Apostolus. Dixit enim, *Ut constituas per singulas civitates presbyteros, sicut et ego præcepi tibi* ; et dicens, quales debeant ordinari, addit, *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem ;* cum conveniret utique, ut presbyterum eum diceret : sed evidenter eumdem et presbyterum, et episcopum nominavit. »

II. Post hæc alium locum ex iisdem commentariis Ambrosii refert Amalarius [2], in quo rationem reddit, *cur presbyteri nomen transeat ad episcopi.* « Ambrosius, inquit Amalarius, dicit in epistola ad Timotheum : Quæ autem sit causa, non est justum eam silentio præterire, ob illam immutationem nominum, quæ ad præsens esse videtur ; et qua ex causa discreta nunc sunt nomina ; et neque episcopus dici potest presbyter, neque presbyter unquam episcopi nuncupationem poterit sibi vindicare, usque dum presbyter esse desistit. Antiquis etenim temporibus, quando pietati studebant presbyteri, omni in loco ordinabantur, hoc quidem nomen contemplatione honoris accipientes ; sicut et apud Judæos presbyteri dicebantur, qui populo præerant. Vocabantur autem et episcopi ab illo opere, quod et implere videbantur ; eo quod considerare omnia, quæ ad cultum pertinent pietatis, fuerant constituti, ita ut universorum dispensationem haberent commissam. Nam et perfectam dispensationem, et auctoritatem ecclesiastici ministerii ipsi tunc commissam habebant, et omnia regebantur pro eorum arbitrio. » Porro ex eodem Ambrosio ista pertexit : « Beatis vero apostolis decedentibus, illi, qui post illos ordinati sunt, ut præessent Ecclesiis, illis primis exæquari non poterant, neque miraculorum testimonium par illis habere ; sed et in multis aliis inferiores illis esse videbantur : grave existimaverunt, apostolorum sibi vindicare nuncupationem. Diviserunt ergo nomina ipsa, et (ab) eisdem, id est presbyteris, presbyterii nomen reliquerunt. Alii vero episcopi sunt nuncupati, hi qui et ordinationis prædiți potestate, ita ut plenissime iidem præpositos se Ecclesiarum esse cognoscerent. »

III. Hunc Amalarii locum, et citati ab eo Ambrosii verba, si quis attente considerare voluerit, tria mecum ex illis colligenda statuet : Primum, quos in omni loco ordinatos initio presbyteros ait, qui et episcopi nominabantur, penes quos etiam *dispensationem, et auctoritatem ecclesiastici ministerii* fuisse dicit ; hos non primi ordinis sacerdotes extitisse, sed secundi, quos simplices hodie presbyteros vocamus. Id adeo ex sequentibus intelligitur, cum ait, post obitum apostolorum, qui post eos ordinati sunt, ut præessent Ecclesiis, quoniam pares apostolis esse non poterant, nec horum usurpare vocabulum, ut apostoli dicerentur ; ex presbyterorum gradu, de quo scilicet assumebantur, ut apostolorum loco præessent Ecclesiis, nomen esse mutuatos : ut cum iidem et presbyteri, et episcopi nuncuparentur, posterius hoc sibi vindicarent ; prius vero presbyterio relinquerent. Ita deinceps episcopos nominatos esse Ecclesiæ præsules, qui apostolis succedebant ; presbyteros autem, qui secundo ab illis loco et ordine censebantur. Secundo iisdem ex Ambrosii verbis conficitur, apostolos primis illis temporibus primi ordinis fuisse sacerdotes, hoc est eorum gradum, ac locum obtinuisse, qui postea sunt episcopi nominati. Etenim ipsi, qui post eos ordinati dicuntur, in illorum præfecturam subrogati sunt, ut præessent Ecclesiis, ac solo vocabulo distincti ; quod non apostoli, sed episcopi deinceps appellati sunt. Apostolos porro cum nominat supposititicius Ambrosius, et iis substitutos ex presbyterio ait episcopos, non summæ velut extraordinariæ dignitatis rationem habet, hoc est apostolatus, cui potestas in universam Ecclesiam attributa fuerat, quæ in singulis, uno excepto Petro, mortua est et extincta ; sed peculiaris cujusdam præposituræ, quæ ex infinita amplitudine redacta certam aliquam in civitatem, ac regionem, huic illos curandæ administrandæque potissimum addixerat. Cum igitur duplicem quodammodo personam sustinerent apostoli, ac tum Ecclesiæ per totum terrarum orbem principes, tum peculiares

[1] Amalar. col 381. tom. 10. Bibl. PP.

[2] Ibid. col. 386.

alicujus loci, et civitatis antistites essent, qui iis successisse dicuntur episcopi, non prioris illius, amplissimæque jurisdictionis, sed posterioris, ac circumscriptæ certis finibus, hæreditatem adierunt. Unum dixi ex apostolis excipiendum esse Petrum. Huic enim qui successere Romani Pontifices, jus in universam, quaqua patet, Ecclesiam, ac *plenitudinem potestatis* sunt consecuti. Tertio illud in Ambrosii verbis animadvertes, solos primi ordinis sacerdotes *potestate ordinandi præditos fuisse:* nimirum apostolos, quandiu penes eos singularis præfectura fuit Ecclesiarum; tum ex presbyterio promotos in apostolorum locum, et nuncupatos episcopos. Hoc enim non obscure significat Ambrosius ille, dum *alios episocpos nuncupatos esse* scribit, eos videlicet, *qui et ordinationis præditi potestate; ita ut plenissime iidem præpositi essent Ecclesiis.*

IV. Apparet itaque, commentarii illius auctorem, quem Ambrosium vocat Amalarius, in ea opinione fuisse, quam supra cap. tertio placuisse Theodoreto demonstravimus; ut et episcopi illi, ac presbyteri, quos Apostolus nominat, ordinis duntaxat secundi fuerint sacerdotes; et qui primi ordinis tunc erant, et hodie appellantur episcopi, apostoli vocarentur. Quorum prius alteri de duabus, quas esse probabiles ostendimus [1], opinioni nostræ consentaneum est, quæ itidem, ut græci plerique, presbyteri et episcopi vocabula secundo sacerdotum ordini attributa fuisse censet ab apostolo Paulo. Posterius vero, primi videlicet ordinis sacerdotes apostolos esse dictos, quod universe Theodoretus asserit, non perinde, ut ille, defendimus. Siquidem alios fuisse putamus ordinis primi, qui non apostoli, sed communi cum secundo ordine vocabulo, episcopi dicebantur, atque etiam presbyteri; uti gradus illi duo non nomine, sed potestate ac dignitate differrent, qua utraque præditi erant majore primi, quam secundi ordinis sacerdotes. Ambrosius porro ab Amalario citatus, in primo ordine solos agnoscit apostolos, quorum successores facit episcopos, in quo ab Theodoreti sententia vel nihil, vel pusillum admodum abesse videtur.

V. Nihil igitur Leidensem professorem iste Ambrosius adjuvat. Adjuvat autem? Imo totam illius fabulam, ac divinationem evertit, ac disjicit. Quod igitur argumentum reliquum habet? quod in omni vetustatis memoria vestigium auctoritatis, quo inventi sui fidem adstruat, vel hoc potius ab non indoctorum hominum risu, ac ludibrio defendat? Quis illum docuit, apostolorum seculo, et eo, quod proxime secutum est, hunc morem fuisse creandorum in Ecclesia præsulum, ut ex presbyterorum collegio antiquissimus quisque ordinatione caperetur; qui sine alia manus impositione, statim demortui gradum, ac locum obtineret? In quo quidem pudendo errore lapsus est primum in fœnea dissertatione Wallonis, tum in Apparatu multo etiam turpius, dum a me castigatus eadem oberrare chorda maluit, quam erratum suum retexere. Etenim, ut proximum quemque ordinationis tempore successisse mortuo presbyterum, ostenderet Wallo [2], ex epistola Pii Romani pontificis argumentum ceperat. Nam epistolam ita Pius concludit: « Salutant te Soter, et Eleutherius digni presbyteri. » Quo ex loco probari Wallo putabat, « non electione, sed ordine ad primatum pervenisse illius temporis episcopos, cum recedenti primo sequens in ordine secundus succederet. » Quippe « ordine, ut apparet, eos (Pius) nominat, ut duos presbyteris antiquiores. Eodem ordine isti duo, qui in epistola Pii nominantur, eidem Pio successores extiterunt. Nam post Pium Soter primatum, id est episcopatum, ut nunc nuncupatur, tenuit; post Soterem Eleutherus. » Atqui Pio non Soter, sed Anicetus proxime successit, ut ex Irenæo [3], Eusebio, aliisque veteribus perspicuum est; atque adeo ille ipse locus Eusebii, quem Wallo citat, aperte declarat. Et tamen tantus illum vetternus tenuit, ut cum a me erroris istius admonitus fuisset, in eumdem incurrerit in apparatu ad libros de Primatu Petri [4]; imo vero tanto fœdiore se istic lapsu traduxerit, quo evidentius, ac citra ambages illud idem, cujus gratia reprehensus erat, expressit: «In priore, *inquit*, epistola Pii duo primi presbyteri nominantur, Soter, et Eleutherius; qui postea eodem ordine, quo nominati sunt, primatum adepti videntur presbyterii. Soter quippe in eo primatu successit Pio, Soteri Eleutherius. » Quis hunc in libris elucubrandis vel cogitare putet, vel omnino curare quid scribat? aut quid incurioso, et hebeti adeo justius occinam, quam tritum illud poetæ veteris?

Ὃς δέ τε μήτ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούσας
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖ ἀχρήϊος ἀνήρ.

[1] C. 1. et 3. — [2] Wall. Mess. p. 276

[3] Iren. lib. 3. cap. 3. — [4] Pag. 61.

CAPUT OCTAVUM.

1. Præmunitio quædam ad insequentem disputationem. — 2. Falsa Leidensis professoris criminatio discutitur : quid de Ordinibus Tridentina synodus decreverit. — 3. Solido et invicto argumento probatur, ex institutione Christi Ordines duos, quorum alter episcopatus, alter presbyteratus simplex vocatus est, esse distinctos. — 4. Contra quod fractus, et enervis Salmasii impetus retunditur. — 5. Ejusdem impedita, et incondita ratio. — 6. Unde obortus illi error in ejusmodi ; ac de diaconatu ejusdem hallucinatio.

I. Habet in scribendo Salmasius ex innumeris sordibus vitia maxima duo, quæ tam legendi illius libros, quam contra eos disputandi injucundam perinde operam, ac difficilem reddunt : alterum, quod eadem odiose repetit sæpius; etiam illa, quæ ab adversariis manifesti erroris convicta, penitusque profligata sunt : alterum, quod nullum in tractando eo, quod suscepit, ordinem tenet; neque cogitat quid prius, quid posterius dici oporteat, et quid ex quo consequens sit ; nedum curat, et observat. Itaque millies, tanquam ille de Comœdia, τὴν αὐτὴν ὄνειον μάζαν περικυλίει τοῖν ποδοῖν, et alieno pleraque loco lectoris ad nauseam, et fastidium infercit. Hæc eo præfari necesse habui, ne quis mihi forte succenseat, si in respondendo, hoc est in volatici, ac desultorii ingenii vestigiis assectandis, propemodum in eamdem ἀταξίαν, et perturbationem incidisse videar. Hoc enim invitus, adeoque dedita opera facio, ubi aliter non licet. Nam quoad integrum erit, recta, et ordinata ratione disputatio nostra procedet; quod in antecedentibus capitibus secutum me arbitror, in quibus quæstionis capita præcipua, et quasi fundamenta proposui.

Nunc ad ea venio, quæ in libro suo, ut quidque illi venit in mentem, aut in locis potius communibus fors ei obtulit, temere, ac sparsim, et per saturam effudit. In quibus excutiendis nonnullum tamen pro eo ac res, ut dixi, feret, ordinem ac viam insistam.

II. Horum primum illud esse debet, quod adversus disputandi consilium, et institutum nostrum objicit [1], tanquam mecum ipse dissideam, qui eamdem Tridentinæ auctoritate synodi decisam esse quæstionem dixerim in capite secundo libri primi de Hierarchia, quam initio dissertationum nostrarum adversus Trapezitam, « non omni ex parte hactenus explicatam esse » statueram ; « ut in integro propemodum adhuc posita res locum ingeniorum exercitationi, et industriæ reliquerit. » Hæc quasi inter se pugnantia duo Leidensis ex Trapezita professor arguit. Sed non sunt ; et nimium hebes est, qui inter decretum synodi illius, et quæstionem a me positam, quid intersit, non videt. Nempe illud in Synodo decretum est, « Hierarchiam divina ordinatione institutam esse, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris. » Quod nihil aliud est, nisi tres in Ecclesia institutos esse ordines a Christo Domino, *episcopatum*, *presbyteratum*, *et diaconatum*. Ceterum non hoc Synodus constituit, tres illos ordines personis semper esse distinctos, aut in omnibus Ecclesiis, locisque tres illos mandari singulis oportere, ut ubique sit episcopus alius, alius presbyter, alius minister. Horum prius extra controversiam est : neque de hoc interpretanda sunt illa, quæ dixi, *rem istam*, sive *quæstionem propemodum adhuc in integro positam esse*. Itaque duos illos ordines perpetuo, et ab ipsis adeo Christianæ religionis initiis, apostolicis temporibus distinctos fuisse, docui in eodem illo capite primo libri prioris Dissertationum [2] ; unde Leidensis professor stulte calumniatur. Et in capite secundo mea hæc verba sunt [3] : « Quocirca nunquam non fuit in Ecclesia potestatum, graduumque discrimen, hoc est episcopatus, et presbyteratus simplicis. Sed in eadem capita passim ambo conferebantur. » Quidnam igitur illud est, quod controversiam habere dixi ? Nempe utrum iidem in Ecclesiis aut omnibus, aut quibusdam saltem, utrumque ordinem caperent ; qui quidem in clerum allegerentur certarum Ecclesiarum, ut ibi tandiu hærerent, dum ad alias regendas Ecclesias, prout ferebat res, mitterentur. Ut, exempli gratia, utrum in Ephesina Ecclesia, unde Paulus Miletum τοὺς πρεσβυτέρους excivit [4], iidem isti, qui πρεσβυτέροι vocantur, essent episcopi, id est primi ordinis ; an secundi duntaxat, qui tunc com-

[1] Salm. in App. pag. 24.

[2] Pag. 22. — [3] Pag. 26. — [4] Act. 20. 17.

mune cum primo nomen illud obtinebat.

Multum vero inter illa duo interesse nemo non videt, quærere, ac dubitare, an idem sit ordo cum episcopatu presbyteratus; et utrum in eamdem personam uterque conveniat. Uti si quispiam apud Justinum Trogi abbreviatorem legens, *principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges fuisse*, dubitet, an iidem et sacerdotes extiterint, qualis Melchisedecus fuit; non de eo quæstionem movet, an idem sit sacerdotium et regia potestas, sed utrum ambæ dignitates, quas utique distinctas esse novit, in eosdem collatæ fuerint.

III. Nam a prima ordinum illorum institutione, presbyteratum simplicem ab episcopatu fuisse diversum, nec unum fuisse ordinem, ut qui tantummodo presbyter ordinatus esset, episcopale jus ac potestatem eo ipso consequeretur, invicto argumento probavi : quod frustra labefactare contendit Salmasius, non ratiocinatione aliqua, quæ quid sit profecto nescit, sed obscuris, et intortis, ac streperis verborum ambagibus, quibus sensus omnino subest nullus, nedum communis ac probabilis aliqua particula. Argumentum porro nostrum fuit hujusmodi : Cum Sacramenta, eorumque natura, et institutio, non ab hominum arbitrio, et potestate, sed ab divino jure, et auctoritate pendeant, non possunt homines in illis immutare quidquam, quod ad eorum substantiam, ut vocant, pertinet. Est autem maxime οὐσιῶδες, et eorum naturæ insitum, ut et rei cuilibet, *unitas* illorum, et *differentia*, sive *multiplicitas*. Siquidem τὸ ἓν proprietas est τοῦ ὄντος : et eo ipso, quo aliquid est *ens*, necessario est *unum*. Ejusdem est igitur *unum* facere, cujus est *ens* et *rem* instituere. Nec de naturali rei integritate detrahi potest, quin natura ipsa mutetur. Quoniam ergo sacramentum Ordinis, ut et cetera novæ legis, ad effecta quædam naturæ viribus, et humano captu majora comparatur, non potest humana voluntate aliquid ex eo decerpi, cujus efficiendi potestas illi est divinitus attributa. Quamobrem qui rite est ordinatus, omnium illarum functionum jus, ac potestatem obtinet, quas Ordinis sacramento assignavit, et addixit Christi illius conditoris institutio, quoties idonea capiendæ illius efficientiæ subjecta materia est. Hoc eo dixi, quod effecta quædam illius sacramenti jurisdictionem externam postulant, quæ ecclesiastica auctoritate circumscribitur. Ita presbyter quilibet consecrandi panis, ac vini, sive offerendi sacrificii, necnon remittendorum peccatorum, hoc est *absolvendi* potestate præditus est; quæ duplex functio non eadem ab illo ratione præstatur, nam prior nullam externam jurisdictionem desiderat. Itaque potest quilibet etiam de gradu dejectus, et exauctoratus presbyter, Dominicum corpus et sanguinem conficere, *valide* duntaxat, ut loquuutur, non autem rite, ac licite. Posterior vero præter ordinis, quam vocant, potestatem, jurisdictionem alienam *interioris fori*, ita enim appellant, requirit; qua subtracta, nihil efficitur. Neutram ergo potestatem ordinis eripere ordinato sacerdoti potest Ecclesia; nec illius efficientiam impedire, ac supprimere, quæ ab jurisdictione non pendet. Velut si quispiam presbytero potestatem vellet auferre alterutrius conficiendæ partis eucharistici Sacramenti adeo, ut solius consecrandi panis, exempli causa, facultatem illi concederet, alterius subtraheret; nihil prorsus ageret : possetque presbyter contra interdictum, ac voluntatem prohibentis, utramque substantiam in Christi corpus, ac sanguinem vertere. Quod exemplum ad Salmasii refutandum errorem maxime est idoneum. Etenim si nullus ex Christi voluntate, et institutione ordinatus est presbyter, qui non jure omni, et potestate sit præditus, quæ propria est ordinis primi; hoc est qui non vocabulum solum, sed etiam rem et characterem episcopatus habeat : profecto non magis Ecclesia potuit ordinandorum episcoporum, ac presbyterorum illi potestatem adimere, quam consecrandæ Eucharistiæ, vel confessis impertiendæ reconciliationis. Atqui presbyterorum nemo simplicium ita presbyterum, aut episcopum, ut de diacono taceam, ordinavit unquam, ut illius rata fuerit ordinatio, ac non de integro repetenda visa sit, tanquam non modo scelerata, et illicita, sed etiam irrita, omninoque nulla. Legenda sunt, quæ de hoc argumento copiose scripsimus in secundo libro de Hierarchia, capite 9. ac 10. quibus Leidensis professor ne littera quidem respondit.

IV. Nam intermortuas illas voces, et languidas, quas de hac re, ne omnino tacuisse videretur, in Apparatu obiter injecit [1], velut oscitationes inertis, ac semisomni hominis omittimus, quarum ne ipse quidem sobrium, ac tolerabilem sensum explicare potest. Nugari ergo deinceps desinat, et si quid in scriniis grammaticis habet, adversus illa proferat,

[1] Pag. 25. et 26.

utique plana, facilia, et expedita, quibus non unum ordinem esse docui presbyteratum et episcopatum divino jure, et institutione Christi. Nam si unus duntaxat ab auctore Deo esset ordo constitutus, non liceret hominibus illum ipsum distrahere, et ex uno duos facere; nec insitam, et naturæ illius attributam, et affixam potestatem ulla parte minuere. Quod si nondum ista capere, nedum persuadere sibi potest Leidensis grammaticus, saltem se ipse doceat, ac suas voces recognoscat. Scribit pagina 26. extrema sic : « Cum uni eidemque officio plures competunt functiones, quoniam ita libuit ei, qui tale instituit officium, ex singulis functionibus possunt postea et singula creari officia, si eidem vel alteri placuerit, qui potestatem habeat id faciendi. » Ergo illa plurium uni, et eidem officio functionum attributio ex ejus voluntate pendet, qui officium istud instituit. Quare si unus ordo tantum institutus a Christo fuit, qui episcopatus simul et presbyteratus esset, hoc est utriusque functionis potestatem haberet ita, ut qui ordinatus esset presbyter, eo ipso quæ propria sunt episcopatus obiret, ut professor existimat; nemo prorsus hominum divinitus traditam presbytero potestatem vel integram auferre, vel partem ex illa detrahere potuisset; nec interdicto ullo facere, quominus, si vellet, ratas ac veras, quamvis nefarie susceptas quia vetitas, ordinationes exerceret episcoporum pariter, ac presbyterorum.

Presbyteratus, inquam, ordinem, quia divinæ institutionis est Sacramentum, ut in capite secundo demonstratum est, mutilare, ac potiori parte sui minuere, nulli mortalium licuit. Hoc enim esset naturam immutare Sacramenti, ac novum condere; quod solius divini esse juris, etiam protestantium, ac Puritanorum magistri non dubitant. Sacramenta novæ legis causæ quædam sunt efficientes, et instrumenta derivandæ in nos gratiæ. Hanc autem ex sese, et a natura vim non habent, sed a voluntate ac potentia Conditoris, cujus institutioni obrogare nulli omnino conceditur. Et quoniam efficientis causæ ratio ac natura ex effectu petitur; hoc sublato, illam extingui, et aliam ex alia fieri, necesse est. Ut cum ignis natura, qua causa est, duplici in efficientia posita sit, calefaciendi, et exsiccandi; si altertrius efficiendi vis illi divinitus adimatur, non eumdem, quem hactenus inter causas naturales habebat, locum ac genus obtinebit, sed in aliud, ac diversum transitum faciet. Ita prorsus si presbyteratus ordo simplicis, ex institutione Christi, hoc est ex natura sua, quam illi indidit et qualem voluit auctor ipse præscripsit, ordinandorum episcoporum, ut de reliquis taceam, vim ac jus habuit; profecto non eadem Ordinis, ac Sacramenti species olim fuit, ac nunc est, postquam hæc illi est potestas ablata.

V. De jure, ac fungendi potestate loquor, non de functione Ordinis et exercitione. Hæc enim intercipi, detrahique potest interdicto aliquo, vel adversa valetudine; sed ita tamen, ut citra usum potestas maneat. Ut si presbyterorum functiones duæ distrahantur, et aliis sacrificandi, aliis absolvendi munus injungatur; ita singuli mandatas sibi partes exequentur, ut ambarum interim penes se potestatem retineant, easque, si res tulerit, non irrita opera præstare possint.

Adversus hæc, quæ Leidensis professor obscure, ac perplexe, ut dixi, mussitavit[1], nullum habent sani, et explicati ingenii vestigium. « Quod natura unum est (dixeram), et ejusdemmodi, non potest sine sui mutatione, imo interitu, vel in aliam naturam migratione, dividi, ac distrahi. » Respondet iste : « Hoc quidem verum esse de his corporibus, quæ unita, hoc est ἡνωμένα, Græci vocant, ut est homo, statua, lignum, lapis. At episcopatum et presbyteratum in uno homine ita conjungi, ut distrahi, ac dividi queant, sinesui mutatione, vel interitu. » Lapide, ac trunco, quam homine dignior est hæc oratio. Quid enim ? solisne corporibus inest natura, sive essentia ? Nonne angeli suam habent, ac spiritus ? Nam et definiri possunt, et utcumque genere ac differentia constant, certe specie aliqua continentur, quæ ex animo bobus illis conflata, in eadem cogitatione dividitur. Ex iis itaque si alterutram partem ratione, et ἐπινοίᾳ disjungas ab altera, num eadem, quæ prius erat, natura remanebit ? Non opinor. Atqui non sunt angeli talia corpora, quæ ἡνωμένα vocant; ac ne corpora sunt quidem. Quid tibi ergo vis cum joculari hac ἐπιστάσει ? cujus absurditas etiam ex numeris apparet; quod in talibus vulgatissimum est apud philosophos exemplum. Numero enim cuilibet si monadem unicam vel addas, vel subtrahas, statim illius natura, speciesque mutatur. Est quædam natura, et essentia Sacramentorum partibus constans, quas οὐσιώδεις, id est *substantivas*, Scholæ *essentiales* nominant, ut sunt materia, et forma, vel quasi mate-

[1] Salm. in App. pag. 25.

ria et forma ; tum efficiendi, operandique vis, quæ pro illorum specie varia est, ac dissimilis. « Auctor vero Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus ? (ait Ambrosius [1]) De cœlo ista sacramenta venerunt : consilium enim omne de cœlo est. » Itaque nemini prorsus hominum, ac ne angelorum quidem, potestas est data mutandi quippiam, ordinandique aliter, atque auctor ipse Christus instituit, ac fieri voluit. De iis loquor, quæ sunt οὐσιώδη : nam ritus illorum administrandorum, et cæremoniæ, juris sunt ecclesiastici ; et alii aliis temporibus, ac locis existunt.

VI. Sed ista nescisse quid miremur Leidensem professorem, hominem ex Catharorum fæce, ac disciplinæ huic innutritum, et religioni, quæ nihil sacrum, nihil nisi profanum, impurumque retinuit sibi ; maxime in ecclesiasticis ordinibus, in quibus mandandis neque personarum, neque functionum delectum ullum adhibent ? Ita fit, ut pro arbitrio, quæ volunt, quibuslibet officia demandent, aut abrogent. Non enim pro sacramentis, hoc est sacris, et a Deo constitutis gratiæ signis, et efficientibus instrumentis, apud istos habentur ordines illi, ut effectum aliquod interius, et divinitus attributum derivent, ac trajiciant in animam. Sed profanæ sunt, externæque curationes et administrationes, quæ pro libito in unum conferri eumdemque diversæ, aut in plures e contrario dividi, distrahique possunt. His imbutus moribus et institutis homo ridiculus putavit, sic uni ordini variam attribui functionem, ac potestatem, aut vicissim detrahi ; quemadmodum civilibus magistratibus modo plura, modo pauciora mandantur officia, gestionesque munerum, pro eo ac principi, vel reipublicæ visum fuerit.

Nam quod in diaconatu præstitisse hoc apostolos putat Salmasius [2], fugit illum ratio. Et insulsa sunt, atque alio loco confutata, quæ ad eamdem rem adjungit. « Olim, id est primis nascentis Ecclesiæ temporibus, *ait*, non fuit distinctus a presbyteratu et episcopatu. Nam etiam presbyteri et episcopi mensis inserviebant. Placuit postea apostolis hanc functionem adimere presbyteris, ut ministerio verbi divini, et orationibus liberius vacarent. » Quibus in verbis multiplex inest error ; ac primum in eo fallitur, quod diaconatum solo profanarum ministerio mensarum imperite circumscribit, quod in secundo libro Dissertationum ecclesiasticarum, capite primo refellimus. Deinde pessime ratiocinatur, ex eo diaconatum videri non fuisse distinctum, quod *etiam presbyteri, et episcopi mensis inserviebant ;* non solum quia ministrare mensis, si profanas intelligas, non est sacra, neque Ordinis propria functio ; verum etiam quod, ut ordini illi proprie attributum id munus esse concedam, potuit a majoribus, et diacono superioribus ordinibus exerceri, presbytero et episcopo. Inest enim hoc hierarchicis ordinibus, quod Dionysius docuit, ut inferiores in superioribus contineantur, et illorum proprias actiones exequi possint ; non autem vicissim majores in minoribus comprehensi sint, nec illorum isti vices expleant. Ex quo ridicula est, et obtusa Salmasii collectio, non fuisse diversum a presbyteratu et episcopatu diaconatus ordinem ; quod ea, quæ propria putat istius munia, duo illi præstare potuerint.

Quin ex eo magis illud absurdum sequetur, diaconos ordinare potuisse presbyteros et episcopos, si ex institutione Christi unus et idem ordo ille est cum episcopatu ; quemadmodum presbytero, qua presbyter est, idem jus ordinandi Leidensis professor arrogat, hoc uno fretus, quod iidem olim presbyteri erant et episcopi. Ecquis autem de diacono tale aliquid vel legit unquam, vel mentiri ausus est?

[1] Lib. 4. de Sacram. c. 4.

[2] Appar. pag. 26. et seq.

CAPUT NONUM.

Leidensis professoris tarditas, et ἀλογία. — 2. Quomodo tres hierarchici ordines distinguantur, ratione, vel subjecto ; — 3. quod fusius declaratur. — 4. Apostolos fuisse episcopos, et quatenus ab illis discrepent hodierni episcopi, sintque successores ipsorum. — 5. Itaque triplex hierarchicus gradus constitit Ecclesiæ veteri : indidemque Salmasii calumniæ refutantur. — 7. Ordinis vox ambigua ; et modo Sacramentum, modo βαθμὸν, sive gradum significat.

I. Quod in pessimo philosophorum Epicuro reprehendit M. Tullius, hoc in deterrimo criticorum Salmasio sæpe est a nobis animadversum. Epicurum ille scribit [1] cum in omni philosophiæ parte rudem et imperitum fuisse, tum *in ea, quæ est quærendi, ac disserendi, quæ* λογικὴ *vel* διαλεκτικὴ *dicitur, plane inermem, ac nudum.* « Tollit, *inquit*, definitiones ; nihil de dividendo, ac partiendo docet ; non quo modo efficiatur, concludaturque ratio, tradit ; non qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit. » De Leidensi vero professore non est quod queramur, nullum iis de rebus traditum ab illo esse præceptum, quarum artem neque scit, neque didicit unquam. Ac nos usum quidem præceptionum istarum (quod in Epicuro vituperando maxime spectavit Cicero) singularem aliquem, et eximium ab illo minime requirimus ; hoc vero unum pati non possumus, ne vulgaris quidem, qualis in opilione, vel bajulo esse debet, ratiocinationis vestigium illius in libris extare, ac toties ab eo contra communem sensum esse peccatum.

De hoc ille sæpius a me commonitus, rursus hoc loco vellicandus est, quod omnis ab eo contra nos instaurata disputatio eodem isto longe turpissimo, ac teterrimo vitio laborat. Hæc una judicii et rationis inopia materiam dedit immensæ, ac futilissimæ dissertationi ; quam, si, quid hominis more sapere sit, intelligeret, aut breviorem, aut nullam instituisset omnino. Sed ut ejus, in quo illum modo redarguimus, non solum querela lectori, sed justa etiam querelæ causa constet ; age reipsa comprobemus, quantum illi erroris ac flagitii, disserendi ratiocinandique inscitia peperit.

II. Dixi non semel iis in libris, quos contra Leidensis professoris hæresim scripsi, aliud esse τῷ ὑποκειμένῳ, sive *personis* ordines aliquos a se mutuo distinctos esse dicere ; aliud ex sese, ac natura sua ; cum illud quæritur, an episcopatus a presbyteratu diversus ordo sit ex institutione Christi. Siquidem ambos illos in eamdem personam cadere posse ; cum idem, qui episcopus est, sit etiam presbyter, et, ut Dionysius auctor est, inferiores omnes ordines in superioribus reipsa comprehensi sint, non autem vicissim superiores in inferioribus. Quocirca pessime ratiocinari Salmasium, qui adversus catholicum decretum de discrimine ordinum illorum ex personis argumentetur ; quod iisdem ambo illi mandati fuerint. Ad hanc neque difficilem, et quamplurimis exemplis rerum similium a nobis illustratam rationem, adeo noctua ista caligavit, ut nec eam hactenus capere potuerit, et quadam tacta vertigine, multa incondite, et inaniter effutierit. Non hic ea repetam, quæ ad hominis parum sani, nec acuti indolem accommodata in superioribus libris de Hierarchia super hac re disserui. Dabo novum erudito lectori, nec insuave spectaculum ex Apparatu ludii istius ; in quo ad argumentationem instruendam aliquam nervos omnes, et conatus explicuit, nec inde tamen aliud præter risum ac ludibrium abstulit.

Hunc igitur in modum ratiocinari instituit [2] : « Synodus, *inquit*, universalis legitime per Papam convocata, et per eumdem confirmata sanxit, ex institutione Christi episcopos et presbyteros fuisse distinctos. » Me vero contra hoc decretum venisse argumentatur ex eo, quod asserui, « Proximo post Christi mortem tempore paulo aliter usurpatum esse, ac plures in Ecclesiis sub presbyteri vocabulo ordinatos esse episcopos. »

III. Credi vix potest, quam inepta et stupida sit ista collectio. Primum Tridentina synodus nusquam docuit, episcopos et presbyteros ex institutione Christi fuisse distinctos eo sensu, quem in fœnea dissertatione Wallonis, et Apparatu Leidensis iste grammaticus exposuit ; nimirum ut se totis ordines illi ambo differant, (ut in scholis dialectici loquuntur,) ex

[1] Cic. 1. de fin.

[2] In App. pag. 27.

quo ecclesiastica institutione, ut ille putat, dirempti, et bifariam partiti sunt, cum hactenus unus et idem re, et appellatione esset Ordo. Qua imbutus opinione, neque capere animo potuit, neque ferre patienter, a me dici, episcopatum quidem, ac presbyteratum ordines esse reipsa distinctos, non tamen τῷ ὑποκειμένῳ necessario distare. Quippe fieri non posse putat, ut si mutuo ab sese differant, in unam eamdemque personam conveniant. Ita episcopatum et presbyteratum idem prorsus esse cum episcopo et presbytero, persuasit sibi. Legantur paginæ omnes Apparatus [1], in quibus vel contra nos debacchatus est, ob illa ipsa, quæ de ordinum discrimine, et in idem subjectum, eamdemve personam concursu aliquando fieri solito, dixi in primo de Hierarchia ecclesiastica; vel opinionem ipse suam, seu verius commentum, ac fabulam exprompsit. Parem ubique cæcitatem, ac stuporem hominis animadvertet, ad hunc unum scopulum offendentis, quod ea non existimat natura distingui, quæ subjecto non differunt.

IV. Atque, ut hunc semel absolvam, rursum illud occinendum est tardiori homini, quod ab omni Christiana memoria Ecclesiæ catholicæ fides, ac consuetudo tenuit: Hierarchiam ecclesiasticam triplici ordinum genere constare, episcoporum, presbyterorum, et ministrorum; ut verissime sanxit Tridentina synodus. Quod ita tamen interpretandum non est, uti tres illos necesse sit, quemadmodum natura, et functione differunt, sic personis, ac subjectis esse distinctos. Etenim ut omittantur, ignorenturve cetera, certe neminem latere hoc potest, in uno episcopo inferiores omnes collectos, et comprehensos esse. Idem igitur et episcopus est, et presbyter, et diaconus; nec propterea non sunt illi ordines in uno episcopo diversi, quos ille diversa ordinatione, ac singulos sua consecratione percipit. Sic enim, exempli gratia, Augustinus primum a Valerio ordinatus est presbyter [2]; deinde post annos aliquot, eodem procurante Valerio, episcopus ordinatus est; ut refert Possidius. Habes igitur ordines τῷ λόγῳ, et essentia distinctos, sed τῷ ὑποκειμένῳ conjunctos. Utrumque vero e Christi institutione manavit, qui et ordines varios Ecclesiæ tradidit, et omnes in eamdem concurrere voluit summi, ut vocat Dionysius, *hierarchæ* personam, hoc est episcopi. Quin idem ipse Christus Dominus personis quoque separatos in toto Ecclesiæ corpore ordines illos eatenus esse voluit, ut essent aliqui primarii antistites, qui collectos in sese haberent omnes, ac primum gradum obtinerent; alii proximi ab illis, in secundo loco consisterent, ut sunt presbyteri simplices; alii denique ministri sacrorum essent. Sed usum et exercitionem illius institutionis, qua personarum per singulas Ecclesias discrimen spectat, non ut illud prius distinctionis ordinum, præcise determinavit: verum apostolorum, et Ecclesiæ arbitrio ac prudentiæ permisit; ut quibus locis, ac temporibus expedire judicarent, uti diversos ordines, sic personas constituerent diversas, aut uniusmodi essent gradu contenti. Non enim ubivis apostoli, atque in singulis Ecclesiis plenam, et in membra sua partitam, ac distinctam hierarchiam collocarunt; nec est ignota vetus illa Ecclesiæ disciplina tot synodalibus sancita decretis, ut minoribus in locis nulli ordinarentur episcopi, ne vulgata, et passim habita tantæ dignitatis auctoritas vilesceret.

Illud sane distincte, explicateque Christus mandavit apostolis, ut in universo Ecclesiæ corpore, etiam personis distincta hierarchia constaret; idque ab initio servarunt apostoli. Hi enim episcopi citra controversiam fuerunt; ac præter hos nonnulli ex discipulis, quos illis certis præficiebant Ecclesiis, alii presbyterio simplici, alii ministerio addicti. Nec necesse est in singulis Ecclesiis tripartitam illam, et integram hierarchiam fuisse constitutam. Quibusdam enim regendis soli impositi sunt presbyteri, ac ministri. Alias complures in uno loco episcopi collecti, ac tantisper habiti, dum ad novas administrandas Ecclesias mitterentur.

V. Hæc neque difficilia sunt, et in vulgari usu, ac scientia posita: quæ soli nesciunt, dissimulantve Cathari; et unus horum, omniumque desperatissimus, professor Leidensis Salmasius, cujus inepta, et ridenda est ista sententia [3], « Nullos Christus instituit presbyteros, aut episcopos, sed apostolos; » quasi apostoli non essent episcopi.

Nec me præterit, apostolos dignitatem, ac potestatem, sive jurisdictionem, ordinariis episcopis ampliorem habuisse. Neque tamen ideo, quod ad Ordinis naturam, et essentiam attinet, non aut episcopi fuerunt apostoli, aut his hodierni episcopi successerunt. Certe Pacianus Barcinonensis episcopus in epistola prima ad Sympronianum, luculenter idipsum

[1] Pag. 25. 26. 27. et seq. maxime 31. 33. et seq.

[2] Poss. in vita Aug. c. 4. et 8. — [3] App. p. 29.

testatur, episcopos in locum, et potestatem apostolorum successisse, ordinariam scilicet, et episcopatus propriam; dum adversus Novatianos ligandi, et solvendi jus penes episcopos esse probat ex eo, quod apostolis illud a Christo tributum fuit, quorum illi potestatem, et cathedram sunt adepti. Paciani verba (nec enim omittenda sunt) ita se habent[1] : « Nunquam, *inquit*, Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est ; sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod apostolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt et in cœlis ; et quæcumque solveritis in terris, soluta erunt et in cœlis ? Cur hoc, si ligare hominibus, ac solvere non licebat ? An tantum hoc solis apostolis licet ? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare ; quia totum hoc non aliis, quam apostolis imperatum est. Quod si uno in loco et resolutio vinculorum, et Sacramenti potestas datur ; aut totum ad nos ex apostolorum forma, et potestate deductum est ; aut nec illud ex decretis relaxatum est. Ego, inquit, fundamentum posui, alius autem superædificat. Si ergo et lavacri, et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit ; et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi. Quod etsi nos ob peccata nostra temerarie vindicamus ; Deus tamen illud, ut sanctis, et apostolorum cathedram tenentibus non negabit, qui episcopis etiam unici sui nomen indulsit. »

Quinetiam paucis interjectis, « Nemo, *ait*, episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordemur, quod Petrus apostolus Dominum nostrum episcopum nominarit[2] : *Sed conversi,* inquit, *modo ad episcopum, et pastorem animarum vestrarum.* Quid episcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur ? » Hieronymus item adversus Montanistas scribens[3], « Apud nos, *inquit*, apostolorum locum episcopi tenent, apud eos episcopus tertius est. »

Augustinus item[4] : « Si solis, *ait*, apostolis dixit[5], *Qui vos spernit, me spernit ;* spernite nos. Si autem sermo ejus pervenit ad nos, et vocavit nos, et in eorum loco constituit nos ; videte, ne spernatis nos, ne ad illum perveniat injuria, quam nobis feceritis. »

Basilius vero in epistola ad Ambrosium Mediolanensem episcopum nuper electum, « (1) Ipse te Dominus, *inquit*, e medio judicum terræ ad apostolorum præsidatum transtulit. » Vere itaque Tridentina synodus, « Episcopos in apostolicum locum successisse » dicit[6], Augustini, et Hieronymi verbis insistens. Quod si *apostolorum loco* constituti sunt episcopi; si προεδρίαν, id est *cathedræ principatum*, vel, ut nos Vopiscum secuti vertimus, *præsidatum* illorum obtinent; quis apostolos dubitet episcopos fuisse ?

VI. Habemus igitur ab ipso Christianæ religionis, et Ecclesiæ primordio certissimos episcopos, id est primi ordinis antistites apostolos. Neque vero nullos omnino secundi ordinis, hoc est simplices presbyteros, eadem per id tempus habuit Ecclesia ; quod me sentire, ac scripsisse more suo fingit Leidensis academiæ professor. Nusquam ita docui, omnes illa ætate presbyteros episcopos extitisse. Imo contrarium diserte in primo libro Dissertationum ecclesiasticarum, capite secundo tradidi, eam hierarchiæ ecclesiasticæ formam, quæ hodieque servatur in Ecclesia, superstitibus apostolis, *adeoque non multo post Christi ascensionem, observari cœpisse quibusdam in Ecclesiis.* Ex quo consequens est, quod eodem exposui capite de presbyteris iisdem et episcopis creatis, non ad omnes, sed ad quasdam Ecclesias, ex illa priori mea sententia, pertinere ; quod explicatius deinde in superioribus libris de Hierarchia ecclesiastica proposui. In quibusdam igitur Ecclesiis iidem initio ordinati sunt presbyteri simul et episcopi ; in aliis soli interim secundi ordinis cum ministris presbyteri : nec una cum his etiam primi ordinis, id est episcopi, creati sunt ; ut ex antiquis auctoribus supra, capite præsertim tertio demonstravimus. Ac notandum est, ibi, ubi eosdem docui primis illis temporibus constitutos fuisse simul episcopos, et presbyteros, in quibusdam hoc Ecclesiis dixisse me esse factum.

Ex quibus Leidensis magistri putidæ, inscitæque næniæ facile discutiuntur ; quas omnes hoc falso fundamento superstruxit : tanquam a me scriptum sit, episcopatum, et presbyteratum eo tempore, quod Christi mortem statim subsecutum est, nusquam fuisse distractos ; nec ullum extitisse simplicem presbyterum ; verum omnes utraque ordinatione

(1) BASIL. ep. 55. pag. 830. Ἀλλ' αὐτός σε ὁ Κύριος ἀπὸ τῶν κριτῶν τῆς γῆς ἐπὶ τὴν προεδρίαν τῶν Ἀποστόλων μετέθηκεν.

[1] Pacian. tom. 3. Bibl. PP. col. 53. A. — [2] 2. Pet. 2. — [3] Hier. ep. 54. col. 600. — [4] Hom. 24. de Verb. Dom. quæ est 1. in Luc. — [5] Luc. 10. — [6] Sess. 23. cap. 4.

præditos fuisse, donec mutari hoc institutum placuit, et in capita diversa gradus ambos, et officia partiri. Hoc igitur extorto, quod nulla littera prorsus attigi ; cum etiam e contrario distinctos a presbyteris simplicibus episcopos in Ecclesiis quibusdam fuisse dixerim, tametsi in aliis ambo isti gradus in unum coaluerint caput ; hoc, inquam, sublato, jam omnis inter nos confecta disputatio est. Nam nihil in toto illius Apparatu superest, quod quidem ad hanc nostram de episcopis, ac presbyteris controversiam spectet, cui non unica et simplici exceptione ista, inficiationeque præscripserim. Itaque mutis esse nobis jamdudum per illum licet.

VII. Verum, ut quam parum acutæ sint illius cavillationes, his, quæ proxime animadverti, cognitis, eruditus lector intelligat; nonnullas in specimen expendam. Ambos ordines, episcopatum et presbyteratum, ex sese ac natura sua, et ex institutione, ac voluntate Christi diversos esse statueram ; hoc est ejusmodi, ut a se invicem disjungi, ac separatis personis inesse possent. Hoc Leidensis magister interpretatur sic[1], tanquam consequens inde fiat, « neque Christum Dominum, neque apostolos ordines istos disjunxisse ; sed unum ex presbytero, et episcopo ordinem ita constituisse, ut duo ex eo fieri, si quando usus aut necessitas requireret, possent. »

Hic vero, qui rabularum, calumniatorumque mos est, in unius ambiguitate vocis cavillari pergit ; quod puerile commentum in tota illius disputatione perpetuum est. *Ordinis* enim vocabulum apud antiquos Patres, et catholicos hac ætate theologos dupliciter usurpari solet. Primum sic, ut Sacramentum ipsum legis novæ significet, et *sacramentalem*, ut vocant, *potestatem*, consecrandi exempli causa Dominici corporis, et sanguinis, sive sacrificandi; tum sacros ministros ordinandi. Secundo uti statum, vel gradum in clero designet, quem βαθμὸν Græci nominant. Jam ex catholico, et Tridentino decreto tres sunt in ecclesiastica hierarchia gradus, qui et ordines appellantur. Horum summus, qui est episcopatus, inferiores duos continet, et ab iis denominatur. Non enim solum episcopus, sed etiam presbyter, et diaconus est, qua Ordinum, id est Sacramentorum, nomina sunt ista. Hinc episcopi nonnunquam simplices sacerdotes, συμπρεσβυτέρους vocant, et diaconos συνδιακόνους. Triplicem igitur ordinem complectitur episcopus, quatenus pro Sacramento sumitur; duplicem, presbyter. Ut autem Ordo hierarchicum gradum significat, unius duntaxat, et summi est episcopus ; presbyter secundi.

Nam secundi gradus, vel ordinis, hoc est βαθμοῦ, et τάγματος, cum esse dicitur presbyter ; aut adjungitur, aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligitur adjuncta vox *simplex*, sive *tantum*. Siquidem ordinem, et gradum secundum non quicumque presbyter constituit, sed qui *simplex* est *presbyter*, vel *presbyter tantum*, hoc est qui ordine, sive charactere caret episcopali. Ex quo sequitur, in istis nominibus graduum, qua hierarchici sunt ordines, presbytero, et ministro, tacitam implicari negationem superioris ordinis, episcopatus in presbytero, in ministro presbyteratus.

VIII. Quo constituto, quando dicimus, in quibusdam Ecclesiis, ad quas scribebat Apostolus, initio duos tantum ordines, sive gradus extitisse ; id pro duplici græcorum Patrum opinione, interpretationeque, quam capite tertio superius exposuimus, ita declarandum est, ut vel episcopos tantum, et diaconos in illis Ecclesiis impositos fuisse, vel presbyteros tantum cum diaconis intelligamus. Cujus utriusvis conjecturæ fidem adstruunt diversa, quæ illic attulimus, testimonia veterum; quibus freti ambas illas ad explicandum Apostolum accommodatas sententias ex illorum auctoritate produximus.

Hinc apparet, quid impuro isti litteratori respondere oporteat, qui hoc identidem, et ad fastidium usque lectorum oggerit : apostolos unum duntaxat ordinem instituisse, qui ex presbyteratu et episcopatu constaret, si verum est, quod primo suspicati sumus ex antiquorum placitis, eosdem in certis Ecclesiis episcopos simul et presbyteros fuisse. Hic enim in illa, quam dixi, ambiguitate, et ὁμωνυμία vocabuli *Ordinis* Leidensis conflictatur magister.

Quippe si Sacramentum voce ista significet, falso unum Ordinem, id est unam sub eodem genere Ordinis speciem in episcopo fuisse vult. Fuerunt enim in illo totidem, quot Sacramenti istius generi subjiciuntur. At vero si βαθμὸν, et *gradum* intelligat, nonnisi duo illis in locis extiterunt, primus et tertius. Postquam autem ad hos duos medius presbyteri simplicis accessit, et perfecta constituta est hierarchia; non ille prior bifariam sectus est, ut ex uno duo fierent, sed pro duobus tres creati, addito secundo. Hæc si capere turbulentum istud, et tenebricosum ingenium

[1] App. pag. 33.

potuisset, non tantum perdidisset operæ in Apparatu illo instruendo, quem sani, ac sobrii hominis lucubrationem esse nemo prudens dixerit.

CAPUT DECIMUM.

Aliæ Salmasii cavillationes. 1. Sed ante fœdissima secum illius conflictio proponitur. — 3. Qui diaconatum et presbyteratum alias unum ordinem initio Ecclesiæ fuisse scribit; alias duos et distinctos institutos a Christo, et ab apostolis constitutos. — 5. Ejusdem Salmasii frigida cavillatio. — 6. Quæ in eum retorquetur.

I. Non prius reliquas hominis istius calumnias persequar, quam memorabili exemplo testatum reliquero, quantopere a se ipse dissideat, illo, de quo hic altercamur, in argumenti genere, Ordinum videlicet discrimine, cum in eamdem nihilominus personam incidant. Hoc enim fatentem illum dabimus, et omnia causæ suæ præsidia sibimet amputantem; ut quod absurde, imperiteque a me esse scriptum, tam petulanter, odioseque clamitat, et cujus exprobrandi in utroque opere finem nullum facit; Wallonis, inquam, dissertatione, et in apparatu ad libros de Primatu; in idipsum incurrat amentis more Penthei, ac *vineta cædentis sua:* quod ipsum facturum se esse, ingenue professus est in Epistola ad lectorem, quam in fronte Apparatus præfixit. « Ut mea, *inquit*, ipse cædam vineta, aut saltem indicem, quomodo ea cædant alii. » Sane non contra ac dixerat, egit in illo, quod dixi, quæstionis altercationisque nostræ præcipuo capite, in quo summa rei totius vertitur. Ex quo verissimum cognoscitur, quod ab Agathone papa dictum est[1], « Quod nulla veritate fundatum est, necesse esse, ut erroris inconstantia varietur. » Etenim qui illius libros de episcopatu et presbyteratu accurate legerit, et controversiæ, quæ inter nos est nata, rationem omnem complexus animo fuerit, in hoc præsertim sitam eam esse cognoscet, quod presbyteratum ab episcopatu, sive universe ordinem ab ordine non aliter distinctum esse putet, quam si diversis hominibus utrique mandentur; ego vero in eumdem conferri posse duos, ac diversos existimem. Itaque quod in superioribus libris de Hierarchia, et ante hos in primo Dissertationum asserueram, Christum duos ordines, hoc est Sacramenta duo, sive species Ordinis duas instituisse, presbyteratum, et episcopatum, ita tamen, ut *subjecto* unum esse possent, et in eamdem convenire personam; hoc, inquam, quod nemo hebes et rudis est adeo, qui non capiat, iste falsum esse, majore, quam quisquam credat, inscitia, et pervicacia contendit[2].

II. Scripseram initio capitis tertii libri primi de Hierarchia ecclesiastica, « Apostolicam hanc esse traditionem, adeoque Christi ex voluntate, præscriptoque manantem, uti penes singulos episcopos summa esset in unaquaque Ecclesia juris, ac potestatis, et inter hos, ac simplices presbyteros discrimen esset, ex eadem et divina et apostolica auctoritate descendens. » Tum illud subjeceram, « Etsi proximo post Christi mortem tempore paulo aliter usurpatum sit, ac plures in Ecclesiis sub presbyteri vocabulo ordinati sint episcopi; nihil hoc tamen traditioni illi nostræ derogare posse, quominus apostolica judicetur. » Displicet hoc Leidensis academiæ professori[3], et *fatuos, ac stultos, bardosque* vocat, qui sic disputant. Itaque per ludibrium sic illam sententiam traducit: « A Christo instituta est, *inquit*, episcopalis ordinis, et presbyteralis distinctio. Post Christi tamen mortem non ea est servata; sed plures in Ecclesiis ordinabantur, qui iidem erant cum presbyteris. At nihilominus apostolica est illa traditio, quæ ordines illos duos distinxit. Christus eam instituit. Apostoli post mortem Christi eamdem non observarunt, sed aliter usurparunt; et tamen apostolica censeri debet. » Hæc tanquam absona, et pugnantia secum meis ex

[1] Agat. in epist. Syn. in 6. Syn. Act. 4. t. 5. Conc. p. 64.

[2] Vide App. p. 27. et 28. — [3] Ib. p. 29. fine.

dictis colligit; et, quod dixi, toto in Apparatu id potissimum contendit, ut probet, idcirco non duos ordines ex Christi institutione, et apostolorum usu, ac præscripto fuisse presbyteratum, et episcopatum; quoniam sub initium Christianismi in easdem personas concurrebant, tanquam nulli eidem ordines duo, ac diversi convenire possint.

III. Age videamus, quam belle sibi constet, et illam suam regulam observet. Initio paginæ 27. Apparatus sui, « Olim, *inquit*, id est primis nascentis Ecclesiæ temporibus diaconatus non fuit distinctus a presbyteratu, et episcopatu. Nam etiam presbyteri, et episcopi mensis inserviebant. Placuit postea apostolis hanc functionem adimere presbyteris, ut ministerio verbi divini, et orationi liberius vacarent. Sic factum ex ea diversum, ac separatum officium eorum, qui mensarum, pauperumque ministri essent. »

At idem postea, Apparatus pagina 97. « Apostolorum, *ait*, ætate non plures duobus ordinibus a Christo instituti, et per ipsos apostolos constituti, presbyteri nimirum, iidemque episcopi; et diaconi. » Illic unum tantummodo fuisse dicit Ordinem primis Ecclesiæ temporibus, antequam apostoli diaconatum secernerent, et distinctis mandarent hominibus, quos diaconos appellarent. Fuit igitur ex magistri decreto unus, idemque prorsus Ordo, episcopatus, presbyteratus, et diaconatus. Quod si *a Christo instituti, et per ipsos apostolos constituti* ordines ulli sunt, ut ille scripsit; profecto non duo, nec tres, sed unus tantummodo et *a Christo est institutus*, et *ab apostolis constitutus*. Quinam ergo pagina illa 97. duos institutos ordines ab Christo, et ab apostolis constitutos esse docuit, quorum unus presbyteratus et episcopatus erat, et alter diaconatus? An dici quidquam magis repugnans, et a seipso dissonum potest? Aut quid est, quod in toto illo opere contra nos opposuit, quo absurdam, et male cohærentem secum opinionem esse nostram ostenderet, quod non in illum usurpari eodem jure possit? Quod enim absurdum in presbyteratu et episcopatu judicat, ut duo a me dicantur instituti ordines a Christo, neque tamen *primis nascentis Ecclesiæ temporibus distincti*, sed in unum conflati; hoc idem ille de diaconatu, et presbyteratu eodemque episcopatu docuit[1], « duos et diversos a Christo institutos esse; » et tamen[2] « primis nascentis Ecclesiæ temporibus non fuisse distinctos. » Quid cum stupore isto, et oscitantia conferri potest, quod non longo intervallo superetur? Dicat igitur[3], « se quamplurimos vidisse fatuos, et stultos, bardosque; » sed cum seipsum viderit, « non alium notasse se judicii ac rationis magis expertem, ac stultiorem. » Nemo erit, qui non vel injurato fidem habeat.

IV. Mitto illud, quod falso mihi nebulone ab isto toties affingi, præsertim antecedente capite, questus sum: presbyteratum et episcopatum, ex illa græcorum Patrum sententia, quam primam de duabus probabilibus in primo Dissertationum sum secutus, non sic in idem coaluisse caput primis illis Christianismi temporibus, ut hoc ubique ac per omnes Ecclesias factum sit, atque ut nulli prorsus episcopi, ac nulli ab his simplices presbyteri distincti fuerint. Tum ubicumque factum est, non diuturnum extitisse, argumento est series illa episcoporum, et successio, quam a primis apostolicisque temporibus, ad sua propagatam et continuatam, antiquissimi, et gravissimi scriptores memoriæ prodiderunt, uti supra capite tertio meminimus.

Nam quod illas episcoporum per Ecclesias plerasque successiones falsas, et commentitias esse Leidensis professor asserit[4], hoc ipsum firmissimæ rationis instar esse debet, cur pro certis, et indubitatis habendæ sint; quoniam tam insulsi, imo tam nullius judicii homini vix verum, et rectum aliquid sapit. Hoc tantum apud se prudens lector statuat, cujusmodi istud sit, quod episcoporum per complures Ecclesias singularium descriptos indiculos vetustissimi scriptores referunt ex archivis illarum Ecclesiarum, ut Irenæus, Hegesippus, Tertullianus, Eusebius, Hieronymus, aliique non pauci; at hos omnes deceptos, et hallucinatos esse Leidensis unus academiæ professor ac magister affirmat: tum utris magis adhibenda sit fides, etiam atque etiam apud se cogitet. Equidem non ita desperatum hoc esse nostrum seculum arbitror, multum ut de eo cunctandum, ac deliberandum quisquam censeat, aut cùm futili et inepto litteratore tantum gravitatis, auctoritatisque pondus audeat committere.

V. Nisi forte genus hoc argumentationis valde nos movet, quod in nos, hoc est in illos, quos secuti fuimus, antiquos Patres ἀσυλλογίστως instruit[5]. Quod enim dictum a nobis erat, « Proximo post Christi mortem tempore aliter

[1] App. p. 97. — [2] Ibid. p. 27. — [3] Ibid. fine p. 27. — [4] In App. p. 35. et seq. — [5] App. p. 34.

usurpatum fuisse, (quam videlicet ordinaria in Ecclesiis hierarchiæ forma postulare videtur,) ac plures in Ecclesiis sub presbyteri vocabulo ordinatos esse episcopos ; » hoc ille stupore prorsus inaudito sic oppugnare aggreditur : « Ergo ante Christi passionem, ipso in terris adhuc agente, solebant episcopi ordinari, qui diversi erant a presbyteris, et distinctum ab iis ordinem faciebant. » Stillam humani sensus, et judicii ab hac argumentatione, qui potest, exculpat. Quam enim bene ista cohærentia, et consentanea sunt ! Nostra hæc ratio fuit : Christum Ordinum instituisse sacramenta, tum a se distincta invicem, tum diversis ordinationibus conferenda : Eumdem quoque tripartitam hierarchiam condidisse in universo Ecclesiæ corpore : In singulis autem, et particularibus Ecclesiis, quatenus tres illi gradus explicari possent, præsidum ac moderatorum prudentiæ æstimandum reliquisse. Hinc apostolos, ut in mandatis acceperant, cum triplex illud Ordinum sacramentum retinuisse ; tum in tota Ecclesia tres hierarchicos gradus personis, officiisque distinctos ; in singulis autem Ecclesiis, prout expedire visum est, vel integram Hierarchiam, vel unum alterumve illius gradum, sive βαθμὸν collocasse. Ita prorsus Epiphanius supra capite tertio a nobis ; et idipsum hoc etiam tempore scimus usurpari solere. Non enim omnibus in oppidis, ac ne amplissimis quidem in civitatibus tres ubique constituti sunt Hierarchici βαθμοὶ, ut in Divionensi, Cadomensi, aliisque pluribus. Num igitur propterea contra Christi mandatum venitur, quod non integra in illis Ecclesiis constat hierarchia ? Solis hoc in mentem venire potest Messalinis, et Salmasiis, ac similibus nugis.

VI. Sed qui laqueis ineptissimæ suæ argumentationis irretiri nos putat, dum triplicem hierarchiæ gradum institutum a Christo dicimus ; nec tamen uti institutus erat, proxime post illius mortem adhibitum fuisse, ut propterea necesse sit fateri nos, vivo adhuc et superstite Christo, plenam hierarchiam extitisse : qui hoc, inquam, ridiculo commento nos implicari putat, quid sibi responsurus est ipse, dum in idem absurdum volens nolens e dictis suis compellitur ? Age enim non diaconatum dixit institutum a Christo una cum presbyteratu, hoc est non plures, quam duos ordines, in Apparatus sui pagina nonagesima septima ? Non eumdem diaconatum, initio paginæ vicesimæ septimæ docuit, « olim, id est primis nascentis Ecclesiæ temporibus, non fuisse distinctum a presbyteratu, et episcopatu ? » Si duos ordines a se invicem distinctos instituit Christus, *actu igitur, ac reipsa ante Christi passionem* distincti fuerunt, et in diversa capita partiti. Neque enim differre aliter ordines posse Salmasius existimat, quam si diversis mandentur hominibus ; qui autem in unum, et eumdem concurrunt, pro uno, et indiviso illos habet : nec eam divisionem, quæ est δυνάμει, flocci facit, neque ad differentiam, quæ est οὐσιώδεις, satis esse putat; sed omnino personis oportere distingui ordines arbitratur, ut specie inter se, ac natura discrepent. Quocirca turpi, ac pudendo prorsus errore in semetipsum Leidensis professor incurrit ; et quod in nobis tam inclementer, ac procaciter arguerat, in hoc imprudens ipse revolvitur, uti duos institutos a Christo agnoscat ordines, presbyteratum et diaconatum; quos tamen eodem, quo sunt instituti, tempore neget fuisse distinctos.

Quod posterius cum dicit, necessario de ea distinctione, quæ est κατὰ τὸ ὑποκείμενον, debet intelligere, ut et duo essent instituti, adeoque natura, et specie distincti; sed in eamdem personam convenirent, et eatenus distincti non essent. Nam nisi sic interpretetur, in id recurret illius oratio, ut et duos institutos fuisse ordines a Christo dicat, et eosdem institutos neget; itemque distinctos a se invicem, et non distinctos eodem sensu, ac ratione fuisse sentiat.

CAPUT UNDECIMUM.

Solvuntur argumenta Salmasii contra Ordinum discrimen adducta. 1. Ac primum duplex interpretatio locorum Apostoli, unde orta controversia est, repetitur. — 2. Tum presbyteri et episcopi vocabula promiscue olim usurpata. — 4. Quomodo intelligendum sit, quod græci quidam Patres asserunt, initio fundatarum Ecclesiarum aliam gubernandi formam institutam fuisse, quam postea. 5. Refellitur μικρολογία Salmasii in putando tempore, quo quæque ab apostolo Paulo scripta est epistola, et argumentum, quod inde conficit.

I. Nunc argumenta professoris præcipua persequar, quæ passim, ac more suo sine cultu, sine ordine, sine judicio, per Apparatum suum dispersit homo importune garrulus, et iisdem repetendis inculcandisque rebus odiose molestus : *qui loquacitatem facundiam existimat ; et quos veritate non potest, lacerat conviciis* [1]. Sed antequam ad illa respondeo, duo sunt ex antecedentibus animo recolenda. Alterum, loca illa Scripturæ, quæ difficile judicium facere videntur, an primo Christianismi seculo iidem episcopi, qui presbyteri ; an vero gradu, et ordine distincti fuerint, dupliciter a Patribus explicari. Primum, ut certis in Ecclesiis clerici duum duntaxat hierarchicorum graduum fuerint, primi et tertii, quos proprie deinceps episcopos, et diaconos nominarunt; secundo, qui qua Ordo est in priore continetur, qua βαθμὸς, et gradus est, aliquandiu suppresso. Deinde, uti duo illi gradus extiterint soli, secundus, et tertius, dilato interim primo. Quorum utrumvis ita probabile esse docui, ut non perpetuo, ac ne longo quidem tempore usurpatum in Ecclesia fuerit, iis videlicet in locis, quorum amplitudo capere distinctos, et explicatos hierarchicos ordines poterat. Nam in parvis oppidis, aut vicis, constanter obtinuit ex duabus ratio posterior. In majoribus Ecclesiis plena, et tripartita fuit hierarchia, ubi id commode potuit fieri ; et apostolis adeo superstitibus, ut ex archivis principum Ecclesiarum descripti ab antiquis scriptoribus laterculi succedentium sibi præsulum fidem faciunt.

II. Alterum, quod repeti oportere dixi, valde ad consequentem disputationem pertinet, estque hujusmodi : Episcopi ac presbyteri vocabula promiscue per illud tempus in usum fuisse recepta, ut duobus primis gradibus communiter attributa sint ; quod in primo libro de Hierarchia ecclesiastica pluribus exposui [2]. Ac videntur universe, quicumque Ecclesiam administrabant, per illud tempus nomen utrumque consecuti, ac tam episcopi vocati, quam presbyteri ; quorum nominum alterum a curatione, et inspectione ; alterum ab ætate primum, tum ab honore, ac dignitate sumptum est. In quo Leidensis professoris castiganda est ἀλογιστία [3], qui ex appellationum consortio demonstrari putat, ordinum et graduum nullum fuisse discrimen. Tamdiu enim episcopatum et presbyteratum unicum ordinem extitisse, quoad communes ambobus appellationes fuerunt ; quod ineptum est, et ἀσυλλόγιστον, ut supra docuimus.

III. His animadversis ad illa veniamus, quæ contra nostram, et catholicam sententiam opposuit ; ac de quisquiliis farraginis inconditæ, ac tumultuariæ non gemmas, quæ nullæ sunt istic, sed glebas et stipulas legamus, quas tanquam æneas massas, aut Phalaricas magno in nos impetu, strepituque contorsit.

Ex his primum illud procedat in medium, quod ex tempore conjicit, quo epistolæ Pauli scriptæ sunt ad illas Ecclesias, quarum episcopi et presbyteri memorantur, unde hæc exorta nobis est quæstio. Dixeram in ecclesiasticis Dissertationibus [4], ubi primam de duabus græcorum Patrum sententiam et interpretationem Apostoli sum secutus, quæ in Ecclesiis, ad quas ille scripsit, episcopos eosdem et presbyteros constitutos asserit, « Prima hæc administrationis ecclesiasticæ rudimenta fuisse ; sed neque perpetua neque diuturna, et subinde ad eam, quæ deinceps obtinuit, translata esse formam ; ut unus in quaque civitate esset episcopus. » Adjeceram et illud, cum de intervallo non satis constet, quo illa facta mutatio est, certum videri, « Paulo post Petri ac Pauli obitum, posteriorem formam ubique per totum Christianum orbem usu esse receptam ; » probabile vero istud esse, iisdem etiam superstitibus apostolis, « adeo-

[1] Hier. init. lib. 1. cont. Jovin. — [2] Lib. 1. cap. 2. et cap. 12. § 12. et seq.

[3] App. p. 30. et seq. et p. 42. — [4] Lib. 1. c. 2. § 3.

que non multo post Christi ascensionem, observari cœpisse quibusdam in Ecclesiis: » nimirum iis, quarum ex archivis extant ab idoneis collectæ scriptoribus præsulum successiones; de quibus tum ibidem, tum in primo de Hierarchia [1], et hujus libri capite tertio dixi. In illo vero de hierarcha primo libro [2], *proximo post Christi mortem tempore*, priorem illum modum usurpatum esse docui.

IV. Manifestum est autem ex iis omnibus, quæ ad eum locum disputavimus, non ita præfracte, contentioseque illud interpretandum esse, quod dixi, *brevi tempore*, vel *proximo post passionem Christi*, morem illum adhibitum esse regiminis ecclesiastici, quem græci quidam Patres referunt, ut pauci duntaxat anni a passione Dominica præcise, et absolute putentur. Sed ita, primum ut *breve illud tempus* ab initio fundatæ cujusque ab apostolis Ecclesiæ repetatur, hoc est, ut cum primum institui cœperunt, complures in iis episcopalis ordinis collocati sint ministri, ac rectores, ex quibus aliquanto postea, iisdem superstitibus apostolis, unus aliquis et singularis Ecclesiæ moderator electus est, qui κατ' ἐξοχὴν sive presbyter sive episcopus appellari deinceps cœperit. Deinde vero, ut illud idem breve spatium aliquot annorum fuerit, dum infra vitæ et ætatis apostolorum, ab quibus Ecclesiæ istæ fundatæ sunt, limites constiterit. Quod quidem vetustissimorum scriptorum freti testimonio non dubitamus asserere, qui, ut supra docui, singularium præsulum successiones in plerisque illis Ecclesiis ex earum archivis repræsentarunt. De his ergo potissimum intelligi volumus, quod de mutata prima illa gubernationis forma ex græcis Patribus exposuimus. De ceteris Ecclesiis, quarum nulla in antiquorum monumentis, in quibus successiones episcoporum extant, mentio facta sit, nihil præter conjecturam habemus. Neque vero tricari in istis, et pueriliter conflictari, alterius est, quam inepti et otiosi nugatoris, hoc est Leidensis magistri, ac similium; quos ἀκανθολογίαι istæ, ac trivillita delectant.

V. Quamobrem futilis, et otiosa est temporis illa computatio, quo unamquamque scripsit epistolam apostolus Paulus, quam Salmasius in eum finem adhibet [3], ut longiore post Christi passionem intervallo probet in Ecclesiis celebratam illam fuisse regendi formam, ut idem episcopi essent et presbyteri, necdum unus singulis præesset episcopus. Sic enim priorem ad Timotheum epistolam anno vicesimo sexto, septimove post Passionem editam fuisse nobis objicit. Quasi anno ipso, quo passus est Christus, Ephesina fundata sit Ecclesia, cui tum procurandæ, cum ad eum scriberet, Timotheum præfecerat, ut inde colligi possit, non tam cito, quam putavimus, pristinam illam gubernationem esse mutatam, ut quæ vicesimo septimo adhuc anno perseveraret Ephesi.

Verum cum anno æræ Christianæ quinquagesimo secundo Paulus Ephesiis prædicare Christum cœperit, ut in Chronico nostro olim adnotavimus; primam vero ad Timotheum miserit anno quinquagesimo quinto, nempe post trieunium commorationis in Asia: quæ in eadem epistola continetur administrationis ecclesiasticæ forma, nonnisi post annos ab Ephesina fundata Ecclesia quatuor adhuc ibi mansisse convincitur, non utique septem et viginti, ut insulse Leidensis professor affirmat.

VI. Non est autem adversus hypothesim singularium episcoporum brevi post institutorum tempore, græcorum illa Patrum opinio, quæ non integram hierarchiam statim ab Ecclesiarum exortu in his fuisse constitutam docet, si quarto, quintove duntaxat anno desideratus adhuc tertius gradus ostenditur; sed neque si anni octo, decemve numerentur ab instituta Ecclesia aliqua, quo intervallo nondum ordinatus ponatur episcopus unicus, debet hoc contrarium illi opinioni videri. Nam et breve spatium istud nihilominus foret. Sed ne tantum quidem intercessisse colligi potest iis in Ecclesiis, in quibus duos solum hierarchicos gradus interim collocatos esse, e Scriptura conficitur. Cujusmodi Ecclesiæ tres omnino reperiuntur; Ephesina, ad quam pertinet caput Actorum vicesimum, et epistola ad Timotheum prior; Philippensis in Macedonia, cui propria inscribitur epistola; Cretensis denique, cujus in ea, quæ ad Titum est scripta, fit mentio. De his solis tribus Ecclesiis nominatim et expresse sic Apostolus loquitur, ut ibi duo tunc hierarchici gradus fuisse videantur, atque ut episcopi iidem extiterint et presbyteri, ex priori Græcorum opinione, quam in Dissertationibus sumus secuti. De reliquis nihil aperte proditum extat in divinis litteris. Verum ex ecclesiasticis historiis, et antiquorum Patrum auctoritate, certam fidem capiunt sin-

[1] Cap. 2. — [2] Cap. 3. § 1.

[3] App. pag. 38. et seq.

gularium in plerisque successiones præsulum, ut in capite tertio demonstravimus ; quarum explorata, et bene constituta ratio, Leidensis professoris commenta, et inanes conjecturas elidit, ac Circensis pompæ illius apparatum disturbat.

CAPUT DUODECIMUM.

1. Joannes apostolus cur se presbyterum nominet, ex quo Salmasii deducta ratio discutitur. — 2. Ejusdem secum pugna, et hallucinatio. — 3. Item aliud argumentum ex Clementis epistola ad Corinthios dissolvitur. — 4. Quid in ea vox πρεσβυτέρου significet. — 5. Explicatur causa, quam Clemens habuit scribendi ad Corinthios. — 6. Senatum, et consilium ecclesiasticum vocari ab eodem ἐπισκοπήν. Falli Salmasium, dum a Clemente putat duos tantum ordines numerari. Ibidem διακόνους appellative sumi. — 7. Idem etiam de ἐπισκόπου nomine probatur. Isaiæ locus illustratur.

I. Atenim post obitum apostoli Pauli perseveravit illud idem in Ecclesia, ut ab episcopatu nihil omnino presbyteratus differret. Quod ex Joanne probat evangelista Salmasius [1]. Nam ille « Presbyterum se inscribit duabus epistolis, una ad Electam, altera ad Caium : Ὁ πρεσβύτερος ἐκλεκτῇ κυρίᾳ. Ὁ πρεσβύτερος Γαίῳ ἀγαπητῷ. » « Ex qua inscriptione colligitur, *inquit*, tunc temporis in Ecclesiis curandis non majorem cujusquam fuisse auctoritatem, quam presbyteri. Si episcopi enim præcelluissent presbyteris, ut postea institutum est, episcopum se, non presbyterum inscripsisset. »

Verum fœneo huic argumento jam nos occurrimus in primo de ecclesiastica Hierarchia [2] ; ubi illud observamus, quod antecedenti capite [3] paucis perstrinximus, πρεσβυτέρου vocabulum primis illis temporibus promiscue habitum esse cum episcopi nomine, ut qui Ecclesiam administrarent, et quorum consilio et auctoritate res illius gererentur, et presbyteri, et episcopi nominarentur ; servato interim jure, ac prærogativa ordinandi penes supremum aliquem, qui primum inter omnes locum teneret. Quare stulta est ista Leidensis professoris, nec ad rem pertinens conclusio ; nullum discrimen olim extitisse inter episcopatum, et presbyteratum, qua Ordines et Sacramenta sunt, quod idem commune nomen ambobus esset, et in commune res Ecclesiæ gubernarent.

Nam quod πρεσβύτερον se Joannes inscribit, causam affert OEcumenius duplicem. Prima est, « (1) quod senex admodum duas illas scripsit epistolas. » Altera, « quod presbyteri nomine episcopum se esse significare voluit ; quoniam per id tempus presbyteri vocabulum etiam episcopis attribui solebat. » Utraque causa Salmasii rationes conturbat.

II. Sed ineptiam hominis vide. Ideo Joannem ait se presbyterum vocasse, quod nulla major in Ecclesia tunc esset dignitas, ut quæ eadem esset cum episcopatu. Nam si præstantior fuisset episcopatus, episcopum se potius, quam presbyterum inscripsisset. Itane nulla tunc in Ecclesia major dignitas fuit, quam presbyteri ? Quid igitur Apostolo faciemus ? Nonne major, ac sublimior apostolatus fuit presbyteri, vel episcopi, vel alterius cujusvis in Ecclesia ordine, ac gradu ? Cur non se ergo vocabat apostolum, si amplissimi tituli prærogativam consectaretur ?

Deinde professoris in seipsum incurrentis, et secum turpissime conflictantis levitatem animadverte. Joannem in illis duabus epistolis πρεσβύτερον appellasse se ait, ut episcopum intelligeret, quod nec ullum inter episcopum et presbyterum discrimen esset, nec major in Ecclesia dignitas, quam quæ utroque illo nomine pro indiviso continebatur. Atqui in eodem Apparatu paulo ante scripserat [4] : Cum episcopi, iidemque presbyteri vocati certis locis et Ecclesiis affixi essent, apostoli vero nullo loco circumscripti, nihil inter illos

(1) OECUM. Πρεσβύτερον δὲ μόνον ἑαυτὸν ἠξίωσε καλέσαι, ἤτοι ὅτι γηραιὸς ὢν ἤδη ἔγραψε ταύτας· ἢ καὶ ἐπίσκοπον καλῶν ἑαυτὸν διὰ τοῦ πρεσβυτέρου, εἰωθότες καὶ ἐκείνῳ καιρῷ καὶ ἐπὶ τῶν Ἐπισκόπων φέρεσθαι τοῦ ὀνόματος τοῦ πρεσβυτέρου.

[1] Salm. in App. pag. 53. — [2] Cap. 12. § 12. et seq. — [3] § 2. — [4] Salm. pag. 35. fine et 36.

simile fuisse. « Nulla quippe functionis, aut muneris, *ait*, vel officii similitudo inter οἰκουμενικοὺς, quales fuere apostoli, episcopos, et τοπικοὺς, quales fuere episcopi. Nec ejusdem etiam generis fuisse censendi episcopi, qui omnes erant inter se pares, quique communi consilio Ecclesias regebant, presbyteri etiam appellati. » Si nulla functionis, vel officii similitudo fuit inter apostolos, et presbyteros, qua iidem erant cum episcopis; quomodo Joannes, qui apostolus erat, seipsum alieno et abhorrenti nomine designavit, presbyterum vocans, hoc est, ut eidem illi professori videtur, episcopum potius, quam quod erat, et in quo a presbytero discrepabat, apostolum?

III. Transeo ad Clementem Romanum, ut antiqui omnes perhibent, episcopum. Cujus ex epistola priore ad Corinthios argumentum aliud informat Leidensis professor, ut nullo deinceps post apostolos discrimine presbyteratum probet ab episcopatu fuisse distinctum. Sed, ut solet, absque judicio; nec nisi levibus ex conjecturis, ac futilibus rationes suas instruit. « Primum, *inquit* [1], non se episcopum inscribit Ecclesiæ Romanæ, nec ad episcopum Corinthiorum epistolam dirigit; sed simpliciter nomine Ecclesiæ Romanæ scribit ad Ecclesiam Corinthiorum. » Ex quo neminem tunc unum fuisse colligit singularem Romæ, aut in aliis Ecclesiis episcopum.

Nihil hac ratiocinatione vanius, ac dilutius. Quid enim aliud facere oportuit eum, qui totius Ecclesiæ nomine Romanæ ad totam Corinthiorum Ecclesiam scribere vellet, quam ut Ecclesiæ duntaxat illius, quæ scribebat, et alterius, ad quam scribebat, nomina præfigeret? Nam quod ad episcopum Corinthiorum non scribit, et inde nullum adhuc singularem in Ecclesia ista fuisse credit, imperite facit. Siricius ecce papa ad Mediolanensem scripsit Ecclesiam de Joviniano in Romano concilio damnato [2]; nec episcopi meminit illius, ad quam scribebat, Ecclesiæ. An idcirco nemo tunc Mediolani sedebat episcopus? Atqui illo ipso tempore episcopatum tenebat is, qui eidem Siricio respondit, una cum aliis in concilium vocatis episcopis, Ambrosius.

IV. Jam quæ ex illa epistola opinionis suæ firmamenta corrogat, ea sunt oppido vana, et ludicra. Horum caput est [3], « quod episcopos, et diaconos tantum nominat, omissis presbyteris. » Atqui falsum istud est, omissos in epistola ista presbyteros, cum sæpius in ea, quam episcopi, ac diaconi numerentur [4]. Quod si πρεσβυτέρους ibi pro certo gradu, et ordine accipi neget, sed vel ætatis, vel dignitatis generale esse nomen asserat, haud equidem repugnem. Sed idem prorsus illum de episcopi et diaconi vocabulis fateri cogam. Sæpe hoc in superioribus libris de Hierarchia ecclesiastica notasse memini, quod et hujus libri capitè antecedente necessario repetii [5]: presbyteri, et episcopi nomina promiscue apud antiquissimos scriptores interdum, ac generatim accipi pro primoribus clericis, qui vel ætate, vel auctoritate antecellerent ceteris, et ad consilium, atque Ecclesiæ regimen adhiberentur, sive primi essent ordinis, sive secundi. Imo etiam interdum et διάκονοι nuncupati sunt; quæ vox *ministros* significat, et apprime majoribus illis convenit [6], *tanquam ministris* et *dispensatoribus mysteriorum Dei;* ubi græce est ὑπήρετας, quod vilius aliquid sonat, quam διακόνους.

In epistola ergo Clementis vox πρεσβυτέρων ita fere semper usurpatur, ut non tam ecclesiasticum ordinem, quam ætatis prærogativam significet; quemadmodum et in duabus Joannis apostoli Canonicis idem vocabulum a plerisque sumitur. Ac vetus interpres latinus *seniorem* vertit, eumque secutus est Erasmus. Ita Clemens πρεσβυτέροις subjicit, et opponit τοὺς νέους, pagina 2. 5. et 30. Alias sic utitur, ut functionem aliquam, et λειτουργίαν, necnon dignitatem in Ecclesia tribuat, quam etiam ἐπισκοπὴν vocat.

V. Ut autem de mente Clementis, et Salmasii in eo citando inscitia constet, pauca de Corinthiorum Ecclesiæ statu, deque proposito Clementis in illa epistola declaranda sunt. Gravis in illa urbe populum inter, et clericorum principes, quorum consilio et auctoritate ecclesiasticæ res administrabantur, erat orta dissensio; cumque ab apostolis constitutus illic esset sacer senatus majorum clericorum, qui ex uno præside, sive episcopo proprie dicto, et secundi ordinis presbyteris constabat, qui Ecclesiam, uti diximus, in commune regerent, ita tamen, ut penes singularem præsulem præcipua vis, ut dignitatis, ita potestatis esset; adversus illos, incertum quibus ex causis, ita concitati sunt laici, ut nonnullos gradu suo, et honore pellerent, et in eorum adhuc superstitum locum

[1] Salm. App. pag. 49. — [2] Extat inter Ambros. sexta. — [3] Salm. App. pag. 49. — [4] Ut pag. 2. et 5. 30. 58. 62. 69. 73. — [5] § 2. — [6] 1. Cor. 4. 5.

alios subrogarent; quamvis in ecclesiastico illo instituendo consilio diligenter cavissent apostoli, ut post eorum duntaxat obitum idonei alii substituerentur.

Hæc causa Clementi fuit nomine Romanæ Ecclesiæ scribendæ illius ad Corinthios epistolæ; ut ex ipsius verbis perspicue constat. Ut cum ita loquitur : « (1) Apostoli porro nostri cognoverunt per Dominum nostrum Jesum Christum litem, et contentionem nasciturum de episcopatus nomine. Quam ob causam, cum perfecta præscientia donati essent, prædictos constituerunt, et sic ordinarunt, ut post illorum obitum alii probati viri in eorum functionem succederent. Quamobrem qui ab illis ita constituti sunt, aut deinceps ab illis præstantibus viris, de totius Ecclesiæ consensu; quique ovili Christi, circa reprehensionem ullam, cum humilitate, quiete, non sordide ministrarunt, ut a multis jam annis omnium illis testimonia suffragentur : tales, inquam, non sine injuria ab officio rejici putamus. Non enim levis erit hæc culpa nobis, si eos, qui inculpate, ac sancte dona obtulerunt, ab episcopatu segregemus. Beati sunt presbyteri, qui iter suum ante confecerunt, quique fructuosam, et perfectam dissolutionem nacti sunt. Non enim verentur, ne quis ipsos de loco, in quo constituti sunt, ejiciat. Siquidem videmus aliquos, qui præclare officio fungebantur, ab eo ministerio, quod sine reprehensione gesserant, a vobis esse detractos. »

VI. Ex iis verbis perspicuum est, consilium, et quasi senatum ecclesiasticum ab apostolis ordinatum fuisse apud Corinthios; quorum gradum, et ministerium vocet ἐπισκοπήν, et ipsos primores in clero πρεσβυτέρους; ut cum ita postea scribit : « (2) Fœda, o carissimi, valde turpia, et indigna Christiana conversatione de vobis audiuntur, firmissimam, et antiquam Corinthiorum Ecclesiam, propter unum, aut alterum hominem contra presbyteros seditionem facere. » Et aliquot interjectis, pagina 69. et 73. πρεσβυτέρους eosdem vocat ovilis Christiani pastores, ac præsides. Verum id quidem est; sed non ex eo sequitur, vel Corinthi, vel in aliis civitatibus, nullum omnino primatem, et antistitem fuisse, qui postea commune primo et secundo ordini nomen proprium sibi fecit, ut episcopus appellaretur.

Ac ridendus sane Leidensis in eo professoris stupor; qui Clementem asserit in epistola ad Corinthios [1], « Episcopos tantum, et diaconos nominasse; » idque verbis illius istis probat : « (3) Per regiones igitur, et urbes prædicantes, constituebant illarum primitias, quas in Spiritu probaverant, in episcopos et ministros eorum, qui erant crediturі. » Atqui perspicuum est, διακόνου vocem, quæ in græco est, non esse peculiaris ordinis, et gradus ecclesiastici nomen, uti nec ἐπισκόπου, sed ambo ista vocabula sumi appellative pro *curatore, gubernatore, et functionis administro :* perinde, ac si ita Clemens scripsisset, apostolos constituisse certos homines, qui iis prospicerent, et ministrarent, qui Christo, et Christianæ religioni nomen erant daturi, quocumque tandem gradu, et ordine censerentur. Sane omnes Ecclesiæ curatores, et ad sacram hierarchiam pertinentes, διακόνων nomine sæpe in Scriptura continentur. Et Paulus ipse [2] *ministrum se* vocat *Evangelii*, et apostolatum suum *ministerium.* Christus quoque [3] eum, qui major inter apostolos, et discipulos suos esse voluerit, *ministrum* jubet esse. Nec sacri tantum præsides ministri vocantur, sed etiam magistratus civiles. *Dei enim minister est;* διακόνος, ait Paulus de ejusmodi reipublicæ administratoribus [4]. Numquis ibi diaconorum gradum somniare potest?

VII. Hoc eodem sensu, id est appellativo, et

(1) CLEM. ep. 1. ad Cor. pag. 57. Καὶ οἱ Ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. Διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. Τοὺς οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων, ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης, καὶ λειτουργήσαντας ἀμέμπτως τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μετὰ ταπεινοφροσύνης, ἡσύχως, καὶ ἀβαναύσως, μεμαρτυρημένους τε πολλοῖς χρόνοις ὑπὸ πάντων, τούτους οὐ δικαίως νομίζομεν ἀποβαλέσθαι τῆς λειτουργίας. Ἁμαρτία γὰρ οὐ μικρὰ ἡμῖν ἔσται, ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως, καὶ ὁσίως προσενέγκαντας τὰ δῶρα τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. Μακάριοι οἱ προοδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι, οἵτινες ἔγκαρπον καὶ τελείαν ἔσχον τὴν ἀνάλυσιν. Οὐ γὰρ εὐλαβοῦνται μή τις αὐτοὺς μεταστήσῃ ἀπὸ τοῦ ἱδρυμένου αὐτοῖς τόπου. Ὁρῶμεν γὰρ ὅτι ἑνίους ὑμεῖς μετηγάγετε καλῶς πεπολιτευμένους λειτουργίας.

(2) Ibid. pag. 62. Αἰσχρὰ, ἀγαπητοὶ, καὶ λίαν αἰσχρὰ, καὶ ἀνάξια τῆς ἐν Χριστῷ ἀγωγῆς, ἀκούεσθαι τὴν βεβαιοτάτην, καὶ ἀρχαίαν Κορινθίων ἐκκλησίαν, δι' ἓν, ἢ δύο πρόσωπα, στασιάζειν πρὸς τοὺς πρεσβύτερους.

(3) CLEM. pag. 54. Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ Πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν.

[1] Salm. App. pag. 49. — [2] Col. 1. 23. — [3] Matt. 20. 21. et cap. 23. 11. — [4] Rom. 13. 4.

communi, non proprio, illic ab Clemente accipi ἐπισκόπους, et διακόνους, arguit quod statim subtexitur. (1) Non hoc novum institutum esse, quod apostoli fecerunt, ut eorum, qui crediturі erant, ἐπισκόπους et διακόνους constituerent. Id enim Scripturam longe ante prædixisse, quæ sic loquitur : (2) *Constituam* ἐπισκόπους, id est *inspectores ipsorum in justitia, et ministros ipsorum in fide.* Qui locus ex Isaia petitus videtur, et ita notatum est ad epistolæ Clementis marginem ab illius editore. Porro aliter in vulgatis codicibus græcorum Bibliorum locus ille concipitur : (3) *Et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia.* Atque ita legit Hieronymus, necnon Cyrillus, et Procopius ; in hebræo vero, si ad verbum reddideris, hoc modo : *Et ponam visitationem tuam, pacem, et præpositos tuos justitiam.* Quæ varie ab interpretibus exponuntur. Certe nusquam *diaconi* vestigium in istis cernitur. Nam hebræa vox פקדה quæ ibidem legitur, pro *episcopatu,* id est *præfectura,* sumi potest, ut in Psalmo 108. 8. *Et episcopatum ejus accipiat alter.* Sed ad eosdem referri debet sequens nomen τῶν διακόνων apud Clementem. Siquidem episcopi διάκονοι nonnunquam vocantur, id est *ministri* sacrorum, qui ecclesiastico ministerio funguntur. Unde in epistola Lugdunensis, et Viennensis Ecclesiæ ad Asianas Ecclesias, « (4) beatus Pothinus episcopatus ministerio fungi in Lugdunensi civitate » dicitur. Imo tam episcopi, quam presbyteri, *ministri* vocantur *mysteriorum*, et Sacramentorum, ut apud Chrysostomum in homilia 48. tomi quinti [1], et alias passim. Hæc adversum μικρολογίαν professoris Leidensis minutius a nobis enucleata sunt, qui duos tantum ecclesiasticos ordines tunc fuisse, ex illo Clementis loco ridicule adstruit.

(1) CLEM. ibid. Καὶ τοῦτο οὐ καινῶς. Ἐκ γὰρ δὴ πολλῶν χρόνων ἐγέγραπτο περὶ ἐπισκόπων, καὶ διακόνων. Οὕτως γάρ που λέγει ἡ γραφή.

(2) ESA. 60. 17. apud Clem. Καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ τοὺς διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει.

(3) Ibid. Καὶ δώσω τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ.

(4) Epist. Lugd. Eccl. apud Euseb. lib. 5. hist. c. 1. Ὁ δὲ μακάριος Ποθεινὸς ὁ τὴν διακονίαν τῆς ἐπισκοπῆς ἐν Λουγδούνῳ πεπιστευμένος.

[1] Edit. Savil. pag. 329. vers. 17

LIBER QUINTUS.

IN QUO CONTRA APOLOGIAM PRO SENTENTIA HIERONYMI NUPER EDITAM POTISSIMUM DISPUTATUR.

ΠΡΟΘΕΩΡΊΑ.

Reliqua erant Leidensis professoris aliquot argumenta, quibus unicum ex antiquo fuisse presbyteratus, et episcopatus ordinem suadere conatur. Verum instituta jam præsenti lucubratione, cum mihi renuntiatum esset, exoriri interim alium longe isto, contra quem certare cœperam, doctiorem, et in palæstra hac exercitatiorem, qui de eadem re commentarium scriberet; paululum interjungendum putavi, dum novus ille paratus adversarius liber in lucem prodiisset. Sic enim fore divinabam, ut ambo illi non bonæ causæ patroni in ea peroranda prorsus in easdem probationes incurrerent; quas quidem erudite magis a posteriore tractatum iri, utpote scientiore, suspicabar. Tum eumdem istum alia præterea multa, et indicta Leidensi, et reconditiora, quam pro hujus ingenio atque captu, allaturum esse prospexeram: ex quo mihi tanto jucundius, et fructuosius pollicebar litterarium hoc certamen; quanto dignior oblatus esset, quocum legitimo marte confligerem. Hujus ergo commentarii postquam sero tandem mihi facta copia est, verum hoc esse quod ego præsagieram, reipsa perspexi. Nam pleraque omnia illic Salmasii argumenta, sed multo subtilius, et accuratius explicata reperi; et nova insuper alia, in quibus examinandis, et enucleandis operæ pretium aliquod facturum me esse duxi. Quocirca statui quidquid supererat disputationis contra Salmasium, in illum potius alterum convertere, utpote valentiorem, et ab hoc doctrinæ genere haud paulo magis instructum; Leidensem autem inquilinum nonnisi accessionis habere loco, sicubi propter errati communionem in eamdem reprehensionem incideret. Nam et alioqui superiore libro, et aliis ante hunc editis, abunde, et supra illius meritum ei satisfactum esse confido; nec in postremo de Primatu opere, et hujus abnormi, ac πομφολυγώδει Apparatu novi quidquam attulit: sed obsoleta, et jam stilo nostro confossa, et profligata reposuit.

Ut igitur cum recentiore deinceps adversario in certamen veniam, ante proponenda est ejus opinio, contra quam ordine, ac via, tota consequens decurret oratio. Ac cum in præfatione, quam bene longam operi suo præfixit, quid sentiret, apertius explicarit, et in summam rationes suas omnes collegerit; inde prius repetenda, paucisque complectenda nobis illius est sententia.

CAPUT PRIMUM.

1. Exponitur opinio Blondelli de episcopali, et presbyterali ordine in antiquiori Ecclesia. — 2. Hujus opinio minus a veritate recedit, quam Salmasii. — 3. Nec tamen vera. Falsam esse primatus rationem illam, quam introducit, et successionis in episcopatum. — 4. Auctor commentarii in epistolas Pauli, qui inscribitur Ambrosio, excutitur. — 5. Hieronymi sententia proponitur de controversia nostra. — 6. Quæ pseudo Ambrosii interpres est; et adversariorum indidem opinio confutatur. Episcopatus qualem hominem requirat. — 7. Blondelli sententia ex ipsomet auctore confutatur. — Cujusmodi successio fuerit episcoporum prioribus mortuis. — 9. Quid vox *sequens* significet. — 10. Explicatur pseudo Ambrosii locus.

I. Episcopatum eumdem cum presbyteratu fuisse primis Ecclesiæ temporibus docet Blondelli præfatio, non appellatione sola, quæ promiscue communis amborum fuit, sed etiam Ordine, sive Sacramento, et Ordinis gradu, ac functione. Verum [1] inter illos episcopos, eosdemque presbyteros, qui plures in eadem Ecclesia censebantur, primus ei dignitatis, et προεδρίας locus attributus est, qui prius ceteris in illum velut Ecclesiæ senatum, id est seniorum collegium, erat ascitus, ut idem existimat; qui hanc πρωτοκλησίαν, et πρωτοτοκίαν vocat idem, ut Salmasius, hoc est *prærogativam vocationis*, et, ut sic dixerim, *primogenituræ;* quod primi in clerum coaptati fuerant: fuisse porro primates illos ejusmodi asserit [2], « ut pari cum ceteris potestatis, et honoris consortio præditi, primæ duntaxat cathedræ, præsidialisque potestatis jus obtinerent. » Unde et ἐξάρχους illos nominat, et *præpositos*, et *honoraria capita*. Qui quidem non electione, sed ordinationis tempore, primum illum consessus, et collegii locum merebantur. Nam, priore vita functo, proximus antiquitate succedebat; eoque similiter decedente, statim ipsius gradum occupabat, qui secundus ab isto hactenus in presbyterorum collegio meruerat. Ut autem ad primatum illum, et supremum in unaquaque Ecclesia honoris gradum promoveretur, nulla opus fuisse nova ordinatione, putat; quoniam unius ordinis presbyteri omnes erant, quamvis primatus, sive principatus titulo et honore ille unus antecelleret, cujus etiam nomen in tabulis ecclesiasticis perscribebatur: uti nihil aliud episcoporum indiculi isti, qui ex archivis Ecclesiarum ab antiquis scriptoribus excerpti sunt, ut in superiore libro memoravimus, quam primatum hujusmodi successiones fuerint; sicut anni singuli Athenis olim ejus Ἄρχοντος, sive *prætoris* nomine signabantur, qui inter novem primus erat, et ἐπώνυμος ob eam causam appellabatur.

Hunc morem in Ecclesiis præsidum, ac primatum citra electionem constituendorum ex sola cooptationis antiquitate, ad annum usque Christi 136. mansisse Blondellus existimat [3]; ex quo deinceps alia introduci primatis creandi forma cœperit, ut non collegarum antiquissimus statim mortuo succederet; sed ut presbyterorum suffragiis ex eodem collegio idoneus eligeretur, qui inter ceteros necessariis ad hoc munus dotibus, ac virtutibus excelleret.

II. Hæc Blondelli opinio cum Salmasiana fere congruit. Itaque, quod adversus hanc superiore libro, capite quarto, et sequentibus diximus, id in illam perinde convenit. Verum duo hic animadvertenda sunt. Primum ad communem, et nostram sententiam propius accedere Blondellum, quatenus etiam primo, et apostolico seculo primates illos collegii presbyterorum, quocumque tandem modo creati sunt, (de quo mox videro,) gradu, ac dignitate multum supra reliquos attollit. Nam tantumdem illis fere tribuit, quantum nos episcopis; nec dissimili, ac nos, loco eos habuit.

Mea de presbyteris, et episcopis ratio est ejusmodi [4]: primis Ecclesiæ temporibus communem et promiscuam fuisse primo et secundo ordini appellationem utramque. Tum a primate, ac præside, qui κατ' ἐξοχὴν episcopus vocabatur, ut Wallo Salmasius nobiscum sentiens diserte scripsit [5], sic administratam Ecclesiam, ut ad ejus rectionem *presbyterium*, id est *presbyterorum collegium* adhiberetur, ac de communi consilio negotia omnia tractarentur. Verum præter gradus, et sedis, honorisque prærogativam, qua ceteris excellebat, ordinandi jus, et potestas penes

[1] Blond. Præf. p. 5. et 6. — [2] Idem p. 6. — [3] Pag. 7.

[4] Vide l. 1. de Eccl. Hier. cap. 12. et libri antec. c. 11. — [5] Pag. 274.

illum primatem, præsidem, sive insignem episcopum resedit; atque is præcipuus, et οὐσιώδης, ac διακριτικὸς character, hoc est *essentialis*, ut sic dicam, *nota* fuit, qua inter alios eminebat, ab iisque discernebatur, quod solus Ordinis sacramentum conferret, ut ex Epiphanio, et Hieronymo, aliisque demonstratum est, ac postea rursus explicandum erit. Postremum hoc negat verum esse Blondellus, quocum postea disputabitur; cetera large illis, ac benigne tribuit, dum eos fatetur [1] « publice in collectis, sedulis universam fraternitatem hortamentis ad bonum pietatis certamen, fidaque charitatis obsequia excitare solitos, eamdem precibus commendare, Ordinis consessus cogere, omnibus exemplo præire ex officio, ac se pro virili Dei ad homines nuntios præstare debuisse: imo his, ceu ἐξάρχοις, commissi gregis tam κατορθώματα, quam pudenda ex æquo imputari potuisse; quemadmodum in Apocalypsi [2] a Domino ipso Ecclesiarum Asiaticarum angelos cœlestibus monitis ad fidei constantiam armante imputata sunt. » Ubi angelorum nomine significari ab Joanne, vel per eum loquente Domino, singulares Ecclesiarum præsides, et episcopos, recte vidit; quod pertinacius, quam pudentem decuit, Salmasius falsum esse contendit. « Ab iisdem ceu cleri totius capitibus, pergit scribere Blondellus, et Ecclesiarum sensus consignari, et deduci successiones cœperunt; » ac sæpius alibi, præter ordinandi potestatem, quam communem illis cum toto presbyterorum collegio facit, jura omnia, et insignia dignitatis, ac πρωτασίας, quibus supra secundi ordinis clericos primum se gradum extulisse Catholici omnes asseverant, in hoc eodem Blondellus agnoscit. Ac de jure illo et potestate sacris ordinibus initiandi agendum erit postea; nunc de primatum creatione, ac promotione, qua ex presbyterio ad πρωεδρίαν aspirabant, disputandum prius videtur.

III. Habet hanc de illa Blondellus opinionem, quam exposui paulo ante, cum Salmasio communem, et sine dubio falsam, certe nullo idoneo teste ex omni antiquitatis memoria neque probabili argumentatione subnixam, ut nihil aliud sit præter commentitiam, et argute ad propositum inventam, accommodatamque fabulam. Quod adversus Leidensem istum professorem libro superiore, et in ceteris libris de Hierarchia plenius jam ostendimus; et contra Blondellum modo, qui ad illam conjecturam fulciendam propria quædam contulit, non longo sermone probare instituimus.

Morem hunc primo Ecclesiæ Christianæ seculo, et ad annum usque secundi circiter tricesimum sextum fuisse Blondellus existimat, ut ad primatum, et πρωεδρίαν, ac πρωτασίαν cleri totius et Ecclesiæ, unus ille de collegio presbyterorum ascenderet, qui primus omnium in presbyterorum ordinem cooptatus fuerat, jure solo antiquitatis et πρωτοκλησίας suffragante, non electione ac voluntate ceterorum. Post annum vero Christi 136. deinceps, ait, eligi cœpere; ac suffragiis ex eodem collegio non antiquior, sed dignior est assumptus. Hujus consuetudinis si testem aliquem requiras, (quod in eo genere profecto faciendum est, ne quis temere quidquid velit licere sibi putet fingere,) nullum ab illo citari alium comperies, præter auctorem commentarii in epistolam Pauli ad Ephesios, qui sub Ambrosii titulo legitur. At hujus verba si accurate considerentur, non hoc significant, quod Blondellus post Salmasium affirmat: vel sine nova, et propria quadam ordinatione, ex presbyteris episcopos, id est præsides, et ἐξάρχους esse factos; vel citra electionem jure ipso antiquitatis esse provectos ad Ecclesiæ præfecturam. Horum prius ne littera quidem ulla præ se fert, sed sola amborum conjectura peperit. Scribit Hilarius [3], (hoc enim nomen falso illi Ambrosio passim tribuitur,) « Primum presbyteros episcopos appellatos fuisse, ut, recedente uno, sequens ei succederet. » Succedendi quidem, ut multum, ordinem his verbis indicat; modum autem successionis non exprimit. Quid igitur prohibet, quin *sequentem* illum ita suffectum priori ac mortuo dicamus, ut ante majori ordinatione consecratus in episcopum fuerit? Certe ut ex cardinalium collegio Romanus Pontifex eligitur, si totum illud ex presbyteris, hoc est secundi ordinis clericis constare fingas, vere hoc dici poterit, recedente uno, sequentem ei eodem ex collegio succedere. Nec propterea consequens erit, citra novam ordinationem istud fieri; vel eodem ritu, et Sacramento episcopos, eorumque principem, quo simplices presbyteros, esse contentos. Nihil igitur novum commentum Hilarius iste adjuvat.

IV. Nam quod eodem hoc auctore post Salmasium Blondellus affirmat, citra electionem statim in demortui præsidis locum antiquio-

[1] Blond. in Præf. pag. 6. — [2] Apoc. 2. cap. 3.

[3] Com. Ambr. in epist. ad Eph. col. 504. M.

rem solitum succedere; primum, ut hoc a nobis obtineant, non magnum facient, nisi hoc præterea pervincant, nova manuum impositione nihil isti successori opus fuisse : quod odio, et importunitate frustra Leidensis professor extundere hactenus est conatus. Deinde Hilarii verba non illud necessario declarant, sequentem istum, qui mortuo successit, ætate, vel cooptationis tempore proximum ab hoc in collegio locum obtinuisse. Licet enim *sequentem* interpretari sic, ut sit *unus e sequentibus* corporatorum, qui electione, non temporis prærogativa, subrogatus fuerit, ut in primo de Hierarchia contra Salmasium ostendimus [1]. Quam interpretationem nostram illius loci certissimum esse persuadet Hieronymus in epistola 85. ad Evagrium; cujus verba egregie cum istis pseudo Ambrosii consentiunt, et hunc ita, uti fecimus, explicare nos hortantur, ut postea demonstrabimus. Interim commentatoris illius examinanda sunt verba, ut quam parum cohærentia sint, nec idonea satis ad fulciendam divinationem novam de successione κατὰ πρωτοκλησίαν, hujus inventores intelligant. « Nam et Timotheum, ait ille, presbyterum a se creatum episcopum vocat; quia primum presbyteri episcopi appellabantur, ut, recedente uno, sequens ei succederet. » Hic presbyteri, et episcopi communem, et promiscuam appellationem fuisse docet ψευδεπίγραφος Ambrosius, sive, ut Blondellus loquitur [2], *synonymam*, quod Timotheus utroque nomine designetur ab Apostolo. Huic vero qui tandem congruunt, aut quo sensu sequentia ista nectuntur, *ut, recedente uno, sequens ei succederet?* Quæro, quis *unus recedens* ille sit, ac quis cui successerit. Omnes tum simul et presbyteri vocabantur, et episcopi; et quia sic usus erat, uno recedente, sequens ei succedebat. Obsecro, quæ est hæc vel sermonis vel rationis ἀκολουθία? Tam recedens ille, quam sequens, et succedens, episcopus et presbyter nominabatur.

Nulla primatus, ac dignitatis in communi appellatione mentio; quam profecto non omittere debuit, ut hoc modo decurreret oratio : *Quia primum presbyteri episcopi appellabantur;* quorum antiquissimus quisque primatum tenebat, atque ita fiebat, *ut, recedente uno, sequens ei succederet.* Hunc aut similem in modum concipienda fuit sententia, ut vel plenus ei sensus constaret, vel ad illorum conjecturam probabiliter accommodari posset.

V. Verum, utcumque locus ille habeat, nego inde sequi, antiquiori cuique, citra electionem, primatum collegii, et Ecclesiæ singularem προστασίαν cessisse primo, quo apostoli vixere, seculo. Affirmant hoc e contrario duo illi, adversus quos disputo. Paululum ergo seponatur hæc nostra contentio, et nos adeo ipsi rixari invicem, et argumentari desinamus. Audiamus disceptatorem illum, et arbitrum, quem sibi ducem, auctoremque opinionis inscribunt suæ Blondellus et Salmasius: usque adeo quidem ille, ut *Apologiam pro sententia Hieronymi de episcopis et presbyteris* librum suum nominandum putaverit; tanquam id unum ageret, ut non minus veram, quam Hieronymi germanam persuaderet esse sententiam illam, quam in libro isto defenderet. Quo minus recusare poterit, quin illius qualicumque decreto, ac judicio stet, nec sibi ad alterum provocandum amplius putet.

Ecquid igitur de hac nostra controversia pronuntiavit Hieronymus? In epistola 85. ad Evagrium, ad quam præcipue propugnandam Blondelli comparata est Apologia, postquam eosdem fuisse quondam presbyteros, et episcopos, apostolorum testimoniis probavit; ad tollendum schisma postea, unum aliquem constitutum esse scribit. Num ex antiquitatis prærogativa, sine ullis suffragiis, ac citra electionem? « Quod autem postea UNUS ELECTUS EST, *inquit*, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est. » Vides ut *electum* dicat esse de multis unum, qui toti præesset Ecclesiæ? Pergit idem : « Nam et Alexandriæ, *inquit*, a Marco evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se ELECTUM, in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant. » Apostolorum plane seculo, hoc est a Marci tempore, Alexandriæ non ille, qui ordinationis tempore antecedebat reliquos, sed qui electus fuerat, episcopus est factus. Quid amplius tergiversari, ac litigare nos delectet?

Atque idem insuper Hieronymus ibi, ubi maxime presbyterii gradum extollit, ut cum episcopatu etiam exæquare videatur; non tamen errare nos patitur, sed essentialem profert utriusque differentiam. « Quid enim, *ait*, facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? » Excipit ordinatio-

[1] Cap. 13. § 13.

[2] Apolog. pag. 52.

nem, id est jus ac potestatem ordinandi, quo minus paria cum episcopo faciat presbyter. Ergo potestate illa caruit presbyter, quæ propria, et οὐσιώδης nota est episcopalis ordinis.

VI. Cum igitur Hieronymum habeamus moris illius, quem falsus Ambrosius refert, et hujus verborum certissimum interpretem, tamenne divinationi plus nostræ, quam expressissimæ tanti viri auctoritati tribuemus? tamen ea fingemus, quæ nemo veterum prodidit, de subrogatis ex sola antiquitatis prærogativa proxime sequentibus; quæ vero de electione cum illis pugnantia scripsit Hieronymus, ea pro ludicris, ac falsis habebimus? Quamobrem interpretatio illa nostra vocabuli *sequens*, apud supposititium Ambrosium, cum Hieronymi testimonio sit innixa, erudito nemini merito displicebit. Neque vero Blondellus idoneis eam argumentis labefactavit, (nam Leidensem professorem nihil moror, præ isto altero nihili faciendum,) tametsi plura congesserit, minuta illa quidem, et enucleata, sed in quibus robur, ac pondus requiras. Nisi istud forte pro magno quispiam habeat, quod in opinione nostra parum illi commodum videtur, quod ex ea sequatur, omnes collegii presbyteros indignos repertos esse, qui mortuis primatibus succederent. Atqui nec absurdum istud est, præsertim in non magnis collegiis, idoneos defuisse presbyteros, qui primatu, et προστασίᾳ fungerentur; et si incredibile Blondello videtur, in hoc ipsum illius, et Salmasii labitur opinio.

Quod enim ad prius attinet, cogitandum istud est, non eumdem æstimationis modum esse, quo quis presbyteratu simplici, aut primatu, et πρεσβρίᾳ dignus habeatur. Primum quia multo major, ac præstantior virtus ad hunc promerendum gradum, quam ad illum requiritur. Quod magni Basilii exemplo, ac judicio demonstrat Gregorius Nazianzenus in ejus funebri laudatione; de quo, ubi ad episcopatum est provectus, ita scribit: « (1) Existimabat, hanc esse privati hominis virtutem, ut non malus sit, vel quadamtenus sit bonus; principis vero, et antistitis vitium censeri, præsertim talem principatum gerentis, si non multum vulgaribus hominibus antecellat, neque melior in dies appareat, ac non cum dignitate, ac throno virtutem exæquet suam. » Quod enim de episcopo dicit cum privato homine comparato, idem de episcopo cum simplici presbytero collato proportione licet asserere. Ut enim presbyter longe præstare laico debet; ita presbytero non parum episcopus antecedat necesse est; ut non tantum virtute præcellat, et iis ornamentis, quibus boni et sancti fiunt homines, sed etiam prudentia, usuque rerum, et ad animos tractandos comitate, ac dexteritate quadam, tum vero scientia, et dicendi facultate, ut commissos sibi populos divino verbo pascere, et eodem hæreticorum ac ceterorum fidei hostium impetus propulsare possit.

Hoc si cui minus suppetit, potest in inferiore gradu sola tueri, et probare se virtutis auctoritate, præsertim eximiæ, ac vulgo cognitæ; in arce vero summæ dignitatis, ac præfecturæ sine suo, communique dedecore, vel dispendio collocari non potest. De quo audiendus hic necessario est gravis auctor Hilarius Pictaviensis in octavo de Trinitate libro ita scribens: « Non statim boni, atque utilis pastoris est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare; cum et innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit, et doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit. Non enim apostolicus sermo probitatis, honestatisque præceptis hominem tantum seculo conformat ad vitam; neque rursum per doctrinæ scientiam scribam synagogæ instituit ad legem. Sed perfectum Ecclesiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit, ut et vita ejus ornetur docendo, et doctrina vivendo. »

VII. Hinc apparet, quemadmodum digni aliqui presbyterio, indigni episcopatu videri potuerint. Quod si nos responsio ista tam facilis, tam probabilis deficeret, satis ad eludendam Blondelli petitionem hoc esse deberet, quod, qualecumque illud est, quod pro absurdo nobis objicit, in idem ipsemet incurrit. Etenim, mortuo collegii primate, suffectum huic esse putat ordinationis tempore proximum quemque. Etiamne prorsus indignum; ut si insanabilem in morbum quempiam animi, vel corporis incideret, aut alia ex causa minime idoneus esset, qui ad illam præfecturam adhiberetur? Non hoc, opinor, dixerit. Ergo proxime qui hunc indignum, ac rejectum sequebatur, is primatum obtinuit. Quod si et iste, et alius deinceps, atque alius

(1) Nazianz. orat. 20. pag. 343. Ἡγεῖτο γὰρ, ἰδιώτου μὲν ἀρετὴν εἶναι, τὸ μὴ κακὸν εἶναι, ἤ τι, καὶ πῃσῶς ἀγαθόν· ἄρχοντος δὲ, καὶ προστάτου κακίαν, καὶ μάλιστα τὴν τοιαύτην ἀρχὴν, τὸ μὴ πολὺ τῶν πολλῶν προέχειν, μήτε ἀεὶ κρείττω φαινέσθαι, μήτε συμμετρεῖν τῇ ἀξίᾳ, καὶ τῷ θρόνῳ τὴν ἀρετήν.

similiter indigni reperti sint? Nonne ad proximum quemque revoluta dignitas illa perveniret? Neque hoc Blondellus inficiabitur.

Igitur, quod Hilario tributus commentarius affirmat, cum ita mos esset, *ut, recedente uno primate, sequens ei succederet*, postea *immutatam esse rationem, quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos;* necesse est, ex Blondelli sententia id sic interpretari, ut, quoniam ordinationis tempore proximi, et eo ipso, succedendi jus habuerunt, eo res denique reciderit, ut omnes collegii presbyteri singuli, et unus post alterum, indigni summo sacerdotio judicati fuerint, ut ea necessaria causa mutandæ consuetudinis pristinæ videri potuerit. Nam, si in tota serie dignus inventus esset aliquis; in demortui locum, vel indigni, et rejecti subrogari debuisset. Quod cum minime factum esse Blondellus adeo putet, ut propterea mutatam esse priorem consuetudinem asserat, decretumque deinceps, ut electione, ac suffragio digniores ad primatum eveherentur, non antiquitatis prærogativa succederent; plane id accidisse significat, quod pro maximo absurdo nobis imputat, ut in toto presbyterorum collegio nullus aliquando episcopatu dignus occurrerit.

VIII. Quanto itaque nostra facilior, et expeditior est, quam Blondelli ratio? Nos supposititium Ambrosium sic explicamus, ut hoc velit: initio presbyteros fuisse appellatos episcopos, ac nihilominus unum aliquem ex illis creatum, et electum, qui antonomastice diceretur episcopus, ac non solum collegio, sed toti etiam Ecclesiæ præesset; hoc vero mortuo, substitutum ei statim alterum ex eodem presbyterorum corpore; sive ordine, unum videlicet ex sequentibus, hoc est e presbyteris, quorum ordo proxime sequebatur episcopum. Ita recedente uno, *sequens*, id est sequentium aliquis ex eodem ordine succedebat. Post autem, cum *sequentes presbyteri*, qui videlicet consequenti tempore vixerunt, aut qui ex illo ipso erant collegio presbyterorum, ex quo mortuo episcopo suffici alius consueverat; cum igitur identidem eveniret, minus ut episcopatu digni in presbyteris invenirentur, *immutata*, inquit, *est ratio*, decretumque, ut non ex ordinis presbyteralis, sed ex meriti prærogativa crearentur episcopi, etiam alio ex ordine quam presbyterorum.

Hujusmodi presbyterorum successionem citra electionem solo antiquitatis jure constitisse, cum Salmasio Blondellus affirmat. Sed hoc divinare est, non certa auctoritate niti. Nam et iste ipse, quem unicum opinionis suæ fundum nominant, supposititius Ambrosius, electos per illud tempus fuisse successores episcoporum presbyteros significat. Siquidem *episcopum creare* idem est, ac *suffragiis eligere;* ut est in optimo, ac vetustissimo glossario, quod sic habet, *creare*, χειροτονῆσαι, et *creat*, χειροτονεῖ. Est autem χειροτονεῖν idipsum, quod diximus, *suffragiis eligere*, velut cum Romæ *magistratus creari* dicebantur. Cum ergo commentarii istius auctor *ex ordine*, non *ex merito*, *creatum esse* hunc episcopum scribat; quid aliud, quam ex eodem ordine presbyterorum suffragiis ait electum?

IX. Nam quod vocabulum *sequens*, ubi ita scribit, *ut recedente uno sequens ei succederet*, non unum illum definite significet, qui antiquitate proximus erat a mortuo episcopo, sed ἀορίστως totam ipsam presbyterorum seriem, ex qua successor aliquis creari debuit, inde colligi potest, quod statim subjicit: *Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio.* Hic *sequentes* plures sunt, quorum quilibet ille *sequens* fuit, quem, *recedente uno, successisse* paulo ante dixit. Finge itaque, hoc nomen *sequens* prius positum nonnisi ordinationis tempore proximum significare, ut Blondello et Salmasio placet; necesse est, idem in plurali usurpatum mox nomen, cum dicit *sequentes presbyteros indignos inventos esse*, solos eos designare, qui in diversis Ecclesiis, et presbyteriis antiquitate essent a primatibus proximi. Unde illud erit consequens, propterea *immutatam esse rationem*, ut in omnibus Ecclesiis non amplius primatum, et episcopatum caperet, qui ordinatione proxime mortuum sequebatur; sed ex omnibus unus ille suffragiis eligeretur, qui communi judicio magis idoneus haberetur. At hoc ineptum et ridiculum est, ideo ad electionem, et suffragia transitum esse factum, quoniam indignus primatu tantum unus est inventus ille, qui antiquior ceteris esset. Licebat enim, priore hoc præterito, proxime ab eo sequentem ipso jure antiquitatis mortuo sufficere; ac, si secundus iste pariter indignus esset, tertium substituere, vel quartum, quintum, et deinceps proximum quemque. Non enim indigni omnes esse potuerunt, si probabile est, quod, ut paulo ante memini, nobis objicit Blondellus [1], « nullo modo fieri potuisse, ut absolute in-

[1] Blond. Præf. pag. 9.

digni invenirentur, qui mortuis primatibus succederent, omnes omnino presbyteri. »

Quocirca *sequentis* vox simpliciter aliquem ex presbyteris significat. Nam et alioqui *sequens* pro *inferiore* usurpari solet. Sic Pelagius I. in epistola 14. ad Childebertum Franciæ regem de Sapaudio Arelatensi episcopo scribens queritur, quod, « cum ejus Ecclesia in regionibus gallicanis primatum teneret, ad petitionem episcopi ab ipso ordinati, in judicium sequentis civitatis episcopi judicandum jussus sit occurrere. »

X. Atenim scribit auctor commentarii [1], ideo decretum fuisse, ut ex merito crearetur episcopus, *ne indignus temere usurparet ;* non potuit autem temere usurpare dici, *qui alienis suffragiis, et judiciis evehendus* esset : imo eatenus dici potuit, quod ex presbyterorum ordine ac collegio eligendus fuit, sive dignus esset, sive esset indignus ; quod propterea visum est corrigi debere.

Rursus « Ἀπροσδιονυσιος, ait Blondellus, plane leviticorum sub lege nascentium sacerdotum mentio fuerit, si novi Testamenti temporibus nunquam nisi suffragiis electi ad primatum sacrorum provecti sint. » Verum nihil hoc esse sciet, qui Hilarii istius verba legerit, quæ sunt ejusmodi : « In lege nascebantur sacerdotes, ex genere Aaron, Levitæ ; nunc autem omnes ex genere sunt sacerdotali, dicente Petro apostolo : Quia estis genus regale, et sacerdotale, etc. ideoque ex populo potest fieri sacerdos. » Ubi ratio affertur, cur nova institutione cautum sit, ut ex omnibus ordinibus sacerdotes capi possent ; nempe quod cum amplius aliquid deferri Christiano populo deceat, quam olim Judaico tribui soleret, id hac ratione consecuti sunt, ut ex omni statu etiam populari sacerdotes eligi possent. Quod etsi suo quoque modo antea factum esset, quando ex solo presbyterorum ordine episcopi creabantur, quatenus ad ecclesiasticos ordines, adeoque ad presbyteratum, etiam populares, et infimi quique aspirare poterant, unde postmodum episcopatum capesserent ; nihilominus perfectius observatum illud est, et major honos Christiano nomini est habitus, cum ἀμέσως ex quocumque ordine deligi episcopum placuit : ita tamen, ut ex canonum præscripto per interjectos ordines ad summum quantolibet temporis intervallo decurreret.

CAPUT SECUNDUM.

Expenduntur argumenta Blondelli contra nostram sententiam ; 1. ac primum illud, quod ex successione Hierosolymitanorum episcoporum ducitur. — 2. Paucis annis sedisse illic episcopos primo seculo. — 3. De Alexandrinis patriarchis Eutychii locus excutitur. — 4. Male ex eo argumentationem ab illo confici. — 5. Opponuntur Eutychio alii similes historici. — 7. Refellitur novum commentum Salmasii, et ceterorum.

I. Eumdem, quem pseudo Ambrosio teste confirmari Blondellus existimat, in ceteris orbis Ecclesiis observatum fuisse morem, aliis veterum testimoniis, et exemplis asserit. Sed in superioribus libris de Hierarchia contra Leidensem professorem iisdem argumentis innitentem ad illa disputavi, quæ et visa necessaria sunt, neque hic opus habeo repetere. Pauca tamen adjicienda modo sunt ad ea, quæ illic diximus, ut, quæ secundum hæc ab adversariis sunt allata, refellantur.

Ejusmodi est, quod ex certarum Ecclesiarum episcopali successione ducit argumentum, qui contra nos posterior scripsit, longe altero nullius homine judicii ad hanc pugnam instructior. Hic igitur opinioni suæ, quam exposui capite antecedente, præsidium arcessit imprimis ex Hierosolymitanæ Ecclesiæ præsulibus ; quorum catalogum descripsit Eusebius libro 4. capite quinto, et Epiphanius Hæresi 66. quæ est Manichæorum [2], tum Nicephorus Constantinopolitanus in Chronico ; de qua successione lege, quæ ad Epiphanium olim animadvertimus. Ea porro successio bifariam potest distribui. Nam alii episcopi ex Judæis creati fuerunt, numero quindecim,

[1] Ibidem pag. 10.

[2] § 20. pag. 636.

quorum primus fuit Jacobus frater Domini; postremus Judas, qui circa annum Hadriani 19. desiit [1]: quando Judæi, qui Barchocheba duce adversus Romanos rebellarant, in Syria prope ad internecionem deleti sunt, et agri Hierosolymitani aditu illis interdictum est; ac tum instaurata Hierosolyma, et ab eodem imperatore Ælio Hadriano Ælia nominata est. Tunc enim, deficientibus omnibus, qui erant ex circumcisione, primus e gentibus novæ urbis ab Christianis creatus est episcopus Marcus, ut Eusebius, et alii paulo ante citati referunt: fuit hic annus Christi 135. aut sequens, ad quem ab anno quo Simeon Jacobi successor martyrium obiit, qui numeratur ab Eusebio Trajani decimus [2], estque Christi 107. anni computantur triginta fere; quo intervallo episcopi recensentur tredecim.

Hinc igitur Blondellus ita ratiocinatur [3]: Cum absurdum sit, tot episcopos tam exiguo intervallo episcopatum gessisse, cujusmodi nunc est, nempe ut singillatim suo quique spatio præsederint; quasi ex composito, sive potius miraculo quodam, vel πληγῇ θεηλάτῳ, biennio plus minus exacto, vita pariter et cathedra cesserint universi, cum neminem per idem tempus violenta morte, ac martyrio sublatum esse constet; nihil aliud probabilius occurrere, nisi illos omnes presbyteros, eosdemque episcopos fuisse, qui non electione, sed antiquitatis jure, alii post alios primatum obtinuerint, ac toti collegio præpositi sint. Quæ prima fuit administrationis ecclesiasticæ ratio a Blondello et Salmasio constituta, quam exposui superiore capite.

II. Atqui hujus argumenti vis aut nulla est, aut si est aliqua, non minus commentitiam illorum προστασίαν evertit, quam ex ordinationis gradu citra electionem adstruunt, quam legitimam ex electione potestatem. Quod nullius momenti sit, primum ex eo constat, quod, cum incertum sit quot annos singuli ex illis tredecim Hierosolymitanam sedem tenuerint, qui post Simeonem ad Marcum usque, et Hadriani decimum nonum, triginta illos annos occuparunt; temere divinantis est, summam hanc annorum in omnes æquali divisione partiri, ut singulis biennium circiter imputemus. Credibilius est enim, quosdam ex illis paucis præfuisse mensibus, alios diebus; reliquos plures, aut pauciores annos implesse. Quod ut fiat, cessabit illa velut ex composito facta tot episcoporum biennii sessio. Deinde in Romanorum Pontificum catalogo idem illud revera contigit, quod pro ingenti incommodo nobis objicit Blondellus. Quippe ab anno Christi 883. quo Marinus papa creatus est, ad annum 912. quo Anastasius tertius obiit et Joannes decimus iniit, annis triginta, quatuordecim numerantur Romani Pontifices, quorum plerique paucis diebus, alii mensibus, ceteri paucis annis Petri sedem occuparunt, cum unus tantum ex illis cæsus memoretur Stephanus septimus, pulsi duo, Leo quintus, et Christophorus, ut Annales Baroniani docent. Non est igitur incredibile, quod narrat Eusebius, tredecim Hierosolymitanos antistites tantumdem intervalli tenuisse.

Quod autem pari incommodo, si est ullum, prematur illa ex antiquitatis prærogativa ficta primatum successio, res ipsa loquitur. Etenim cui non perinde ex composito, et quasi Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, excogitatum videatur hoc, quod ex Blondelli ratione sequitur, tredecim illos Hierosolymitanæ sedis primates unum post alterum singillatim biennio præfuisse? aut quis omnes istos tam ætate, habituque corporis, et eventu, conditioneque vivendi similes fuisse credat, ut ex condicto singuli velut in fatalem illam primatus sui clausulam incurrerent? Hoc in Blondelli opinione multo est, quam in communi, et nostra, quod ille nobis intentabit, absurdius.

III. Similem in Alexandrina Ecclesia consuetudinem fuisse, Blondellus itidem, ut Leidensis inquilinus, affirmat, et hoc uterque auctore confirmat Eutychio Alexandrino patriarcha: cujus ante annos aliquot editum ab Joanne Saldeno fragmentum Londini in Britannia prodiit, ex Originibus Alexandrinæ Ecclesiæ. Vixit autem ille sub finem noni, et initium decimi ab Christo nato seculi, hoc est circa annum nongentesimum, ut idem Saldenus computat. Natus enim proditur anno Christi 876. mortuus anno 940. Hujus viri auctoritate fabulam suam de episcopatus, ac presbyteratus ordinibus olim in unum conflatis, ac de primatu eorumdem citra electionem ex solo jure antiquitatis usurpato, ambo illi comprobari putant. Atqui, ut de recentiori Eutychii ætate, quam ad vetustæ adeo rei certam fidem faciendam necesse sit, nihil admodum præscribam; equidem illius arbitrium non defugio, et quo illi me, *quasi ex*

[1] Dio. lib. 69. Euseb. 4. hist. c. 6. et in Chron. Epiph. de Ponder. § 14.

[2] Euseb. lib. hist. 3. cap. 32. et in Chron. — [3] Blond. in pag. 17.

jure manu consertum vocant, inde ibi ego illos revoco. Stent modo conventis isti suis, et in Eutychii arbitrio constanter acquiescant: hoc est, quod ille pronuntiaverit, hoc sequantur; nec ad libitum suum ejus verba deflectant; imo ne quæ volunt ex iis, interpretata pro arbitrio deligant; quæ sibi adversa sentiunt, ea reprehendant, ac recusent. At non faciunt: et cum perperam illius sententiam detorquent, tum ei fidem in plerisque derogare se dicunt.

Scribit Eutychius, Marcum evangelistam Alexandriam profectum, ibi primum constituisse patriarcham Ananiam, (quem Anianum Eusebius, et Hieronymus nominant,) cum eoque presbyteros duodecim; « ut, cum vacaret patriarchatus, eligerent unum e duodecim presbyteris, manus imponerent, eumque benedicerent, et patriarcham eum crearent, et dein virum aliquem insignem eligerent, eumque presbyterum secum constituerent loco ejus, qui sic factus est patriarcha, ut ita semper extarent duodecim. » Hæc de prima institutione scribit Eutychius. Quid autem est, obsecro, in ista narratione, quod recentem opinionem adjuvet? Constitutum ait Eutychius a Marco Alexandriæ patriarcham Hananiam. Nihil hic moror, quod patriarcham vocat, qui nondum patriarcha dictus est. Perspicuum est enim, Eutychium hanc vocem ex ea, quam Alexandriæ suo tempore videbat, consuetudine ita nominasse; ac verum, et proprie dictum, qui nunquam non fuit, episcopum, ac toti Ecclesiæ illi præpositum intellexisse.

IV. Tria sunt capitalia novi commenti decreta, quæ ex Eutychio Blondellus approbare voluit: Unum, primis temporibus, et apostolico seculo, unum tantummodo episcopatus, et presbyteratus ordinem in Ecclesia fuisse; nec episcopum unum aliquem, ac singularem præsedisse, sed totius collegii presbyterorum, et eorumdem episcoporum, unum aliquem primatem fuisse. Alterum, hunc ipsum primatem, non electione designatum, sed antiquitatis jure, hoc est ordinationis prærogativa id esse consecutum, « [1] ita ut quocumque statu erat secundus, ætati debita prærogativa ne ad momentum, si modo mentis compos, fraudandus fuerit; sed suo ordine in præpositorum cathedra collocandus. » Tertium, qui a presbyteratu ad primatum illum collegii promovebatur, nulla ordinatione opus habuisse, nec altera manuum impositione, qua in episcopum consecraretur, si nondum eam assecutus esset, sed gradus duntaxat secundi propriam accepisset. Hæc tria, tantum abest, ut Eutychius confirmet, ut evertat potius, et refellat. Nam et patriarcham a Marco, hoc est singularem antistitem, Ecclesiæ Alexandrinæ præpositum dicit, et jussisse Marcum eumdem ut, vita functo patriarcha, successor electione crearetur e collegio presbyterorum, et ab ipso collegio; quæ duo Eutychiani loci capita totidem prioribus Blondelli refragantur. Tertium denique indidem erroris arguitur, quod patriarcham illum impositione manuum creatum asserit Eutychius. Deinde, cum duodenarium numerum presbyterorum uno minutum, qui in patriarcham est assumptus, suppleri jubet, *insigni aliquo electo viro*, qui in collegium cooptetur; non hoc sine ordinatione factum esse, vel Blondellus ipse sentiat; qui unicam primatis, et presbyteri ordinationem agnoscit, et hanc ipsam in presbyteratus adeptione factam, quia nullam ad primatum adhibitam existimat præeunte Salmasio. Atqui Eutychius expressioribus verbis ordinationem significat in promotione ad primatum, quam ad presbyterium. Igitur, si per ordinationem presbyter factus conceditur, etiam collegii primas, hoc est episcopus, nova ordinatione creatus est: cum hoc deinceps in Ecclesia factitatum esse, tum historiæ omnes Ecclesiæ, tum veterum monumenta testentur; non esse factum primo illo seculo, asserat nemo; factum vero tunc Alexandriæ, productus a Blondello post Salmasium testis Eutychius affirmet.

Quid igitur poterat uterque minus ad probandum suum commentum idoneum afferre, imo ad refutandum aptius, ac præsentius, quam Eutychii testimonium illud, quo unico nititur imprimis Salmasius; Blondellus in præcipuis ostentat: ambo vero eumdem iis ipsis in capitibus falli dejerant, quibus causæ, ac præsidii, quod ad eam sibi quærunt, summa continetur?

« Multa in illis originibus (Eutychii) mixta falsa veris deprehendere est, » ait Leidensis professor [2]. Tum [3], « Huic, *inquit*, parum fidei habeo. » Quid igitur attinebat hoc uti teste, cujus auctoritatem adeo verbis elevant: cum qui testes citant, communi usu loquendi eos *laudare* dicantur; quod consuetudinis sit, nunquam illos sine aliqua laude proferre?

[1] Blond. pag. 17.

[2] Salm. Præf. pag. 86. — [3] Ibid. pag. 90.

V. Quod si quid momenti esse debet in exoticis illis scriptoribus, qui de Alexandrinæ Ecclesiæ originibus, et hujus administratione scriptis aliquid prodiderunt, habemus præter Eutychium illum eo vetustiorem alterum, qui patriarcharum Alexandrinorum vitas conscripsit; ex quibus excerpta quædam mecum communicavit D. Abrahamus Ecchellensis, syriacæ et arabicæ linguæ in academia Parisiensi professor regius, vir eruditissimus, et humanissimus. In illis a Marco, et ejus successoribus ordinatos legimus non modo presbyteros, sed etiam episcopos, et diaconos. Hujus historiæ specimen hic reddemus ex vitis quatuor patriarcharum. Sic autem habet inscriptio ab D. Abrahamo præfixa :

Ex vitis patriarcharum Alexandriæ, a Severo Ben Masphaho ex variis Ægypti monasteriis collectis, et ex coptiva lingua, et græca arabice redditis anno martyrum 494. Annus martyrum sive æræ Diocletiani, est Christi 777. centesimus ante ortum Eutychii. In illis Excerptis ex vita S. Marci hæc notata sunt : « Et ordinavit Anianum episcopum Alexandriæ, et tres presbyteros, ac septem diaconos ; quos undecim constituit, ut administrarent, et confirmarent fratres fideles. Tum relinquens eos, abiit ad Pentapolim ; mansitque ibi duobus annis, prædicans Evangelium, et ordinans episcopos, presbyteros, et diaconos in universa ea provincia. »

Sequitur ex vita Meliani, qui est secundus a S. Marco ; (hic Abilus a græcis vocatur ;) « Audientes autem sacerdotes et episcopi, qui erant ante illum in provinciis, patriarcham jam suum obiisse diem, contristati sunt, et convenerunt ad urbem Alexandriæ, inieruntque consilium cum ejus populo orthodoxo, ac sortem jecerunt, ut cognoscerent, quis dignus esset sedere super sedem S. Marci evangelistæ discipuli Domini Christi, post hunc patrem Melianum ; et consenserunt una mente, auxilio Christi Domini nostri, in quodam viro electo, timente Deum, nomine Cerdeno. » (Hic est Cerdo.) Rursus *ex vita Cladiani* (Celadion a Græcis dicitur) *qui est nonus Alexandrinus patriarcha*, notantur hæc : « Erat autem iis diebus in populo quidam homo amans Deum nomine Cladianus. Et convenientes populus orthodoxus, et episcopi, qui erant Alexandriæ iis diebus, assumpserunt eum, et ordinaverunt patriarcham. »

Idipsum et in vita Juliani, qui undecimus numeratur et in aliis ibidem traditur ; quæ non est necesse commemorare.

VI. Hæc vero, quæ de Marco, et creatis ab eo tribus presbyteris, et septem diaconis cum patriarcha, scriptor ille tradit, cujus Excerpta retuli, cum historia S. Marci paulo minus consentiunt, quæ in *Historia Christiana veterum Patrum* edita est[1]. Ibi enim proditur sic : « Beatus autem Marcus agnoscens eorum consilia, Anizanum ibidem ordinavit episcopum, et tres presbyteros, id est Melium, Sabinum, et Cerdonem, et septem diaconos, et alios undecim ad ecclesiasticum ministerium pertinentes. Et Pentapolim pergit, commoraturque ibi dein duobus annis, confortans fratres, qui illic ante crediderant, et ordinans episcopos per regiones illas, et clericos, etc. » Ab his dissentit Eutychius, qui solo excepto patriarcha, diu nullum in provinciis Alexandriæ contributis episcopum fuisse scribit, usque ad Demetrii tempora, quem undecimum fuisse post Marcum ait. Ab illo tres creatos episcopos ; post ab Heracla, viginti. Hoc Eutychii dictum cupide amplexatur Leidensis professor, et post eum Blondellus, et ante hos Eutychiani fragmenti editor Joannes Seldenus. Qui omnes, præsertim vero priores duo, illius auctoritate sed proprio interpolata mangonio freti, nullum in tota Ægypto episcopum per id tempus fuisse volunt singularem, et electione creatum ; sed presbyterorum collegium in commune curam Ecclesiæ gessisse ; cujus collegii primas erat, et πρωτοκάθεδρος, qui ordinationis tempore ceteros anteibat : idque ad Demetrium, et Heraclam usque perseverasse, quorum ille tres, iste viginti primum episcopos constituit, qui nulli hactenus in provinciis extiterant.

VII. Atqui joculare commentum istud est, nec ullo idoneo vel argumento, vel testimonio collectum. Nullos, præter Alexandrinum, episcopos in tota diœcesi Ægyptiaca usque ad Demetrium, et Heraclam fuisse vult Salmasius, assentiente Blondello et Seldeno. Cedo, unde compertum illud habent ; quis fuit auctor illis ita sentiendi ? Unum nominant Eutychium, præterea neminem. At cujusmodi tandem iste scriptor est ? quem illi ipsi, qui eo nituntur, falsum esse, nec ei fidem adhibendam, tum maxime nos admonent, cum eum testem appellant.

Operæ pretium est Salmasium acumen, et κριτικωτάτην indolem observare in hoc genere. In præfatione operis infandi de Primatu Ro-

[1] Hist. Christ. edita ab Laur. de la Barre apud Mich. Sonnium anno 1583.

mani Pontificis, ubi nænias istas de Alexandrinæ Ecclesiæ gubernatione passis velis explicat, ac nullos episcopos in Ægypti provinciis extitisse confirmat ex unius Eutychii fide; de hoc ipso teste suo ita prædicat [1] : « Multa in illis originibus mixta falsa veris deprehendere est. » Tum illud [2], « Sed huic parvam fidem habeo. » Quin etiam illa ipsa in re, quam ad probandam Eutychii testimonium attulerat, hoc idem dignum cui credatur non esse pronuntiat. Nullos ante Demetrium et Heraclam per Ægyptum episcopos fuisse dixerat [3], idque Eutychii auctoritate, et quidem solius approbarat. Post vero non longe, imo eadem pagina [4], « Heraclam, *inquit*, in patriarchatu suo viginti episcopos creasse, idem memorat Eutychius. Sed huic parvam fidem habeo. » Quid professore hoc inconstantius ? Sed miserandum in modum suum illum susque deque versat Eutychium, ac lacerat, dum ex eo, quod vult, quodque in rem suam facere putat, arripit ; quod sibi obesse sentit, resecat, et proculcat. « Illud recte ab eo, ac vere scriptum » asserit [5], « nec Marcum primum Alexandriæ episcopum fuisse, nec Petrum Romæ. Etiam verum arbitratur, quod tradidit de duodecim presbyteris in urbe Alexandrina constitutis. Sed illud falsum, quod per illa initia fundatæ a Marco Alexandrinæ Ecclesiæ scribit ab eodem institutum, ut illi presbyteri, vacante sede episcopatus, unum ex suo corpore eligerent. » Hoc enim, « ut presbyteri unum sibi præponerent, qui episcopus nominaretur, » nonnisi longo post tempore accidisse putat.

Illud Eutychii præterea non probat [6], quod scribit, a Marco fuisse constitutum, ut electus ille ab collegio, qui in demortui locum substitueretur, per manus impositionem ordinaretur, et consecraretur episcopus ; « quia simpliciter, inquit professor, eligebatur, cum decedenti primo succederet jure suo secundus. »

VIII. Piget in nugis istis persequendis tempus terere. Et sunt alioqui scripta hominis istius ad eumdem modum universa, ut neque cohæreant posteriora cum prioribus, sed pugnent secum invicem, fœdissimeque dissideant; et in argumentando, ratiocinandoque communis illum sensus destituat. Ut ergo rem in summam contraham, doceat nos tam iste quam qui huic adstipulantur, quinam illud ipsis constet. Primum, ante Demetrium, et Heraclam nullos per Ægyptum episcopos constitutos fuisse. Nam quod Eutychio solo teste nituntur, id eorum causam nihil adjuvat, sed evertit potius ; quod et ab illo fidem ipsimet abjudicant, et, ut minime hoc facerent, habeo, quos opponam, antiquiores illo, et ex eadem gente, quos supra memoravi, qui episcopos a Marco creatos, et ordinatos esse testantur.

Deinde quis illis auctor est, eos, qui e presbyterorum numero ad primatum evehebantur, sine electione eum gradum adeptos esse, ac sola ordinationis antiquitate fuisse promotos ? Hoc vero non dicit Eutychius, sed contrarium potius affirmat, ut et Hieronymus in epistola 85. ad Evagrium. Undenam ergo commentum suum adstruunt ? quemve testem illius, ac fidejussorem nominant ? Nam presbyteri illi duodecim, quorum meminit Eutychius, a quibus electum, et ordinatum Alexandrinum narrat patriarcham, hoc est episcopum, aut episcopi erant ipsi, id est episcopali ordinatione consecrati, ut in dissertatione contra Trapezitam Leidensem diximus, si vere ab illis est ordinatus patriarcha ; aut, si meri essent presbyteri, ad eum, quem elegerant, consecrandum, acciti sunt episcopi, ut in Celadione nono post Marcum patriarcha factum esse testis est Severus antea laudatus a nobis [7], vetustior Eutychio, cujus fides apud Salmasium excellentis hominem judicii merito vacillat. Ac plures in Ægypto ex antiquo fuisse episcopos, suadere videtur Hadriani imperatoris epistola ad Servianum consulem apud Vopiscum in Saturnino ; ubi de Ægypto, et ejus gentis moribus et religionibus agens, inter alia, « Devoti sunt, *inquit*, Serapi, qui se Christi episcopos dicunt, » ut pridem ab eruditis viris est notatum.

Hunc Vopisci locum prorsus inepte Leidensis professor exponit, et ad falsæ suæ opinionis argumentum invitum trahere conatur. Nam *episcopos* illos, quos Hadrianus nominat, ait esse Alexandrinæ Ecclesiæ presbyteros ; et alia nonnulla sine ratione ac judicio more suo congerit : de quibus, quoniam ad Alexandrinos presbyteros spectant, paucis agere libet, idque capite insequenti, ne hoc præter modum extendatur.

[1] Salm. pag. 86. v. 1. — [2] Ib. pag. 90. sub fin. — [3] Ibid. pag. 78. sub fin. et 89.

[4] Ibid. pag 90. — [5] Ibid. pag. 86. — [6] Salm. pag. 87. — [7] § 5.

CAPUT TERTIUM.

1. Falsa Leidensis Trapezitæ opinio de Ægypti presbyteris. — 2. Illustratur Epiphanii locus de parœciis Alexandrinis. — 3. Fœda Salmasii secum ipsius conflictio. — 4. Nicænæ synodi decretum de Meletio schismatico. — 5. Quod explicatur. — 6. Et ex Socrate, ac Theodoreto diversus sensus illius exponitur. — 7. Mira hallucinatio Salmasii in Nicæno illo decreto declarando refellitur. — 9. Alexandrinæ Ecclesiæ presbyteros ordinandi jus non habuisse probatur ex Athanasio.

I. Quod de presbyteris universe Leidensis Trapezita commentus est, et Blondello persuasit, olim ejusdem, atque episcopos, Ordinis extitisse, nec ullum singularem in Ecclesiis fuisse peculiari ordinatione creatum antistitem, idque ad Victoris usque papæ perseverasse tempora[1]; hoc in aliis regionibus citius immutatum esse, quam in Ægypto, et in Alexandrina Ecclesia, idem Salmasius affirmat[2]. « Presbyteri, *inquit*, illi Alexandrini auctoritatem suam, et prærogativam majori ex parte illibatam servaverunt etiam per illa tempora, quibus episcoporum tyrannis ubique locorum libertatem presbyterorum oppresserat. Et cum in omnibus orbis Romani Ecclesiis etiam ex conciliorum universalium decretis, Ordinationis jure discerneretur episcopus a presbyteris, isti ordinandi potestatem habuerunt, si præsens non esset episcopus. » Atque hoc Alexandri episcopi, ac Nicæni concilii tempore adhuc obtinuisse putat; imo centum annis, eoque amplius postea. Sed, ut solet, argumentis ad id utitur probandum prorsus inanibus, et insulsis. Primum, « Sozomenus, *inquit*, sua ætate, id est, Theodosii junioris imperio, adhuc eos presbyteros, quibus unus in tota Ægypto præesset episcopus, Ecclesias tenuisse proprias scribit libro primo, cap. 15. » Quo pertinere credit id, quod Epiphanius prodit in Arianorum hæresi, Arium fuisse presbyterum Baucalis, quod Ecclesiæ cujusdam nomen erat.

II. Atqui plurimum in istis hallucinatus est, et absurda multa, nec secum consentanea temere congessit. Sozomenus in libro primo capite 15. sub finem, quem ille locum citavit, neque per totam Ægyptum unum presbyteris episcopum præesse scribit, neque presbyteros per totam itidem Ægyptum Ecclesias tenere proprias; sed ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, hoc est *Alexandriæ* solum. Quæ ibi Sozomenus refert, ea ex Epiphanio mutuatus est; et paucis hic exponenda sunt, ut judicium hominis, et criticam indolem agnoscas. Nam tota ista narratio

Ἐγένεθ' ὑπ' αὐτοῦ ψευδατραφάξυος πλέα.

Scribit in Arianorum hæresi, quæ 69. est, Epiphanius, Arium, qui Alexandrinæ erat Ecclesiæ presbyter, quo tempore nefariam suam hæresim peperit, unius illa in urbe curam Ecclesiæ gessisse. Qua ex occasione morem illic receptum administrandarum Ecclesiarum explicat: « (1) Quotcumque sunt, *inquit*, Alexandriæ catholicæ communionis Ecclesiæ uni archiepiscopo subjectæ, harum cuilibet suus est præfectus presbyter, qui ecclesiastica munera illic incolentibus administret; nempe qui Ecclesiis illis vicini sunt, et in vicis habitant, quas Lauras Alexandrini vulgo nominant. » Quem ad locum adnotabamus olim, significari ab Epiphanio, quas vulgo *parœcias* vocamus, curiarum veterum apud Romanos olim gentiles institutarum haud dissimiles, quos suscepta Christi religione *titulos* appellarunt; quales et Constantinopoli fuisse indicat Gregorius Nazianzenus Oratione 32[3]. His præpositi erant presbyteri, qui curam illorum habebant, et synaxes ibi celebrabant, hoc est populum docebant, et alia præstabant ecclesiastica munia.

De hoc Alexandrinæ Ecclesiæ more loquitur Sozomenus; ac perinde, ut Epiphanius, presbyteros illos omnes in Alexandrina urbe commorantes, et uni archiepiscopo subjectos fuisse dicit; non autem totius Ægypti presbyteros uni episcopo Alexandrino, ita ut unus *presbyteris in tota Ægypto præesset episco-*

(1) EPIPH. init. hær. 69. Ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα Ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ Πρεσβύτεροι, διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων, πλησίον ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λαυρῶν ἐπιχωρίως καλουμένων ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικοῦντων πόλιν.

[1] Salm. pag. 91. — [2] Ibid. pag. 88. [3] Pag. 527. C.

pus ; quæ cum scriberet Salmasius, profecto apud se non erat. Est enim non falsum tantum, sed etiam ei contrarium, quod in eadem præfatione non semel docuit[1], episcopos in Ægypto complures esse cœpisse ab Demetrii, et Heraclæ temporibus : certe ante Theodosium juniorem, quo imperante scripsit Sozomenus.

Quinam ergo consentaneum est, presbyteris *unum in tota Ægypto præfuisse adhuc episcopum* Sozomeni ætate, *si in singulis civitatibus, ubi erant ante presbyteri, facti sunt episcopi*, Nicæni saltem concilii tempore, ut diserte Salmasius affirmat[2] ?

III. Non enim excusari sic potest, ut presbyteris per totam Ægyptum unum episcopum præfuisse dixerit, quod omnibus episcopis, quorum in civitatibus erant presbyteri per totam diœcesim, Alexandrinus præerat episcopus. Nam perpetuum id fuit etiam post episcopos plures in Ægypto creatos, ut omnibus non jam ἀμέσως, sed ἐμμέσως præesset, nimirum per episcopos sibi subjectos. At illud, quod ait Salmasius, ad hoc duntaxat tempus pertinet, quo nondum alii, præter Alexandrinum, erant episcopi ; quippe Sozomenum ait scribere, « sua ætate adhuc eos presbyteros, quibus unus in tota Ægypto præesset episcopus, Ecclesias tenuisse proprias. » Quæ vox *adhuc* arguit, non hoc fuisse perpetuum, quod ibi narrat. Et vero jocularis ista foret explicatio falso, insciteque dicti ab Salmasio de presbyteris episcopali jure Ecclesias hactenus administrantibus, si idem post mutatam administrationis formam, ac perpetuo deinceps usurpari posset, presbyteros uni episcopo fuisse subjectos.

Hoc igitur relinquitur, fœdissime sibi contradicere Salmasium in eo quod Ægyptiis presbyteris unum per totam diœcesim episcopum præfuisse scripsit post Heraclam, et Nicæni tempore concilii, imo Sozomeni adhuc ætate. Quin illud etiam imperite, quod Sozomenum de totius Ægypti presbyteris loqui putat, qui, ut Epiphanius, de sola Alexandria sermonem instituit.

IV. Sed præter omnem modum obtusum illud est, et absurdum, quod de Nicæna synodica, pagina eadem intexuit[3]. Id cujusmodi sit, melius intelligetur, ubi quæ de Meletianis ibi constituta sunt, summatim exposuero. Res est enim tum scitu digna, tum haud satis expedita. Scripsere Nicæni concilii Patres, post damnatam Arii hæresim, et fidei, ac disciplinæ ecclesiasticæ ordinata negotia, synodicam epistolam (1) ad Alexandrinam Ecclesiam, ceterosque per Ægyptum, Libyam, et Pentapolim, ut habet inscriptio ; qua certiores illos faciunt de rebus in Synodo gestis, maxime de Meletio, ejusque schismate, quæ res potissimum ad eos pertinebat. De hoc igitur ita se decrevisse Synodus refert, ut Meletius in civitate sua maneat solo episcopi honore contentus, ac functionis episcopalis penitus expers ita, ut nec promovere quemquam, nec ordinare ullibi possit : qui autem ab illo constituti sunt, ac mystica magis manuum impositione confirmati, ea lege communionem acciperent, ut functionis jus haberent illi quidem ; verum secundo omnino loco censerentur in qualibet parœcia, et Ecclesia ab iis, qui sub Alexandro Alexandriæ episcopo, id est in ejus communione, antea erant ordinati. Atque ut illi, qui a Meletio ordinati sunt, nullam potestatem habeant eligendi, quos velint, nec ad promotionem cujusquam nomen suggerendi, nec ullius alterius rei gerendæ, præter voluntatem episcoporum catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, qui sub Alexandro fuerunt. At qui schismatis expertes sese conservarunt, et in Alexandri, ac catholicæ Ecclesiæ communione manserunt, iis pristina omnia jura permitti. Quod si quis eorum, qui in Ecclesia sunt, excesserit, placuisse, ut in mortui gradum succedat ex Meletianis is, qui merito suo, et populi consensione dignus habebitur. Hæc summa est Nicæni decreti de Meletio, et ordinatis ab illo clericis ; cujus ratio nonnihil habet obscuritatis, quam nos brevi enarratione illustrare conabimur.

V. Omnium primo scire convenit,[4] Meletium Lycopolitanum episcopum schismatis auctorem, cum ob quædam delicta a Petro episcopo Alexandrino, qui in Maximini persecutione martyrio est affectus, in ordinem redactus esset, illius auctoritate contempta, pro episcopo se nihilominus perseverasse gerere, ac per Ægyptum et Thebaidem, alienis in diœcesibus episcopos, aliosque clericos ordinasse. Scribit Athanasius in Apologia se-

(1) Syn. Nic. apud Socr. lib. 1. et Theod. lib. 1. cap. 8. Τῇ ἁγίᾳ, καὶ μεγάλῃ χάριτι τοῦ Θεοῦ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ, καὶ τοῖς κατὰ τὴν Αἴγυπτον, καὶ Λιβύην, καὶ Πεντάπολιν ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς, etc.

[1] Salm. Præf. pag. 89. et seq. — [2] Salm. pag. 89. fine. — [3] Salm. pag. 88. — [4] Theodor. ibid.

cunda[1], Alexandrum episcopum Alexandrinum, cum ex Nicænæ synodi præscripto intellexisset, ordinatos a Meletio episcopos, et clericos recipiendos esse, postulasse a Meletio, ut breviculum sibi daret episcoporum, quos in Ægypto constituerat, et presbyterorum, ac diaconorum, quos Alexandriæ, et in agro ejus habebat; ne gradus illos interim accepta pecunia aliis addiceret, dicens, se antea illos ordinasse: deinde subjicit Meletii breviculum, in quo episcopi complures recensentur per provincias consecrati, et presbyteri, ac diaconi pauciores in clero Alexandrino. Cujus etiam indiculi testimonio adversariorum calumniam redarguit, qui Ischyram laicum hominem, et sacrilege sacerdotalem functionem usurpantem, ideoque a Macario reprehensum, et coercitum, dicebant unum ex ordinatis a Meletio presbyteris fuisse. Igitur cum Meletius tum episcopos suæ partis haud paucos in Ægypti civitatibus collocasset, tum clericos Alexandrinæ Ecclesiæ, hoc est in urbe ipsa, et in agris ei contributis; Nicænum concilium statuit, ut Meletius quidem nihil præter nomen, et honorem episcopi sibi vindicaret; nec ullam partem episcopalis functionis attingeret, hoc est ut nec ullum ad ecclesiasticas dignitates, ac gradus eligeret, neque manus imponeret: episcopos vero, et clericos ab eodem in schismate ordinatos permisit in iisdem, ubi erant constituti, locis manere, et functiones suas exercere; verum nihil agere, nisi ex nutu, et arbitrio episcoporum in iisdem urbibus ab Alexandro creatorum. Ita nec episcopis promovere quemquam, vel ordinare licebat, nisi annuentibus aliis episcopis, qui ab Alexandro ordinati antea fuissent; nec presbyteris, aliisque clericis sine facta ab illis potestate munera sua exequi. Porro mortuis catholicæ partis episcopis, ac clericis, in horum locum subrogare fas erat Meletianos illos, si et digni censerentur, et Alexandrinus præsul annueret, ac populus approbaret. Quamobrem duo in eadem civitate aliquanto tempore episcopi fuerunt, sed ita, ut penes unum eorum summa esset auctoritas. Quod exemplo non caret; nam et postea diu in Antiochena Ecclesia idem est factum, et alibi sæpius.

VI. Præterea, cum eadem epistola synodica a Socrate et Theodoreto referatur, animadvertenda est apud utrumque lectionis varietas, quæ sensus nonnullum discrimen facit. Etenim apud Socratem, ubi statuitur, Meletianos secundo loco ab Catholicis censendos esse, ita sententia concipitur: « (1) Secundo prorsus loco haberi post omnes, qui in unaquaque parœcia, et Ecclesia censentur ex iis, qui ab honoratissimo comministro nostro Alexandro antea sunt electi. »

Apud Theodoretum vero ita concipitur, « (2) Qui sub honoratissimo comministro nostro Alexandro antea sunt ordinati. » Si Socratem sequimur, ad solos episcopos decretum illud pertinebit. Nam soli episcopi non modo in Ecclesiis Alexandrinæ civitati contributis, sed etiam per totam Ægyptum, et provincias diœcesis Alexandrinæ, quæ suos habebant præsules, ab Alexandrino episcopo ordinabantur ita, ut metropolitani instar esset totius diœcesis, contra quam in aliis patriarchalibus sedibus usuvenit, ut a plerisque viris doctis observatum est; presbyteri vero, et diaconi ab propriis in unaquaque Ecclesia episcopis creabantur. At Theodoreti lectio non solos episcopos per Ægyptiacum patriarchatum, sed etiam clericos alios complectitur, qui, etsi non ab Alexandrino, sub Alexandrino tamen episcopo creabantur, hoc est sub ejus ditione, et ab ejus partibus stantes. Quam ob causam præferenda mihi videtur hæc Theodoreti lectio, præsertim cum statim similis apud utrumque lectio sequatur: « (3) Aut omnino quidquam faciant, nisi de sententia episcopi catholicæ Ecclesiæ ex iis, qui Alexandro subjecti sunt. » Nec recte apud Epiphanium scholasticum Tripartitæ historiæ concinnatorem ex Theodoreto locus uterque interpretatur sic; prior quidem, *Universorum in singulis parœciis, et Ecclesiis a carissimo comministro nostro Alexandro consecratorum*, quomodo Socrates, non Theodoretus exhibet; posterior vero, *Aut omnino aliquid agere præter voluntatem Ecclesiæ catholicæ præsu-*

(1) SOCRATES ibidem. Δευτέρους δὲ εἶναι ἐξ ἁπάντων πάντων τῶν ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ τε, καὶ ἐκκλησίᾳ ἐξεταζομένων τῶν ὑπὸ τοῦ τιμιωτάτου, καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἀλεξάνδρου προκεχειρισμένων.

(2) THEOD. lib. 1. cap. 8. Τῶν ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ τε, καὶ ἐκκλησίᾳ ἐξεταζομένων ὑπὸ τὸν τιμιώτατον, καὶ συλλειτουργὸν ἡμῶν Ἀλεξάνδρου προκεχειροτονημένων.

(3) SOCR. et TH. ibid. Ἢ ὅλως ποιεῖν τι χωρὶς γνώμης τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου τῶν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου.

[1] Athan. tom. 1. pag. 611.

lis Alexandri. Quæ lectio ab Socratis, et Theodoreti auctoritate discrepat, et perspicue mendosa est. Manifestum est ergo, tam episcopos, quam inferiores clericos illo Nicænæ synodi decreto comprehendi, et pro cujusque gradus conditione ad singulos accommodanda esse, quæ ibi præcipiuntur. Velut inter alia, quod synodica Meletianæ partis adscriptitios jubet in mortui catholici locum substitui, ea tamen lege, « (1) Si populus eos elegerit, condecernente simul, et designante maxime Alexandriæ civitatis episcopo ; » ut latine vertit Epiphanius. Nam et populi electio, et confirmatio ab Alexandrino episcopo repetita, ad episcopatum, non ad presbyteratum referri debet in aliarum civitatum ordinandis clericis.

VII. His animadversis, Leidensis professoris vanissima, et absurdissima de illo loco sententia convincitur, quæ est ejusmodi. Credit *episcopos Ecclesiæ catholicæ, qui Alexandro suberant*, sine quorum sententia, et consensu Meletianæ partis adscriptitii nihil agere possunt, esse cleri Alexandrini presbyteros duodecim, *qui absente episcopo ordinandi potestatem habebant.* Verba Salmasii [1], ut omnes ἀκρισίαν hominis observent, hic adscribam : « Epistola ea scripta est ad Alexandrinam Ecclesiam, quam regebant presbyteri, qui absente episcopo ordinandi potestatem habebant. Ipse Alexander Synodo intererat. Ideo ad ipsum directa non est epistola, sed ad Ecclesiam ipsam Alexandrinam. Ergo illi τῆς καθολικῆς Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐπίσκοποι sub Alexandro, presbyteri intelligendi sunt catholicæ Alexandrinæ Ecclesiæ, qui absente episcopo omnia episcopi munera obibant in consecrandis presbyteris, ac diaconis, aliisque inferioribus ordinibus. » In paucis istis lineis incredibile est, quantum sit nugarum et hallucinationum. Primum quod ait, epistolam synodicam Nicæni concilii scriptam esse ad Alexandrinam Ecclesiam ; *si solam* intellexit, falsissimum est, et ex ipsa ejus inscriptione refellitur, quæ præter Ecclesiam Alexandrinam, illos etiam complectitur, *qui per totam erant Ægyptum, ac Libyam, et Pentapolim.* Quod si ad istos etiam pertinet, vana est conjectoris divinatio. Siquidem episcopi ab Meletio in illis provinciis complures erant ordinati, ut ex ejus indiculo constat, quem utique ab illo Alexander exegit, ut Nicæno decreto morem gerens, quod huic consentaneum erat, exequeretur : hoc est episcopos Meletianos eum locum in omnibus civitatibus, ubi ab Meletio constituti erant, obtinere juberet, quem Synodus præscripserat ; et catholicis episcopis, quos ipsemet Alexander, aut ejus decessores in iisdem urbibus ordinarant, subjiceret.

VIII. Quare non alios catholicæ episcopos Ecclesiæ significat, quam qui in illis extra Alexandriam urbibus ordinati ab Alexandri partibus steterant. Hoc ex breviario Meletii, et Athanasii de eodem narratione, non probabili argumento, sed necessario, et ἀποδεικτικῶ colligitur. Quorsum enim idcirco nomina constitutorum ab Meletio episcoporum exigeret, ne novos aliquos per fraudem et mendacium deinceps inculcaret, quos ante Nicænum decretum a se creatos fingeret, ut ait Athanasius, nisi ut quod Synodus præceperat, in illis exequeretur ? At episcopi in isto breviculo nominati [2], procul Alexandria plerique omnes episcopatum gerebant, velut Lucius in Antinoo, Phasileus Hermopoli ; alii in Thebaide, in Sai, aliisque regionibus haud modico intervallo Alexandria distantibus. Quid ergo cogitari potest ineptius, quam cum de episcopis Meletianis de usurpato per Meletii tyrannidem gradu deponendis agatur in Nicænæ synodi epistola, et cujusmodi fuerint episcopi isti ad unum omnes Athanasius tam aperte, ac diserte declaret, contra tantam auctoritatem asserere, non illos longinquarum Ecclesiarum præsules, sed Alexandrini cleri presbyteros fuisse ? Atqui post episcopos illos, qui numero sunt octo et viginti, quosque extra Alexandriam in Ægypto constitutos dicit Athanasius, Alexandrinæ Ecclesiæ clericos a Meletio ordinatos statim recenset, presbyteros omnino quatuor, diaconos tres, et Macarium presbyterum Paremboles. Hos verisimile est a Meletio tum creatos esse in Alexandrina Ecclesia, cum, (2) Petro in Maximini persecutione fuga dilapso, schismatis auctor ille ordinationes ad Petrum pertinentes interim sibi vindicasset ; ut auctor est Sozomenus.

(1) Ibid. Καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεπιψηφίζοντος αὐτῷ, καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπου.

(2) Sozom. lib. 1. cap. 24. Ὥστε καὶ Πέτρου τοῦ μαρτυρήσαντος, ἡνίκα ἡγεῖτε τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας, φευγόντος διὰ τὸν διωγμὸν, τὰς διαφερούσας αὐτῷ χειροτονίας ὑφήρπασε.

[1] Præf. pag. 88. — [2] Athan. Apol. 2. pag. 612.

IX. Quod autem Alexandrinæ Ecclesiæ presbyteri simplices episcopalem functionem, hoc est ordinationem, neutiquam attigerint, non potest illustriore argumento probari, quam insigni, ac luculento totius Alexandrinæ Ecclesiæ testimonio, imo tam hujus, quam universæ diœcesi Alexandrino patriarchæ subjectæ; quod refert, et videlicet auctoritate sua comprobat Athanasius in Apologia secunda. Nam, cum ab æmulis et calumniatoribus hæreticis in crimen vocatus esset Athanasius [1], quod Macarius presbyter ab eo missus Ischyram presbyterum in Mareote sacra facientem male accepisset, ac mysticum calicem fregisset; episcopi ex omnibus diœcesis Alexandrinæ provinciis, hoc est ex Ægypto, Thebaide, Libya, et Pentapoli Alexandriam convenerunt, ibique synodum fecerunt, ex qua encyclicam epistolam miserunt ad omnes ubique Ecclesiæ catholicæ episcopos: in qua Athanasii causam uberrime propugnarunt, et adversariorum omnes in illum conjectas calumnias diluerunt, præsertim illam, de qua hic agimus, Ischyræ presbytero illatam contumeliam. Hanc vero falsam, confictamque esse demonstrant ex eo, quod neque rem sacram ibi fecerit Ischyras; neque mysticum ullum habuerit poculum, ac ne presbyter quidem fuerit, sed homo laicus. Quod postremum (id enim ad præsentem disputationem facit) hac ratione confirmant, (1) quod non ab episcopo ullo, sed a Collutho, qui tantum presbyter erat, et in eo gradu decessit, ordinatus esset; unde in ordinem redactus est, et pro laico judicatus, et illius omnes ordinationes irritæ sunt factæ.

X. Idem testantur et Mareoticæ provinciæ clerici in relatione ad Curiosum [2], et Philagrium Ægypti præfectum: Ischyram, qui pro presbytero se gessit, (2) nullo modo fuisse presbyterum, quod a Collutho ordinatus esset, qui revera episcopus non erat, sed imaginarius, et falsus. Atqui Colluthus ille unus erat ex Alexandrinis presbyteris, et quidem primariis. Siquidem uni ex Alexandrinæ urbis Ecclesiis, quas *parœcias* vocant, præpositus, curam populi gerebat, et conventus ibi, ac synaxes habebat, ut testis est Epiphanius initio Hæresis 69. Et tamen negant clerici Mareoticæ præfecturæ, vere illum episcopum fuisse, sed specie sola, et imagine; quod idem et de Ario dici potest, quia episcopus certe non fuit, sed presbyter, et ab episcopis in libelli Alexandro oblati subscriptione discernitur. Quid adversus tam evidentem ac tam gravem auctoritatem mutire potest Leidensis professor? An Colluthum dicet ideo presbyterum ordinare non potuisse, quod ab Ecclesia catholica disjunctus, ac potestate omni spoliatus esset? At Meletius multo magis ab Ecclesiæ communione separatus, et exauctoratus erat, cum episcopos, et presbyteros ubique consecraret; ac nihilominus ordinationes illius ratas habuit Nicæna synodus, et reconciliatis illis eumdem gradum, ordinemque reservavit. Cur ergo non idem in ordinatis a Collutho factum est; sed irritæ ordinationes hujus omnes fuerunt, et qui promoti ab eo erant, in laicos rejecti?

(1) ATHAN. tom. 1. pag. 570. Πόθεν οὖν πρεσβύτερος Ἰσχύρας; τινός καταστήσαντος; ἆρα Κολλούθου; τοῦτο γὰρ λοιπόν. Ἀλλ' ὅτι Κόλλουθος πρεσβύτερος ὢν ἐτελεύτησε, etc.

[1] Athan. Apol. 2. pag. 562. Vide to. 3. nostrum lib. 2. de Hier. cap. 10. § 9. et seq.

(2) ATHAN. pag. 616. Ἰσχύρα λέγοντος ἑαυτὸν εἶναι Πρεσβύτερον, ὃς οὐκ ἔστι Πρεσβύτερος. Ὑπὸ γὰρ Κολλούθου πρεσβυτέρου φανταζθέντος Ἐπισκοπήν, etc. κατεσταθη.

[2] Athan. ibid. pag. 616.

CAPUT QUARTUM.

De Hieronymo Blondelli sententia deinceps excutitur. 1. Nihil ab illius auctoritate discrepare sententiam nostram. — 2. Primus ex commentariis in epistolam Pauli ad Titum locus expenditur; quo sensu episcopus et presbyter συνονύμως usurpentur. — 3. Ex quo illius, et Salmasii opinio refutatur; — 4. ac Blondellus præsertim ex positis a se principiis oppugnatur. — 5. Explicatur Hieronymi locus; quomodo presbyteri ad gubernationem Ecclesiæ fuerint adhibiti. — 6. Populi suffragia olim ad clericorum ordinationem adhibita. — 7. Ex quo Blondellus, et Salmasius refelluntur. — 8. Salmasii castigatur error.

I. Redeo ad Blondellum, eruditiorem altero certe, et digniorem, quicum in hac palæstra decertetur. Hujus ex præfatione hactenus capita, et argumenta selegimus aliquot, quibus responderemus; quanquam nihil erat admodum necesse novam hanc operam sumere, cum in superioribus libris de Hierarchia, quod adversus Leidensem professorem disputavimus, ad explicanda pleraque, quæ a Blondello sunt objecta, pertineat. Nunc ad librum ipsum Apologeticum venio, in quo sententiam Hieronymi propugnare velle se profitetur. Hoc contra nos facere nihil ille necesse habuit; non enim summi viri, ac sanctissimi Doctoris ab sensu, et auctoritate discrepamus. Viderint, qui illius mentem secus interpretantur, et ad Aerii sectam immerentem, ac reluctantem trahunt, aut quæ ab illo periculose jactata videntur, non ejus esse germana, sed ab quopiam Aeriano inculcata suspicantur. Nos aliter sentimus, et cujusquemodi sunt ista, præclare cum communi et catholica convenire sententia credimus.

Relegantur capita duo secundi libri de Hierarchia, quartum, et quintum, in quibus Hieronymi loca omnia, quæ ab Salmasio primum, tum a Blondello tractata sunt, accuratius expendimus. Tum ea ponderentur, quæ capite primo libri hujus ad idem argumentum exprompsimus; duo quædam ex illis consequentia esse profecto prudens quisque statuet: alterum, nihil esse causæ, cur Hieronymum, velut nobis adversarium, in controversia ista vereamur, aut sic tanquam in judiciaria sortitione, ab hac lite disceptanda rejiciendum putemus: alterum, doctorem eumdem nulla re, nisi paucorum verborum sono, ac specie quadam, Blondelli, ac Salmasii commento favere; reipsa vero totam amborum fabulam illius auctoritate, ac multo disertioribus verbis, et sententiis elidi, ac labefactari; quod et episcopum a presbytero in eo secernit, quod est præcipuum, et in quo οὐσιώδης χαρακτὴρ situs est, dum ordinandi potestatem episcopo tribuit, negat presbytero, nec citra electionem, sola antiquitatis prærogativa, statim mortuo episcopo substitutum esse proxime sequentem asserit: quæ dici ab illo certe oportuit, ambo ut eum sibi suffragatorem asciscerent. Itaque frustra in vexando Hieronymo laborat gnavus, et industrius, ac meliore dignus causa patronus, et quisquis Hieronymo ob id infensior est, quod *presbyteralium*, ut jam est appellari cœpta, perniciosam sectam præsidio suæ auctoritatis armavit. Non est ita profecto, non est, longeque ab contagione abest ista eruditissimus Doctor; idque tum ex iis liquido constare puto, quæ in superioribus libris de Hierarchia copiose disseruimus; tum ex subjectis aliquanto firmius approbatum iri confido, quæ ad diluendas Blondelli rationes explicabimus.

II. Primum Hieronymi locum arripit Blondellus ex commentario in Apostoli ad Titum epistolam, sub initium, ubi ita scribit [1]: «Idem est ergo presbyter, qui et episcopus.» Quibus ex verbis argumentatur [2], non solam utrique appellationem esse communem, sed rem etiam, et naturam nomini subjectam. Quod nisi ita foret, homonymia duntaxat istic esset, cum synonymia versari debeat. « Atqui longe homonyma a synonymis differre, neque vere eadem esse, de quibus vere eadem sed diversimode dicantur, sed eadem secundum dici, non secundum esse, nemo nescit.»

Verum hac ipsa voce sua, et præscriptione convincatur necesse est cum Salmasio Blondellus, et invitus licet in contrariam sententiam cogatur concedere. Sit enim *presbyteri*, aut *episcopi* vocabulum non ὁμωνύμως, sed συνωνύμως commune simplici presbytero, et episcopo proprie dicto, sive primo ordini, et secundo; certe non ex eo sequetur, prorsus idem

[1] Hier. in ep. ad Tit. to. 3. col. 104. A.

[2] Blond. pag. 3. Obser. 1.

utrumque fuisse; sed in uno aliquo communi, non tamen eodem penitus, et individuo convenisse. Hæc enim τῶν συνωνύμων propria conditio est, et essentia, quæ sic ab Aristotele definiuntur, ut sint *ea, quorum et nomen est commune, et ratio nomini respondens eadem.* Eadem porro ratio est intelligenda non *adæquate*, ut in Scholis loquuntur, ita ut nulla intersit differentia, sed secundum id, quod vocabulo significatur. Etenim *animal*, exempli gratia, συνωνύμως de homine et equo dicitur; ratio nomini subjecta, hoc est *substantia corporea sentiens*, communiter ambobus convenit, et idem genere esse dicuntur; non absolute tamen, et adæquate unam, et eamdem naturam obtinent, sed sua, et propria cuique differentia constitutam, atque distinctam. Nam si nihil interesset, non *synonyma* essent, sed *polyonyma;* quæ *homonymis* ex adverso respondent. Sunt enim homonyma, quæ nomen habent commune, sed rationem nominis prorsus habent diversam, ut homo verus et pictus; at polyonyma, quæ sub nominibus diversis eamdem prorsus habent essentiam, ut ἄορ, ξίφος, σπάθη, ait Ammonius ad librum Categoriarum, hoc est *gladius, ensis, et spatha.*

III. Igitur quærendum est, an qui episcopum dici ab Hieronymo putant unum, et idem esse, vel eumdem ordinem, συνωνύμως idem esse velint, an πολυωνύμως. Si prius eligant, nihil aliud ex eo consequentur, nisi in una re aliqua, vel generica ratione convenisse, cum interim peculiari a se mutuo, propriaque conditione distarent; quam sane non dissimulavit Hieronymus. Igitur primo illo seculo, quo promiscuas appellationes illas fuisse volunt, in eo conveniebant presbyteri et episcopi, quod Ecclesiæ præsides et consilii, ac regiminis participes erant, cum interim in eo distarent, quod qui episcopi κατ' ἐξοχὴν dicebantur, id est primi ordinis sacerdotes, jus haberent ordinandi; quo simplices, et secundo in gradu collocati carebant. Ita constabat illis ἡ συνωνυμία; quam si ejusmodi constituunt, nihil ut omnino discriminis interfuerit, non jam συνωνυμία erit, sed πολυωνυμία; et eodem modo presbyter, et episcopus de uno aliquo et singulari ordine dicentur, quo λώπη et ἐσθὴς, id est *vestis*, et *indumentum;* vel *ensis*, et *gladius;* illa de uno, et eodem prorsus corporis tegumento, hæc, de eodem, et nulla re discrepante teli genere usurpari solent. Hoc autem ne illi ipsi quidem dicere audebunt. Quanquam Leidensis Trapezita, ut est eorum quæ scribit neque peritus admodum, neque curiosus, modo unum, modo aliud affirmat; neque pensi multum habet quod dicat, dummodo non taceat. Verum Blondello in palæstra hac exercitatiori non licet posteriore hoc uti, ut presbyteri, et episcopi nomina rem eamdem significasse velit Hieronymum, nulla proprietate, ac conditione diversam; et tamen nisi hoc affirmet, nihil omnino contra catholicam causam pro nupero, quod propugnat, commento proficiet.

IV. Quod non eumdem penitus ordinem fuisse nulla propria conditione distinctum, ac vocibus illis duabus expressum, asseverare possit, fit ex eo perspicuum, quod magnum ipsemet discrimen statuit ordinum, et graduum, qui duplici appellatione ista continebantur. Quippe tametsi principio administratam ab collegio presbyterorum Ecclesiam fuisse sentiat; nihilominus [1] unum aliquem primatem, et ἔξαρχον, id est principem collegii, ac præpositum extitisse docet, « qui primæ cathedræ, præsidialisque potestatis jus obtineret. » Erat ergo tum βαθμῷ, id est *gradu* potior, ac superior; nec idem prorsus ambo illi fuerunt presbyteri, et qui summum inter eos principatum tenebat. Eadem Leidensis professoris aliquando est opinio. Dixi aliquando: nam alias aliter existimat, nec decretis se suis teneri, et adstringi, æquum esse putat. Quare contraria nonnunquam pagina eadem asserit: ut in primo de Hierarchia, quod ad præsens argumentum spectat, ostendimus, undecimo capite.

Sed hoc valere jusso, videat Blondellus, quinam ex Hieronymo probare possit, unum et singularem ordinem fuisse apostolico illo seculo; nec ullum in presbyterorum collegio fuisse discrimen, ubi primatem, et principem, id est ἔξαρχον, e numero agnoscit unum, penes quem primaria esset auctoritas, et per quem singularium in unaquaque Ecclesia præsidum propagata successio decurreret; et, quod caput est, qui proprium, et excellens jus haberet ordinandi, hoc est consecrandi utriusque illius gradus, imo omnium ecclesiasticorum, clericos: quod collegio presbyterorum simplicium plane negatum fuisse, tum Hieronymus affirmavit ipse, tum omnis ecclesiastica vetustas exemplis peræque ac dictis approbavit. Nam, quod Hieronymus ait in epistola ad Evagrium, quæ est 85. « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presby-

[1] Blond. in præf. pag. 6.

ter non faciat? « quibus verbis indicat, ordinationis jus soli episcopo concessum fuisse, non ordinis secundi presbytero; illa, inquam, Hieronymi sententia non solum ad ipsius ætatem referenda est, ut Salmasius et Bondellus arbitrantur, sed ad anteriora, et apostolica tempora; ut paulo post ostendam. Quare perennis ex antiquo, et perpetua, utpote divino jure constituta, fuit ordinis utriusque distinctio, cujus præcipua ratio in ordinandi potestate consistit. Qua manente, quantumvis externa Ecclesiæ gubernatio cum presbyterorum collegio communicata fuerit, integra nihilominus ambarum differentia perseverat.

V. Quod igitur Hieronymus commentario in epistolam ad Titum docuit, « Episcopos magis ex Ecclesiæ consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere, » non de eo capiendum est, quod est ordinis episcopalis οὐσιῶδες, et divino jure constitutum, ut sæpe diximus, et agnoscit Hieronymus, quod non longe post evidenti ratiocinatione demonstrabimus; verum de sola ecclesiasticarum rerum administratione, quam ex consuetudine cum presbyteris communiter gerebant præsides, et presbyterorum ἔξαρχοι, id est episcopi κατ' ἐξοχὴν ita nominati, vel ipsomet assentiente Salmasio. Quamvis enim episcopalem ordinem in locum apostolorum subrogandum Christus instituerit, et inter hos summum, ac ceterorum caput, Petri successorem Pontificem; atque eidem ordini singularem in presbyteros, ac totum adeo corpus subjectarum sibi Ecclesiarum potestatem et auctoritatem attribuerit; (nimirum in particulares Ecclesias, episcopis; in universum systema omnium Ecclesiarum, Romano Pontifici;) non tamen juris istius, ac potestatis usum, et, ut vulgo nuncupant, *praxim*, sic ad illos alligavit et adstrinxit, ut non liceret ipsis cum toto communicare collegio, et consilii, ac deliberationis, gubernationisque socios, et participes illos facere. Nam et princeps omnium apostolorum Petrus[1], cum de maximi momenti re, nempe de apostolo uno ex duodecim sortiendo in Judæ proditoris locum ageretur, ad eam consultationem non solum apostolos ceteros, sed etiam universalem Ecclesiam adhibuit; et postea [2], cum de novo ordine diaconorum in usum introducendo deliberatum est, de eo retulit ad multitudinem discipulorum, id est fidelium. Neque tamen id utrobique, sed et alias sæpius factum, ut ex Pauli epistolis constat, ita præfracte trahi debet in exemplum, ut ex eo concludatur, Ecclesiæ gubernationem, et ad eam pertinentium rerum, communiter a populo perinde, atque a presbyteris cum episcopo tractari debere.

VI. Fuerit igitur olim in Ecclesia administranda consuetudo talis, ut de presbyterorum consilio nihil non ageret episcopus; non est ex eo consequens, nihil inter ambos ordines fuisse discriminis: quemadmodum minime sequitur, nullam inter episcopos, vel clericos omnes, et plebem Christianam, ordinis differentiam extitisse, quod in ordinandis clericis majoribus, ac minoribus, populi totius consensus ac judicium intercesserit.

Cyprianus in epistola 33. quam ad presbyteros et diaconos, ac plebem universam scribit, in omnium clericorum ordinationibus etiam popularis se suffragii rationem habuisse testatur: « In omnibus, *inquit*, ordinationibus clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, et mores, ac merita singulorum communi consilio ponderare. » Agit autem illa in epistola de ordinatione Aurelii lectoris, de quo ideo se ait non exspectasse tam clericorum quam populi Carthaginensis suffragia, uti consueverat, quod divina jam de eo præcesserant. Hunc ergo « a se, et a collegis, qui præsentes aderant, ordinatum esse » refert, ut et epistola sequente de Celerino idem renuntiat clero populoque.

Quinetiam Epistola 68. traditionis id esse divinæ ait, et apostolicæ observationis, ut plebe præsente, et videlicet assentiente, deligatur episcopus. « Propter quod, *inquit*, diligenter de traditione divina, et apostolica observatione observandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit. » Quæ consuetudo eligendorum episcoporum cleri et populi suffragio perdiu in utraque Ecclesia, orientali et occidentali, et in hac potissimum, observata est: ut alibi adnotavimus, et ex synodalibus decretis, ac veterum testimoniis perspicue constat.

[1] Act. 1.

[2] Act. 6.

VII. Hujus ecclesiastici ritus non otiosa, nec inutilis hoc loco commemoratio est. Valet enim ad infringendam vim argumentationis illius, qua Salmasius, et Blondellus maxime id, quod volunt, effici putant, unum et eumdem ex instituto Christi ordinem esse presbyteratum simplicem, et episcopatum. Hoc enim objiciunt, primis Ecclesiæ temporibus, et apostolico seculo, tum eosdem utraque et ordinatione, et functione præditos fuisse; tum ab ambobus in commune administratam Ecclesiam, nihilque per se solos episcopos gessisse. Quod etsi minime probant, tamen ut illis concedatur, nihilo firmius eorum ratio consistet. Etenim, si quid ratiocinatione ista conficiunt, non minus necessario sequetur, quod ex Cypriano colligi contendat quispiam: ordinationes (quæ præcipua pars est ecclesiasticæ gubernationis) ad plebis arbitrium dirigendas, ac nullum vel episcopum, vel alium quemlibet clericum rite prætermisso hoc eligi; quod ex divina traditione, et apostolica observatione manasse, gravissimus auctor, ac sanctissimus martyr affirmat.

At istud consectarium nemo nisi demens, et ineptus admittet; aut vero divino jure fixum, ac sancitum inde esse pugnabit, quod ab ortu Christianismi observatum istud esse constiterit. Addam illud insuper, quod majus, et efficacius videri posset: quamvis hoc certo probaretur, Christum ipsum apostolis jussisse, ut in eligendis et ordinandis clericis, populi ratio duceretur, ut sine assensu illius nemo dignitatem istam caperet; tamen ex usu consequentis temporis, et Ecclesiæ more, ac judicio, etiam hodiernæ, ita illud interpretandum fore, ut divina illa traditio, divinumque jus sic ab initio constitutum fuerit, non ut perpetuum esset, et immutabile, sed ut certo duntaxat tempore observandi necessitatem afferret. Perspicuum enim illud est, non omnia, quæ Deus in veteri lege, aut Christus in nova per sese nominatim facienda præscripsit, juris, ususque fuisse perpetui; sed ea duntaxat, quæ ad fidem, et Sacramentorum, ut vocant, substantiam, vel naturalem ac per se immutabilem officiorum regulam, disciplinamque spectant. Cujus rei discrimen, ac disceptatio non privati cujusvis hominis arbitrio, sed Ecclesiæ, quæ errare non potest, et fida est ac certa divinorum mandatorum interpres, judicio decretoque constituitur.

Sic ille celebrandæ, ac participandæ Eucharistiæ mos cœna quotidiana functis, ac post cibum, et ab Christi profectus exemplo, et a Christianis aliquandiu servatus, paulatim exolevit, et in crimen etiam ac nefas transiit.

VIII. De qua consuetudine Leidensis Trapezitæ castiganda temeritas est, qui in epistola quadam homine indigna sobrio, quam sub Simplicii Verini nomine contra Hugonem Grotium post ejus mortem edidit [1], ritum hunc ab jejunis participandæ Eucharistiæ reprehendit: « Et mirari, *inquit*, libet, unde ista superstitio incesserit animis hominum sine ratione ulla, ac fundamento, contra institutionem ipsius Christi. An sapientiores Christo esse voluerunt? Num si credidisset Christus corporis sui et sanguinis Sacramentum indigne a pransis, ac cœnatis sumi, non potuisset ante cœnam id instituere, ut fecit post cœnam, vel in cœna? » Tum alia quædam inepta, et infanda suo more blaterat teterrima colluvione verborum ἐωλοκρασίαν καταχέων. Ad quam eluendam, et quod jam instituimus prosequendum, Augustini locum adscribam, ubi de ritu illo per totam Ecclesiam recepto ita loquitur in epistola 118. capite 6. « Liquido apparet, *inquit*, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum universæ Ecclesiæ, (quod diaboli proprium imitatur, qui ex parte ejus est *Verrinus*, dæmonis cognominus, qui in historia Massiliensis cujusdam magi ante aliquot annos edita celebris habetur,) quod a jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim, quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent; aut, sicut faciebant, quos Apostolus arguit et emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus, et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur; ut apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset. »

IX. Hæc satis sunt ad retundendam Severini loquacitatem, contra quam alias plura dice-

[1] Simpl. Ver. pag. 240.

mus. Quod autem in præsentiarum agitur, indidem efflorescit : quædam ab ipsomet usurpata esse Christo, et ab apostolis tradita, tum etiam ab Christianis aliquanto servata tempore, quæ postmodum Ecclesiæ auctoritate mutata sunt; cujus est, ut paulo ante dixi discernere, quænam ad tempus observanda, quæ in perpetuum valitura Christus per apostolos suos instituerit. Atque hujus generis esse potest, quod de ordinatione clericorum, et electione populari consensione facienda, deque cetera gubernatione Ecclesiæ non ab solo episcopo tractanda, Hieronymus, aliique veteres vel aperte docent, vel utcumque significant.

Ex his Blondelli syllogisticæ ratiocinationi facile est occurrere, qui apostolos in ea fuisse sententia, ut eumdem ordinem esse crederent episcopatum, et presbyteratum simplicem, quinque syllogismis probare contendit[1]. Quorum vis omnis et summa his fere comprehenditur, quæ hucusque disputavimus, quod apostolus eadem presbyteris præscribit, quæ episcopis; quod utrosque Spiritus sanctus pascere voluit gregem, Ecclesiam Dei regere[2], et alia id genus obire, quæ sunt episcopalis ordinis propria. Contra quæ omnia unum illud opponimus: ordinandi jus, et potestatem excipi ab illo ipso, quo præcipue auctore se venditant, Hieronymo; hanc nunquam attigisse dici ab eo simplices presbyteros, hoc est eos, qui non simul et primi ordinis essent, sive proprie nominati episcopi: quæ omnia superiore libro, et hoc ipso cumultate disseruimus.

CAPUT QUINTUM.

1. Locus alter Hieronymi ex epistola ad Evagrium exponitur. — 2. Diluitur Blondelli objectio. De vocabulo diaconi. — 3. Ex Hieronymi duobus locis Blondelli et Salmasii opinio discutitur.

I. Alter locus Hieronymi est in epistola 85. ad Evagrium. Ibi quemdam refellit, qui diaconos presbyteris anteferre non dubitabat. Hunc Falcidium nominat auctor Quæstionum utriusque Testamenti, qui in appendice tomi quarti operum Augustini solet excudi, quæstione centesima prima, ubi de ea re copiose disserit[3]. « Audio quemdam (verba sunt Hieronymi) in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est episcopis anteferret. » Ac postquam aliquot Scripturæ testimoniis ostendit, presbyteros eosdem esse cum episcopis, verba ista subjungit ad idem confirmandum : « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? »

Ad hunc vero locum multa disputat Blondellus, et hoc potissimum : Non videri consentaneum Hieronymo, dicere solum nomen habuisse cum episcopo commune presbyterum, nempe ut episcopus vocaretur; alioquin ineptam fore illius argumentationem. Etenim Falcidium illum, qui diaconos anteferebat presbyteris, ex eo falso, ac ridicule sentire probat, quod si presbyteris anteponendi sunt diaconi, anteponentur etiam episcopis, quoniam iidem sunt presbyteri et episcopi. Atqui si ob solius nominis communitatem iidem isti sunt, quod scilicet utrique nominantur episcopi; cum etiam diaconorum vocabulum episcopis interdum tribuatur, eodem jure refelli poterit Hieronymus, qui dicit presbyteros esse præferendos diaconis : objici enim poterit, si id verum est, certe presbyteros episcopis anteponi, quoniam et hi diaconi nuncupantur.

II. Verum perfacilis est ad ista responsio. Nam alia duarum vocum istarum ratio est, diaconi, et episcopi. Siquidem diaconus alias, idque passim, non proprie, sed appellative sumitur, et tunc fere aliud nomen in gignendi casu huic adjungitur : ut cum Apostolus[4] Christum vocat διάκονον τῆς περιτομῆς, *ministrum circumcisionis;* et principem[5], διάκονον Θεοῦ, *ministrum Dei :* et apostolos[6], *ministros novi*

[1] Blond. Apol. p. 4. — [2] Act. 20. — [3] To. 4. Aug. p. 450.

[4] Rom. 15. — [5] Rom. 13. 4. — [6] 2 Cor. 3. 6.

Testamenti, διακόνους καινῆς διαθήκης; tum Epaphroditum διάκονον τοῦ Χριστοῦ, *ministrum Christi:* quæ adjecta nomina vel personæ sunt, cui ministratur, vel functionis ipsius. Ita facile in istis agnoscimus, laxiorem et appellativam esse ministerii significationem. At episcopi et presbyteri nomina genus aliquod officii, gradus, ac dignitatis indicant, et sola, nulloque addito usurpantur alio. Et quamvis aliquando utroque vocabulo ordo uterque sit appellatus, primus ac secundus; tamen post primum seculum distingui cœperunt, ut Salmasius et Blondellus asserunt, quando præpositus e collegio assumptus est aliquis, qui gradu ac dignitate ceteros anteiret, ut habet illorum fabula.

Sic imbecilla est altera Blondelli argumentatio [1]. « Quorum eædem functiones sunt, hæc eadem sunt inter se. Episcopatus et presbyterii eædem sunt functiones, pascere, superintendere, vigilare, etc. Ergo episcopatus et presbyterium eadem sunt inter se. » Hanc ratiocinationem conturbat Hieronymi locus ille, ad quem ita disputat, cum ait, *ordinatione* distare episcopum a presbytero; ex quo sequitur, non eamdem utriusque functionem in omnibus esse, uti neque aut *characterem*, aut *essentiam*.

III. Ut autem præsidium omne illis amputetur, quod ex Hieronymi auctoritate præ ceteris capere se putant, et crebrius ac̄ vehementius intentare solent; age ex illis ipsis locis, quibus maxime nituntur, ostendamus, duos ab sanctissimo Doctore, ac distinctos ordines esse constitutos, episcopatum, et presbyteratum, tametsi ad ecclesiasticas res in commune gerendas ambo initio fuerint adhibiti. Ordines appello, cujusmodi in catholica censentur Ecclesia; hoc est, non functiones simplices, aut dignitates gradusve, sed Sacramento, et charactere consignatos, quorum est affectio dispar, nec eadem potestas : ut in primo de Hierarchia libro, capite quarto fusius exposuimus.

Hieronymus in commentario ad Pauli epistolam ad Titum, ubi ex apostolicis Scripturis probat eumdem esse presbyterum cum episcopo, inter alia testimonia illud affert, quod initio epistolæ ad Philippenses, Paulus et Timotheus salutem dicunt *omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis, et diaconis*, neque presbyteros nominant; unde colligit Hieronymus, episcoporum nomine significari presbyteros, ac sic argumentatur : « Philippi una est urbs Macedoniæ; et certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore quos et presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis, quasi de presbyteris est locutus. » Ex iis verbis manifeste demonstrari potest, Hieronymum existimasse, presbyteros et episcopos non unum et eumdem ordinem fuisse, etiam apostolico illo seculo. Nam si hoc putasset, non dixisset, plures in eadem civitate episcopos esse non potuisse, cum essent utique plures presbyteri. Ac profecto ridicule argumentatus esset, si ex eo, quod postea factum est, et tunc nondum fiebat, ut unus duntaxat in una civitate esset episcopus, probare vellet Apostolum de veris episcopis ibi non loqui: facile enim occurrisset illi, et veros illic episcopos commemorari, et plures tamen in una civitate residere; quod nondum institutum esset, unum tantummodo in Ecclesia qualibet ordinari episcopum.

IV. Jam si quis illa Hieronymi verba sic intelligenda esse pugnet; cum ait, *in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopos tunc esse non potuisse :* ut sit iste sensus, plures episcopos, cujusmodi eo, quo scribebat Hieronymus, tempore nuncupabantur, cum jam, ut a presbyteris distincti, ita singulares erant in quaque civitate, primo illo seculo nondum fuisse : si quis, inquam, explicare sic Hieronymi verba voluerit, non minus refelletur; primum, quod et veri tunc erant episcopi, ut Blondello ac Salmasio videtur; nec minus, quam fuere postea, cum ex collegio sunt electi; et episcopi nuncupabantur, uti et posteriores illi. Quare otiose illud addidisset Hieronymus, *ut nuncupantur*. Deinde cum viveret, et illa scriberet Hieronymus, eumdem ordinem fuisse presbyteratum, et episcopatum, ex illius mente Blondellus arbitratur. Ergo quod adjecit, *nuncupantur*, nullam in οὐσιώδει, ut ita dixerim, *identitate* mutationem factam significare debet; sed prorsus eodem modo, quo apostolorum tempore et nomen ipsum, et res nomini subjecta utrique communis fuit.

Atque hinc etiam, hoc est ex altero Hieronymi loco epistola 85. ad Evagrium, manifesti erroris arguitur Blondelli, ac Salmasii, et nostra confirmatur opinio; non hanc Hieronymi fuisse sententiam, quam illi cupiunt, eumdem prorsus ordinem fuisse presbyteratum et episcopatum. Siquidem post commemoratam presbyterii dotem, ejusque gradum episcopali exæquatum, statim ista subjecit,

[1] Pag. 7.

quæ ad superiorum castigationem et accuratiorem intelligentiam spectant : *Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* Igitur tunc etiam, cum unum esse videbantur et idem, ordinandi potestate distabant; quod ad οὐσιώδες discrimen sufficere hactenus ostendimus.

Neque vero, quod supra meminimus, ex illis Hieronymi locis proprium Salmasianæ commentum opinionis, quod et Blondellus amplecti voluit, approbari potest: nempe sola ætatis, initiationisque prærogativa presbyteros ad collegii præpositurum assumptos fuisse; idque sine electione factum esse, non solum tacente, sed reclamante quoque, contradicenteque Hieronymo. Quare nullum habent istius auctorem, vindicemque fabulæ, quam tamen assidue, ac nimis constanter inculcant.

CAPUT SEXTUM.

Expenduntur veterum testimonia, quæ ad opinionem suam approbandam Blondellus accumulavit. 1. Frustra Hieronymi ab eo susceptam apologiam ; quem quidem in eo ipso, quo utitur, testimonio falsitatis accusat; quod ejus opinioni contradicat. — 2. De turba testium, quos idem Blondellus citat, generatim disseritur; ac primum ostenditur, nihil illos eorum affirmare, quæ Salmasius, et Blondellus commenti sunt. — 3. Rediguntur illa testimonia ad summam quamdam, quæ nihil illos adjuvet. — 5. Argumentis aliis ostenditur, nihil ad sublevandam Salmasii, et Blondelli fabulam testimonia ista prodesse.

I. Quantum ex antecedente hucusque perducta disputatione constare arbitror, neque *Protestantium presbyteralium* causa prudenti cuiquam, ac vetustatis intelligenti probare se potest; nec Hieronymum fautorem jure adscribit sibi ; neque porro sanctissimus hic Doctor apologia, sed interpretatione opus habuit: quam nos certam, et consentaneam disertis illius ex verbis, ac tota oratione confecimus. Non fuit ergo tanti, ut vir eruditus apologiam pro sententia Hieronymi elaboraret; quod titulo tenus ostendit, reipsa vero minime perfecit. Imo vero statim initio valere illum jussit, et contra se testimonium dicenti ψευδομαρτυρίας litem intentavit. Ecquid amabo inter nos, hoc est me, et Salmasium, cum hujus pessimi præsultoris hyporcheta litis, ac controversiæ fuit? Nonne posita omnis est in duplici illo capite, quod et in tribus superioribus de Hierarchia libris, et in hoc ipso constanter objecimus : alterum, an episcopatus a presbyteratu simplici, ordinandi jure, ac potestate differret : alterum, an sine electione, propter solam antiquitatis prærogativam, in mortui locum antistitis, id est episcopi, proximus quisque de presbyterorum collegio succederet? Utrumque illi ambo Salmasius, et Blondellus affirmant, negante me, ac fundum auctoremque commenti istius perseverante petere. Quid tricamur tamdiu? Unum ex omni antiquitate producant, qui hoc perspicue dicat, quod illi maxime cupiunt. Hieronymum ecce nobis proferunt, quasi *presbyteralium* partium antesignanum, ac ducem. At ille istis ipsis in locis, quæ ex eo colligunt, duo totidem illis contraria plena voce testatur. In epistola ad Evagrium, quæ est 85. *ordinationem* soli excipit episcopo, adimit presbytero; et hoc uno differre ambos asserit. Rursus in eadem epistola, « Alexandriæ a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium, presbyteri, *inquit*, semper unum ex se ELECTUM in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant. » In utroque falsum esse presbyteralium patroni dicunt Hieronymum. Hoccine est apologiam Hieronymi scribere, an accusationem potius? Desinant auctore illo gloriari, et alterum asciscant sibi, si quem habent; quod hactenus non sunt assecuti.

II. Transeamus modo ad illam antiquorum Patrum turbam, quos advocatos non Hieronymi sententiæ, ut ambo illi prædicant, maxime Blondellus, sed commenti ac fabulæ suæ hic posterior adscivit. Qui quidem nihilo magis, quam Hieronymus, auctoritatem suam ad novitiam hanc fabulam accommodant. Perspicuum illud est, vel ut deinceps taceam, ex tot adversus eam disputationibus nostris; et si quid inest Patrum illorum dictis, quod ambiguitatem aliquam faciat, explicari ex iis posse confido, quæ tam copiose, ac diligenter

exposui. Verum ut hoc melius, si particulatim declaratum sit, intelligatur, duplici ratione tot illis contra nos allatis Patrum testimoniis occurram. Primum generatim disputabo de omnibus; nihilque positum in illis momenti adversariæ esse causæ palam faciam; deinde ad singula, quæ quidem non attigi, (nam pleraque jam explicata sunt,) respondere conabor.

Ex iis, quæ universe scribere habeo contra tot Hieronymi suffragatores, ut putat Blondellus, primum hoc et præcipuum est, quod proxime ante proposui : neminem illorum esse, qui duo ista, in quibus controversia posita est omnis, asseveret; nimirum episcopos in unaquaque Ecclesia non singulares extitisse, qui tametsi presbyteri nomine nonnunquam appellarentur, peculiari tamen ratione, et eo jure, quo qui optimo, nomen episcopi meruerint; tum eosdem illos, quos προεστώτων, ac *præsidentium* vocabulo Blondellus affectos esse fatetur, sola ordinationis antiquitate, ac prærogativa, summum gradum *præsidatus*, hoc est προστασίας, et ἐπισκοπῆς, assecutos esse, citra vel electionem, vel sanctiorem et μυστικωτέραν *ordinationem* supremæ illi dignitati congruentem. Quanquam ὁ μυστηρικὸς Corocotta nescio quid ἐγρύλλιξε, καὶ ἐκοΐξε de μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ, quod ὑηνίαν sapit; nec est responsione dignum. Cum igitur duo illa nemo ex antiquis ab viro docto in medium allatis littera ulla significet; quid est, quod inutilem tot testium copiam alia omnia, quam quod necesse fuit, astruentem moremur, aut vero reformidemus? Sane, ut est in antiquitatis lectione subactus, ac detritus; si quid de προστασίᾳ, et ἐπισκοπῇ citra electionem adepta, solo jure προχειροτονίας invenisset liquidi ac diserti, quod divinatione non esset adjuvandum, non illud omisisset. Hoc quia nusquam reperit, vaticinari et ariolari coactus est; quod prudens illi nemo permiserit.

III. Deinde nihil Patres isti fere aliud affirmant, nisi quod nos ultro concedimus, et vero sæpius repetimus : Presbyteri nomen initio duobus primis ordinibus commune fuisse, ut et episcopi; quanquam presbyteri diutius, quam episcopi, promiscuus usus extitit, et communis ambobus. Sed nihil hoc ad causam facit. Senatus ecclesiasticus ex antiquioribus, et honoratioribus constabat. Ii erant presbyteri, et cum his, qui inter eos eminebat, episcopus. Nam una est amborum ordinatio, quatenus sacerdotes sunt. « Episcopi et presbyteri una ordinatio est, ait Ambrosio inscriptus commentarius in priorem ad Timotheum [1], uterque enim sacerdos est. Sed episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter sit, non omnis presbyter episcopus. Hic enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est. Denique *Timotheum presbyterum ordinatum* significat. « Sed quia ante se alterum non habebat, episcopus erat. Unde et quemadmodum episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem. Nemo enim tribuit, quod non accepit. » Hic locus summam propemodum omnium complectitur, quæ testes illi a Blondello laudati referunt, nimirum unum ordinem esse presbyteri et episcopi, quatenus uterque sacerdos est, et sacrificandi functionem exercet; tum episcopum in collegio seniorum, id est *presbyterorum*, ac senatu ecclesiastico principem fuisse. Et ut intelligas, nihilominus a presbytero esse distinctum episcopum, negat presbytero licuisse, aut hunc vero potuisse episcopum ordinare. Siquidem verba ista, *Nemo tribuit quod non accepit*, eam vim habent, ut non solum nefas fuisse presbytero ordinare doceant episcopum; sed ejus rei faciendæ omni penitus potestate caruisse.

Quin idem paulo post significat, ab eo tempore, quo Paulus ad Timotheum scribebat, « Unum in civitate episcopum fuisse, cum septem diaconis esse oporteret, et aliquantos presbyteros, ut bini sint per Ecclesias. »

IV. Præterea, uti capite primo libri hujus ostendimus, Blondellus cum Leidensi professore de presbyteris opinatur sic : non ita presbyterorum collegium ad Ecclesiam gubernandam institutum fuisse, ut non aliquis collegii primas esset, ac princeps. Nam fuisse censet, et quidem ad hunc modum, ut primis centum ac triginta sex annis non eligeretur, sed jure antiquitatis primatum obtineret; post annum vero 136. primatum istud electione sortiretur : et plerasque omnes honoris, potestatisque prærogativas *cleri capitibus* istis (sic enim vocat) attribuit. Quamobrem quid est, quod ex illorum testimoniis veterum, quos citat, contra nostram, et catholicam sententiam potest exculpere, quod ipsius commentum sublevet? ac si quid obest causæ nostræ, non illius perinde labefactet, evertatque sententiam? Etenim id antiquorum præsertim dicta præ se ferunt, interpretante Blondello; et hoc illorum ex testimoniis auferre studet, presbyteros et episcopos diversis

[1] Tom. 3. Ambr. col. 557. F.

vocabulis ejusdem ordinis Ecclesiæ præpositos fuisse nominatos. Item rerum ecclesiasticarum administrationem penes totum collegium fuisse, nec unius arbitrio tractatas illas, atque confectas.

Hæc, et similia istis alia auctores illi, quorum suffragia corrogat Blondellus, asseverant; quæ nec ipsius causam sublevant, nec incommodant nostræ. Nam nec ex illis adstruere potest, quod proprium habet in opinione sua: et quidquid pro se respondebit, si adversus illum, quem constituit, primatum, et πρωτοκαθεδρίαν, illa eadem opponantur loca; non minus erit nobis usui ad defendendum in qualicumque illorum æqualitate præsidum, et episcoporum antecellentem dignitatis, et potestatis gradum.

V. Adde jam cetera, quæ pro communi, et catholico dogmate tum ex iisdem scriptoribus, tum aliunde firmamenta produximus. In quo mirum illud potest videri, cum tam diserte testium illorum complures episcopatum a presbyteratu simplici diversum agnoverint, cum in plerisque civitatum ecclesiis episcoporum successionem accurate descripserint, ut Irenæus, Tertullianus, Eusebius, aliique non pauci; cum singularium præpositorum, hoc est episcoporum, proprias, et diversas ab reliquis functiones adnotarint, maxime in ordinandis clericis; cum dubitari non possit, quin posterioribus seculis, in quæ plurimorum, quos citant, testium ætas incurrit, prorsus, ut hodie sunt, episcopi peculiarem, et a presbyteratu simplici discrepantem gradum obtinuerint: mirum, inquam, istud est, doctum hominem talium auctorum ambiguis, obscurisque verbis, et sententiis putasse illud improbare se posse, quod apertis, expressisque dictis suis iidem illi posteris testatum reliquerint.

VI. Quo in genere magnopere illud observandum est, ex quo omnis adversantium conatus infringitur; quoniam inferiorum ætatum auctores a Blondello in testimonium adducuntur, qui, cum talia scriptis proderent, quæ suæ utilia, nostræ adversaria opinioni judicat, episcopos esse noverant, et vero præ oculis habebant, ejusdem, cujus hodie sunt, instituti, atque formæ, invictum adversus illum argumentum in hunc modum confici posse. Cum testimonia illa recentiorum auctorum, qui tum scripserunt, cum episcopatus et presbyteratus ejusdem, cujus est modo, rationis esset, idem asserant, ac prædicent, quod antiquiora illa, quæ tum edita sunt, cum unus ex Blondelli opinione adhuc ordo esset amborum: ut posterioris ætatis scriptores, cum talia dicerent, quæ Blondellus favere sibi putat, neutiquam usitatum tempore suo episcopi, ac presbyteri discrimen oppugnare voluerunt, nec ei contraria dici a se crediderunt; ita vetustiorum testimonia eodem nobis jure sic interpretari licere, ut ab communi ordinum illorum usu non abhorreant, sed cum recepta presbyterorum, et episcoporum differentia consistant. Quod quidem de iis maxime Patribus sine controversia verum est, qui ab quarto seculo deinceps floruerunt; nempe postquam Aerius ob hanc unam causam hæreticus judicatus est, quod episcopum exæquaret presbytero, ut Epiphanius [1], et Augustinus [2] affirmant.

VII. Ex quo aliud præterea contra Blondellum argumentum exoritur, quod nonnullos ex antiquis prætermiserit, qui manifeste opinioni refragantur suæ, communemque confirmant. Tum vero quod ex aliis, quæ obscure, specieque sola verborum adulari commento suo videbantur, ea loca duntaxat attigit; quæ in contrariam partem plenis, expressisque suffragiis niti judicabat, omisit. Quocirca necesse non est in singula scriptorum inquirere testimonia, quæ ad opinionem corroborandam suam deinceps percensuit, præsertim quæ ad posteriora secundo post Christum secula referuntur; quandoquidem primis duntaxat duobus illam obtinuisse putat ordinum amborum aliorum σύγχυσιν, postea vero episcopum supra presbyteros, ut nomine, ita dignitate ac potestate paulatim extitisse. Igitur in priorum duorum seculorum testibus paululum immorabimur: nec ea tamen repetemus, quæ de nonnullis eorum explicata jam sunt in superioribus libris de Hierarchia; sed, si qua necessario erunt addenda, paucis exequamur. Qui infra ætatem illam vixere scriptores, eos omittemus penitus, cum ad hos præsertim interpretandos illa spectent, quæ antecedente capite dixi.

[1] Epiph. hær. 75.

[2] Aug. de Hær. hæresi 53.

CAPUT SEPTIMUM.

Expenduntur testimonia veterum, quæ eumdem ordinem esse presbyteri. et episcopi. probare videntur : 1. ex Polycarpi epistola. 2. libro Pastoris, Justino, etc. — 3. De Lugdunensibus martyribus. — 4. Eusebii in tempore illorum martyrii constituendo minime constans opinio. — 5. Certa illius ratio definitur. Irenæus ad Eleutherum missus a martyribus adhuc presbyter. — 6. Pseudo Damasi improbata descriptio.

I. Primus in serie testium educitur Clemens Romanus pontifex, de quo in libri primi de Hierarchia capite decimo sub finem egimus ; sed uberius in capite ultimo libri superioris, ubi nihil, quod hic locum habere posset, reliqui fecimus.

Polycarpus, quem secundo loco recenset [1], magis est, ut Blondello causam gravet, quam ullo præsidio sublevet. Hunc Irenæus episcopum ab apostolis constitutum his verbis asserit, quæ ad apostolicam traditionem de singularibus Ecclesiarum præpositis episcopis approbandam plurimum faciunt : « (1) Et Polycarpus vero, *inquit*, non solum ab apostolis edoctuis, et cum plerisque versatus, qui Christum viderunt, sed etiam ab iisdem apostolis Ecclesiæ Smyrnensis in Asia constitutus episcopus : quem et nos in prima nostra ætate conspeximus. » Et Hieronymus [2], « Polycarpus, *ait*, Joannis apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit ; quippe qui nonnullos apostolorum, et eorum, qui viderant Dominum, magistros habuerit, et viderit. » Ergo ab apostolis, ut ait Irenæus, hoc est ab uno illorum Joanne, ut interpretatur Hieronymus, constitutus episcopus est Smyrnæ Polycarpus. Quod minime verum esset, si et plures in una Ecclesia fuissent episcopi, et eorumdem unus antiquior ceteris, nullius suffragio, sed per se, ac prærogativa temporis sola præfecturam caperet.

Ceterum in epistola ejusdem, quæ est ad Philippenses, nihil omnino reperitur, quod mori isti singularium creandorum episcoporum obstrepat. Nam et inscriptio ejus habet sic : *Polycarpus, et qui cum ipso sunt presbyteri*, etc. Nec multum promovet Blondellus, qui in verbis illis minutatim concidendis non necessariam operam collocat.

II. Liber Hermæ, qui Pastor inscribitur, nihil habet, quod Blondelli fabulam palpet [3] ; habet autem, ut vel agnoscit ipse, quod huic adversetur. Præerant tunc Ecclesiæ sine fastu, et φιλοπρωτίᾳ ; quod et hodieque faciunt boni episcopi ex apostolorum Principis præscripto [4], *non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* ; nec minus interim dignitatem suam, potestatemque retinebant.

Pii Romani pontificis epistola, quam quarto loco numerat, a Blondello ipso *non vacare impostura* judicatur [5]. Itaque frustra illam nobis intentaret, si quid adversarium nobis contineret. Quanto ergo minus curanda Catholicis est, cum nihil habeat, quod novitium figmentum testatius efficiat ? De quo vide, quæ superiore libro diximus [6].

Jam, quod ad Marcionis tempora spectat, et Epiphanii de illo narrationem, leve est, quod Blondellus opponit ; hæreticum illum a patre suo episcopo, propter illatum virgini stuprum, éjectum, et communione privatum, Romam cum venisset, et communionem a clero, qui vacante sede regebat Ecclesiam, postulasset, eam non impetrasse, quod non posse dicerent clerici illum se in integrum restituere, nisi hoc illius permitteret pater. Quid hoc vero ad rem pertinet ? Certe de episcopatus, ac presbyteratus συγχύσει nihil ex eo conflari potest. Una hæc ἐπίστασις qualemcumque speciem habet : *Romanam Ecclesiam quascumque Ecclesias, etiam Ponticas, pares agnovisse, nec ullum in pares imperium vel habuisse, vel affectasse.* Sed id neutiquam est consequens ; et laudanda cleri Romani modestia, qui veteris, ac recepti per id tempus instituti rationem habuit. Nonne vetustissima hæc est Ecclesiæ lex, ut ab episcopo aliquo excommunicatus, non temere, nec nisi illi satisfecerit, ab aliis

(1) IREN. lib. 3. cap. 3. apud Eus. lib. 4. cap. 14. Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν· ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ Ἐπίσκοπος, ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ.

[1] Blond. pag. 14. — [2] Lib. de Script. cap. 27. — [3] Blond. pag. 18. — [4] 1. Pet. c. 5. 3.

[5] In Cens. Epistol. Pont. p. 20. — [6] Cap 5 § 9. et 1. de Hier. c. 12. § 21. et seq.

admittatur. Sane inter apostolicos Canon est 13. quo prohibetur, ne quis a communione suspensus ab alia Ecclesia sine commendatitiis litteris suscipiatur. Itaque Marcio, cum se ab episcopo patre suo excommunicatum fateretur, non debuit injussu illius absolvi.

In Justini Apologetico, quem sextum numerat Blondellus, ubi de synaxibus Christianorum, et celebrandi sacrificii ritu agitur, manifesta est τοῦ προεστῶτος mentio, id est *præsidis*, et episcopi ; quem simplicem fuisse presbyterum, non est verisimile. Præter hunc ordinem, solius diaconi meminit; ex quo Blondellus haud recte concludit, tres in Ecclesia duntaxat ordines tunc fuisse, presbyteros, et eosdem episcopos, diaconos, et laicos. Sed non probat; nam Justinus eos tantum ordines memoravit, qui ad sacrificium obeundum necessarii sunt. Sic Amalarius Fortunatus libro secundo, capite 6. scribit, Apostolum in epistola ad Timotheum « eos tantum ordines denominasse, et eorum mores depinxisse, qui potissimum necessarii sunt in Ecclesia ; sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, scilicet sine sacerdote, et diacono. »

III. De Lugdunensibus martyribus superiore libro capite quinto abunde multa diximus. His addenda nunc aliqua sunt temporis ad rationem spectantia. Ostensum est illic, distinctos per id tempus ordines fuisse duos, episcopum et presbyterum. Siquidem Pothinus episcopus Lugdunensis, Irenæus tantum presbyter nominantur ; ac Leidensis refutatus est professor, qui Irenæum affirmat presbyterum fuisse tunc , et Pothino jam mortuo subrogatum. Hanc illius opinionem tuetur Blondellus, ejusque rei gratia vulgo receptæ chronologiæ ratiocinia conturbat. Quam ob causam accuratius putavit mihi de instituta temporis ab illo ratione hoc loco disputandum.

Quarta Christianorum persecutio ab Marco Aurelio imperatore commota est anno ejus imperii, ut in chronico Eusebii scriptum est, septimo. In ea passi sunt ante alios Polycarpus, et Pionius insignes martyres, qui ab Eusebio ad eumdem Marci Aurelii adscribuntur annum. In eadem quoque martyrium fecerunt complures in Gallia , Lugdunensis et Viennensis Ecclesiarum athletæ fortissimi, quorum gloriosa certamina in epistola describuntur, quam Ecclesiæ istæ ad Asianas Ecclesias miserunt : ex qua pleraque decerpsit Eusebius, et libro historiæ suæ quinto intexuit. Sed ante omnia, quod suscepimus, inquirenda est certa temporis nota, quam perplexam reddidit Eusebius. Nam aliter in Chronico, quam in Historia illam ordinasse videtur.

IV. In Chronico persecutionis exordium collocat ad annum Marci imperatoris septimum, qui cadit in annum Christi 167. quo anno passi memorantur Polycarpus et Pionius in Asia; et ad eumdem annum adnotatur passio martyrum gallicanorum , superstite adhuc L. Vero Marci genero, et imperii collega, qui biennio post obiit, anno 169. In eodem chronico ad annum Marci 13. qui iniit anno Christi 173. adscribitur memorabilis Marci imperatoris victoria de Quadis ingenti parta miraculo; quando siti oppressus Romanorum exercitus Christianorum militum oratione pluviam, ac desperatæ salutis exitum impetravit.

At in Historia statim initio libri quinti refert idem Eusebius, Sotere mortuo, Romanam sedem obtinuisse duodecimum post apostolos Eleutherum papam, «anno Marci Antonini Veri decimo septimo, quando in quibusdam orbis terrarum provinciis vehementius contra nos instaurata persecutione, commoto per civitates populo,» infinita vis martyrum pro Christo mortem oppetiit ; cujus rei specimen præbet in una gallicana provincia. Neque vero tunc persecutionem quartam inchoatam esse dicit Eusebius, sed recruduisse duntaxat, et quasi languentem, ac sopitam de integro certis in locis renovatam fuisse. Quamobrem sub initium Eleutheri papæ principium habuit cruenta illa Lugdunensium martyrum tragœdia, anno Marci 17. Christi 177. eodemque anno Pothinus Lugdunensis episcopus nonagenario major, postquam diris tormentis excarnificatus est, in carcere obiit, ut habet epistola Lugdunensis Ecclesiæ. Sed antequam obiret, vel paulo post ejus obitum, vacante adhuc, propter atrocitatem persecutionis, Ecclesia Lugdunensi, missus est Romam a martyribus ad Eleutherum papam Irenæus legatus, ejusdem Ecclesiæ presbyter, nondum episcopus : quod diserte martyres ipsi testantur in epistola ad eumdem Eleutherum, cujus fragmentum descripsit Eusebius; eique suffragatur Hieronymus [1], ut in capite quinto libri superioris meminimus.

Ex quibus evidens est, certiorem esse Historiæ Eusebianæ, quam Chronici fidem; quandoquidem in illa non tam rei gestæ testem, et assertorem habemus Eusebium, quam Lugdu-

[1] Vide lib. 1. c. 5. § 5.

nenses ipsos martyres, quorum litteris nimiæ temeritatis est nolle credere. Frustra itaque Blondellus negat [1], Irenæum a martyribus ad Eleutherum esse missum ab Ecclesia Lugdunensi, cum jam episcopus esset; et hallucinatos ait esse tam Eusebium quam, qui eum secutus est, Hieronymum. Tantum præjudicata valuit apud hunc opinio, sive commentum potius de presbyteris in eumdem cum episcopis ordinem conflatis; quam fabulam nullis certis probare hactenus argumentis nec ille potuit, neque, quem pessimum ducem parum est idem caute secutus, Leidensis professor.

V. Omnino itaque, Romanam sedem obtinente papa Eleuthero, passi sunt Lugduni eximii illi martyres. Eleuthero, inquam, qui anno Christi 177. pontificatum iniit, non 170. ut putat Blondellus [2]. Qui et alias in digerendis primorum Romanorum Pontificum annis diversam ab vulgatis annalium, chronicorumque scriptoribus viam iniit, ac pseudo Damasum sequi maluit, qui complurium pontificum initium, ac finem certis consulum paribus notavit; quæ alieno fere loco posita, rationem temporum conturbant. Maxime autem in Petri successoribus primis, de quibus pervetus est controversia, cujus meminit Epiphanius in Hæresi 27. Igitur ex supposititii Damasi narratione Linus sedere cœpit Saturnino et Scipione coss. Neronis anno tertio, Christianæ æræ 56. Obiit vero Capitone, et Rufo coss. Christi 67. quo et passi sunt apostoli Petrus et Paulus; quibus tribus circiter mensibus supervixerit Linus. Ita Cletus ex eodem Damaso iniit Vespasiano 7. et Domitiano 5. coss. Christi 76. obiit Domitiano 9. et Rufo coss. anno Christi 83. atque ita deinceps perturbatissime consequentium pontificum tempora distribuuntur. Et tamen Blondellus hujusmodi perversam annorum putationem communi prætulit, ratus id opinioni suæ commodius futurum, ut singularium Romanæ urbis antistitum successionem, et προσταsίαν illa ratione conturbare posset, ac plures eodem tempore Romæ episcopatum gessisse monstraret, qui in collegio presbyterorum, sive episcoporum, utroque vocabulo censerentur.

VI. Disputavit de ea re idem accurate in præfatione apologetici sui, et ad pseudo Damasi rationes primos pontifices accommodavit. Sed adversus hunc una illa utar exceptione, quam iterare sæpius cogor. Pluris apud me credo, et apud cordatum quemque, fidei, et auctoritatis habere oportere vetustissimorum consensum Patrum, velut Irenæi, Tertulliani, Eusebii, Optati, Hieronymi et aliorum, qui ex Ecclesiarum tabulariis, ac Romanæ præ aliis episcoporum nomina, et successionum ordinem memoriæ prodiderunt. Irenæus ecce libro tertio, capite tertio, Romanorum episcoporum seriem a Principibus apostolorum ad Eleutherum, cujus vivebat tempore, descripsit; ac duodecimum numeravit illum ipsum Eleutherum. Ibi apostolos ait episcopatum commisisse Lino; huic successisse Anacletum; atque ita deinceps, græco utens verbo διαδέχεσθαι, quod successionem ejusmodi designat, qua, decedente morienteque uno, alter in ejus locum substituitur.

Ecquid ergo necesse nos habemus iis implicare fabulis, quæ sola divinatione, ac levissima conjectura, non exquisita ratione, vel certa auctoritate nituntur? Credamus antiquis potius de primæ illius ætatis, quam propemodum contingebant, usu, institutoque testimonium ferentibus, incorruptum id quidem, ac sincerum; ex quo illud appareat, quamvis in Ecclesiæ administratione secundi ordinis presbyteri, velut senatores, et consiliarii adhibiti fuerint, fuisse tamen præter, supraque illos caput unum, ac præpositum, qui auctoritate pariter, ac jure, potestateque anteiret universis, et commune antehac utrique ordini nomen episcopi peculiare sibi fecerit.

VII. Jam quæ ex Irenæi scriptis ad institutum suum accommodat Blondellus [3], nihil penitus efficiunt, nisi hoc quod jam sæpius concessimus, episcopos olim presbyteros appellatos fuisse, et cum ceterorum collegio presbyterorum ecclesiastica tractasse, disceptasseque negotia; neque propterea non unum aliquem extitisse præsidem, ac rectorem Ecclesiæ. Cujus rei locuples est ille ipse testis Irenæus, qui singulorum per Ecclesias episcoporum series, ac successiones commemorat, quas ad fabulæ suæ modum, ac descriptionem trahere Salmasium ac Blondellum, nemo sanus ac prudens permiserit.

De Victore papa [4], et ejus epistola, quam pro germana ambo illi nobis ingerunt, nihil addam ad illa, quæ in primo libro de Hierarchia contra Leidensem professorem attuli [5].

Clementis item Alexandrini loca ibidem expendimus [6]; atque hic quidem diserte hie-

[1] Pag. 26. et seq. — [2] Pag. 26. — [3] Blond. pag. 32.

[4] Blond. pag. 34. — [5] Cap. 12. § 20. — [6] § 13.

rarchicos ordines tres distinguit, episcoporum, presbyterorum, et diaconorum, in Stromateo sexto, ut illic adnotavimus.

Et hactenus quidem primi, ac secundi seculi scriptores Blondellus a se productos in medium asserit [1]; deinceps autem pristinam paulatim exolevisse regiminis ecclesiastici formam, et ad unum aliquem præsulem et episcopum auctoritatem illius, ac potestatem esse redactam. Pergit tamen in posteriorum illorum temporum recensendis auctoribus, et captandis eorum sententiis aliquot, quæ cum presbyteris aut appellatione, aut communione administrationis ecclesiasticæ exæquare videntur episcopos. Sed ea quidem vis est; nec aliud ex laboriosa ista testium enumeratione, descriptioneque nihil ad rem pertinentium locorum proficit, quam ut adstruat illa ipsa, probetque, quæ citra ambages istas sponte, ac volentes concedimus, de nominis, gubernationisque societate, de qua capite præsertim antecedente dixi quod ad omnia illa dissolvenda satis esse superque possit.

CAPUT OCTAVUM.

De Ignatio martyre, et ejus epistolis, quarum fides in dubium vocata ab nonnullis, asseritur. 1. Germanum earum exemplar in Florentina bibliotheca, ex quo nuper editæ sunt. — 2. Ostenditur, veras illas esse, non supposititias, ex veterum auctoritate. — 3. Salmasii contra illas argumenta duo; — 4. quæ diluuntur; quid sit νεωτερικὴ τάξις apud eumdem Ignatium, et falsa de illa Salmasii opinio refellitur; — 5. ac vera penitus adstruitur. — 7. Altera objectio de σιγῇ, et λόγῳ, a Valentinianis accepto dissolvitur: et quorsum λόγος ex silentio prodiisse dicatur, exponitur. — 8. Alia contra epistolas easdem objecta refelluntur.

I. Sed unum ex antiquissimis, adeoque primi, et apostolici seculi Patribus nefas est prætermittere, sanctissimum Ignatium; cujus creberrimis, ac luculentissimis testimoniis catholica de ecclesiasticorum ordinum discrimine traditio mirum in modum adstruitur. Quæ res Leidensem primum professorem Salmasium, tum hujus suffragatorem Blondellum offendit sic, ut ad elevandam, imo pessumdandam apostolici viri auctoritatem, studium omne suum, et conatum uterque contulerit; atque eo demum progressi sunt, ut ab Ignatio ullas unquam esse scriptas epistolas negare non sint veriti: quæ mihi opinio prorsus absurda, et intoleranda videri solet. Equidem haud abnuerim, epistolas illius varie interpolatas, quibusdam additis mutatas, ac depravatas fuisse, tum aliquas esse supposititias; verum nullas omnino ab Ignatio epistolas esse scriptas, id vero nimium temere affirmari sentio.

Editæ sunt ante annos quatuor ex bibliotheca Florentina Ignatii epistolæ sex [2], hoc ordine: 1. ad Smyrnæos, 2. ad Polycarpum, 3. ad Ephesios, 4. ad Magnesios, 5. ad Philadelphenses, 6. ad Trallianos; deerat ad Romanos septima. Totidem enim, et quidem istas ipsas percenset Hieronymus in libro de Scriptoribus, capite 26. Eæ porro multum a vulgatis hactenus discrepant; atque hoc habent præcipuum, et magni utique faciendum, quod omnes in illis reperiantur sententiæ, quæ ab antiquis Patribus ex epistolis Ignatii citatæ leguntur, quæ quidem in aliis desiderantur editionibus. Debemus hoc præstantissimum Christianæ antiquitatis monumentum eruditissimo viro Isaaco Vossio Gerardi F. qui illas e Florentino codice descriptas trans Alpes retulit, mihique legendas humanissime obtulit; ac non multo post Lugduni Batavorum græce ac latine publicavit, addita, quam annis ante aliquot ediderat Jacobus Usserius, latina veteri versione apprime consentiente cum græcis Florentini codicis: ut hæc prudens, ac justa suspicio sit, illas esse genuinas Ignatii epistolas, quas antiquorum consensus illustribus testimoniis commendatas, et approbatas reliquit. Horum testimoniorum, quæ ab eruditis viris jam notata sunt, hic summam relegere, præsentis interest instituti.

[1] Blond. pag. 37.

[2] Lugdun. Bat. anno 1646.

II. Primum igitur Ignatium epistolas aliquas revera scripsisse, quæ per Ecclesias Christianorum in manibus versabantur, testis est Polycarpus æqualis illius in epistola ad Philippenses, quam *valde utilem* appellat Hieronymus [1], et in Asianis Ecclesiis legi solitam asserit. Extat hæc epistola Polycarpi; cujus fragmentum exscripsit Eusebius libro tertio, capite 36. In eo scribit Polycarpus, (1) se Ignatii epistolas ab eo ad se scriptas, nec non alias ejusdem, pro eo ac petierant, ad Philippenses mittere. Deinde suppar ætatis utriusque, et hujus discipulus Irenæus locum quemdam ex epistola Ignatii ad Romanos citat in libro quinto contra Hæreses, capite 28. quod et refert Eusebius eodem in libro Historiæ tertio, fidem illius epistolarum Polycarpi auctoritate adstruens. Item Origenes homilia sexta in Lucam, Ignatium eumdem laudat, et epistolam ejus, in qua Virginis partum latuisse principem hujus seculi dixit, hoc est diabolum; qui locus in Ignatii ad Ephesios epistola hodieque continetur. Igitur Ignatii veras, et germanas fuisse aliquas epistolas, extra controversiam oportet esse, cum eas antiquissimus agnoscat, et eadem vivens ætate Polycarpus. Neque vero, uti recte ratiocinatur Vossius, dubium est, quin genuinas illas viderit Polycarpus; tum hujus discipulus Irenæus. Sed neque de Origene dubitandum, uti nec de Eusebio, quin easdem, quas Origenes ante, penes se habuerit. Ac deinceps sanctissimi, et eruditissimi Patres testimoniis illarum usi sunt, quæ nos passim in libris de Incarnatione retulimus. Insigne præ ceteris illud est, quod Athanasius in libro de Synodis posuit [2], nosque libro tertio descripsimus [3]. Accedant his gravissimi Patres alii, ut Hieronymus, et Joannes Chrysostomus, Theodoretus, Antiochus, Joannes Damascenus, Antonius Melissa, tum Photius, aliique complures. Cujus ergo pertinaciæ est, tot ac tantorum virorum auctoritate contempta, nihil ab Ignatio epistolarum esse scriptum defendere? aut si quas elucubravit, non eas putare illius esse, quibus illi ipsi, quos enumeravi, vetustissimi, præstantissimique scriptores pro germanis usi sunt, et easdem, quæ in iis leguntur, sententias, tanquam ab Ignatio proditas, usurparunt? At quibus argumentis commoti fidem istis abjudicarunt?

De Leidensi professore vanæ, ac febriculosæ doctrinæ, judicii nullius homine, dicam primo loco; tum de ejus suffragatore, erudito quidem illo, sed tot præclaris testibus neutiquam anteponendo, postea videro.

III. In apparatu infandi operis de Primatu [4], Salmasius Ignatii epistolas omnes, quarum testimonia antiqui illi Patres adhibuerunt, supposititias esse confirmat; et earum auctorem post Valentinum hæresiarcham scripsisse putat [5], « imperante Antonino, aut certe sub Marco Aurelio. » Cujus suspicionis argumentum affert duplex ex epistola petitum, quæ ad Magnesios inscribitur. In qua primum episcopalem dignitatem, et προστασίαν appellat νεωτερικὴν τάξιν, hoc est *recentiorem ordinem;* quippe sub illud tempus in Ecclesiam invectam esse formam istam administrationis existimat, ut unius potestate, atque arbitrio regeretur. Verba Ignatii, uti res melius intelligatur, hic necesse est adscribere. « (2) Sed et vos decet, *inquit*, non couti ætate episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem reverentiam ei tribuere; sicut agnovi et sanctos presbyteros non assumentes apparentem juniorem ordinem, sed ut prudentes in Deo concedentes ipsi. »

Ita vetus interpres, cujus verba paulo post expendam. Hinc Salmasius evinci credit [6], « Episcopatum novo instituto, et ordine superlatum esse presbyteris, » cum ista scriberet supposititius Ignatius. Quem quidem epistolas illas fabricasse post Valentini exortam hæresim, ex eadem ad Magnesios epistola probat, (quod alterum est e duobus argumentum,) ubi ita scribit : « (3) Quoniam unus Deus est, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum filium ipsius, qui est ipsius Verbum æternum, non a silentio progrediens. » Ex his verbis colligit Leidensis professor [7], allusisse scriptorem istum ad Valentini opinionem, qui in

(1) POLYCARP. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας, ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε.

(2) IGNATIUS ad Magn. sub init. pag. 31. Καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ Ἐπισκόπου· ἀλλὰ κατὰ δύναμιν Θεοῦ Πατρὸς πᾶσαν ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν· καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους, οὐ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν Θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ.

(3) IGNAT. in ead. epist. pag. 34. Ὅτι εἷς Θεός ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ· ὅς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀίδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών.

[1] Hier. de Script. cap. 27. — [2] Athan. de Syn. pag. 709. — [3] Supra lib. 3. c. 7. § 8.

[4] Pag. 56. et seq. — [5] Ibid. pag. 59. — [6] Appar. pag. 58. — [7] Ibid. pag. 59.

fanatico suo commento de Syzygiis et Æonibus, ἀπὸ Σιγῆς προελθεῖν τὸν Λόγον aiebat, hoc est *e Sige*, quæ est *silentium*, *prodiisse Verbum*, quod in illius hæresi accurate describit Epiphanius ex Irenæo, et Tertullianus in eo libro, quo Valentini confutavit hæresim. Hæc sunt argumenta duo, quibus Ignatianas epistolas oppugnat limatissimi judicii criticus Salmasius.

IV. Mihi vero constat, levissimam esse rationem utramque; nec ei subesse solidi quidquam, et acuti, sed minima declinatione vim illius eludi. Ne longius faciam, nego præcise, ambo illa loca sic intelligi oportere, quomodo professor existimavit; ac plurimum aberrasse confirmo *dæmonium illud hominis*, (hoc enim elogium ab fautore, ac laudatore suo meruit [1],) quod Ignatii sententias illa pessima interpretatione fœdavit.

Quod enim ad priorem attinet, si, ut pseudocritico isti placuit, eam explicare tentes, ridiculum in sensum, ac secum pugnantem recidet. Hortatur Ignatius Magnesiorum Ecclesiam, ut episcopum suum veneretur; nec ejus ætatem parvi faciat; hoc enim locutio ista continet, μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ, contemptim, ac nimis familiariter se erga episcopum gerere, propter hujus adolescentiam, et ambitioni cupiditative suæ compendium inde captare. Sic Apostolus Timotheum admonet [2]: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Quo enim auctoritatis minus inest in junioribus Ecclesiæ præpositis, eo minus timeri solent; ac licentiæ plus, et audaciæ improbi homines assumunt sibi, qui ad explendam rerum omnium infinitam aviditatem suam opportunitate hac libenter utuntur. Hoc ut evitent, Magnesiis præcipit Ignatius; et presbyterorum, qui in illa Ecclesia primores erant clericorum, ac velut senatores, proponit exemplum, qui τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν repudiantes, in episcopi potestate esse maluerunt, eique cesserunt, hoc est potestate, jureque suo uti permiserunt, tametsi ætate illi anteirent. Si νεωτερικὴν τάξιν appellaret Ignatius episcopalem ordinem et gradum, qui nuperrime introductus esset, et ceteris, qui in presbyterio censebantur, antelatus, cum antea nulla re super illos emineret; non solum absurda, sed etiam pugnans secum, ac discordans Ignatii esset oratio. Nam cum ad honorandum episcopum, eique cultum, et obsequium deferendum incitare Magnesiorum populum studeat, exemplo presbyterorum; si eosdem ipsos episcopatui adversari, et hunc improbare gradum, ac dignitatem diceret, nonne ridiculus, imo insanus haberetur? Atqui Salmasii hoc habet interpretatio, uti *novitium illud institutum* episcopalis ordinis supra presbyteros efferendi non admisisse presbyteros eosdem asserat, quorum ad illud suadendum exemplum accommodavit.

Quid obtusius, ac stupidius critico isto professore fieri potest? Cujus etiam manifesta istic inscitia tenetur, dum Ignatii verba miserandum in modum distorquet. Sic enim disputat [3]: « Manifestum est, *inquit*, ex istis, quid velit, et quid captet. Primum plebi ipsi commendat suum novum episcopum, et petit, ut non nimis familiariter cum eo agant, quod videatur junior, sed ut cum eo reverenter se gerant. Deinde ad presbyteros convertitur; quibus quia durum erat, hominem se natu minorem sibi superpositum videre, eos alia arte aggreditur. Petit ab his, ut sine præjudicio adprobandæ, et recipiendæ novellæ hujus institutionis, qua unus episcopus, et quidem junior, omnibus presbyteris, id est senioribus, qui præerant Ecclesiæ, præponebatur, sed tanquam in Deo prudentes viri honorem ei deferrent, et concederent. » Hæc Salmasius.

V. Verum quid contra mentem Ignatii dici manifestius potest, quam petere ipsum a presbyteris, et eos hortari, ut honorem tribuant episcopo suo; cum eo nomine laudet illos, quod ita faciant, et in eo plebi proponat imitandos? Ubi est vel minima vox, quæ postulationis a presbyteris, et cohortationis ad illud officium præstandum aliquam præ se speciem ferat? « Decet, inquit ad plebem, vos episcopum venerari, sicut agnovi sanctos presbyteros facere. » Si hoc sponte sua, et voluntate faciebant, quid opus erat *arte illos aggredi*, ut ita vellent agere? Nugæ meræ istæ sunt. Omnino presbyteros repudiasse, nec admisisse illud asserit, quodcumque tandem νεωτερικὴν τάξιν appellat. Non igitur episcopalem ordinem, et ejus prærogativam duabus istis vocibus significat; sed aliud, quod Trapezita nescivit, et quidem contrarium ei, quod ineptissime commentus est.

Νεωτερικὴ τάξις *novitia* et *recens* est *ordinatio*, et *institutio*, quæ commoveri, et jactari tum cœperat, nonnullis per ambitionem, et cupiditatem introducere molientibus: nimirum ut episcopatus non libera electione ab iis,

[1] Voss. in Not. ad Ignat. pag. 236.

[2] 1. Tim. 4. 12. — [3] Salm. Appar. pag. 57.

quorum intererat, mandaretur; sed ex ætatis, vel temporis antecessione, quo in clerum erant assumpti, ut non dignissimus quisque, sed antiquissimus caperetur. De eo tumultuabantur aliqui, et ut fieret certabant in Ecclesia Magnesiorum. Nam hactenus ex apostolica ordinatione non antiquiores quique, sed aptiores, et digniores per Ecclesias instituebantur episcopi, quod in Timotheo fecit Apostolus. Hunc enim ætate juniorem veteranis prætulit; et ideo monet, ut ita se gerat in administranda Ecclesia, ut ne adolescentiam ipsius contemnant, et ejus electione offendantur alii. Tum ut idem in eligendis præpositis Ecclesiarum institutum teneant, tam illis, quam Tito præcipit. Nam utrique, quales eligere oporteat episcopos, præscribit, hoc est quibus ornatos virtutibus; nec, ut antiquiores succedant citra electionem, jubet, ut falso Leidensis professor existimat.

VI. Extitere nihilominus interdum in Ecclesia nonnullorum querelæ, juniores anteponi sibi haud æquo animo ferentium, et ut antiquitatis ratio præcipue duceretur, per ambitum, ac factionem pugnantium. Cujusmodi fuisse contentionem illam crediderim, quæ ab Clemente primo Romano pontifice celebrem illam epistolam ad Corinthios expressit, etsi non tam de episcopatu ipso, quam de presbyteratu nata videtur; in quam adscribi, ac junioribus anteferri studebant aliqui, quod ex ordine isto ad episcopatum promoveri solebant. Itaque fieri potuit, ut in illa Ecclesia *unus et alter*, ἓν ἢ δύο πρόσωπα, propter quos seditionem esse coortam refert, præteritos se esse dolentes, ac sibi prælatos aliquos qui in clerum posterius adscripti fuerant, turbas istas concitarint. Hæc erit νεωτερικὴ τάξις, *nupera et recens institutio*, ab apostolico præscripto, et ordinatione deflectens, quam nonnulli introducere studebant, et efficere, ut ex transacti in clero temporis prærogativa potius, quam ex merito et libera electione, succederent episcopi. Hæc nostra conjectura multo est verisimilior, quam illa professoris Leidensis, a qua Ignatianorum verborum sententia dissidet.

VII. Jam in altero ejusdem Ignatii explicando loco par est, imo ludicra magis, et inscita conjecturæ vanitas. Scribit eximius martyr, « Jesum Christum Dei esse Filium, ejusque Verbum : non tamen ejusmodi, ut ex silentio (vel *post silentium*) prodierit. » Hic Trapezita divinat, Ignatium ad Valentini Æonas, et Sigen unam ex illis alludere. Quis hoc illum docuit? qua ratione; quo argumento cogere nos potest ut illi assentiamur? Ego vero falsam dico, et inanem istam esse conjecturam; nihil ad illum locum aio pertinere Valentinianam σιγὴν, ac longe diversum esse sensum verborum illorum, atque haud paulo commodiorem et faciliorem. *Verbum* hujusmodi, sive *sermonem*, (ita enim latini veteres quidam λόγον interpretati sunt,) Ignatius asserit esse Jesum Christum Dei Filium, non qualis est creatus, et humanus sermo, qui in tempore incipit, ac desinit, hoc est post silentium oritur, et in silentium desinit; non enim est æternus. Hoc unum, nec aliud quidquam voluit Ignatius. Audiamus Augustinum ad eum sensum nobis ita præeuntem[1]. « Quænam est, *inquit*, illa generatio, qua in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum? Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus antea non silebat; quo dicto non siluit, qui dicebat? quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum, quod labia nullius aperuit cœptum, clausitve finitum. » Quocirca vanissima est divinatio Salmasii de Ignatii ætate ex illo loco perperam argumentantis.

VIII. Blondellus in præfatione Apologetici libri sui[2] perinde, ut Leidensis professor, supposititias omnes Ignatii epistolas esse defendit; ac plurima, sed levia, et minuta contra illas objicit, quorum præcipua cursim diluenda sint. Reprehendit hoc imprimis, quod in epistola ad Smyrnenses ἀνάστασιν appellat σαρκικὴν, καὶ πνευματικὴν, id est *resurrectionem carnalem, et spiritalem :* sæpiuscule vocibus istis abutitur. Verum quid utroque illo vocabulo significet, initio ejusdem epistolæ demonstrat, ubi Christum ait, « post resurrectionem cum apostolis comedisse, ac bibisse, tanquam carnalem, quamvis spiritaliter Patri copulatus esset. » Resurgere carnaliter est cum vera carne resurgere; spiritaliter resurgere est cum carne spiritali, et in divinam qualitatem salva ejus integritate mutata.

Sic in fine epistolæ illius ἀγάπην σαρκικὴν, καὶ πνευματικὴν cuidam imprecatur, hoc est ut quæ ad corpus curandum usui sunt, et quæ ad animum, ex illo affectu largiatur.

Item illud ei displicet, quod in epistola ad

(1) IGNAT. ad Smyr. pag. 3. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν συνέφαγεν αὐτοῖς, καὶ συνέπιεν ὡς σαρκικὸς, καίπερ πνευματικῶς ἡνωμένος τῷ Πατρί.

[1] August. Serm. 1. de Nat. Dom. — [2] Blond. pag. 40.

Ephesios [1] glorietur vincula se circumferre, tanquam spiritales margaritas. Et, « Quid proprie spiritale est, *inquit*, in vinculis Christi martyris corpori ab infidelibus injectis? aut quæ in vinculis illis resurgendi spes esse potuit? » Mirum ab illo istud objici, qui sciat apostolum Paulum tantopere gestire, gloriarique de vinculis, quibus propter Christi nomen, et gloriam constrictus tenebatur, ut eorum et meminerit ipse sæpius, et *vinctum se in Domino* libenter appellet, ac meminisse alios eorumdem cupiat [2]; tum qui Patres omnes, præque ceteris Chrysostomum, intelligat tantis, ac tam magnificis præconiis ista celebrasse vincula, et imperatorum ornamentis ac triumphis gloriosiora duxisse.

Frustra quoque illud vellicat, quod episcopum in ea, quæ est ad Smyrnenses, tanquam Deum coli præcipit. Nam et honor, et obsequium, quod præpositis ac pastoribus defertur, quemadmodum ex adverso injuria, et contumacia, qua illis resistitur, ad Deum pertinet, ut pluribus in locis Scriptura testatur.

Illud vero, quod partum Virginis ignorasse diabolum affirmat Ignatius, non recte a Blondello notatur; et nos alibi propugnavimus [3]. Sed nec istud merito carpitur, quod in epistola ad Magnesianos hortatur, ut malo fermento, et acido deposito, in novum mutentur; siquidem fermenti vocabulum ἐπαμφοτερίζει, et in bonum interdum usurpatur adeo, ut cœlorum regnum cum eo comparetur [4].

Objicit et illa duo, quæ paulo ante discussimus, de νεωτερικῇ τάξει, et σιγῇ, in quibus Leidensem professorem pessimum præsultorem est secutus. Reliqua, quæ affert, non sunt tanti, ut in his immorari necesse sit.

IX. Nunc ut fructum colligamus disputationis hujus, ac defensionis epistolarum Ignatii, memorabile est illud, quod tam sæpe, tam diserte, tantaque contentione verborum ac sententiarum, episcopalis ordinis dignitatem, et excellentiam, quæ supra ceteros eminet, commendat, et inculcat; ut minime dubium faciat, quin episcopus ab reliquis ordinibus ex apostolica, imo divina per apostolos tradita institutione, distinctus, iisque superior extiterit. Cui quidem ceteros obsequentes, ac morigeros esse vult; et eum in oculis ferre, nec injussu ipsius in Ecclesia moliri aliquid, ac suscipere. Verba ipsa, quibus illa declarat, ac prædicat, supervacaneum est exscribere, cum tam crebra ista sint, et in promptu habeantur ab omnibus, ut hujus unius gratia, quod et figmento suo vehementer obesset, et nostram ac catholicam de episcopatu sententiam comprobaret, adversarii utriusque tam acrem, ac validam, sed injustam et inanem in epistolas illas impressionem fecerint.

EPILOGUS.

Hac clausula disputatio nostra terminabitur, quam de hierarchicis ordinibus duobus contra Leidensem professorem iterato suscepi. In qua equidem enucleanda controversia non inutilem, neque supervacaneam operam a me esse collocatam arbitror, sed plane necessariam. Quod eos facile mihi assensuros esse confido, qui de præposteræ illius, quam impugnavimus, opinionis scelere, ac pernicie cogitarint. Est enim ejusmodi, ut, ea recepta, Christi leges, et instituta violentur, ac tota funditus labefactetur, et intercidat Ecclesia, quæ sine episcopatu et ordinum ac functionum discrimine non potest ita, ut est a Christo condita et ordinata, consistere. Huc etiam adjungi debet, quod in priorum ejusdem argumenti librorum trium initio sum præfatus, ubi funestas, et exitiosas clades, ac calamitates exposui, quas ex hac Leidensis professoris hæresi partim accidisse videbam, partim, nisi intercessum esset, eventuras prospexeram; maxime autem in Anglia, in quam pestilentiæ tum illius vis incumbere cœperat. Atque hic ibidem postremo rerum est consecutus exitus, ut illa mea non tam conjectura suspicantis, quam certo prævidentis videatur esse prædictio. Quanquam non mihi hanc assumo potius, quam Jacobo regi tribuo, illius parenti Caroli primi, cujus miserabilem necem luctuosæ illius tragœdiæ postremus actus exhibuit.

Hujus ergo Jacobi regis postquam verba retuli, ex eo libro, quem βασιλικὸν δῶρον inscripsit, filioque nuncupavit; quibus verbis Puritanorum opinionis illius patronorum turbulenta ingenia, et consilia in regum, regnorumque pestem, et internecionem intenta descripsit, statim ista subjeci: « Cujus principis veram fuisse prædictionem, qui deinde consecutus est, rerum exitus comprobavit; illa, inquam, illa, quam in conspectu adhuc habemus, florentissimi quondam regni calamitas, intestini illi, ac domestici tumultus, provinciarum ac civitatum ab rege defectio, cædes inter se, proscriptionesque civium. Quæ

[1] Ibid. pag. 42. — [2] Col. 4. 18.

[3] Lib. 4. de Inc. c. 7. § 4. — [4] Lucæ 13. 21.

ne ad internecionem partium, et miserrimum occasum imperii illius pertineant, porro illis est metuendum. »

Ergo id, quod metuendum tunc erat, reipsa factum auctoribus iisdem, et architectis Puritanis, tandem illud regnum suis usurpavit oculis; finitimæ, ac longinquæ terrarum regiones, et nationes non sine horrore, ac tam diri facinoris execratione didicerunt. Hic nimirum sacrilegæ illius doctrinæ fructus extitit, hunc exitum, et hoc operæ pretium fanatici Puritanorum libri illi pepererunt; qui excusso primum a populorum cervicibus ecclesiasticorum principum, quod Christus imposuerat, jugo, alterum subinde civilis, regiique dominatus ab eodem injectum auctore depulerunt.

Hæc tua, Salmasi, tuorumque gregalium secta, et opinio miserum principem, et fortuna meliore dignum, nec parenti satis credulum tot inauditis ærumnis, et calamitatibus implicavit. A te, inquam, tuique similibus impiorum in episcopos librorum scriptoribus, quantum quidem in proposito, ac voluntate tua fuit; (nam neque genium, neque nervos habent scripta tua, nec momenti plurimum in causam conferunt;) ab iis ergo seditionum flabellis ventilatus ille popularis exarsit furor, qui carnificis armavit manum, et nefarium, ac sceleratum ferrum innocentis in regis colla distrinxit.

Et nunc belle sibi defunctus grammaticæ professor iste videtur, quod mortui, ac suis, suorumque virulentis dogmatibus præcipitati in exitium principis defensionem edidit latina lucubratione, qua nihil inficetius, nihil, quod ad cultum, ornatumque verborum, ac sententiarum attinet, insulsius, ut ejus sunt cetera, potest fieri. Credo equidem, præclare parricidas illos regis sui interfectores, et carnifices ultus est. Sed et Carolo secundo successori ejus, ac filio magnum solatium attulit, dum qua manu exitiales illius patri tot libros scripserat, ea miserum et scabiosum exaravit, atque obtulit istum, ut illius indignæ, cui causam dederat, neci, hoc ἐπιταφίῳ, nec tamen βασιλικῷ δώρῳ, ac ne lixæ quidem, aut calonis funere digno libri opprobrio parentaret.

Cujus libri, præterquam quod argumenti dissimilis est, eadem est, atque alterius indoles, cui de Primatu Romani Pontificis titulum fecit, eique apparatum præfixit, cujus nonnulla hoc in opere nostro capita confutavimus. De quo libro memini colloquentem mecum illustrissimum principem Henricum Condæum, virum apprime pium et catholicum, ac ceterarum, dum viveret, tanto dignarum fastigio virtutum laude florentem, ita mihi dixisse: *Dignum sibi videri illius auctorem, qui hanc noxam capitali supplicio lueret.* At ego nihil ejusmodi, quale meruisse judicavit ipsum mitissimus alioqui princeps, illius imprecor capiti. Vivat sane, ac mutato, si potest, animo et ad frugem correcto, aliis moribus, et factis impendentem cervicibus suis iram divini numinis conetur avertere.

FINIS TRACTATUS DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

DE PŒNITENTIÆ VETERE

IN ECCLESIA RATIONE

DIATRIBA

EX EPIPHANIANIS PETAVII

ANIMADVERSIONIBUS

Ad Hæresim LIX. quæ est Novatianorum, nunc primum excerpta.

---

§ I. — Quæ fuerit Novatianorum hæresis.

Ecclesiasticæ rei functionisque præcipua pars Pœnitentia, ejusque usu, et administratione continetur. Testantur id imprimis vetera omnia Concilia ; et SS. PP. decreta, quæ in hac una re gubernanda et constituenda potissimum laborant ; ac de pœnitentium variis ordinibus, et gradibus, deque singulorum tempore, modo, ac ratione studiose præscribunt. Quam quidem Christianæ disciplinæ partem, unaque et Ecclesiæ potestatem oppugnare, ut olim Novatiani, sic nostrates hæretici omni ope ac ratione conantur. Quæ mihi causa satis idonea visa est, cur de Pœnitentia ipsa ad hanc Novatianorum hæresim plenius aliquid vellem uberiusque disserere. Neque vero quæ ad eam attinent, universa complectar ; sed ea scilicet attingam, quæ ad Catharorum hæresim, atque Epiphanii disputationem illustrandam necessaria videntur. Ac primum de illius sectæ, ac schismatis auctore, deque ejus dogmate pauca quædam e multis libanda sunt.

In Novati, et Novatiani nominibus error veterum.

In quo plerosque veterum Patrum, ac potissimum græcorum aberrasse constat : qui duos sectæ hujus architectos in unum miscent, similitudine nominum decepti ; Novatum, et Novatianum. Quorum ille Africanus episcopus fuit ; cujus turpissimam, ac flagitiosissimam vitam, avaritiæ sordes, crudelitatem, nefanda parricidia describit Cyprianus ep. 49. Idem vero, cum in lapsorum gratiam, quos Cyprianus diuturniore severioreque disciplina coercendos decreverat, Felicissimus presbyter schisma conflasset, ad hujus factionem adhærescens Africanam imprimis Ecclesiam permiscuit. Inde Romam navigans, Novatianum illic presbyterum reperit ; quem ob prælatum sibi Cornelium papam odio invidiaque flagrantem animadvertens, communicatis cum eo consiliis, aliud, et a priore longe diversum schisma condidit. Non enim lapsorum ut causam susciperet, eosque quamprimum paci et Ecclesiæ restitueret, a Cornelii communione discessit, sed e contrario quod nimiam ejus in illis reconciliandis facilitatem lenitatemque damnaret. Sic igitur Novatianorum secta ab ambobus illis auctoribus profecta, a posteriore præsertim, hoc est Novatiano, magnum incrementum accepit. Sed græci, uti dixi, Patres unum duntaxat sectæ conditorem nominant, Novatum, sive Ναυᾶτον, Romanum presbyterum : quemadmodum Euseb. l. 6. Hist. c. 35. Theodoretus, Epiph. hoc loco, Gregorius Nazianz. adeoque Socrates, Novatianus et ipse ; et complures alii. Imo etiam e Latinis August. lib. de Hær. Philastrius, Ambr. in ll. de Pœn. Distinguit autem Cyprianus passim in epist. et Pacianus, ac Latini omnes, qui de hac hæresi subtilius disputarunt.

Quod fuerit dogma Novatianorum.

Jam Novatiani dogma quale fuerit, Epiphanius statim initio hæresis aperit ; nimirum pronuntiasse ipsum : Nullam salutis spem superesse lapsis, quod unum duntaxat esset pœnitentiæ genus in baptismo. Quod ita Theodoretus concipit : Μὴ χρῆναι τοὺς ἀρτηθέντας σωτηρίας τυχεῖν. Verum non ea Novatiani opinio fuit ; eos qui gravioris peccati noxam contraherent, ab omni spe consequendæ salutis excludi. Nam et illos ad capessendam pœnitentiam hortari solebat ; et ut divinam

clementiam lacrymis ac sordibus elicerent, identidem admonebat. Sed hoc unum negabat, ad Ecclesiæ ac fidelium communionem recipi amplius oportere, neque penes Ecclesiam reconciliandi jus ullum ac potestatem esse. Quippe unicam illam peccatorum indulgentiam in illius arbitrio versari, quæ per baptismum obtinetur. Declarat hæc Socrates l. 4. c. 13. Scripsisse videlicet Novatum ταῖς πανταχοῦ Ἐκκλησίαις, μὴ δέχεσθαι τοὺς ἐπιτεθυκότας εἰς τὰ Μυστήρια· ἀλλὰ προτρέπειν μὲν αὐτοὺς εἰς μετάνοιαν, τὴν δὲ συγχώρησιν ἐπιτρέπειν Θεῷ τῷ δυναμένῳ, καὶ ἐξουσίαν ἔχοντι συγχωρεῖν ἁμαρτήματα. Sed et Ambrosius l. 1. de Pœnitentia c. 2. cum ita illos redarguit : « Quid autem durius, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent, cum utique veniam negando incentivum auferant pœnitentiæ? Nemo enim potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. » Hæc Ambrosius. Qui paulo post Novatianorum doctores ait, « omnia peccata Stoicorum quodam more paribus æstimasse mensuris ; » hoc est, ut sequenti capite docet, nullo criminum delectu habito, omnibus ex æquo veniam negasse : itaque sensisse Novatum. Perperam enim, ut monuimus, Novatum pro Novatiano solet usurpare ; cum hoc, quod ipse narrat, Novatiano potius congruat, qui stoicæ sectæ, ac philosophiæ sese dediderat. At Novatiani magistri sui acerbum nimis austerumque decretum ea moderatione temperarunt, ut gravioribus duntaxat criminibus veniam negarent, levioribus tribuerent. Sic enim Ambrosius : « Sed aiunt se exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatus ; qui nemini pœnitentiam dandam putavit, ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret ; ne ligando sperari a se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, qui solvenda a vobis esse putetis, et quæ sine remedio esse arbitremini. » Atque ut propius ad ea disputanda veniamus, quorum causa longius in hac Diatriba procedere statuimus ; sciendum est, non pro eo, quod lapsos ad communionem, et ecclesiasticam pacem admittendos negarent, Novatum et Novatianum hæreticos habitos, atque ab Ecclesia catholica proscriptos fuisse : sed quod nullum ad eos reconciliandos, condonandaque delicta jus in Ecclesia esse perfidiose, ac crudeliter asseverarent. Quod, inquam, clavium, ut vocant, potestatem Ecclesiæ, ac sacerdotibus detraherent, ut reliquos eorumdem errores omittam, Novatiani tanquam hæretici damnati sunt. Alioqui lapsos, hoc est idololatriæ contagione pollutos, in perpetuum ab Ecclesia summovere nondum pro hæretico decreto cognitum fuerat. Quin etiam priscis illis florentis Ecclesiæ temporibus certis peccatorum generibus communione interdictum, et quidem perpetuo fuisse, quam plurima Concilia, ac SS. PP. testimonia declarant. Quod cum ad antiquam Ecclesiæ disciplinam cognoscendam pernecessarium sit, et ad varios usus opportunum, nos quæ de ea re longo studio, ac diligenti lectione conquisivimus, in theologorum potissimum gratiam, paulo accuratius explicavimus.

§ II. — Quibusnam peccatorum generibus, et quatenus negata communio sit in Ecclesia veteri.

Nullum esse delicti, flagitiique genus, quod non eadem illa, quæ ligare ac retinere potest, solvere ac remittere possit Ecclesiæ potestas, neque probandum hoc loco est ; neque ab aliis, quam ab Evangelii, atque Ecclesiæ desertoribus, in controversiam adducitur. Hujus vero potestatis usum, cum in ejusdem Ecclesiæ arbitrio positus sit, varie temperatum et administratum esse non dubium est ; et ad continendam sanciendamque disciplinam severioribus interdum legibus, et institutis adstrictum. Quocirca sub ipsum Christianæ religionis exordium, flagrante peræque studio pietatis, et improbitatis odio, multo et graviores in delicta pœnæ, et diuturniores constitutæ sunt. Quæ res eo usque progressum habuit, ut atrocioribus quibusdam sceleribus venia, indulgentiaque funditus denegata fuerit, nunquam ut cum Ecclesia reconciliari possent. Quod ut ab hodiernis moribus et institutis abhorrens ne quis incredibile forsitan arbitretur, auctorem dabo Tertullianum, qui in libro de Pudicitia clare id, ac diserte testatur. Scripsit autem hunc librum cum jam ex Catholico Montani factus esset assecla, adversus Zephyrini papæ decretum, quo is adulteros post pœnitentiam admittendos edixerat : « Pontifex scilicet maximus (Tertulliani verba sunt) episcopus episcoporum dicit : Ego et mœchiæ, et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. » Quod summi Pontificis edictum Tertullianus oppugnans, ex eo redarguit, quod cum tria sint gravissima scelera, idololatria, homicidium, et adulterium, exclusis et in perpetuum rejectis duobus reliquis, solum adulterii crimen ad veniam exceperit. « Quid agis, *inquit*, mollissima, et humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis. Beati enim pacifici : aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem, et homicidam semel damnas, mœchum vero de medio excipis, idololatriæ successorem, homicidii antecessorem, utriusque collegam? Personæ acceptatio est, miserabiliores pœnitentias reliquisti. Plane si ostendas de quibus patrociniis exemplorum, præceptorum cœlestium, soli mœchiæ, et in ea fornicationi quoque januam pœnitentiæ expandas. » Hæc cap. 5. At postea c. 9. « Hinc est quod neque idololatriæ, neque sanguini pax ab

Ecclesiis redditur. » Quæ quanquam Montani jam imbutus errore scripserit; ex ipsa tamen argumentandi ratione colligitur, certis criminibus pacis, ac veniæ spem per illa tempora subtractam fuisse. Ut enim ex eo, quod in libro de Jejunio contra Psychicos, Catholicos reprehendit, quod unico Quadragesimæ jejunio contenti, cetera a Montanistis inventa repudiarent, quadragesimalis jejunii vetustas hoc ipso Tertulliani testimonio contra hæreticos hodiernos adstruitur: ita profecto duobus illis saltem, vel tribus initio peccatis pacem nullam ab Ecclesia concessam, ex ejusdem auctoritate, ac ratiocinatione concludi non immerito potest. Ac nescio an et idem Pacianus Barcinonensis episcopus docuerit in Paræsesi ad Pœnit. quæ est tomo 3. Bibl. PP. In qua peccatorum genera duo distinguit: Alia quæ capitalia vocat, quæque Joannes ep. 1. c. 5. *ad mortem* esse dixit. Ea vero non alia sunt, quam tria illa, quorum Tertullianus meminit, idololatria, fornicatio, et homicidium, quæ act. 15. in synodica illa apostolorum epistola nominatim prohiberi putat. « Despectus, *inquit*, in multis Spiritus sanctus hæc nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur. Hæc vero tria crimina ut basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda sunt. » Ac nonnullis interjectis: « Hæc quicumque post fidem fecerit, Dei faciem non videbit. Desperavere tantorum criminum rei. Quid vobis ego feci? Numquid non fuit in potestate ne fieret? Nullusne admonuit? Nemo prædixit? Tacuit Ecclesia? Nihil Evangelia dixerunt? Nihil apostoli comminati sunt? Nihil rogavit sacerdos? Quid quæritis sera solatia? Tunc decuit, cum licebat. Dura ista vox est: sed qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, etc. » Hæc igitur persuadere possunt, in Hispania saltem pristinam illam disciplinæ severitatem Paciani tempore viguisse. Tametsi ne id penitus affirmem, prohibent illa, quæ proxime subjunxit: « Accipite remedium, si desperare cœpistis; si miseros vos agnoscitis; si timetis. » Nisi hoc fortasse remedium ad solam pœnitentiam pertineat, quæ in eo genere peccati relaxanda nunquam fuerit.

Ex iisdem, nisi fallor, fontibus Eliberitani concilii decreta illa profecta sunt; quorum severitas paulo nonnullis acerbior visa eo demum illos impulit, ut ei concilio culpam, et errorem affingerent. Contra quos alii Innocentii decreto pugnant; qui in epist. 3. cap. 2. tacito nomine illius auctoritatem tuetur, et excusat. Ego tam hos, quam illos aberrare censeo. Sed Concilii canones imprimis animadvertendi sunt. In his multa adversus superiora illa, et atrocissima crimina sanciuntur; ac plerumque ne in vitæ quidem exitu communio conceditur. Nam in primo canone ita PP. constituunt: « Placuit ut quicumque post fidem baptismi salutaris adulta ætate ad templum idoli idololatraturus accesserit, et fecerit, quod est crimen capitale, (al. lectio; *quod est crimen principale, quia est summum scelus.*) nec in finem eum communionem suscipere. » Rursus can. 2. « Flamines, qui post fidem lavacri, et regenerationis sacrificaverint, eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem. » At can. 3. « Si non immolaverunt, sed munus tantum dederunt, placuit in fine eis præstare communionem, acta tamen legitima pœnitentia. Item ipsi, si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius his non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominici communione videantur. » Rursus can. 7. « Si quis forte fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta acta pœnitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem. » Tu ceteros consule, quorum plerique ad eamdem severitatem implicati sunt. In his Communionis nomine sunt qui Eucharistiam duntaxat intelligant; quasi a peccatis exsoluti fuerint illi quidem, sed Dominici corporis minime facti participes. Quibus nullo modo ab eruditis conceditur. Neque enim veteris Ecclesiæ ritu ambo ista sejuncta fuisse putant: neque quisquam pacem ac reconciliationem cum Ecclesia, quam nos *absolutionem* dicimus, obtinuisse videtur, quin una participandorum mysteriorum jus potestatemque sit adeptus. Nam post Σύστασιν, qui quartus ordo pœnitentiæ fuit, in quo solam ad orationis communionem admittebantur; subinde nullo interjecto gradu εἰς τὸν τέλειον, quod ultimum erat, ac perfectissimum, pervenire solebant. De quo sub finem disputationis hujus nonnulla disserentur.

Innocentii locus explicatur. — Clinici.

Videamus nunc quodnam de iis Innocentii judicium extiterit; imo utrum de illis locutus omnino sit, quod plerique omnes existimant. Hic enim epistola 3. ad Exuperium cap. 2. ita scribit: « Et hoc quæsitum est, quid de his observari debeat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ, et voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul, et reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior durior: posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur; et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem et duritiam subsequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, etc. » Hunc Innocentii locum, quod in eo genere luculentissimus sit, totum adscripsimus. Cum autem ad Eliberitani concilii decreta nominatim respexisse, cum hæc scriberet, Innocentium putent homines eruditi, mihi quidem non probant. Nam Eliberitanum concilium καθόλου

de iis loquitur, qui graviora et capitalia delicta commiserant ; quæ ad tria genera Tertullianus, et Pacianus revocant : quos quidem, quocumque demum tempore admitti sese postulaverint, repudiandos decernit. At Exuperii sciscitatio ad eos tantum pertinebat, qui post atrocia scelera pœnitentiam in extremum vitæ tempus distulissent. Alioqui cum infiniti canones de lapsorum, ac quorumcumque peccatorum pœnitentia, et reconciliatione conditi fuissent, tam ante, quam post Nicænum concilium ; cumque Nicænum ipsum de lapsis recipiendis tam diserte sanxisset; inepta sane fuisset Exuperii illa quæstio, si universe atque infinite percontatus esset. Sed nimirum alia, et a lapsis, ac peccatoribus reliquis illorum separata causa fuit, qui pœnitentiam ad instantis obitus periculum usque distulissent : quibus etiam moribundis olim interclusa communio est. Quod Cyprianus epistola 51. ad Antonianum evidenter significat. Nam cum adversus Novatianos ita scripsisset : « Miror autem quosdam sic obstinatos esse, ut dandam lapsis non putent pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam ; » postea ista subjicit : « Et idcirco, frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, et manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis, et pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari ; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit : nec dignus est accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. » De iis et Exuperius interrogaverat, et respondet Innocentius : quibus negatam esse communionem mirum videri non debet, cum vel catechumenos, qui, quod nondum Ecclesiæ potestati subditi essent, humanius tractandi fuerant, eadem illa canonum severitas perstrinxerit. Nam qui baptismum in obitum usque prorogassent, non illis quidem quod petebant denegatum fuit : sed iidem velut infamiæ notis inusti a sacerdotio penitus arcebantur ; quos etiam Clinicos nominabant : quod in causa Novatiani testantur SS. PP. et conc. Neocæsariense decrevit can. 12. De Clinicis igitur, ut ita dicam, pœnitentibus accipiendum est rescriptum illud Innocentii. Vel potius, cum et de illis agat præcipue, et eo narratio tota referatur ; altius tamen negotium repetens, quid de omni peccatorum genere Ecclesiæ consuetudo tenuerit, in memoriam revocat : quod ad Clinicos istos suspicamur postea fuisse restrictum. Primum enim de libidinosis et incontinentibus rogatus, de lapsis, hoc est idololatris nominatim decreta profert. Deinde cum pœnitentiam sine communione concessam asserit, non tam istud ad Clinicos, quod ad quoscumque peccatores attinet. Atqui de moribundis duntaxat interrogabat Exuperius ; et aliter dubitare, hominis erat parum in Ecclesiæ ritibus eruditi.

Triplex severitatis ecclesiasticæ gradus.

Quamobrem verisimile est Innocentium hypothesim ad thesim, hoc est generalem disputationem controversiamque revocasse : et causam attulisse cur aliquando tardis illis pœnitentibus ; olim vero etiam quibuslibet graviorum criminum reis, communionis spes præcisa fuerit. Nimirum, quo pœnarum metu in officio Christiani continerentur, principio communione prohibitos capitalium, uti dixi, scelerum conscios ; nec unquam sive incolumes, sive moribundos Ecclesiæ restitutos. Postea vero nondum penitus constituta pace, pœnitentiam quidem illis ac communionem indultam, qui mature ad eam petendam accessissent, ceteris in perpetuum rejectis. Ac postremo pacatis Ecclesiæ rebus, etiam tardiores illos instante jam morte communionem impetrasse. Tria hæc necessario distinguenda sunt Ecclesiæ tempora ; ut dissidentes a se invicem gravissimorum Patrum auctoritates concilientur. Et quidem prima illa severissimaque disciplina sub apostolorum tempora, et ad Tertulliani fere seculum obtinuit : quæ a Zephirino pontifice, quod ad mœchiam spectat, paululum relaxata, Cypriani temporibus majores ad lenitatem progressus habuit. Fuit enim secundum illud maxime tempus, quo nullum peccati genus a fructu communionis exceptum est ; sed ita tamen, si temporibus se ad pœnitentiam applicarent. Nam tum eos, qui in obitum usque proferrent, penitus interclusos fuisse censeo. Tandem vero ne istis quidem negari communionem placuit, cum, instaurata Ecclesiæ libertate, plurimum de antiquorum rituum severitate, ac duritia decessisset. Per hæc incrementa paulatim, quantum arbitror, disciplina processit. Neque tamen ubivis terrarum, et in omnibus Ecclesiis moribus hæc subinde recepta videntur : et cum aliæ aliis citius adscivissent, veteris instituti, ac severitatis reliquiæ penes aliquas diu admodum resederunt. Nondum enim generali aliqua sanctione, qua omnes Ecclesiæ tenerentur, ea res constituta fuerat ; aut illam certe tardius regionis alicujus consuetudo atque usus admisit. Quam in rem facit Cypriani dictum illud epist. ad Anton. « Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt ; et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt : non tamen ab episcoporum suorum collegio recesserunt. » Hæc ille Novatianum perstringens ; quod ad intempestivam in lapsos crudelitatem, quod minime necessarium erat, dissidium adjunxisset : cum alioqui de lapsis quod vellet privatim sentire potuerit, nec ab Ecclesiæ societate divelli. Quod de Tertulliano perinde usurpandum erat, si tam iste, quam Novatianus hactenus procederent ; ut lapsos reconciliari non oportere dicerent ; non autem veniæ tribuendæ jus ab Ecclesia prorsus abjudicassent : quam ob causam merito tanquam hæretici damnati sunt. Jam vero ex illorum numero, quos spissius, ac tardius in eam lenitatem infractos esse diximus, Hispanienses Ecclesiæ atque antistites recenseri debent ; quos non magis quam ceteros omnes, adeoque Ecclesiam initio totam tuetur excusatque Pontifex. Volo enim Innocentii

verba prudens lector animadvertat, *observationem, sive consuetudinem priorem tenuisse* : quod de provincialis synodi canone ac decreto nequaquam diceret ; sed de eo utique ritu, qui totius Ecclesiæ sit, aut majoris saltem partis consuetudine receptus. Quocirca præclare id, quod superius positum est, hoc Innocentii testimonium confirmat : negatam maximis sceleribus olim communionem fuisse ; qua postea permissa, soli illi excepti videntur, qui ad extremum usque vitæ periculum in delicto perseverassent. Unde in concilio Arelat. 1. can. 23. « De his, qui apostatant, et nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, et postea infirmitate correpti petunt communionem ; placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, et egerint dignos fructus pœnitentiæ. »

Est aliud insuper in illo Innocentii loco minime prætereundum ; cum ait *negatam fuisse communionem, concessam pœnitentiam ; ne totum penitus negaretur.* Ex quo ita colligere licet : nisi pœnitentiæ nomine absolutionem Innocentius intelligat, quæ a Dominici corporis usurpandi jure distincta sit ; de quo postea dicemus ; quibusdam peccatoribus pœnitentiam ita permissam, ut ea nunquam relaxaretur. Sic enim sese res habuit. Non temere quivis ad pœnitentiam admissus est : ut, quamvis nunquam in gratiam cum Ecclesia rediturus esset, tamen cum aliquo delectu publicam ad satisfactionem, pœnitentiamque reciperetur. Nam et in publica pœnitentiæ functione, vel citra absolutionis spem, suus quidem erat fructus : quod imprimis fidelium precibus commendatiores essent. Quod si præterea perpetua illa pœnitentia damnatis gradatim, ut ceteris, ad quartum, ultimumque ordinem liceret evehi, quam σύστασιν vocabant, non contemnendum operæ pretium extitit ; si minus ad pacem, et Eucharistiæ participationem, ad interiorem tamen orationis, ceterarumque rerum societatem transferri. Quanquam vix est ut credam perpetuis illis pœnitentibus postremum illum gradum patuisse : quin potius tribus prioribus definitos illos esse suspicor. Ita apud Basilium can. 73. ad Amphil. qui Christum negaverit, inter προσκλαίοντας in perpetuum relegatur. Ὁ τὸν Χριστὸν ἀρνησάμενος, καὶ παραβὰς τὸ τῆς σωτηρίας μυστήριον, ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτοῦ προσκλαίειν ὀφείλει, καὶ ἐξομολογεῖσθαι χρεωστεῖ, ἐν τῷ καιρῷ ᾧ ἐκβαίνει τοῦ βίου, τῶν ἁγιασμάτων ἀξιούμενος, πίστει τῆς παρὰ Θεοῦ φιλανθρωπίας. Ancyranum vero can. 23. eos, qui voluntarium homicidium perpetraverint, toto vitæ tempore ὑποπτώσει subjicit περὶ ἑκουσίων φόνων, ὑποπιπτέτωσαν μὲν, τοῦ δὲ τελείου ἐν τῷ τέλει τοῦ βίου καταξιούσθωσαν. Atqui Balsamo ad Basilii canonem non putat illos τῶν προσκλαιόντων gradu perpetuo fuisse damnatos, sed reliquos omnes ex Ancyranæ synodi præscripto percurrisse : quod haud scio an verum sit ; quoniam Ancyranus canon non satis commode ad eum sensum revocari videtur. Hoc vero, quod ex Innocentii epistola colligitur, etiam Cypriani auctoritas comprobat ; qui in epist. ad Anton. duo illa sic distinguit : « Miror, *inquit*, quosdam sic obstinatos esse, ut dandam lapsis non putent pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam. » Aliud itaque fuerit, pœnitentiam concedere ; aliud pœnitentes ad spem reconciliationis admittere. Quod in Novatianis nihilominus reprehendit Ambrosius l. 1. de Pœn. c. 1. « Quid autem durius, *inquit*, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent? » Sed alius Ambrosii seculo jam usus percrebuerat ; nullum ut peccatorum genus amplius excluderetur. Nisi forte adhuc in Hispania quibusdam in locis antiqui moris vestigium extaret, eoque sensu Pacianus accipiendus sit, cum tria illa capitalia crimina nullam impetrare pacem, veniamque pronuntiat. Quorum conscios cum ad procurandum nihilominus remedium hortatur, fieri potest ut ad capessendam sine ulla spe reconciliationis pœnitentiam impellat. Certe negari non potest, quin obscure ac perplexe de hac re Pacianus disputet ; adeo ut ex Eliberitano consessu asperiorem illam disciplinam expressisse videri possit.

Eliberitanum Concilium a Novatianæ hæresis suspicione vindicatur. — Negatam olim etiam in periculo mortis quibusdam fuisse communionem.

Ex iis omnibus liquet, procul a Novatianorum errore ac perfidia Eliberitanos Patres abfuisse ; nec aliud omnino nisi aut priscam Ecclesiæ disciplinam, sed usu jam obliteratam, denuo revocasse ; aut hærentem adhuc in Hispaniis novis legibus adstrinxisse : cum capitalium scelerum rei, præsertimque trium, idololatriæ, homicidii, et adulterii, olim, ut Innocentius docet, communi consuetudine veniam nullam, et absolutionem obtinerent : non quod absolvi ab Ecclesia non possent, ut Tertullianus asserebat ; sed quod ejus, quam amplissimam a Christo susceperat, potestatis usum certis finibus circumscripsisset.

Huic tam compertæ exploratæque doctrinæ nullos acrius repugnaturos intelligo, quam qui antiquitatis ecclesiasticæ minus periti veteris Ecclesiæ formam hodiernis ritibus institutisque metiuntur : quibus asperum et inhumanum videtur, homini ulli, qui commissi criminis dolorem, ac pœnitentiam præ se ferat, pacem, et absolutionem denegari. Quod ipsum tamen olim certo in hominum criminumque genere servatum fuisse tot illa hactenus allata testimonia demonstrant. Quibus unum alterumve ad cumulum accedat, ut vel ab invitis assensum res ita mereatur. Ac primum idem non obscure Cyprianus indicat, epistola 13. Cum enim lapsi quidam libellos a martyribus impetrassent, quibus freti recipi se in Ecclesiæ communionem impatienter peterent ; consultus ea de re Cyprianus ita constituit : « Ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativis eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel, si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque facere exhomologesin delicti sui possint, ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace. » Hoc illis duntaxat Cyprianus indulsit, qui

libellos a martyribus accepissent : ceteros, qui iisce libellis carerent, expectare tamdiu jussit, donec Ecclesiæ pax esset reddita. Quamobrem ne in præsenti quidem mortis discrimine posterioribus illis pacem tribuit. Alioqui nihil inter istos priores interesset, quos tamen meliori aliqua conditione uti oportuit. Atenim exhomologesis apud Cyprianum sacramentalem, ut vocant, confessionem non significat, neque pax absolutioque illa perinde Sacramenti pars fuit : cum etiam a diacono manus imponi jubeat, nisi presbyteri copia suppeteret. De exhomologesi dicam postea pluribus. Quod ad pacem reconciliationemque pertinet, sciendum est duplicem in ea partem ac velut fructum extitisse. Nam et a peccatis, hoc est culpa ipsa, quam diuturna pœnitentia diluerant, absolvebantur, et in integrum restituti ad perfectum cum Ecclesia fidelibusque commercium, ac divinorum mysteriorum communionem adhibebantur.

Cum igitur ab antistite, vel sacerdote pacem acciperent, utrumque merebantur. Sin nulla sacerdotum esset potestas, tum Ecclesiæ tantummodo conciliati pacem a diaconis impetrabant, cujus cumulum a sacerdote postmodum obtinerent. Quare Cyprianus libellis martyrum præditos, si minus utrumque, alterum certe beneficium consequi voluit, quo Eucharistiæ saltem compotes fieri possent. Neque enim existimare licet, id quod hodie fit, prius illos a peccatis absolutos, quam pœnitentia, hoc est corporum pœnis, ac luctuosis sordibus Ecclesiæ satisfecissent.

Aliud severitatis genus, ut nonnisi in mortis periculo communionem acciperent.

Huic affines, sed mitiores tamen reliquæ illæ Canonum sanctiones, ac Patrum decreta sunt, quæ peccatoribus nonnullis perpetuam pœnitentiam ita præscribunt, nunquam ut communionem, reconciliationemque, nisi in fine vitæ perciperent. Cujusmodi sunt Basilii ad Amphilochium can. 73. Ancyranus 23. jam a nobis citati. Accedit et Arelat. 1. canon 14. « De his qui falso accusant fratres suos, placuit, eos usque ad exitum communicare. » Toletanum quoque 1. can. 19. sanxit; « ut episcopi, vel diaconi filia, si devota fuerit, et peccaverit, et maritum duxerit, etc. si vivente marito secesserit, et pœnituerit, nullo modo nisi vita deficiens, accipiat communionem. » Sed et Valentinum can. 3. de iis *qui se post unum et sanctum lavacrum vel profanis sacrificiis dæmonum, vel incesta lavatione polluerint*, statuit, « Ut his juxta synodum Nicænam, satisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis vel solatii janua desperatione claudatur ; acturi vero pœnitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, etc. » In quo mirum est, cum Nicænus canon 11. eorumdem reos scelerum duodecim annis duntaxat satisfacere jubeat, atque ita reconciliari, Valentinos illos Patres, qui se Nicænam synodum sequi profitentur, tanto rigidiores ac severiores fuisse. Ad hæc in synodo, quæ Side in Pamphylia contra Massalianos habita legitur apud Photium p. 18. decretum est, ut quisquis post damnatam hanc hæresim seu verbis, seu factis contagione illius infectum se esse prodiderit, nunquam in posterum admittatur, quamvis millies se pœnitentium gradus omnes expleturum promittat : Μηκέτι λοιπὸν χώραν ἔχειν, μηδ' ἂν μυρίακις ἐπαγγέλληται, τὴν τάξιν ἀναπληροῦν τῶν μετανοούντων. Sic apud Eusebium l. 6. Hist. c. μβ' vel 36, Serapion senex vir egregius, quod in persecutione lapsus esset, tametsi communionem persæpe postulasset, nunquam est admissus : Οὗτος πολλάκις ἐδεῖτο, καὶ οὐδεὶς προσεῖχεν αὐτῷ, καὶ γὰρ ἐτεθύκει ; ut ad Fabium scribit Dionysius Alexandr. qui Novatiani, adeoque Cypriani ætate floruit. Addit nihilominus Dionysius moribundum jam Serapionem a se in communionem receptum. Hæc et alia superius ex antiquiorum auctoritate libata planum istud faciunt, nonnunquam absolutionem postulantibus, ex usu veteris Ecclesiæ denegatam fuisse ; imo vero ne in ipso quidem mortis periculo plerisque concessam. Hic justis de causis ambigitur, utrum austeriore illo Tertulliani seculo, quo peccatis quibusdam spem omnem reconciliandæ gratiæ præreptam docuimus, ne in vitæ quidem exitu repræsentata communio sit, idque vulgo ac passim observatum fuerit. Sunt qui ante Cypriani tempora morem hunc in Ecclesia viguisse censent; quo quidem, ut ingenue profitear, Tertulliani ac reliquorum, qui disciplinæ istius meminerunt, propensiora testimonia sunt. Sed et Cyprianus, quoties instante obitu communionem lapsis impartiri præcipit, tacite significat, recens illud esse decretum, et χθὲς καὶ πρώην ab Ecclesia constitutum, quo vetus et contraria sit abrogata sanctio. Primum enim quid attinebat lapsis iis, qui libellorum præsidio niterentur, in mortis tantummodo discrimine communionem concedere, negare ceteris ; si nemini sub mortem neganda pax esset? Deinde cum Romanus clerus de eodem negotio scribit ad Cyprianum, epist. 31. ex ipsa loquendi ratione non obscure idem demonstrat. « Cujus, *inquit*, temperamenti moderationem nos hic tenere quærentes, diu, et quidem multi, et quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis, et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus ; (de lapsis videlicet recipiendis ;) sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus : ut interim dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur; eorum autem, quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia, et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis, ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute, et sollicite subveniri. » Vides quam anxie, quamque sollicite, ac post longam exactamque consultationem, eo demum inclinarint, ut periclitantibus, ac desperatis potius, communionem conferrent. De quo

utique deliberandum non erat, si tum legitimum et usitatum esset, neminem in exitu vitæ a communione prohiberi. Eadem ex Dionysii Alexandrini verbis conjectura potest elici, qui apud Euseb. lib. 6. cap. μδ′ vel 36. in illa Serapionis historia, de qua superius mentionem egimus, scribit optimum illum senem appropinquante jam obitu puerum ad presbyterum misisse. Ἐντολῆς δὲ ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης, τοὺς ἀπαλλαττομένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἱκετεύσαντες τύχοιεν, ἀφίεσθαι· να εὐέλπιδες ἀπαλλάττωνται. « Mandato a me, *inquit*, edito, ut qui ex hac vita discederent, (pœnitentes scilicet, ac lapsi,) si id postularent, adeoque ante suppliciter rogassent, absolverentur, quo meliori cum spe migrarent. » Postremo cum in Ancyrana synodo can. ante citato præceptum sit, ut homicidæ nonnisi sub mortem reconcilientur, argumento est, olim ne in morte quidem pacem illis fuisse concessam.

Sed huic assertioni nonnihil refragari videtur, quod in magna Nicæna synodo can. 13. sancitum legitur : Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου, καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι. Appellat παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον, quo moribundis dandam pacem esse præscribitur; quod utrum ad ævum Cypriani restringi debeat, amplius cogitandum. Ceterum ad ejus, quam hucusque demonstravimus severitatis, ac negatæ communionis fidem pertinet, quod deinceps uberius disputandum nobis est; publica semel pœnitentia defunctis, si eadem in crimina relaberentur, omnem ad pœnitentiam, ac pacem aditum majores nostros interclusisse, aut ægre admodum ac raro tribuisse.

§ III. — Pœnitentiam ac pacem semel an sæpius Ecclesia vetus indulserit.

Non ad antiquissima solum, ac severiora tempora dubitatio ista pertinet, sed etiam posteriora, eademque commodiora complectitur. Nec de pœnitentiæ genere omni; sed de illa sola quæritur, quæ ob atrociora delicta publice susciperetur: cui proprie pax et reconciliatio respondere dicitur. Eam vero semel in omni vita permissam, jampridem eruditi viri docuerunt. Nam et istud ipsum ex vetustissimis Patribus Tertullianus; ex posterioribus Augustinus, et Ambrosius disertissime testati sunt. Tertulliani ex lib. de Pœnit. verba sunt : « Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat : sed jam semel, quia jam secundo ; sed amplius nunquam, quia proxime frustra. » Scripsit autem hunc librum Tertullianus antequam ad Montani dogma descisceret, ne quis in eo cavillationi locus esse possit; idque satis ipse per sese declarat : quanquam utrum Tertulliani sit, Erasmus ac Rhenanus ambigunt. Nec diffitendum est dissimili a ceteris stylo esse conscriptum, ac paulo diffusiore, quam auctor ille soleat. Sed sive Tertulliani sit, quod verisimilius cum Pamelio esse suspicor; sive alterius; vetustissimi plane scriptoris est, et eruditi. Multo id apertius tradit Augustinus epist. 54. a quo cum Macedonius quidam vir primarius quæsisset, utrum pietatis putaret esse, episcopis reorum pœnas deprecantibus annuere, itaque dubitasset : « Nam si a Domino peccata adeo prohibentur, ut ne pœnitendi quidem copia post primam pœnitentiam tribuatur, quemadmodum nos possumus ex religione contendere, ut nobis qualecumque illud crimen fuerit, dimittatur? » Augustinus ita respondet : « In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant, etc. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat : Aut date mihi eumdem iterum pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, et humanis legibus non prohibeor, in scortis, omnique luxuria, damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili. Aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frænavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita et concessa negavero, si me pœnitendo quam prius vehementius excruciavero, si miserabilius ingemuero, si flevero uberius, si vixero melius, si pauperes sustentavero largius, si charitate, quæ operit multitudinem peccatorem, flagravero ardentius; quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat : Nihil tibi ista proderunt in posterum ; vade saltem hujus vitæ suavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem, sacrilegamque dementiam. Quamvis ergo caute, salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere : Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? etc. » Augustino suffragatur Ambrosius lib. 2. de Pœn. cap. 10. « Merito reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam non putarent : quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia; quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati : sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum. » Demum Origenes hom. 15. in cap. 25. Levit. « In gravioribus enim criminibus semel tantum, vel raro pœnitentiæ conceditur locus : ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, et sine intermis-

sione redimuntur. » Quam ceteri nunquam iterari contendunt, Origenes interdum, sed raro, plus semel adhiberi significat. Quare hic locus insignis est. Verum Alexandriæ, atque in aliis, si forte, provinciis diversum atque in ceteris usum fuisse probabile est. Neque enim, opinor, posterioris ætatis rigidior disciplina fuit, ut, cum antea pœnitentiæ ac reconciliationis iterandæ potestas fieret, ea post primam deinceps negari cœperit. Ita quidem pronuntiandum videtur; nisi aliter Origenis græca se habeant, aut hic ejus locus interpolatus fuerit. Nam in eo doctorum consentanea judicia sunt : pœnitentiam publicam non amplius quam semel impetratam fuisse.

Ex quo perdifficilis existit quæstio; quid illis tandem hominibus factum sit, qui post priorem pœnitentiam in eadem scelera rursus incurrerent; verumne sit ab Ecclesia rejectos illos penitus, nec ad privatam saltem aliquam receptum habuisse, cujus beneficio in integrum restituti ad divinorum mysteriorum communionem redirent. Qui antiquioris Ecclesiæ formam ac consuetudinem ex hodiernis institutis et moribus æstimare voluerit, facile mitiorem in partem inclinabit; nec ab omni Ecclesiæ, Sacramentorumque consortio repudiatos illos persuadere sibi poterit. Quam in sententiam copiose quidam nuper ita disseruit. Triplicem ait apud antiquos fuisse pœnitentiam : publicam unam ob publica peccata : alteram privatam ac secretam propter occulta : tertiam ob eadem occulta crimina publice susceptam. Hanc vero postremam non eum tantum habuisse fructum, ut peccatorum culpam ac sempiterni supplicii noxam abstergeret; sed ut temporarias insuper pœnas diluerit, ac peccatores in integrum cumulatissime restitueret. Proinde non ejus copiam promiscue esse factam, neque quoties quisque peteret, facile permissam; sed in omni vita semel duntaxat. Hæc ille. Ex quibus, et ex iis, quæ consequenter disputat, velle istud videtur; istiusmodi criminum reos post priorem pœnitentiam ad privatam confugisse, ejusque beneficio nihilominus communionem assecutos esse.

Publica pœnitentia a quibusdam peccatoribus non sponte suscepta, sed necessario peracta.

Sed ad veterum Patrum testimonia, ac priscæ illius Ecclesiæ normam, et communem adeo sensum animum adjicienti mihi, parum commode pleraque explicata videntur. Etenim si graviorum delictorum conscii citra publicam illam, quam antea suscepissent, pœnitentiam emergere, et ad communionem pacemque reverti alterius ac privatæ beneficio potuerint; nonne melior illorum, quam ceterorum, conditio fuit, quibus sine publica pœnitentia reditus in Ecclesiam non patuit? Atqui nemo tam vecors erit, qui humanius cum illis actum putet, qui in eadem sæpius incurrissent, et quidem horrenda flagitia, quam cum iis, qui semel ea commisissent : quod ex illa opinione consequitur. Cujusmodi vero istud est; velut gratiæ, ac beneficii loco publicam illam pœnitentiam spisse ac difficiliter indultam? Nam si privata et occulta defungi possent, et in eodem ac ceteri loco esse; quis non tanto molestiarum ac temporis compendio mallet uti, cupidissimeque se, publica illa contempta, ad commodiorem alteram, brevioremque transferret? Volo enim illud mihi respondeant : Qui atrocioris culpæ conscius tum primum ad pœnitentiam accederet, utrum absque publica per privatam restitui potuerit, an necessario usurpanda illa fuerit. Si prius dixerint; si, inquam, necessariam illis publicam pœnitentiam negaverint, antiquitatis totius memoria teste refellerentur. Siquidem vetera omnia Concilia, omnesque Canonum conditores ita publicam lapsis pœnitentiam præscribunt, ac tempus rationemque definiunt, ita porro Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, antiqui ad unum omnes eosdem illos hortando, comminando, objurgando vel invitos urgent, et impellunt; ut minime hoc illis integrum fuisse significent. Restat igitur, nullo ut alio, ac ne privatæ quidem pœnitentiæ subsidio recipi in communionem Ecclesiæ potuisse concedant. Quod cum dederint; tum de illis quid sentiant requiram, qui secundo in graviora peccata lapsi publica uti pœnitentia non poterant; ecquid eos censeant per privatam pœnitentiam reconciliari potuisse? Nam si istud asserant, necesse erit una fateantur, feliciorem multo conditionem eorum extitisse, qui sæpius, quam eorum qui semel in vita deliquissent. Quod quibus tandem persuadere poterunt?

Explicatur probabilis de proposita quæstione sententia. — Capitalia crimina. — Venialia.

Cum hic sit quæstionis controversiæque status; exponam breviter quemadmodum res tanta dissolvi meo judicio, explicarique possit. Principio peccatorum apud antiquos invenio genera fuisse duo : Alia mortalia, sive capitalia dicebantur; non ut nos intelligere vulgo solemus, quæcumque Dei nos gratia, ac spiritalibus charitatis ornamentis spoliant; sed hujus generis certa duntaxat, quæ cum graviora ceteris essent, tum Canonibus ac Synodorum decretis nominatim expressa. Hæc, inquam, capitalia nominabant, quibus pœnæ a Canonibus singillatim propositæ. Neque enim vetustissima illa tempora persequor, quibus ea duntaxat capitalia vocabantur, quæ ab omni spe communionis arcerentur : de quibus ex Paciano, aliisque supra diximus. Alia vero leviora, et quotidiana dicebantur, sive quæ nos venialia nuncupamus; sive alioqui mortalia, sed de quibus nulla nominatim extaret in Conciliorum decretis mentio. Quale verbi gratia esse potest asperius in quemquam maledictum, aut convicium, perjurium, alaque sexcenta : quæ quanquam lethalia sint, nullæ tamen iis a Canonibus erant pœnæ constitutæ. Declarat hoc Origenes loco antea citato verbis istis : « Si vos, *inquit*, aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ muro ecclesiastici et apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hoc

est vendidisse domum, quæ in agro est, vel in vico, cui murus non est. Hæc ergo venditio hujusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis hujuscemodi pœnitentiam gerere. In gravioribus enim criminibus semel tantum, vel raro pœnitentiæ conceditur locus. »

Pœnitentiæ capessendæ ritus.

Quisquis igitur prioris generis crimen aliquod perpetrasset, hic ad antistitem ac sacerdotem accedens publicæ ab eo pœnitentiæ jus capiebat, præstituto ex Canonibus modo ac tempore; quo demum expleto a peccatis absolutus, communioni restituebatur, neque alia ratione, quam publice obita pœnitentia, reconciliari poterat; quod infinitis locis cum PP. ceteri, tum Cyprianus evidentissime declarat. Aliorum causa erat explicatior, quorum lethalis alioqui culpa nulla Canonum definitione comprehenderetur; ideoque privata pœnitentia satisfaciebant, quam sacerdotis prudentia moderabatur. Ac priores illi pœnitentes proprie dicebantur. Concilium Toletanum 1. can. 2. pœnitentes in clerum cooptari prohibet. Tum ista subjicit: « Eum vero pœnitentem dicimus, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario. » Ceterum post publicam illam pœnitentiam, si iisdem se criminibus obstrinxissent, ab Ecclesiæ aditu, et a mysteriorum communione penitus exclusi, reconciliari amplius non poterant; quod imprimis Augustinus affirmat. Quanquam fieri potest, ut in quibusdam Ecclesiis pœnitentiam iterare licuerit; cum id raro, adeoque nonnunquam fieri scribat Origenes. Neque vero id aut incredibile, aut adeo mirabile videri par est; si quis animo repetat, quanta in plerosque peccatores Canonum austeritas et constantia fuerit, ut quis semel duntaxat graviora flagitia commisisset, inexpiabilem noxam contraheret, aut inter pœnitentes assidue degens instante demum obitu pacem perciperet. Ut homicidæ in Ancyrano can. 21. Christi negatores in Basilianis Canonibus can. 71. aliaque id genus, aut iis etiam severiora, quæ ex superiori disputatione huc transferri possunt. Accedit, quod extremo vitæ tempore communione donati sunt; præsertim post Nicænum canonem editum, quo moribundis negari viaticum prohibuit: quod ubique terrarum deinceps obtinuit.

Quoniam Novatianæ hæresis cognoscendæ studium, et argumenti dulcedo quædam eo nos provexit, ut de pœnitentia tam multa verba faceremus; producenda paululum oratio est, ac de celeberrimo illo Nectarii facto, quo Confessionem ac Pœnitentiam abrogasse jactatur ab hæreticis, postremo disputandum. Cujus historiæ tractatio ad ea, quæ superius exposuimus, illustranda magnum adjumentum afferet; ne cui nimium hæc aliena ac longinqua forte videantur.

§ IV. — De memorabili Nectarii Constantinopolitani præsulis historia; et utrum ille Confessionem sustulerit.

Nihil ad elevandam Confessionis auctoritatem urgeri ab hæreticis acrius solet, quam Nectarii facinus illud, quod apud Socratem, et Sozomenum memoriæ proditum est; quo ille propter vulgatum diaconi flagitium confessionis ac pœnitentiæ usum abrogasse fertur. Cui quidem plerique dum occurrere, ac veritati patrocinari student, in absurdas, et inextricabiles fabulas æstu quodam disputationis abrepti sunt. Nonnullis etiam Cassiodori, atque Historiæ tripartitæ depravatus locus erroris occasionem dedit; dum ex latinis interpretibus potius, quam ex græcis fontibus, narrationem istam repetunt. Utrisque vero, sed nostris potissimum consulere hoc capite decrevimus. Nam quod ad hæreticos spectat, id me, Deo juvante, perfecturum confido, ut inscitiæ suæ monimentum in hac objicienda nobis historia defixisse potius, quam momentum ullum ad causam suam attulisse æqui omnes et iniqui statuant.

Sed ut a capite ipso disputationem arcessamus; proponam ante omnia, quæ de hac historia Socrates, ac Sozomenus scriptis commendarunt. Nam ab istis in reliquorum scriptorum commentarios facti illius est derivata memoria. Scribit igitur imprimis Socrates lib. 5. cap. 19. ex eo tempore, quo Novatiani primum emerserunt, episcopos pœnitentiarium presbyterum adjunxisse; ut qui post baptismum deliquissent sua apud illum peccata confiterentur. Eumdem porro Constantinopoli his de causis abrogatum fuisse. Fœmina quædam primaria ad eum confitendi causa sese contulerat. Cui cum peccata, quæ post baptismum admiserat, omnia singillatim exposuisset, obire pœnitentiam jubetur, ac jejuniis et orationibus assiduis insistere. In quo longius progressa (hoc est, ut declarat Sozomenus, diutius in Ecclesia perseverans) aliud quoddam scelus suum aperuit; stuprum videlicet, quod cum diacono commiserat. Τοῦτο λεχθὲν: hoc est, *cum hoc dictum esset;* diaconus in ordinem redactus est. Fremente vero, ac tumultuante plebe, et flagrantibus invidia clericis, Nectarius Eudæmonis cujusdam presbyteri genere Alexandrini consilio, pœnitentiarium presbyterum sustulit, et unumquemque suæ conscientiæ permisit, ut ex ejus arbitrio de mysteriis usurpandis apud se statueret. Hæc ad verbum Socrates: eademque Sozomenus lib. 7. cap. 16.

Vulgaris opinio de publica confessione. — Refellitur.

Ex quibus antiquatum Constantinopoli confitendi ritum, ac Pœnitentiæ sacramentum esse sublatum post Calvinum hæretici omnes colligunt. Nostri partim confictam hanc a Novatianis historicis fabulam opponunt; in eaque, ut in aliis plurimis mentitos illos esse defendunt : partim non sacramentalem, ut vocant, confessionem, ac tacitam, sed publicam putant esse sublatam. Sic enim existimant; eos qui publice pœnitentiam susciperent, sua quædam crimina, quæ sacerdos designasset, propalam, et in frequenti Ecclesiæ cœtu confiteri solitos : et eam ipsam publicam confessionem antiquasse Nectarium; quæ non tam ad culpæ promerendam veniam, quam ad pœnam satisfactionemque spectaret. Etenim matronam illam a diacono constupratam aiunt, cum ad publicam de more confessionem venisset, præscriptos sibi a pœnitentiario sacerdote terminos egressam, imprudenter incestum una illum patefecisse. Alii conscio, et auctore sacerdote divulgasse malunt, quod ob eam rem ab officio remotus fuerit.

Sed de publica confessione mox. Illud interim considerandum, unde tandem acceperint, mandatum mulieri, uti sua pro concione peccata omnibus ediceret. Duo sunt in græca narratione verba, ex quibus utcumque deduci potest. Nam apud Socratem : Ἡ δὲ προβαίνουσα, καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει. Quia προβαίνουσα dixit, et κατηγόρει, interpres ita vertit, *Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpæ seipsam insimulat.* Non recte, si quid in his video. Neque enim προβαίνουσα ad confessionem pertinet; multo minus ad publicam, quod de suo viri quidam boni solent adtexere. Sed nimirum, ut ex Sozomeno colligitur, cum in obeunda pœnitentia, in oratione, jejunio, frequentanda Ecclesia, longius procederet, alterum nefas interim commisit, et subinde declaravit; κατηγόρησεν, vel κατημύνυσεν, ut habet Sozomenus : non utique propalam, nec in publico conventu; sed privatim, et coram pœnitentiario sacerdote, apud quem identidem peccata deponeret; aut etiam citra Sacramentum cum eo, aut alio colloquens. Quidvis denique potius, quam ut publicam ad confessionem adactam dixerimus aut mulierem istam, aut ullum omnino mortalium. Hoc igitur a sacerdote, ab antistite, a paucis denique flagitio comperto, depositus est ille diaconus : ex quo paulatim percrebrescente fama, rem subodoratus est populus. Hinc illæ lacrymæ. Mentiar, nisi manifeste is ipse, cujus auctoritate nituntur, Sozomenus falsam illorum conjecturam redarguat. Qui instituendi pœnitentiarii sacerdotis causas disputans : Φορτικὸν, ait, ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν, ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν. Πρεσβύτερον δὲ τὸν ἄριστα πολιτευομένων ἐχέμυθόν τε, καὶ ἔμφρονα ἐπὶ τοῦτο τετάχασιν. Ὧ δὴ προσιόντες οἱ ἡμαρτηκότες τὰ βεβιωμένα ὡμολόγουν. Ὁ δὲ πρὸς τὴν ἑκάστου ἁμαρτίαν, ὅ, τι χρὴ ποιῆσαι ἢ ἑκτίσαι ἐπιτίμιον θεὶς, ἀπέλυε παρὰ σφῶν αὐτῶν τὴν δίκην [1] εἰσπραξαμένους. « Durum, *inquit*, et intolerandum initio sacerdotes esse judicarunt, sic tanquam in theatro, pro Ecclesiæ cœtu ac concione peccata pronuntiare. Quare presbyterum quemdam secretorum tenacem, ac prudentem ei muneri præposuerunt : ad quem peccatores adeuntes vitæ suæ noxas exponerent. At ille pro cujusque peccato meritas pœnas infligens dimittebat, cum a seipsis illas exegissent. » Quæ Sozomeni verba publicum illud confitendi genus alienum a majorum instituto, et a pœnitentiarii illius officio perspicue significant. Sed mirum quam hæc absurde latini auctores interpretati sint : qui e Sozomeno hanc historiam expresserunt. Nam in Histor. tripartita lib. 9. cap. 35. ita scriptum est : « Quoniam omnino non peccare divinum, et ultra humanam naturam esse cognoscitur; peccantibus autem, et pœnitentiam agentibus veniam Deus dari præcepit; qui vero confiteri refugiunt, majus peccatorum onus acquirunt : propterea visum est antiquis pontificibus, ut velut in theatro sub testimonio ecclesiastici populi delicta pandantur, etc. » Quæ sunt veri sensus inanissima, ac non solum a græcis Sozomeni verbis abhorrent, sed et pugnant ipsa secum. Quare haud vana suspicio est librariorum culpa vocem aliquam excidisse, atque ita restituendum esse : *Propterea visum est molestum antiquis pontificibus*, etc. Nam alioqui quid opus erat ἐχέμυθον sacerdotem deligere, si velut in theatro traducendus esset pœnitens, et ab ipsomet, aut a sacerdote illius peccata publicanda?

[1] F. *εἰσπραξομένους*.

Socratis parum sincera fides. — Explicatur Socratis locus.

Quæ cum absurdissima sint, et iis haud multo meliora, quæ a nonnullis afferuntur, nos in ea controversia duo quædam excutienda duximus. Alterum quorsum ille sacerdos institutus : alterum quatenus illius sit abrogata functio. Ac de Socratis fide, etsi, quod ad ipsum narrationis caput attinet, nihil hoc loco dubitemus, permulta tamen ad historiam ab eodem adtexta credimus; ut Novatianorum sectam, cui erat addictus, commentis ac mendaciis sublevaret : quod plerumque usurpare consuevit. Exemplo sit e multis illud, quod sub stylum modo subiit. Scribit ille lib. 5 cap. κβ' Cæsareæ in Cappadocia eos, qui post baptismum peccaverint, a communione rejici, quemadmodum Novatiani instituunt. Quod est mendacissimum, ut ex Basilio, ejusque pœnitentialibus canonibus liquet. Loquitur vero Socrates de veteribus Ecclesiarum τοπικῶν ritibus; ne quis post Basilii obitum aliter obtinuisse conjiciat. Ejusmodi igitur, hoc est confictum esse, vehementer suspicor; quod sub Novatianorum duntaxat ortum pœnitentialem presbyterum constitutum esse dixit : quem cum ait τῷ κανόνι περιστεθεῖσθαι ab episcopis, tecte admodum, et callide Novatianæ crudelitatis virus instillat, quasi tum demum totum hoc pœnitentiæ negotium excogitatum fuerit, ac novo canone sancitum. Neque enim recte τῷ κανόνι περιστεθεῖσθαι accipiunt vulgo cum interprete : ut sit *canoni adjicere*. Nam canonis decreto vult eum presbyterum adjunctum. Quare mox sequitur : hunc canonem

ab omnibus aliis receptum, a Novatianis duntaxat repudiatum fuisse. Verum ut de institutionis tempore nihil pugnemus, quod ad summam haud multum interest; sic, opinor, explicare ista possumus. Cum duo apud veteres essent, ut antea docuimus, peccatorum genera; alia graviora et capitalia, quæ nominatim Canones complectebantur; quibusque publica pœnitentia opus erat, leviora altera, hoc est a Canonibus præterita: primis Ecclesiæ temporibus, qui se prioris generis peccatis obstrinxissent, ad episcopos ut plurimum adeuntes præscriptam ab iis pœnitentiam explebant. Ac si quis vetustissima monumenta diligentius exploret, inveniet ab episcopis ipsis administrata ferme omnia, quæ ad pœnitentes attinebant, cum et pauciores adhuc Christiani forent, et rariora delicta, quæ publicam pœnitentiam exigerent. Posteaquam vero pariter et fidelium numerus, et majoris illa pœnitentiæ seges excrevit; graviora scilicet, capitaliaque crimina; cum unus par omnibus esse non posset episcopus, vicarium sibi presbyterum substituit, quocum laborem partiretur, quique iis potissimum audiendis vacaret, qui publica pœnitentia ex Canonum sanctione tenerentur. Nam eos, qui privatam tantummodo desiderarent, a minutioribus presbyteris absolutos esse credibile fit. Et quidem olim absente episcopo nonnunquam a presbyteris reconciliari pœnitentes solebant: sed extraordinarium jus illud erat, et identidem ab episcopo mandatum; non ordinarium, ac certis hominibus in perpetuum attributum. Quare ut apud Romanos capitalium causarum cognitio primum a senatu, quoties opus erat, consulum alteri, ambobusve, aut aliis magistratibus committebatur: postea quæstione publica constituta, singulis criminibus, quæ quidem atrociora essent, suus est judex ac prætor appositus. Sic in Ecclesia quondam pœnitentium causas, quibus vellet, disceptandas mandabat episcopus: postea certus ac perpetuus graviorum criminum judex, hoc est publicæ pœnitentiæ administrator institutus est. Ejusmodi pœnitentiarius ille presbyter fuit, orientibus Novatianis, si Novatiano historico credimus, a Catholicis adscitus. Idem postea stupri illius occasione Constantinopoli sublatus; unaque cum eo pœnitentiæ publicæ usus interruptus est. Pœnitentiæ, inquam, non confessionis publicæ; quæ nulla unquam in rerum natura fuit.

Pœnitentia publica, non confessio sublata Constantinopoli.

Quod enim publica duntaxat pœnitentia suppressa sit, vel auctor ipse post Socratem narrationis illius Sozomenus ostendit: qui idem, quod Constantinopoli abrogatum dixerat, alibi terrarum, et in Occidente, ac Romæ potissimum perseverasse docet; quod cujusmodi esset exponens, nullum alium nisi publicæ pœnitentiæ ritum significat: luctum videlicet, lacrymas cum pœnitentium ipsorum, tum episcopi ipsius, ac totius populi: ad hæc, jejunia, crebras orationes, ac stationes, sexcenta id genus, quorum in veteribus Conciliis ac sanctorum Patrum monumentis frequens est, et accurata mentio. Nuspiam autem publicæ confessionis usum ne littera quidem attigere Socrates ac Sozomenus; neque porro privatæ vel confessionis, vel pœnitentiæ meminerunt; quam utramque salvam atque incolumem etiam Constantinopoli mansisse nemini dubium esse debet. Neque quemquam moveat, quod Socrates subjicit, Eudæmonem istum, qui Nectario abrogandi pœnitentiarii presbyteri consilium dedit, hortatum esse, ut unumquemque suæ conscientiæ relinqueret: Συγχωρῆσαι δὲ ἕκαστον τῷ ἰδίῳ συνειδότι τῶν μυστηρίων μετέχειν. *Ut suapte conscientia fretus, ejusque secutus arbitrium mysteria capesseret.* Nam illud inter antiquitatis ecclesiasticæ peritos convenit, publicam olim pœnitentiam, hoc est pœnas ipsas, quibus satisfaciebant, earumque tempus, ac rationem tam constanter ac severe, et ad unguem observasse priscam Ecclesiam, ut ante justam ac legitimam illius functionem nefas esse putaret ad pacem et communionem accedere. Hinc acres ac vehementes illæ Cypriani præsertim querelæ, quas in libro de Lapsis, et in epistolis inculcat. « Ante expiata delicta, ait lib. de Lapsis, ante exhomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini, et minantis pacem putant esse, quam quidem verbis fallacibus venditant. » Hanc pœnitentiæ formam cum episcopi diligenter exigerent, nec, nisi absoluta illa perfectaque, quemquam admitterent, ablata Constantinopoli publica pœnitentia, privatim unicuique moderandæ illius ac terminandæ potestas est facta; cum ea tamen cautione, ut nisi rite, et pro delictorum modo a seipso pœnas repeteret, apud Deum nequaquam culpa careret. Aliquanto difficilius est, quod Sozomenus disserit. Queritur enim hoc velut fræno detracto majorem ad omne scelus impunitatem ac licentiam extitisse: Ἐπεὶ πρότερον, ὡς ἡγοῦμαι, μείω τὰ ἁμαρτήματα ἦν, ὑπό τε αἰδοῦς τῶν ἐξαγγελλόντων τὰς σφῶν αὐτῶν πλημμέλειας, καὶ ὑπὸ ἀκριβείας τῶν ἐπὶ τούτῳ τεταγμένων κριτῶν. « Quandoquidem minora, ut opinor, erant ante peccata: cum propter eorum verecundiam, qui illa confitebantur; tum ob eorum, qui ei negotio præerant, diligentiam, ac sollicitudinem. » Verum etsi Novatiani verba præstare nihil necesse sit, possunt ea tamen sic accipi, uti leviora fuisse crimina doceat, quod et illa confiteri, uni videlicet alicui sacerdoti, oportuerit, utputa pœnitentiario; et ab eodem inflictas pœnas excipere. Sublata vero pœnitentia, tametsi nihilo secius confiterentur, tamen publice nullam peccati sui significationem dabant; quod unum pœnitentibus molestissimum erat, et acerbissimum. Quare αἰδὼς illa, et verecundia non tam ad ἐξαγγελίαν referenda, quam ad publicam infamiam, et pœnam, quæ graviorum criminum confessionem necessario sequeretur. Nam aut nulla, aut leviori verecundia deinceps affecti sunt, quod scirent publica se ignominia, ac tam diuturno cruciatu carituros.

Explicatur Chrysostomi locus.

Ad eam mentem ac sententiam dirigi possunt,

quæ a Chrysostomo cum aliis in locis, tum hom. 5. de incomprehensibili Dei natura, parum commode dicta videntur; ubi peccatores ea se lege negat obstringere, ut hominibus, sed ut uni duntaxat Deo peccata fateantur. Διὰ τοῦτο παρακαλῶ, καὶ δέομαι, καὶ ἀντιβολῶ ἐξομολογεῖσθαι τῷ Θεῷ συνεχῶς. Οὐδὲ γὰρ εἰς τὸ θέατρόν σε ἄγω τῶν σῶν, οὐδὲ ἐκκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα· τὸ συνειδὸς ἀνάπτυξον ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτῷ δεῖξον τὰ τραύματα, καὶ παρ' αὐτοῦ τὰ φάρμακα αἴτησον. « Non te, *inquit*, in scenam ac conservorum tuorum consessum prodire jubeo; neque hominibus peccata tua patefacere: imo vero conscientiam tuam coram Deo aperi, etc. » Etenim quod tum pœnitentiæ publicæ usus intercidisset, peccata coram hominibus publicari desierant; hoc est externo illo squalore, ac sordibus, cilicio, volutatione, reliqua omni mœroris ac luctus significatione detegi. Quanquam multa sunt a sanctissimis Patribus, præsertimque a Chrysostomo in homiliis aspersa, quæ si ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris, boni sensus inania videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad imperitam fere multitudinem, exaggerandi causa, et subito quodam impetu dicendi ac calore profusa feruntur plerumque licentius. Unde ex aliorum comparatione locorum, vel Conciliorum potius, ac Patrum, temperanda, et in gyrum veritatis revocanda sunt.

Atqui innumera sunt antiquitatis testimonia, quæ peccatorum confessioni, et quidem secretæ ac tacitæ, luculentissime suffragantur: quæ cum hac una vel altera paulo obscuriore Chrysostomi sententia compensari possunt. Nam ut ego paucis absolvam; neque enim id modo agitur: quotcumque veterum PP. scripta sunt, vel Conciliorum decreta, quibus pœnitentiæ modus indicitur, totidem confessionis arcanæ firmamenta ac monumenta retinemus. Jubent antiquissima PP. atque Ecclesiæ consulta, lapsos pro peccatorum gravitate plecti, et ab antistitibus, aut sacerdotibus pœnitendi leges, ac conditiones accipere: ut, eorum causa cognita, ac prudenter æstimata, levioribus illos, gravioribusve pœnis coerceant. Quis nisi insanus aliter id administrari posse putet, quam si peccata sua ille ipse, qui admisit, exponat? Confessione igitur ac declaratione aliqua opus est. Ea vero privata ac tacita, ut hodie est, ita perpetuo fuit; nec ulla unquam publica usu ac moribus Ecclesiæ recepta: quod postremo loco demonstrandum suscepimus.

§ V. — Fueritne quondam publica peccatorum confessio Ecclesiæ moribus recepta.

Inveteravit hæc apud quamplurimos ætatis nostræ scriptores opinio: publicam peccatorum confessionem pœnitentiæ partem fuisse; eamdemque perinde ut cetera illius officia communi usu ac consuetudine receptam. Sed cujusmodi demum ea fuerit, quibusque definita peccatorum generibus, non eodem modo pronuntiant omnes: verum alii tolerabilem, alii prorsus absurdum hunc errorem interpretatione sua faciunt.

Fuere qui nullum peccatorum genus a publicæ lege confessionis exciperent; ne occulta quidem: quos prudentiores ceteri merito rejiciendos putant. Alii publica duntaxat crimina, vulgoque cognita publicæ illi professioni subjiciunt. Alii denique certa duntaxat ex omnibus a pœnitentiæ præsidibus delecta contendunt. Rursus aliqui pœnitentes ipsos asserunt in concionem productos sua propalam peccata confessos: alii, quo illorum pudori consuleretur, eas partes sacerdotibus demandandas putarunt; qui aut memoriter, aut ex scripto pœnitentium crimina in populum efferrent.

A quibus omnibus vehementer ego dissentio. Neque enim adduci possum ut existimem, legem ullam in Ecclesia fuisse unquam ejusmodi, quæ peccata proferri publice decreverit. Fuerit enim interdum aliquis, qui abundantia quadam doloris, ac pietatis delicta sua coram omnibus exposuerit: nequaquam tamen id in exemplum, consuetudinemque jure potest transferri. Sed ut magis in arcem quæstionis illius involemus, utriusque momenta partis et pondera diligenter æstimanda sunt; negantis, inquam, meæ, et affirmantis alterius.

Rationes quibus publica confessio probatur. — Quibus rationibus repudianda videatur.

Hæc igitur ex Nectariana illa historia nata potissimum videtur. Quam cum nostri acerrime ab hæreticis opponi cernerent, neque alium exitum difficultatis expedire possent, ingeniose istud ac solerter excogitarunt. Videbant enim id omnino sublatum a Nectario, unde tanta se invidiæ flamma concitasset. Hoc autem quid aliud esse, quam id ex quo matronæ stuprum, ac diaconi flagitium manarat in populum? Eam vero proculdubio confessionem fuisse; quod ita latine apud Socratem legeretur, *Mulier longius in confitendo progressa*. Nefas autem est arbitrari privatam et a Nectario confessionem extortam, et, quod caput est, ab illius successore Chrysostomo minime revocatam. Ob eas causas dubium nemini fuit, quin præter privatam illam, ac legitimam, et vero necessariam, quærenda esset altera, constituendaque publica. Cui stabiliendæ asserendæque varia postmodum præsidia conquisierunt, ex quorumdam PP. auctoritatibus: tum vero exhomologesin illam eo traxerunt; cujus antiquitas omnis Christiana persæpe meminit. Hæc illorum ratio

fuit. Nostra vero est ejusmodi. Cum de priscis Ecclesiæ ritibus agitur, nihil temere, nec absque veterum scriptorum expressis testimoniis afferendum. Neque enim id unum intueri satis esse, quam te probabiliter e laqueis quæstionis alicujus explices, quod in scholasticis controversiis usuvenit; sed quodcumque demum antiquioris Ecclesiæ moribus adscripseris, hujus ex historia tibi veritatem esse præstandam. Jam vero hic ille confessionis publicæ mos, quo de agitur, non modo solidum habet nihil, aut expressum ex omni vetustatis memoria, quo tueri sese possit; sed multis validissimisque rationibus evertitur. Sed repugnat præ ceteris gravissima S. Leonis sanctissimi pontificis auctoritas, qui hanc profitendorum publice scelerum consuetudinem tanquam apostolicæ regulæ contrariam improbat Epistola 80. cap. 2. Cujus verba hic omnino describenda sunt. « Illam, *inquit*, etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, (de pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur,) ne de singulorum peccatorum genere, libellis sculpta professio publice recitetur : cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudanda, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur : tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, quæ [1] pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentum precator accedit. » His verborum sententiarumque fulminibus commentum illud publicæ confessionis percellitur. Si enim ne volentibus quidem, atque ultro flagitantibus criminum reis, publice ista pronuntiari passus est, eamque *contra traditionem apostolicam præsumptionem* esse definit; estne ut rejectum ac damnatum tanti Pontificis judicio morem legitimum aliquando fuisse putemus, et communi ab omnibus Ecclesiæ jure servatum? Etenim plerique sic respondent : Leonem de occultis duntaxat criminibus loqui, quæ publice confiteri nemo debuerit, non autem de publicis, quæ unica publicæ confessionis seges extitit. Commodius isti sane, qui ab hac publici lege dedecoris occulta saltem excipiunt : quod ne alii quidem remittunt. Quorum nonnulla temeritas Tridentini concilii voce ac decreto notatur. Etenim sess. 14. cap. 5. cum docuisset publicam confessionem *nullo divino præcepto mandatam* fuisse, statim adjicit : « Nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. » Divinum prorsus ac tanto consessu dignum oraculum, ex quo non modo de secretorum criminum, sed etiam publicorum publica professione colligi potest, nulla unquam humana, hoc est ecclesiastica lege, quam divino præcepto Tridentini Patres opponunt, pœnitentibus impositam fuisse, ac ne imponi quidem prudenter potuisse. Siquidem vox illa *præsertim* hanc habet vim, ut cetera quoque parum consulte pronuntiari censeantur, adeoque quæ de illis publice confitendis lata fuerit lex, inconsulta sit minimeque prudens : etsi altera quæ de secretis idem statueret, prudentiæ minus habeat. Apparet igitur ex Tridentinorum PP. sensu nullam unquam istiusmodi legem extitisse, quæ ad publicam quorumcumque peccatorum confessionem pœnitentes adstringeret. Quare Leonis etiam decretum ad omnia peccatorum genera pertinet. Atque vel ex eo, quod fateri isti coguntur publica solum crimina confitenda fuisse, non occulta, nullam omnino confessionem publicam lege constitutam esse validissime probabitur. Etenim cum ob graviora duntaxat, et capitalia scelera pœnitentia publica præscripta sit, qui hæc publice, omnibusque consciis admisisset, cum publice postea pœniteret, quid ea confiteri necesse habuit, aut qui tandem in illis publice profitendis pudor, ac verecundia, cui in abroganda confessione Nectarius consultum esse voluerat? Queritur Sozomenus sublato hoc ipso, quodcumque tandem Nectarius antiquavit, velut fræno quodam detracto, majorem ad omne scelus licentiam homines habuisse, cum ante τῆς ἐξαγγελίας metus illos, ac verecundia coerceret. Nostri hoc ad publicam confessionem transferunt. Si, ut volunt, publicorum duntaxat, quis ille tantus pudor fuerit, non video; aut quis præcipuus ex ea fructus, quodve ad deterrendos a flagitiis homines momentum, cum ignota quæ profiterentur essent nemini. Ac seclusa confessione, publicus ille pœnitentium luctus, abjectio ipsa sui, sordes, lamentatio, supplicatio, ceteraque id genus satis magnam verecundiam præter sensum doloris attulerunt, quibus refrænari a vitiis, et in officio contineri possent. Quam et ipsam fateor publicam quandam peccati professionem fuisse. Ad quam accesserit sane nonnunquam etiam expressa verbis altera, et publica; sed quam non ulla ecclesiastica lex præscriberet, ac ne permitteret quidem fortasse, sed vehemens potius dolor, ac pietatis sensus extunderet. Denique quod a paucis aliquando factum, idque perobscure, colligitur, non id in consuetudinem, ac multo minus in legem debet referri. Quod prudentissime ab eodem illo Tridentino concilio declaratur his verbis : « Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, et sui humiliationem, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit : non est tamen hoc divino præcepto mandatum; nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, etc. » Addam et aliud denique, ut quam parum sibi opinio illa constet, omnes intelligant. Qui pœnitentiæ publicæ partem confessionem æque publicam faciunt, iidem majori ex parte occulta crimina palam declarari negant oportuisse. Atqui sæpenumero propter occulta

[1] For. qui.

solum, et ab ipso, qui commiserat, sponte prodita, publica est indicta pœnitentia. Caruit tum igitur aliqua sui parte, et quidem necessaria, publica illa pœnitentia.

Publica pœnitentia propter occulta peccata quibusdam imposita.

Quod autem etiam arcanis sceleribus publice inflicta pœnitentia sit, fidem faciunt antiquissimi canones : imprimis Basilii, qui can. 61. ad Amphilochium, de fure sic præcipit. Si quis sponte sua commissum fateatur, ut uno duntaxat anno pœnitentiam obeat. Sin convictus ac deprehensus fuerit, biennio. In concil. Carthag. 3. can. 32. decretum est, « Ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente episcopo, et necessitate cogente. Cujuscumque autem pœnitentis publicum, et vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante apsidem manus ei imponatur. » Hæc ipsa Concilii sanctio clarissime significat, alia præter publica fuisse peccata, quæ pœnitentia coercerentur : cum a ceteris publica nominatim excipiat. Deinde nec illud obscure colligitur : si ulla, qualem isti fingunt, publica fuisset peccatorum confessio, perraro tamen usum illius incidisse. Nam si publice, et in frequenti Ecclesiæ conventu jam ea prodidissent, cur in manifestissimis duntaxat, certisque criminibus manus iis ante apsidem imponitur? Quippe omnium sine ullo discrimine pœnitentium peccata jam erant illorum confessione manifesta. Neque vero dici istud potest, illustri aliqua auctoritate veterum ac Patrum niti confessionem istam publicam. Nam præter Nectarianam, uti diximus, historiam, nihil est admodum, ad quod conjectura illa possit adhærescere. Sed hoc quam inane præsidium sit, copiose demonstravimus. Intellectum est enim, non mulieris publica, et ecclesiastica confessione, sed aliunde stuprum illud esse compertum : totam denique publicæ confessionis tragœdiam ab interpretis errore derivatam ; qui ad id, quod Socrates scripserat, *longius progressam esse mulierem*, levi additione, sed magna veritatis fraude, *confitendi* vocabulum adjunxit. Cetera denique ita composita, explanataque sunt, nullum ut inde fucum coloremque sibi ementita illa confessio possit arcessere.

Origenis testimonia pro publica confessione expenduntur. — Explicantur Origenis loca.

Superest Origenis unus alterve locus, qui publicæ confessionis suspicionem aliquam possit injicere. Sed si diligentius consideretur, adversus illos ipsos magnopere pugnat, qui ejus se præsidio defendunt. Origenes itaque hom. 2. in Ps. 37. ea Davidis verba declarans, *Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt ;* hæc ad pœnitentem refert, qui peccato suo medicinam facere volens amicorum contemptum irrisionemque negligat. « Si ergo, *inquit*, hujusmodi homo memor delicti sui confiteatur quæ commisit, et humana confusione parvipendat eos, qui exprobrant eum confitentem, et notant vel irrident ; ille autem intelligens per hæc sibi veniam dari, etc. Si ergo sit aliquis ita fidelis, ut, si quid conscius sit sibi, procedat in medium, et ipse sui accusator existat ; hi autem qui futurum Dei judicium non metuunt, hæc audientes cum infirmantibus quidem non infirmentur, cum scandalizantibus non urantur, cum lapsis non jaceant : sed dicant, Longe te fac a me, neque accedas ad me, quoniam mundus sum ; et detestari incipiant eum, quem ante admirabantur, et ab amicitia recedant ejus, qui delictum suum noluit occultare : super his ergo consequenter dicit, qui exhomologesin, id est confessionem, facit, etc. » Sed postea clarius idem declarat, cum ad sui accusationem, et confessionem adhortans, ita loquitur : « Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, etc. ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit, et misericordem, si quid consilii dederit, facias, et sequaris ; si intellexerit, et præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, et curari, ex quo fortassis et ceteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari : multa hoc deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est. » Hactenus Origenes. Nullus in omni vetustate locus est, ex quo validius id affirmari putent, quod de publica confessione sentiunt. Nam in posteriori maxime sententia delectum peccatorum a sacerdote faciendum insinuat, quæ pœnitens ad omnium utilitatem publice profiteatur. Atqui nihil istos Origenes adjuvat : imo vero obest vel plurimum, quandoquidem de arcanis, occultisque peccatis, non publicis loquitur ; de iis, inquam, peccatis ista pronuntiavit Origenes, quibus illa, quam suadet, confessione patefactis, qui confitentem amabant, et admirabantur antea, deinceps velut ab impuro, contaminatoque discedant, ut in priore loco narrat. Item ejusmodi peccata illa sunt, quæ confiteri jubet, ut non temere in publico conventu debeant exponi, sed cum accurata deliberatione, et sacerdotis consilio : quod posterior locus admonet. Quamobrem occulta illa sunt, non publica atque manifesta, de quibus publice confitendis ne deliberandum quidem esset, si id publicæ pœnitentiæ ratio et Ecclesiæ lex necessario postularet. Cum igitur publicæ confessionis patroni nullam occultorum criminum, sed publicorum duntaxat, publicam confessionem legitimam fuisse velint ; idque et Leonis magni decretum, et Tridentini concilii auctoritas evincat : (neque enim ejusdem opinionis alios quosdam moramur, qui ex arcanis ipsis criminibus quædam etiam ad publicam professionem designata censent ; quorum est minus tolerandus error :) plurimum abest, ut ex illis Origenis testimoniis operæ pretium ullum ad commenti sui patrocinium faciant. Quæcum ita sese habeant, aliter Origenis accipienda illa verba sunt, cum publice accusanda, confitenda, aut exponenda peccata dicit, vel exhomologesin in-

stituendam : quod apud ceteros Patres, imprimisque Cyprianum frequenter occurrit. Neque enim perpetuo legitima aliqua peccatorum declaratio, ac singulorum expositio istiusmodi vocabulorum formulis intelligitur ; sed ea plerumque professio, quæ factis ipsis, ac pœnitentium officiis editur : aut si ore fortassis ac verbis, non ea singulorum criminum condicto loco ac tempore confessio fuit, ut vel ex scripto, vel ex memoria pronuntiarentur ; sed generalis scelerum agnitio, et improbitatis suæ professio, ac detestatio : cujusmodi esse videtur generalis illa confessionis formula, quam accuratæ ac privatæ peccatorum explicationi, aut incruento Missæ sacrificio celebrando præmittimus.

Quid sit exhomologesis. — Ea propria fuit ὑποπτώσεως. — Quid sit ὑπόπτωσις.

Neque tamen inficior, quin exhomologesis interdum veram et Sacramenti propriam, adeoque privatam peccatorum expositionem significet ; sed caute, ac prudenter in hujus vocis interpretatione versandum est, ut ex ipso narrationis contextu quo sensu a Patribus usurpata sit dijudicare possimus. Quam ad rem egregius est Tertulliani locus, lib. de Pœnit. c. 9. « Hujus, *inquit*, igitur pœnitentiæ secundæ, et unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, et frequentatur, exhomologesis est, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exhomologesis prosternendi, et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. » Sed de ἐξομολογήσεως notionibus variis jam pridem multa sunt a viris eruditis observata. Nos apud Cyprianum animadvertimus exhomologesin pro pœnitentiæ publicæ certa functione sumi, quæ uni ex quatuor pœnitentium gradibus præcipue conveniret : nimirum ὑποπτώσει, quæ tertio loco numeratur. Nam qui in eo gradu censebatur, ἐντὸς τῆς τοῦ ναοῦ πυλῆς, intra templi portam admissus, cum catechumenis facessere jubebatur ; ac certis diebus coram episcopo procidens impositione manuum, ac solemni precatione impertitus dimitti solebat. Unde ὑπόπτωσις est dicta, quod ὑπέπιπτεν, hoc est coram antistite procidebat, qui cum omni populo procidens et ipse primum, tum exsurgens, manus, uti dixi, pœnitentibus imponebat. Quod luculente cum primis declaratur a Sozomeno l. 7. c. 16. ubi pœnitentiæ formulam exponit, quæ Constantinopoli abrogata Romæ perpetuo mansit. Qua in Sozomeni descriptione plurima sunt, quæ ad omnes pœnitentiæ gradus pertinent, non pauca ad ὑπόπτωσιν referuntur. Cur autem exhomologesin huic tertio pœnitentiæ gradui potissimum assignem, Cypriani auctoritas movet, qui post alias pœnitentiæ functiones exhomologesin collocare solet, et reconciliationi ac communioni propiorem ostendere. Sic in epistola 10. ad clerum : « Nam cum in minoribus peccatis, *inquit*, agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exhomologesin veniant, et per manus impositionem episcopi, et cleri jus communicationis accipiant ; nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum ; et nondum pœnitentia acta, nondum exhomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur. » Sic epist 11. post actam pœnitentiam, subjicit exhomologesin. Et epist. 12. « Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, et exhomologesis fiat inspecta vita ejus, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab episcopo, et clero manus fuerit imposita. » Idem in orat. de Lapsis, et alibi sæpius eodem ordine commemorat. Quin etiam Tertull. lib. de Pœnit. enumeratis omnibus pœnitentium incommodis, ac vexationibus, hoc infert : « Miserum est sic ad exhomologesin pervenire. Malo enim ad miseriam pervenitur : sed ubi pœnitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. » Ex quibus perspicuum redditur, ante exhomologesin multas pœnitentium actiones alias antecessisse ; illam autem ὑποπτώσεως peculiarem esse, quia σύστασις non jam *miseria* dici potest, cum status hic pœnitentiæ commodissimus omnium extiterit. At ὑποπτώσεις multas acerbissimasque molestias habuit, et majore cum verecundia conjuncta fuit, cum in media populi concione sistens sese peccatorem profiteretur, ac generalem exhomologesin concipiens lacrymis atque ejulatibus instaret ardentius. Propterea concilium Ancyranum, ut supra vidimus can. 19. voluntarii parricidii reos toto vitæ tempore ὑποπίπτειν jubet.

Pœnitentium nomine vulgo tres primi gradus continentur.

Atque eamdem esse causam suspicor, cur pœnitentium nomine sæpe illi soli comprehendantur a Conciliis, et Patribus, qui in tribus primis gradibus hærerent. Nam in liturgiis ac sacrificiis post Scripturarum lectionem, et divini verbi prædicationem priusquam ad arcana augustioraque mysteria progrederentur, catechumenos, energumenos, cum pœnitentibus facessere diaconus imperabat. Dionysius lib. de Eccles. hierar. cap. 3. Καὶ μετὰ ταύτας (lectiones sacras) ἔξω γίνονται τῆς ἱερᾶς περιοχῆς οἱ κατηχούμενοι, καὶ πρὸς αὐτοῖς οἱ ἐνεργούμενοι, καὶ οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες. Sic in Constit. apost. l. 8. cap. 9. Καὶ ὁ Διάκονος λεγέτω· ἀπολύεσθε οἱ ἐν μετανοίᾳ. Verbum τοῦ ἀπολύειν *missam*, sive *missionem* significat ; ut in Expositione fidei catholicæ in fine operis hujus videbimus. Pœnitentium itaque discessio fiebat, duntaxat eorum, qui in tribus primis gradibus censerentur : uti veteres canones nos docent ; præsertim Gregorii thaumaturgi undecimus, idque pluribus Zonaras, et Balsamo interpretes observant. Nam qui in quarto gradu, hoc est τῇ συστάσει numerabantur, cum fidelibus perseverabant : Ἡ συστάσις, ait Thaumaturgus, ἵνα συνίσταται τοῖς πιστοῖς,

καὶ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηχουμένων. Hincmarus in epistola ad Hincmarum Laudunensem episcopum, quam Justellus citat : « Quidam jubentur usque ad missam catechumenorum manere in Ecclesia. Quidam autem sola intra Ecclesiam fidelium oratione jungi sacræ mysteriorum celebritati, a Dominicæ autem mensæ convivio segregari. » Quocirca οἱ ἐν συστάσει ὄντες extra pœnitentium ordinem ex illa Canonum, ac PP. loquendi ratione secreti sunt.

§ VI. — Quonam in pœnitentiæ gradu sacramentalis absolutio concessa fuerit.

Ex quo illa sane non levis existit quæstio : quonam tempore, quove in gradu postremam illam a peccatis absolutionem pœnitentes obtinerent. Quod enim subinde post editam peccatorum confessionem absolvi non solerent, idque nonnisi expleto pœnitentiæ tempore consequerentur, pluribus antea demonstratum est. Nunc illud merito dubitatur : utrumnam quarto insuper gradu, hoc est συστάσει, prius defungendum illis fuerit, quam sacramentalem, ut vocant, absolutionem impetrarent : an post ὑπόπτωσιν absolverentur a peccatis illi quidem; sed nondum tamen ad Dominici communionem corporis admitterentur.

Videri in tertio gradu collatam.

Ac videri sane potest, post ὑπόπτωσιν, peccatorum illis veniam, hoc est sacramentalem illam relaxationem esse concessam. Nam cum tertio ex illo gradu ad σύστασιν emerserant, pœnitentes esse quodammodo desinebant, ut paulo ante declaravimus. Quod argumento esse potest, relaxata jam illis, ac condonata esse crimina, propter quæ in illam obeundæ pœnitentiæ necessitatem incurrerant. Adde omnia illis, uno excepto Domini corpore, cum ceteris fidelibus fuisse communia : locum imprimis, ac tempus orationis. Neque enim cum pœnitentibus exibant, nec alibi, quam ubi fideles ceteri, versabantur. Tum sacrificia ipsa, et liturgias, quorum citra communionem erant participes. Deinde vero nemini dubium illud est, per impositionem manuum, cetera ut omittam, peccatorum illis temporibus tributam esse veniam. Docent hoc innumera Cypriani testimonia, quorum hactenus pleraque produximus; in quibus per manus impositionem pax et reconciliatio, communicatioque conceditur. Tum in Carthag. conc. 4. can. 76. de eo qui pœnitentiam in infirmitate postulat : « Et si continuo, *inquit*, creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. » Item canone 78. « Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint. » In Constit. apost. l. 2. cap. 41. ἡ χειροθεσία pœnitentibus ἀντὶ τοῦ λούσματος esse dicitur. At vero manus impositio propria τῆς ὑποπτώσεως fuisse videtur. Quo in gradu pœnitentes sub episcopi manus subibant : unde τῆς ὑποπτώσεως vocabulum deductum. Atque hoc ante postremam absolutionem, ac reconciliationem sæpius factitabant. In Laodic. can. 19. ubi liturgiarum celebrandarum forma præscribitur, Περὶ τοῦ δεῖν ἰδίᾳ πρῶτον μετὰ τὰς ὁμιλίας τῶν Ἐπισκόπων, καὶ τῶν κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι, καὶ μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους, τῶν ἐν μετανοίᾳ τὴν εὐχὴν γίνεσθαι, καὶ τούτων προελθόντων ὑπὸ χεῖρα, καὶ ὑποχωρησάντων, οὕτως τὰς εὐχὰς τῶν πιστῶν γίνεσθαι τρεῖς. Agathense conc. can. 15. « Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. » Item Carthag. 4. can. 80. « Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdotibus imponatur. » Itaque cum ab ὑποπτώσει ad quartum ordinem, ac postremum migrarent, probabile est per impositionem manuum sacramentalem illis absolutionem impertitam fuisse. Neque enim, quod sciam, antiqui canones post σύστασιν pœnitentibus impositam esse significant, sed eam impositionem cum ὑποπτώσει conjungunt. Quæ conjectura si cui forsitan placuerit, ad nonnulla Patrum loca transferri accommodarique poterit, in quibus pœnitentia sine communione certis peccatoribus concessa legitur. Ut cum Innocentius papa scribit, olim iis, qui reconciliationem sub extremum tempus vitæ postulabant, negata communione, concessam esse pœnitentiam. Nam pœnitentiæ nomine sacramentalis absolutio potest intelligi, quam citra Dominici corporis participationem impetraverint. Cyprianus insuper epist. 11. « Ante actam, *inquit*, pœnitentiam, ante exhomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in pœnitentiam impositam. » Ibi pœnitentia pro absolutione usurpari videtur, ut et alibi passim, quoties de reconciliatione loquens iis verbis utitur; *manu in pœnitentiam imposita*. Quocirca in fine τῆς ὑποπτώσεως forte an manus in pœnitentiam imposita fuit, hoc est absolutio, reconciliatioque data pœnitentibus, sic ut tantisper a mysteriis abstinerent.

Verum ne huic conjecturæ nimium confidam, unum illud facit; quod vetustissimi Patres imprimisque Cyprianus post exhomologesin, extremamque manuum impositionem statim ad mysteriorum communionem jus habuisse pœnitentes non obscure demonstrant. Sic in epist. 10. ad clerum : « Nam cum in minoribus peccatis (Cypriani verba sunt) agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exhomologesin veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant; nunc crudo tempore, persecutione

adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum ; et nondum pœnitentia acta, nondum exhomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo, et clero imposita, Eucharistia illis datur. » Idem repetit epist. 11. ac 12. et sexcentis aliis locis. Ex quibus efficitur, nonnisi peracta pœnitentia, et sub finem συστάσεως postremam illam manuum impositionem, qua sacramentalis absolutio continebatur, pœnitentes obtinuisse. Nihil enim inter pacem et reconciliationem ac mysteriorum participandorum jus interponendum videtur : et utrumque communionis appellatione comprehenditur. Hic igitur ἐπέχω, deque ea re doctorum, et antiquitatis ecclesiasticæ consultorum hominum judicium exspecto.

FINIS DIATRIBÆ DE PŒNITENTIÆ VETERE IN ECCLESIA RATIONE.

DIONYSII PETAVII

TRACTATUS

DE POENITENTIA PUBLICA

ET PRÆPARATIONE AD COMMUNIONEM.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE POENITENTIA PUBLICA
ET PRÆPARATIONE AD COMMUNIONEM.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

Ea est mysteriorum Religionis nostræ sublimitas, ejusque Sacramentorum usque adeo augusta majestas, ut cogitationes omnes nostras infinito superent intervallo, nedum ut ad Sacramentorum participationem, pro rei dignitate, animos nostros parare possimus. Quod fidei Christianæ caput, longe maximi momenti, est sæpe fidelibus inculcandum, et explicandum ita, ut ab iis intelligatur, præsertim ad augustissimum Eucharistiæ sacramentum quod attinet; quod cum sit omnium præstantissimum, affectionem animi religiosiorem, et absolutiorem a nobis postulat sanctimoniam.

Quare magni faciendi sunt, quicumque animabus fidelium regendis operam dantes quam maximam curam adhibent, ut eos doceant sese ad id Sacramentum excipiendum diligentissime parare. Dum enim animos illorum solida illa pietate perfundunt, viam illis aperiunt, qua possint pervenire ad divitias cœlestes ex eo thesauro inexhausto copiosissime sibi comparandas.

Scriptor libri, *de frequente Communione*, posset ad eam laudem adspirare, si cœptis suis exsequendis prudentiam zelo parem adhibuisset; sique animum, qui optimus esse potuit, sana doctrina comitata in eo opere esset, prudensque ejus expositio.

Laudabilem animum ejus esse dico, si modo ex vero, a libri sui initio, eum descripsit. Quid enim laudabilius, sanctiusque esse potest inscriptione, quæ fronti præfixa est : *De frequenti Communione, ubi sententiæ Patrum, Paparum, et Conciliorum, de usu sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ, fideliter explicantur; ut sint directionis loco iis, qui serio de sui ad Deum conversione cogitant, pastoribusque et confessariis, qui animarum salutis studio flagrant?* Tum subjicitur symbolica sententia, quæ necessariam animi præparationem duobus verbis complectitur, *Sancta sanctis;* ut hinc colligamus, cum volumus excipere divinum illum hospitem, qui est ipsamet sanctitas, nos oportere instar illius esse sanctos, non quidem pari gradu, (quod fieri nequit,) sed rudi saltem imitatione, et prout nostra fert imbecillitas.

Antonius Arnaldus merito hortatur Christianos, ut recte utantur duobus illis Sacra-

mentis, quorum unum viam ad alterum munit. Nimis multa fieri, aut dici nequeunt, ut honor et reverentia rerum usque adeo sanctarum augeantur; et præsertim quidem participationis panis angelorum, et cibi cœlestis, quæ in nos re ipsa Deum ipsum transfundit ita, ut dum Deus descendit, atque in unum corpus cum homine veluti coalescit, homo attollatur, unumque corpus cum Deo ipso constet.

Neminem novi, qui cum Arnaldo non sentiat: summa cura, ac diligentia sese ad id convivium, easve nuptias esse parandum. Pœnitentiam, qua hoc fit, oportet esse veram, constantem, animosam, non ignavam, veternosam et vacillantem.

Fateor SS. Patres, Doctores ac Concilia idem hac de re sentire, prædicare, confirmare, et gravissimorum testimoniorum pondere stabilire. Non nego Arnaldum jure queri, ob religionis teporem ac neglectum, qui nunc cernuntur in plerisque Christianis parum observantibus eximiorum monitorum, quæ illis a magnis viris suppeditantur, atque ab Ecclesia proponuntur, ut ex duobus illis Sacramentis fructum aliquem percipiant. Votis ejus mea conjungo, ac vehementer cupio malis illis medicinam fieri.

Igitur nihil est, quod reprehendam in animo, quem præ se fert Arnaldus, aut in egregiis illis contestationibus, quæ tam sæpe occurrunt, cum in præfatione, tum etiam in libro: aliud nullum ei esse consilium, nisi *ut aliquatenus dirigat animos, qui serio de sui ad Deum conversione cogitant;* proponatque iis certam viam ac rationem, quasi ex consilio quodam, ac libere ineundam.

Verum hic consistere eum oportuit, et decernere, sequi leges atque instituta Ecclesiæ, non ejus tantum, quæ seculis præteritis floruit, et quam *primitivam* vocamus; sed etiam ejus, quæ ei successit, et quæ etiamnum viget: cum ei sit par auctoritas, par cœleste auxilium, par denique jus ad condendas leges, easque nobis imponendas, ac seculis præteritis.

Non debebat hæc Ecclesia argui errorum, et pravarum consuetudinum in disciplina, qua utitur, quamque regimine suo ratam facit. Non oportebat docere fas esse, imo laudabile, discedere a vulgari more, præferreque prisca instituta, quod attinet ad cæremonias, ritusque, qui per se indifferentes sunt.

Satius fuisset non dixisse, *ordinariam praxim Ecclesiæ circa pœnitentiam esse hodie frequentissimam, quia favet impœnitentiæ communi plerorumque;* aut contendisse, *nullam esse vim consuetudinis in rebus ecclesiasticis.*

Non magis expediebat dicere, potestatem ligandi sacerdotibus collatam, potissimum sitam esse in impositione satisfactionis; finemque proximum, quem sacerdos sibi proponebat in vetere Ecclesia, dum audiret confessiones, fuisse pœnitentiæ impositionem. Scribendum etiam non fuit, magis satisfieri Deo novo illo genere pœnitentiæ, sitæ in abstinentia a communione, quam omnibus aliis bonis operibus, ne excepto quidem martyrio.

Hæc, aliaque ejusmodi, quæ leguntur, in opere *de frequente Communione*, neutiquam ostendunt rectum fuisse scribentis animum, qualis prima fronte videbatur; imo vero nos docent, ejus operis doctrina licentiæ periculosæ januam aperiri.

Hisce rationibus vehementer perculsus sum, atque adductus ad id oppugnandum, adhibendasque exiguas dotes, eruditionemque tenuem a Deo mihi concessas, ut animos hominum revocem ab errore circa caput, quod complectitur veritatem fundamentalem, atque essentialem catholicæ Religionis; quæ veritas pertinet ad auctoritatem Ecclesiæ catholicæ, potestatemque regendi fideles, quam a Deo accepit. Hæc enim potestas oppugnatur, et concutitur fundamentis hujusce operis: quod in disputationis progressu liquebit.

Igitur non ipsum auctorem, sed opus oppugno. Scriptorem non minus veneror et colo, quam librum improbo et vituperandum censeo. Oro autem cum lectorem, tum etiam ipsum Arnaldum, hoc ut persuasum habeant, utque sejuncta doctrina ab homine, ad eam referant quidquid est in disceptatione vehementiæ, atque ardoris. Existimo, virum studio restituendæ disciplinæ nimis procul fuisse provectum, nec satis attendisse quæ maturiore pensitatione digna erant. Puto eum in errorem delapsum ob speciem quamdam pietatis minus fucatæ, sanctitatisque perfectioris, qua ratione viri integerrimi falli solent, ut testatur S. Gregorius; qui sapienter observat eos esse laqueos, qui bonis ab inconspicuis hostibus tenduntur. « Iniqui enim, *inquit*[1], si aperte mali essent, a bonis recipi omnino non possent; sed sumunt aliquid de visione bonorum, ut dum boni viri in eis recipiunt speciem quam amant, permistum sumant etiam virus quod vitant. »

[1] Greg. 33. Moral. capit. 22.

Plura hac de re non dicam, sed disputationi ipsi reservabo : quæ quamvis sensim creverit, et præter primum meum consilium, non potuit tamen complecti quæcumque res postulabat, et quæ dici etiam debuissent. At necesse habui magnam partem eorum, quæ cogitaveram resecare, aut potius in aliud tempus differe ; dum interea experiemur, an Arnaldus in utilitatem suam vertet ea, de quibus in antecessum eum monemus.

Eadem cura adhibenda est in propinandis animorum remediis, hoc est, veris institutis, quæ adhibetur in propinandis remediis corporis, ut ejus morbi curentur. Imprudentis est, ea subito profundere, nimiaque copia præbere ; satiusque est, consideratius ac sensim iis uti, ne exacerbetur morbus, neve æger obruatur, nedum ut ex iis levamentum ullum capiat.

Oro Patrem luminum, ut ea tanta exuberantia ei impartiatur, ad quem potissimum spectat hoc opus, ut quid deliquerit agnoscat, utque Spiritus S. ea in illo peragat, de quibus in sequentibus idem Gregorius inducit Dominum sic loquentem [1] : « Ego, qui servorum meorum mentibus gratiam subtilissimæ discretionis inspiro, ut revelata malitia faciem ejus nudam videant, quam coopertam ille sub habitu sanctitatis occultat. » Hoc opto, eoque magis spero, quod mihi res est cum homine pietatem atque eruditionem præ se ferente ; quæ sunt aptissimæ emolliendis animis, iisque ad admittendum id quod est veritati, ac rationi consentaneum, comparandis.

Ad alios quod attinet, qui, cum imperitiores sint, avidius nova hæc dogmata complectuntur, eos oro, ut mature expendant, quæ iis in hoc opere offero ; meminerintque, in negotio tanti momenti, et ubi aguntur integritas fidei, animique salus, sibi diligenter cavendum esse, ne qua fraus oriatur ex novis dogmatibus, quæ spectant ad mutationem morum, institutorumque in universa Ecclesia receptorum. Memores sint salubris moniti Apostoli [2], *ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ ;* dictique Sapientis [3] : *Qui credit cito, levis est corde ;* ac tandem [4], esse *viam, quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem.*

CAPUT PRIMUM.

Nihil facile novandum in legibus, et præsertim ecclesiasticis. De consilio Antonii Arnaldi, in libro de frequente Communione. Vehementer esse suspectum, nec secum satis consentire.

I. Omnis innovatio justam metus, ac diffidentiæ causam trahit, præsertim ubi res agitur, quæ ad fidem spectat, aut ad officium nostrum erga Deum, quod Religionis virtus complectitur. Olim [5] laudatus est legislator, qui in urbe Italiæ leges consensu populi receptas ita sancivit observandas, ut nihil in iis mutari posset, nisi is, qui mutandum quidpiam in iis censeret, collo reste vincto, in publicum prodiret ; ita ut, si rationes ejus expositæ sat graves viderentur, lege abrogata, aut emendata, absolutus remitteretur ; si vero plerique ei adversarentur, fracta laqueo gula, pœnas temeritatis suæ illico lueret, ob spretam magistratus prudentiam, cujus administrationem reprehendisset. Æquo severior videbitur ea consuetudo, sed non potest non laudari legislatoris animus. Ita animati sint oportet, quicumque reipublicæ administrationi admoti sunt, in quorum manibus deposita est lex, res omnium sanctissima, et quæ a veteribus dicta est (1) *inventum et donum Deorum, urbis vero fœdus.* Curam omnem adhibere debent ad eam defendendam, tuendamque ejus ope tranquillitatem publicam, et

(1) DEMOSTHEN. contra Aristog. Νόμος ἐστὶν εὕρημα, καὶ δῶρον Θεῶν, πόλεως δὲ συνθήκη. Arist. 3. Polit.

[1] Gregor. ibid. — [2] Eph. 4. 14. — [3] Eccl. 19. 4. — [4] Prov. 16. 25. — [5] Diod. Bibl. Lib. 12. Demosthen. Orat. contra Timocratem.

amoliendas omnes turbas, ac dissensiones, quæ alioqui vitari non possunt.

II. Cum hæc verissima sint in legibus civilibus, reipublicæque administratione, multo veriora erunt, si spectemus animum, et quæ ad salutem æternam consequendam pertinent, sive sint a Deo ipso instituta, sive ab auctoritate Ecclesiæ manarint. Utraque enim sancta ac inviolata sint oportet, nec sine gravi delicto infringi, aut sine sacrilego facinore sperni possunt. Non ignoro quidem discrimen divinarum et ecclesiasticarum legum, et prioribus majus ac sanctius obsequium deberi; sed scio par esse, ut revereamur Ecclesiam, pareamus ejus mandatis, observemus ejus instituta, consuetudinesque sequamur; nec licere ea carpere, aut oppugnare, aut ejus præceptis resistere, atque adversari. Contemptus ille, et studium partium aperuere semper fenestram hæresibus et schismatibus, quibus Ecclesia seculis omnibus vexata est. Si nulla ejus rei argumenta suppeditarent nobis ratio, aut monumenta vetera, cum sacra, tum profana; exempla, quæ etiamnum præ oculis habemus, eam satis superque nobis persuaderent. Quænam enim alia causa proferri posset corruptionis seculi præteriti, quod videtur fuisse cloaca nequitiæ, atque impietatis superiorum omnium; præter pruritum illum, quem nunc in multis animadvertimus, et quo novo quopiam invento insignes fieri volunt, cum ad fidem quod attinet, tum ad vetera instituta, quæ sunt veluti termini a majoribus nostris positi, quemadmodum loquitur Scriptura [1], quæ vetat eos revelli?

III. Sed quid opus est nos ad præteritum seculum retrogredi, ut veritatem eorum, quæ diximus, comprobemus? Aperiendi sunt duntaxat oculi, ut cernantur turbæ paucis abhinc annis exortæ, et quæ etiamnum vigent, dolentibus omnibus bonis, in Religionis catholicæ detrimentum. Quis non mirabitur, hominem eruditione et loco, quem in Ecclesia Dei obtinebat, insignem, scriptis suis aggressum esse Calvini dogmata spargere, docere absurdas opiniones, damnatas ab universa antiquitate, sanæ Theologiæ contrarias, cum Scriptura pugnantes, et decretis sanctorum Conciliorum proscriptas? Peregrinus fuit, Galliæ infensissimus hostis, qui cum in lucem edidisset exsecrandum librum in Liliorum dedecus, et contumeliosum memoriæ Ludovici justi, nuper fato functi, postea conversis in partes catholicas armis, concussit potissima fidei fundamenta, dum evertit dogmata Ecclesiæ, et orthodoxæ fidei capita conculcavit. Qua in re, ea felicitate usus est, ut permultos invenerit, qui laudes ejus prædicent, defendantque, ac tueantur ejus doctrinam. Quamobrem sæpe non minus obstupefactus, quam dolens dixi, si Calvinus miseris hisce temporibus in vitam rediret, multos inventurum Catholicos eum sequi, defendendisque ejus erroribus, et promovendæ causæ paratos.

IV. Hoc vero maxime deplorandum est, calamitatemque auget, quod auctores profanarum illarum novitatum moribus inculpati esse visi sint. Vitam egerunt aut specie tenus, aut revera sanctam, antequam in id infortunium delaberentur. Qua illecebra capti sunt simpliciores, qui potius sensibus suis credunt, quam iis, quæ ratio et prudentia oculatioribus, atque in interiora acutius penetrantibus patefaciunt. Qui legent historiam ecclesiasticam, ut in ea hæresum origines quærant, invenient innumera exempla conditorum, ac patriarcharum infelicium sectarum, qui multo magis res suas promoverunt fama virtutis et probitatis, quam sibi apud populum compararant, quam acumine ingenii, orationis calliditate et elegantia sermonis. Sic infelix ille Arius, tristi vultu, ficta modestia, compositoque gestu, allexit ad se maximam partem populi et cleri Alexandrini, prout docet Epiphanius [2]. Similia etiam de Audio narrat [3], qui vitam agebat innocentissimam, nec minus erat conspicuus austera vitæ ratione, quam accurata observatione omnium legum et constitutionum ecclesiasticarum. Sic et Pelagius famosus hæresiarcha, a quo secta Pelagianorum nomen atque originem traxit, virtute et sanctitate inter monachos eximius erat, ut prodidit Augustinus [4]; qui existimavit sibi de illo honorifice loquendum esse, antequam eum penitus cognitum haberet. Quas laudes cum hæreticus in suam utilitatem postea vertisset, Augustinus [5] quod a se dictum fuerat, excusavit, rationibus prolatis, quas habuerat loquendi ac scribendi de Pelagio, quasi de bono viro.

V. Verum generalibus hisce omissis, ad peculiare hujus operis consilium deveniamus, quod eo tantum spectat, ut expendatur doctrina libri de frequente Communione; quæ doctrina per omnia non est sana, neque pror-

[1] Deut. 19. 14. Prov. 22. 28. — [2] Hær. 60. — [3] Hær. 70. [4] Aug. l. 3. de pecc. mer. c. 1. et 3. — [5] Id. lib. 11. Retr. cap. 23.

sus consentanea dogmatibus vulgo in Ecclesia catholica receptis, indigetque emendatione ex charitate profecta, ac minime fucata. Hoc constitui facere, illæsa tamen reverentia, quam homini debeo; quem sane veneror, et quem nolim ullius alius delicti arguere, præter animi errorem, nimiamque credulitatem, qua excepit opiniones hominum, quorum fidem suspectam ei esse oportuisset. Ei humanitatis officio hunc consecro laborem, quo decrevi ad examen revocare librum Antonii Arnaldi, non quidem particulatim, ut ille expendit celebre illud scriptum, in quod omnes suas machinas direxit : sed duntaxat ejus dogmata, ut multis oculos aperiam, ostendamque universum magni illius voluminis consilium, in quo libere exspatiatur, dum multis disserit de difficultate, quæ paucis verbis expediri potuisset.

VI. Difficile est sine dubio animum auctoris illico retegere, remque ita introspicere, ut animadvertas, quid in ea sit periculosum et pestiferum ; quod legentes sentiunt potius arcanis affectibus, malignisque effluviis, quam evidentibus indiciis, ex quibus res palam fiat. Sic notum est esse corpora, quibus insunt qualitates occultæ, quarum eo periculosiores sunt effectus, quo occultius, instar veneni, præcordia ejus quem afficiunt subeunt. Sic legimus esse oculos duplici pupilla instructos, qui pestiferi sunt, fascinantque eos, in quos defiguntur. Non opus nobis erit procul accersitis argumentis, ut ejusmodi esse librum Arnaldi intelligamus, nec minimum argumentorum meorum petetur ex pravis affectibus, quos in lucem emissus continuo edidit. Veritas ipsa nos docet, ad secernendam bonam aut malam affectionem animi, non secus ac arboris qualitates, certissima esse in fructibus indicia. Fructus autem, quos protulit hoc opus, fuere dissidia, animorum exacerbatio, offensio non tantum ignarorum, (duorum animos, et præsertim quidem mulierum, hæc novitas subiit, artibus eorum quibus ejus defensio cordi est,) sed etiam eruditorum, atque in theologicis rebus exercitatorum, eorumdemque bonorum, et utilitatum Ecclesiæ studiosissimorum. Horum animi eo magis offensi fuerunt, quo acutius præviderunt mala ex hac doctrina exortura, cui palam adversati sunt. Unde intelligere licet causam præcipuam, cujus impulsu is liber conscriptus est, esse spiritum dissidii, non Deum pacis et concordiæ, cujus operum effectus sunt hisce plane contrarii.

VII. Alterum argumentum, ex quo liber suspectus fit, etiam iis, a quibus nondum est lectus, aut qui non satis eruditi sunt, ut de re ipsa judicium ferant, est diffidentia auctoris, qui cum prævideret turbas, quas erat excitaturus, et periculum, quod ejus existimatio aditura erat, cumque justam censuram timeret, sibi conquisivit testimonia honorifica, quibus non tam ipse tegitur, quam consilium ejus aperitur. Qua in re singularis elucet providentia divina, quæ permisit eas ipsas artes, quibus conatus est consilium suum occultare, id in clariorem lucem protrahere. Alexiteria enim illa, quibus libro suo cavit, justam suspicionem in nobis creant mali cujuspiam in illo abditi, et doctrinæ, quæ non sit publici saporis; cum indigeat fuco, nec ausit aperte, et absque commeatu prodire. Quisquis aliquid dicturus, excusatione prius utitur, atque apologia, innuit satis se non confidere sibi, et timere, ne sua dicta minus probentur. Omnis apologia est indicium, ex quo intelligere est, id, quod defenditur, minime probari iis, apud quos eget apologia.

VIII. S. Epiphanius narrat [1], cum aliquando rogasset S. Athanasium, quid sentiret de Marcello Ancyræ episcopo, cujus fides suspecta erat, nihil quidem voluisse affirmare Athanasium, sed subridendo ostendisse se eum non habere pro viro, cujus fides esset plane orthodoxa, eumque referre in numerum eorum, qui apologia indiguerant, ut censeri possent e recte sentientium partibus stare. Quod tum potissimum intelligere est, ut dixi, cum excusatio vituperationem antecedit, cumque purgantur dicenda, antequam audita sint. Hinc enim liquet aliquid novi esse proferendum, de quo pertimescitur judicium eorum, quibus exponitur. Quod consentaneum est responso regis illius, qui militi narraturo calamitatem, quæ sibi contigerat, negantique in antecessum rem sua culpa accidisse, reponit apud Sophoclem : « (1) Rem ambagibus involvis, ostendis te novi quidpiam dicturum esse. » Si Arnaldus, more solito, librum suum edidisset, res fortasse lectores fugisset; cumque nihil mali esset suspicatus, nemo rem accurate expendisset, adeoque exiguo strepitu confectum negotium fuisset : sed

(1) Sophocl. in Antig.

Κἀποφράγνυσαι κύκλῳ
Τὸ πρᾶγμα, δηλοῖς ὥς τι σημαίνων νέου.

[1] Hær. 71. § 4.

splendor quem operi suo conciliare conatus est, apparatusque ille elogiorum, et laudum quæsitarum, quo frontem libri exornavit, oculos hominum ad eum converterunt, et acutiores ad plenius examen instituendum excitarunt, quasi veteris apologi monitum confirmare voluisset:

> Tacitus pasci si posset corvus, haberet
> Plus dapis et rixæ multo minus, invidiæque.

IX. Profecto cum hæc mecum reputo, non possum satis mirari, virum ceteroquin eruditum tam imprudentem fuisse, nec melius secum consensisse. Si enim audias quæ habet in præfatione, et per totum librum, videbitur optimo animo scripsisse. Dejerat se nihil inusitatum velle docere, aut se quidquam tradere, præter communem doctrinam ab omnibus spiritualis vitæ magistris confirmatam. Contendit viros hujusce seculi eminentissimos, S. Carolum Borromæum, Franciscum Salensem episcopum Genevensem, Ludovicum Granatensem, multosque alios sanctitate celebres eamdem docuisse. Præsertim neminem vult ignorare eam a S. Concilio Tridentino, quatenus licuit, defensam, ac probatam. Attamen in eadem præfatione, multisque operis locis, fatetur se oppugnare usum consuetudinemque receptam Ecclesiæ.

Timet [1], ne *multi* de iis, quæ habet, « judicent ex præjudicio consuetudinis, potiusquam ex judicio veritatis. » Profitetur nunc solere fieri in Ecclesia, quod improbat, et quod nititur evertere. Eam consuetudinem vocat [2] « ordinis perturbationem, et corruptionem morum ac disciplinæ, » quas licet oppugnare, cum sit magnum discrimen inter fidem et mores Ecclesiæ; quæ, ad fidem quod attinet, incorrupta est, sed in moribus semper magis ac magis a primæva sanctitate desciscit.

X. Existimo hinc Arnaldum nullam aliam agnoscere Ecclesiam, præter eam in qua se vivere profitetur, nimirum, catholicam et Romanam: illinc vero fateri eam nunc uti institutis diversis ab iis, quæ eam docere vult. Igitur altera illa consuetudo, quamvis melior et sanctior, ut dicit, nova est universæ Ecclesiæ, quæ cum in doctrina et fide aberrare nequeat, in moribus, ut ille putat, delinquere potest. Quod debet de universa Ecclesia intelligi, cum sola erroris omnis in doctrina sit immunis, non vero delictorum in moribus, ac disciplina, si credimus Arnaldo. Itaque, si tota spectetur Ecclesia, opiniones ac consuetudines habet diversas ab iis, quas vellet earum, quæ obtinent, loco subtituere, et quæ proinde non possunt non esse novæ. Sic secum scriptor ille pugnat, quod et per totum opus solet, quemadmodum demonstrabimus.

CAPUT SECUNDUM.

Librum de frequente Communione plenum esse fuco atque malis artibus, in doctrinæ propositione: quæ semper observata sunt in iis, qui novi quidpiam in Ecclesiam intromittere conati sunt. Quod confirmatur exemplis ex historia ecclesiastica, ut Marcelli Ancyrani, Pelagii et aliorum.

I. Quod scriptor quidam vetus affirmavit de Virtute, idem pari fiducia de Veritate dici potest: si conspiciendam se hominum oculis præberet, mirabiles sui amores excitaturam; contra si Mendacium, ac Vitium sese nuda patefacerent, nemini probarentur, omnesque a se fugarent. Ideoque mendacium arte et dissimuatione utitur, quibus se occultet; at veritas nullo unquam utitur fuco, comitesque indivulsas habet candorem ac simplicitatem. « [3] Veritatis simplex oratio est, ideoque illam implicare non oportet; nec enim quidquam minus convenit, quam subdola ista calliditas animis conantibus magna. »

II. Hoc animadvertere licet in libro de frequente Communione, cum sit totius operis veluti character. Perpetuæ in eo dissimulationes, et verba fere semper ambigua lectoris

[1] Præf. a p. 6. — [2] Ib. ooo p. 8. et uuu. p. 1.

[3] Senec. Epist. 49.

animum suspendunt, nec satis plene mentem auctoris exprimunt. Ad me quidem non pertinet decretorio judicio doctrinam castigare, et, ut loquuntur, *qualificare;* sed, ut intra modestum examen me contineam, patietur Arnaldus, me eum monere de eo, quod solet objicere scripto anonymo : ipsum nempe imitari eos, qui bellum intulere Ecclesiæ, et qui fraude usi sunt, cum eos æquitas et justitia causæ deficeret. Quod, arcano Dei judicio, nimis sæpe secundum eventum sortitum est, pravis cœptis ad exitum perductis.

III. Sic pessimos libros, exitialesque opiniones sæpe sustentavit auctoritas magnorum, et doctrina ac sanctitate insignium virorum, ne exceptis quidem Pontificibus maximis et Conciliis. Hæc quidem non errarunt in fide, quod fieri nequit; sed decepta sunt, artibus novatorum, qui dissimulare, et dogmata sua tam callide fucare norant, ut difficillime verum a falso dignosci posset. Exempla aliquot, quorum memini, hanc in rem proferam; quorum primum, quod singulare est, et apprime ad hanc rem facit, legere est in historia Marcelli Ancyrani, qui hæresiarchæ Photini fuit magister.

Is, [1] cum scriberet contra Asterium sophistam, qui partes Arianorum tuebatur, in alterum extremum prolapsus est, protulitque enunciationes, quæ revera Sabellianismum redolebant; sed quæ ita erant expressæ, ut difficulter argui posset, parato semper subterfugio quopiam, quo elaberetur. Postea cum propterea accusatus fuisset, et exutus episcopatu, in concilio ab Arianis Constantinopolim coacto, appellavit Julium pontificem maximum, qui, appellatione admissa, ad se vocavit eos, a quibus damnatus fuerat, ut sententiæ contra eum latæ rationem redderent. Qui cum se sistere nollent, sanctus Pontifex Romam concilium coegit, in quo auditus Marcellus rationem reddidit doctrinæ suæ, purgavitque quæ sibi objecta fuerant, questus adversarios dicta sua male interpretatos esse, atque in alienum a sua mente sensum detorsisse. Quibus auditis, absolutus est, ac redintegratus; adversarii vero, quod se non stetissent, damnati.

IV. Postea [2] stetit coram alio episcoporum cœtu, in generali concilio Sardicensi, ubi iterum liber ejus et doctrina sunt ad examen revocata. Ibi cum secundum se purgasset, absolutus est; cum dixisset propositionum omnium, quæ ipsi tribuebantur, nullam se quasi partem fidei suæ protulisse, sed tantum quasi quæstiones expendendas proposuisse. Sed longum præterlapsum non est tempus, antequam agnosceretur qualis erat, hoc est, hæresiarcha, a quo vocabulum duxit secta *Marcellianorum*, quæ eadem fuit, ac Photinianorum. Epiphanius certe eum inter hæresiarchas recenset, ejusque hæresim 72. habet. Quo in loco commemorat judicium S. Athanasii, cui suspectus factus erat. Addit confessionem ejus fidei, quam neque prorsus probare, neque penitus improbare sustinebat; quia expressa est locutionibus generalibus atque ambiguis, quæ vel prudentissimos fallere queant. Itaque postquam diu justam censuram arte evasisset, tandem damnatus fuit, consensu totius Ecclesiæ et SS. Patrum. Primus ejus errores aperuit S. Athanasius, qui eum ad tempus excommunicavit, paulo post Sardicensem synodum, ut prodidit sanctus Hilarius [3], qui eum inter hæreticos refert [4], ut et S. Basilius variis in epistolis [5], S. Chrysostomus [6], S. Victorinus [7], Theodoretus [8], et omnes qui ejus meminerunt. Eusebius Cæsariensis contra hunc Marcellum quinque libros scripsit, ex quibus, locisque Marcelli quos profert, colligere est, in gravi eum errore versatum esse. Verum histrioniam tanta arte fecit, itaque dissimulavit, ut acutissimos fefellerit, fucumque fecerit Pontificibus Maximis, episcopis, et universo Concilio generali [9] : a quibus impetravit approbationem libri, in quo erant errores contra fidem, qui postea retecti sunt, atque ab Ecclesia damnati. Insigne profecto illud est exemplum.

V. At exemplum Pelagii, ejusque asseclarum multo mirabilius est, mea quidem sententia, et magis ad rem facit. Is hæreticus, Cælestiusque ejus discipulus tanta calliditate fuerunt, ut aliquandiu viri sancti, moribusque et doctrina inculpati habiti sint. Quamvis accusati fuissent, vocatique ad tribunalia episcoporum, et Pontificum, tanta dexteritate sese omnibus accusationibus expediverunt, ut accusatores ipsos infamatos reos fecerint. Pelagius diu famam sancti viri obtinuit, quemadmodum testatur Augustinus[10]. Deinde [11] cum bis accusatus fuisset a duobus Galliarum epi-

[1] Hilar. in Fragment. Epiphan. Hæres. 77. Sulp. Sev. L. 2. Sacr. Hist. Athan. Apol. 2. — [2] Ep. Syn. Sard. in Ath. Apol. — [3] S. Hilar. lib. 2. Fragm. — [4] In lib. ad Const. — [5] Ep. 23. 52. 74. et 78.

[6] Hom. 2. Epist. ad Heb. — [7] Lib. contr. Arium. — [8] Lib. 2. de Hær. — [9] Epist. Sardic. Concil. apud Athanas. Apol. 2. pag. 594. Edition. Commel. — [10] Lib. 3. de Pecc. Mer. cap. 1. — [11] August. Lib. de gestis Pel.

scopis Lazaro et Herote, qui criminationes suas in Palæstinam usque miserunt, convocata est celeberrima synodus Diospolitana, in quam quatuordecim ex vicinis tractibus episcopi convenere. Synodo cum se stetisset Pelagius, interrogatus est de singulis capitibus accusationis, enunciationesque ex libris ejus exscriptæ examinatæ sunt; sed homo callidus ita judices delusit fucatis verbis, ambiguisque responsionibus, ut absque ullo dedecore dimissus, penitusque absolutus fuerit, consentientibus omnium episcoporum suffragiis.

VI. Neque hic substitit, nam paulo post ad Pontificem Maximum scripsit; misitque ad eum testimonia episcoporum de integritate suæ fidei, cum confessione, quam tanta arte composuit, adhibitisque locutionibus adeo obscuris et ambiguis, ut Zozimum pontificem fefellerit. Paria fecit Cælestius ejus discipulus, qui ad eumdem Pontificem confessionem fidei suæ misit. Hisce artibus ac dissimulationibus usque adeo sibi conciliarunt Pontificem, ut eorum defensionem aggressus sit, scripseritque litteras in eorum gratiam ad S. Augustinum, aliosque Africæ episcopos, qui eos accusarant, et de iis damnandis consilia agitabant. In iis litteris male habebat duos episcopos qui accusatores eorum fuerant, insimulabatque calumniæ atque fraudis, et Pelagium ac Cælestium bonos viros et catholicos esse dicebat. Verum paulo post fraudem retexit: quæ cum agnita fuisset, eorum hæresis damnata est in generali Concilio omnium Africæ episcoporum [1].

VII. Exemplum eorum, quæ contigere in synodo Ariminensi, non minus est insigne, atque ad hanc rem nostram apprime etiam facit. Prodidit historia ecclesiastica, in eam convenisse quadringentos episcopos, plerosque catholicos, qui primum quidem repudiarunt enunciationes Arianorum, easque damnarunt. At aliquanto post iis oblata est confessio fidei tanta arte conscripta, ut Catholici tandem hæreticorum precibus cesserint, cum hi dictitarent spectari concordiam partium; quæ sperari poterat, si fieret ejusmodi confessio generalioribus loquutionibus expressa. Sic hæresis auctoritatem nacta est a Concilio, nihil mali spectante; et ferme, ut scribit Hieronymus [2], extincta est fides catholica.

Hisce addendum etiam exemplum Honorii pontificis [3], qui initio hæreseos Monotheletarum deceptus fuit litteris Sergii patriarchæ Constantinopolitani, hæretici et callidi hominis, qui ita os sublevit Pontifici, dum ei rationem reddit suæ hæreseos obscuris atque ambiguis verbis, ut assensum ejus, non eo quidem sensu quo volebat, sed catholico elicuerit. Quamvis bono animo scripsisset Pontifex, tamen ejus famæ propterea nonnulla adhæsit macula apud Græcos et Orientales, quæ nonnisi longo tempore potuit deleri; ita ut in sexta synodo œcumenica, in qua damnata fuit Monotheletarum hæresis, acta Græcorum nomen ejus inter hæreticos recenseant.

VIII. Possem hic et alia colligere exempla, nisi timerem ne tædium lectori parerent, et nisi pauca hæc satis superque essent ad ponendum ei ob oculos, quasi vivida imagine, quod animadverti, et quod ab eo intelligi velim in libro de frequente Communione; qui cum doctrinam suspectam et periculosæ consequentiæ verborum ambagibus involvat, eadem arte errorem dissimulat et spargit in vulgus, qua usi sunt ii quos memoravi.

Cum primum oculi conjiciuntur in librum Arnaldi, statim omnia arrident, pulchramque ac magnificam speciem præ se ferunt. Inscriptio, argumentum, methodus, ratio agendi, ratiocinationes, argumenta, testimoniaque omnia nihil nisi innocuum polliceri videntur; omnia spirant, specie tenus, pietatem et sanctitatem; promittit scriptor se nonnisi summopere spiritualia, ac religiosa propositurum.

IX. Quid potest esse speciosius, et illecebrosius titulo jam memorato, quo frons libri exornata est? Deinde omnia referta sunt dictis ac testimoniis Patrum; antiquitas et traditio illic splendent; Conciliorum canonibus resonat totum opus; ubique provocatur ad primitivam Ecclesiam, nec quidquam crepatur præter emendationem ac reformationem.

Præterea summa dexteritate proponit axiomata atque enunciationes, quibus summa novæ doctrinæ continetur. Omnia simul ac semel non aperit, sed hic illic spargit, miscetque cum probatis dogmatibus. Itaque opus est et magno otio, et singulari attentione, ut illa omnia ordine in animo componantur, et invicem collata vivide describantur ita, ut aperiantur potissima consectaria, quæ in ambagibus orationis fucatæ et fallacis latent.

X. Quamobrem quicumque legissent tantum ipsum librum, difficulter secernerent, quid in eo sit periculosum ac castigatione di-

[1] Tom. 1. Conc. in Afric. Conc. sub Cælestino et Bonif. a an. 76.

[2] Dial. contra Lucifer. — [3] Anastas. in Collect.

gnum. Nisi ipse doctrinam suam in præfatione contraxisset, variasque enunciationes ordine proposuisset, unaque ratiocinationis serie; difficulter intelligi potuisset, quid subsit mali, atque in aperta luce collocari.

Præfatio illa magno laboris et temporis nostri compendio lucem nobis suppeditavit, qua retegeremus operis vitium, et arma, quibus id aggrederemur ac debellaremus. Hoc suscepi, et, Deo dante, ita spero me perficere posse, ut pollicentur bonitas causæ, quam tueor, animus rectus, quo hoc opus aggressus sum, et utilitas lectorum, cui inservire volui.

CAPUT TERTIUM.

Accuratior expositio consilii Arnaldi in libro de frequente Communione. Periculosum esse, atque ad schisma spectare. Ecclesiam non posse falli in iis, quæ spectant ad fidem, et bonos mores.

I. Ut sanius ac sincerius judicare possimus de opere de frequente Communione, expediet, antequam ulterius progrediamur, probe intelligere argumentum libri, et finem, quem sibi auctor proposuit. In hisce enim sita est orationis anima, ex qua ingenii nostri fœtus boni, aut mali fiunt. Necesse ergo est scire, Arnaldum zelo insolito accensum, nobile ac magnificum cœptum animo concepisse, reformationem nimirum catholicæ Ecclesiæ, et restitutionem disciplinæ, emendatis vitiis, quæ in eam a multis annis irrepsere. Sed cum omnibus malis eodem tempore medicinam fieri posse non censeret, progrediendumque in hoc negotio lento gradu intelligeret, caput unum pertractandum selegit, ut ex rei eventu de ceteris judicium ferre posset.

Initium igitur fecit a Pœnitentia, quæ est præparatio necessaria ad disponendos animos nostros ad sanctissimum totius religionis Christianæ officium, communionem nimirum Eucharistiæ. Cumque insignem abusum animadvertisset in directione ejus officii, contendit revocanda esse prisca veteris Ecclesiæ instituta, quibus peccata severissime expiabantur; et quicumque grave delictum admiserant, non nisi sero ad mysteriorum participationem recipiebantur; iisque exclusi, ac ecclesiarum ingressu prohibiti expectabant, donec plane luissent pœnas delictis impositas a sanctis canonibus.

II. Attamen ut sese attemperaret hujus ævi ingeniis, quorum constantia et religio minutæ sunt inveterata morum relaxatione; neve nimis multa simul aggrederetur, Christianosque, subita ac universali mutatione, absterreret; vir sapiens reformationis suæ experimentum una in re sumere voluit, quæ omnium facillima videbatur, et quæ sita est in prohibendo, ne qui sunt sub pœnitentia, ad communionem accedant, imo etiam, si fieri possit, ne intersint Missæ, neve ecclesiam ingrediantur.

Hoc est arcanum novæ reformationis mysterium, ad quod defendendum ingens hoc volumen conscripsit Arnaldus, in quo ostendit non satis esse, ut digne ad communionem accedamus, si confessi peccata nostra sacerdoti, pœnitentiam ab eo nobis impositam exsecuti fuerimus; sed præterea reverentiæ testificandæ causa aliquandiu abstinendum a pane illo vitæ, et quam maxime imitandum formam illam veteris pœnitentiæ, quæ usque adeo laudatur a SS. Patribus, et quæ per plura secula in Ecclesia Dei obtinuit.

Insignis revera est is zelus, nec spernendum studium subveniendi iis, quibus indiget Ecclesia. Attamen cum res agatur non temere attingenda, et cujus periculosa est exsecutio: summa dexteritate et moderatione utendum est, ut optatum finem adsequamur; ne si quis studio elatus, temere ea tentet, quæ fieri nequeunt, et dum auxilium aliis ferre conatur, sibimet ipse exitium creet.

III. Hæc est via trita a plerisque hæresiarcharum, qui quovis seculo Ecclesiæ bellum intulerunt. Hi enim hanc viam ingressi, initio defectionis, fingebant se infensos esse vitiis, quæ in disciplinam ecclesiasticam irrepserant; fueruntque qui bono et inculpato animo

primum ita se gerebant, at paulatim primorum consiliorum immemores, nec intra mediocritatem consistentes, ad extrema delati sunt, ipsique se ardoribus immodici fervoris absumpserunt. Is fuit finis infelicis illius Audii, de quo egit S. Epiphanius [1]. Homo erat spectatæ virtutis, plenus zelo, et studio observationis legum, consuetudinumque ecclesiasticarum. Ferre non poterat earum negligentes, audacter vitia ipsorum ecclesiasticorum carpebat, nulli ignoscebat quantæcumque esset dignitatis, perpetuo in abusus invehebatur, nec quidquam crepabat, nisi reformationem. Ac tandem transiliit limites prudentis libertatis, in schisma atque hæresim delapsus, sectamque condidit, cujus dux fuit. Exemplum hoc attendere oportet nostros *Iluminatos*, qui tanto studio ardent revocandi Ecclesiam ad veteres canones, quos violari usque adeo ægre ferunt, non a paucis, sed ab universo fidelium corpore.

IV. Idem contigit olim Tertulliano, homini austero et duri ingenii, qui defecit a communione Ecclesiæ catholicæ, propter immodicum zelum, qui tanta febri venas ejus incendit, ut furorem ei crearit. Itaque non amplius optimam matrem Ecclesiam agnoscens, bellum ei indixit, abususque est ad eam evertendam et acumine ingenii, et summa eruditione, quibus a Deo ornatus fuerat, ut eam tueretur.

Nulla alia quærenda est causa lapsus Luciferi episcopi Calaris in Sardinia, qui cum infracti animi specimina edidisset in tuendis partibus catholicis contra summæ potestatis molimina, tandem periit; quod modum nullum zelo suo imponeret, nec posset ferre relaxationem canonum in gratiam episcoporum hæreticorum, quam obtinuerat magnus Athanasius a synodo Alexandrina, cui præfuit. Usque adeo vera est sententia S. Bernardi [2]: *Fervor vehemens, absque discretionis temperamento, præcipitat;* et quod S. anachoreta habet, apud Cassianum [3]: *Vetus namque sententia est,* ἀκρότητες ἰσότητες, *id est, nimietates æqualitates sunt.* Quis ignorat nostrorum temporum hæreticos non alio obtentu esse usos, quam reformandi Ecclesiam, cum omnia mutata ac corrupta fuisse quererentur; adeoque dictitarent omnia esse exigenda ad normam primitivæ Ecclesiæ, quam intra quatuor optima secula claudebant?

V. Hæc semper fuit oratio conditorum sectarum illarum errantium. Sic Lutherus, Melanchthon, Calvinus, aliique defectionis duces, a similibus contestationibus cœperunt, quibus profitebantur velle se antiquitatem sequi, novitatesque et corruptiones Papismi deserere. Etiamnum hodie eorum sectatores ita loquuntur, estque argumentum solemne concionum.

Credibile non est, Arnaldum ad ejusmodi extrema deventurum. Satis acutus est ad prævidenda periculosa hæc consectaria, et satis studiosus suæ salutis, ut ea vitet. Si tamen de eo licet ex libro ipso judicare, aut ex consectariis, quæ ex principiis positis deducuntur; difficile est creditu, eum non consentire cum hæreticis hodiernis in doctrina, quemadmodum in institutis. Nervi enim totius ejus orationis pendent ex erroribus, et iis quidem erroribus, qui ei sunt communes cum hæreticis; quod conabor ostendere, ut ei manifesta reddam præcipitia, in quæ se videtur prono capite velle dejicere, potius errore et imprudentia, quam pertinacia et nequitia.

VI. Ut ordiar a potissimo disceptationis nostræ capite, res est in confesso, apud Catholicos, neque Ecclesiam, neque Concilia generalia, confirmata a sancta Sede, posse errare in fide, neque in iis quæ ad mores pertinent. Hoc volo, nihil in illis posse decerni, quod non sit verum, sanctum atque æquum, aut quod merito reprehendi queat. Nemo Catholicus rem in dubium revocare possit. Fundamentum enim est religionis nostræ, cui innititur, et quo diruto universa Ecclesia corruat necesse est, cum nihil amplius certi in fide nostra supersit. Nititur verbo Dei, prolato organo Pauli [4], qui docet Ecclesiam esse *columnam, et firmamentum veritatis.* Hæc autem veritas duum est generum. Altera est mere theoretica, et quam simpliciter credi oportet; altera practica, quæ pertinet ad actionum nostrarum regimen, ac moderationem. Prioris quidem generis sunt articuli Symboli, et mysteria jam præterita, aut quæ, sine nostro interventu, futura sunt. Ad posterius vero referimus præcepta, et instituta omnia, quæ ad dirigendam vitam pertinent, nosque in via virtutis et sanctimoniæ continendos.

VII. Posteriora hæc non minoris momenti sunt, quam priora, et propius etiam ad salutem pertinent, quippe quæ charitatem spectant. De iis potissimum loquitur Paulus loco antea laudato, cum Ecclesiæ ἀναμαρτησίᾳ

[1] Hær. 70. — [2] Ser. 13. in Cant.

[3] Col. 1. cap. 16. — [4] 1. Tim. 3. 15.

hoc perhibet testimonium. Postquam enim discipulum suum variis instruxit monitis, ut fideles omnium ordinum ad sanctitatem adduceret, inque ea confirmaret; *Hæc*, inquit, *tibi scribo, sperans me ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei, columna et firmamentum veritatis.* Certum igitur est, atque indubitatum, Ecclesiam esse erroris periculo exemptam, non tantum in decretis, quæ pronuntiat de iis, quæ credenda sunt, sed etiam in decretis de iis, quæ sunt facienda. In utrisque erroris omnis, fraudisque est immunis. Alioqui vituperari posset Spiritus sanctus, cujus est duntaxat organum.

VIII. Præterea tenendum est, alteram hanc veritatem duplici ratione posse intelligi. Veritates sunt perpetuæ, atque immutabiles, quales eæ sunt, quæ pertinent ad actiones internas, et proprias virtutum. Semper enim verum est, amandum esse Deum et proximum, servandam justitiam, affectibus modum imponendum, aliaque id genus. Aliæ sunt veritates etiam practicæ, quæ pro temporibus, locis, hominibus, aliisque circumstantiis mutantur.

Sic sub veteri lege actio fuit laudabilis, testimoniumque honoris et reverentiæ erga summum Numen, mactare victimas, et aliis officiis lege impositis defungi, quæ vere censebantur rationi esse consentanea. Nunc vero, postquam leges, consuetudinesque illæ abrogatæ sunt, non ita de iis judicamus, sacrilegosque esse diceremus eos, qui eas iterum hominibus imponere conarentur.

Huc referri possunt cæremoniæ omnes institutæ in Ecclesia ad divinum cultum, rationemque administrandarum rerum ecclesiasticarum, exceptis iis, quæ sunt juris divini, quæ a nulla potestate humana mutari, aut prorsus abrogari fas est. Ejusmodi sunt partes essentiales Sacramentorum, varii gradus ecclesiasticæ hierarchiæ, auctoritas pastorum, et præsertim Pontificis Maximi, aliaque potissima capita religionis Christianæ.

Cum hac orthodoxa doctrina, et quæ prora et puppis est Christianismi, conferamus oportet opus de frequente Communione. Incipiemus a fundamento totius disputationis, et quo utitur auctor ad defendendum consilium suum.

CAPUT QUARTUM.

Falli Arnaldum, qui usum Ecclesiæ censet esse perturbationem disciplinæ ac corruptionem morum; quod ex ejus tota disputatione probatur. De ambiguitate vocum *Disciplina* et *Mores*. Doctrinam ejus contumeliosam esse Ecclesiæ. Praxim vulgarem pœnitentiæ non esse abusum. In vitio solo sitam esse morum corruptionem. A concilio Tridentino probatam præparationem ad communionem, qualis nunc in Ecclesia obtinet. Duæ rationes præparationis.

I. Ab initio hujus libri, dixi Arnaldum hoc sibi consilium proposuisse, ut veterem consuetudinem Ecclesiæ revocaret, quoad ejus fieri posset, in usum pœnitentiæ publicæ, ut esset præparationis loco ad sanctam communionem. Contendit nimirum, non satis esse, a peccatoribus subiri confessionem sacramentalem, ut admittantur ad participationem mysteriorum; sed præterea differendam esse communionem, donec satis expiarent peccata mortalia ampliore satisfactione, quam ea est, quæ iis imponitur in Sacramento, et quæ a theologis *Satisfactio sacramentalis* vocatur. Cum autem reformator hic noster animadverteret, si consilium hoc suum innotesceret, offensum iri plerosque fideles, qui cum in disciplina a tot seculis in Ecclesia recepta educati fuerint, existimarent innovationem argumentum esse labis, qua Ecclesiæ puritas commaculata fuisset, non sine magna ejus auctoritatis et existimationis imminutione; conatur eum scrupulum ex eorum animis evellere, adhibita distinctione inter fidem et mores. « Non satis intelligunt, inquit in Præfatione [1], eos qui defendunt Ecclesiam contra hæreticos, necesse habere ex æquo has duas

[1] Arnald. in Præf. uuu. p. 1.

veritates tueri ; Ecclesiam non posse errare in fide, eamque posse corrumpi ad mores quod attinet, in plerisque ejus membris, et paulatim degenerem fore a primæva sanctitate usque ad finem mundi. »

II. Tum multa coacervat testimonia Doctorum, quibus probat solam fidem, seu doctrinam, integram atque illibatam manere in Ecclesia, mores vero posse mutari. Subdit deinde querelas SS. Patrum, de corruptione seculorum suorum, de vitiis Christianorum cujusvis sortis, ac præsertim ministrorum Ecclesiæ. Ex quibus hoc deducit consectarium, quandoquidem Ecclesia obnoxia est corruptioni morum et disciplinæ, immerito vituperari eos, qui non aggrediuntur fidem Ecclesiæ, quam incorruptam esse censent, mutare ; sed tantum disciplinam, quæ labefactata est. Sic loquitur Arnaldus in Præfatione [1] : « Si Apostoli, Patres, Pontifices, doctissimi episcopi, ac sanctissimi quique viri semper animadverterunt, ac dolenter reprehenderunt corruptiones morum et disciplinæ ecclesiasticæ, quamvis fides ejus immutabilis, atque incorrupta fuerit ; si item qui postremis seculis vixere, semper sanctitatem priorum desiderarint : qui possunt vituperari homines, quia imitantur eos, quos omnes reverentur, et quia sequuntur aliquatenus opiniones, quæ fuerunt argumenta, atque effectus virtutis ac sanctitatis magnorum illorum virorum ? »

III. Aliquot antea paginis magnifice laudaverat traditionem, ut viam commodissimam ad conservationem fidei, ejusque contra hæreticos, atque Antichristum defensionem. Tum allato testimonio B. Joannis a Cruce, qui dicebat [2], « Si quis tibi persuadere conetur doctrinam laxam, tametsi miraculis eam confirmet, ei non credas ; » tandem ita habet : « Hæc veritas immutabilis traditionis ecclesiasticæ nobis aperit commodam viam eximendi scrupuli iis, qui putant, ferme esse schisma facere, et moliri eversionem Ecclesiæ, si credatur inesse aliqua corruptio disciplinæ. » Unde colligere licet, *corruptionem disciplinæ, vel morum*, de qua Arnaldus, sitam non esse in peccatis, ut in superbia, luxuria, avaritia, sed esse tantum solitam praxim, seu consuetudinem Ecclesiæ, quam emendatam cupit. Quod manifesto liquet ex eo, quod B. Joannes a Cruce nomine *laxæ doctrinæ*, non intelligat doctrinam, ex qua liceat furari, occidere, aut aliud ejusmodi scelus admittere ; sed tantum quæ fas esse doceat ab accurata normæ, et legis observatione discedere. Quod contingit in societatibus religiosis, ubi disciplina paulatim exemplis, atque institutis minus castigatorum dissolvitur.

IV. Cum vero relaxatio cadit in praxim necessario observandam, et cujus norma, ex qua vim trahit, etiamnum viget, necdum abrogata ; vel antequam consuetudo contraria irrepserit, negligentia eorum, qui Ecclesiam regunt : tum demum ea relaxatio vera est ordinis perturbatio, et corruptio morum ; quia peccatum est gravius, aut levius pro re, in qua admittitur, et pro ratione obligationis, quam imponit norma. Nunc Arnaldus hæc, atque testimonium beati Joannis aptet rei, cujus causa id profert ; necesse erit, *doctrinam* illam *laxam*, sive contrariam veteri traditioni de pœnitentia, quam defendere aggreditur, vocari consuetudinem, qua nunc utitur Ecclesia, et quam probat in negotio pœnitentiæ, præparationeque ad S. communionem. Itaque dubium non erit, an Arnaldus hanc consuetudinem habeat veram *corruptionem morum*, infractionemque legis, qua tenemur ; ac proinde grave hoc esse peccatum, quo universa Ecclesia commaculata sit.

V. Hoc ipsum postea memorat [3] inter *vitia* Ecclesiæ, *quorum emendationem expectare liceat a solo zelo et prudentia episcoporum.* « Necesse enim est, *inquit*, eam emendari, quod attinet ad vitia, quibus inquinatur, etc. » Postquam dixit spem esse magnam, vera dogmata, quæ eo in opere docere aggressus est, « non modo libenter admissum iri ab omnibus fidelibus, sed etiam utilia fore multorum ædificationi ; » subjicit, « quamvis ex zelo tot episcoporum illustrium eruditione sua non minus, quam dignitate, certo colligat fore, ut omnes fideles revereantur vera dogmata ex SS. Patrum scriptis hausta, » attamen se non existimare, sanctissimos viros indigere ejusmodi commendationibus, honoremque iis debitum causam fore, cur instituta ab iis laudata admittantur. « Alioquin hæretici possent nobis exprobrare, nobis esse duo pondera [4], quod Scriptura testatur abominabile esse apud Deum ; quoniam expendimus eorum doctrinam in libra Patrum, in qua tamen nostram non expendimus, etc. »

VI. Hisce locis lectis, nobis non licet am-

[1] Fol. ooo. p. 2. — [2] Fol. aaaa. p. 2. — [3] Fol. eee. — [4] Prov. 20. 10.

plius dubitare de eo, quod Arnaldus vocavit *perturbationem ordinis*, et *corruptionem morum;* sed liquet ab eo intelligi consuetudinem in universa Ecclesia receptam, quæ priscam rationem pœnitentiæ immutavit. Nam *vera illa dogmata ex Patribus hausta*, quæ in opere suo collegit, ut ea opponeret publicæ corruptioni vigenti in Ecclesia, et quæ sperat recipienda, ac restituenda zelo et auctoritate præsulum, sunt tantum testimonia de antiqua consuetudine, qua pœnitentia publica exigebatur. Quod vero *vitium* vocat, contrariumque est memoratis dogmatibus, est contraria consuetudo in universa Ecclesia vigens. In testimoniis illis Patrum nulla mentio fit vitiorum, et peccatorum, in quibus proprie sita est corruptio morum. Si de vitiis ageretur, non opus esset tam anxie implorare auxilium præsulum, ut vera illa dogmata reverenter admittantur, non repudientur, aut damnentur. Seculum enim nondum eo sceleris pervenit, ut universa Ecclesia, omnesque Christiani, qui eam matrem nuncupant, ausint aperte adversari dogmatibus, quibus virtus commendatur, ac vitium proscribitur.

VII. Itaque in sola relaxatione pœnitentiæ publicæ, et præparationis necessariæ ad sanctam communionem, Arnaldus collocat morbum, ac corruptionem morum Ecclesiæ; ad quam curandam artem suam adhibet, et dogmata illa tanti, ut ait, momenti. Consuetudinem hanc aggreditur [1], *et praxim, quæ est hodie frequentissima,* ut alibi loquitur, *quia favet impœnitentiæ communi.* Ex quibus verbis liquet, ab eo usum Ecclesiæ, non vitia Christianorum intelligi vocibus *perturbationis ordinis*, et *corruptionis morum.* Qua in re fallitur, et vehementer errat. Quamvis enim verba, quibus in præfatione utitur, videantur simplicia, atque innocua, cum dicit *corruptionem*, et *perturbationem ordinis* irrepsisse in mores et disciplinam; attamen honori Ecclesiæ detrahunt, et contumeliosa sunt; prætereaque absurda ambiguitate laborant, Patrumque mentem aliorsum trahunt, et torquent in locis ab Arnaldo allatis. Ponamus, veram perturbationem ordinis, abusumque esse si sacramentum Confessionis et Absolutionis sacerdotalis existimetur esse sat religiosa dispositio ad communionem; hæc tamen nihil pertinent ad mores, nec quidquam commune habent cum pia, aut impia vita, in qua eorum corruptio et integritas sitæ sunt. Universa hæc disciplina usus est, ac consuetudo cæremonialis, non moralis; cujus si prava sit institutio, atque observatio, hominem reum apud Deum faciunt. Alioquin hinc colligendum esset, Ecclesiam et Concilia, quæ dispositionem *necessariam* ad communionem statuerunt esse pœnitentiam sacramentalem, errasse; eosque, qui ei legi parent, lethiferum peccatum admittere. Nam in hoc solo vult Arnaldus sitam esse licentiam, seu morum prolapsionem, quam tribuit Ecclesiæ. Cum ergo loquantur Patres et theologi de vitiis et sceleribus, eos tamen citat ad confirmandam novam suam doctrinam.

VIII. Relege, Arnalde, vestigia tua, atque expende loca, quæ profers ad probandum Ecclesiam posse corrumpi in moribus et disciplina; et comperies ab iis tantum spectari vitia, actionesque virtuti contrarias. Sic S. Cyprianus de Lapsis, queritur, « non fuisse in sacerdotibus religionem devotam, non in ministris fidem integram, non in operibus misericordiam, non in moribus disciplinam. » Dicesne esse impietatem, argumentumque animi parum religiosi, aut vitium charitati Christianæ contrarium, si accedas ad mensam Domini, postquam confessus fueris peccata, veniamque eorum acceperis ipsius Dei sententia, ex ore sacerdotis dicentis, *Te absolvo*, facientisque simul, quod dicit, quandoquidem ea verba sunt efficacia? Quando Augustinus exclamat [2]: « Qui sunt inimici Ecclesiæ? Pagani, Judæi? Omnibus pejus vivunt mali Christiani. Istis talibus plenæ sunt Ecclesiæ; » an ausis dicere, eos designari, qui peccata confessi corpus Filii Dei sumunt? Eadem ratio omnium testimoniorum, quæ coacervas: nihil ad rem faciunt, nec ex iis quidquam colligere potes eorum, quæ vera esse contendis.

IX. Dixi ratiocinationem Arnaldi captiosam esse, nitique ambiguitate vocum, *mores* et *disciplina.* Vox enim *mores* duo significat. Sumitur interdum pro bonis, et pravis habitibus, quæ sunt vitia aut virtutes, quæ propria est apud Latinos significatio vocis. Sæpe etiam sonat consuetudinem quamvis, quæ nec bona, nec mala est ethice spectata, sed tantum si consideretur ejus institutio, vel legitimus, aut pravus ejus usus. Ejusmodi sunt *mores*, et consuetudines populorum et urbium. Græci, quorum lingua copiosior est quam latina, duo

[1] Arnald. Part. 2. cap. 47. pag. 628.

[2] Aug. in Psal. 30.

habent hanc in rem nomina. Priores dicuntur ἤθη, posteriores ἔθη.

Quod cum manifestum sit, Arnaldus abutitur ambiguitate vocis latinæ *mores*, illuditque lectoribus, quando dicit [1], « Ecclesiam non posse corrumpi in fide, sed posse in moribus, in plerisque suis membris. » Quam in rem profert verba eminentis. cardinalis Perronii, « Non esse purgandam Ecclesiam, ad doctrinam quod attinet; sed si spectentur mores, semper opus esse, ut purgetur; » et Richardi Tapperi, qui contendit doctrinam seu fidem orthodoxam semper manere sanam atque integram, *etiam in moribus corruptissimis*. Nam in utroque horum scriptorum *mores* sunt vitia, vel pravi habitus, non vero consuetudines. Augustinus scripsit duos libros, alterum *de moribus Ecclesiæ catholicæ*, alterum *de moribus Manichæorum*, ubi *mores* sumuntur priore significatu pro habitibus, nimirum, virtutis aut vitii, ut ipse ostendit hisce verbis [2] : « Nulli esse dubium arbitror, cum de bonis et malis quæritur, hoc genus quæstionis ad moralem pertinere disciplinam, in qua isto sermone versamur. »

X. Verum Arnaldus callide hic se gerit, et nobis fucum facit, ut dixi. Ubi enim agitur de consuetudine Ecclesiæ, quam consuetudinem obnoxiam mutationi esse censet, ut ostendat in eam irrepsisse quidpiam minus rectum, profert magnum numerum testimoniorum, quæ intelligenda sunt de collapsis moribus, qui possunt esse in Ecclesiæ membris; non vero de consuetudinibus indifferentibus, de quibus nunc agimus.

Eadem ambiguitas occurrit in voce *disciplina*, quæ nunc sumitur pro vita proba, aut improba; vel pro legibus, institutisque, quorum quæ bona sunt spectant ad prudentiam, contraria ad imprudentiam, vel ad *sapientiam carnis*, ut loquitur Apostolus. Cum vero sancti Patres queruntur ob depravationem disciplinæ, intelligunt prava instituta, quæ sunt mundanæ sapientiæ propria. Loquuntur de delictis, quæ committuntur neglectu aut violatione legum, institutorumque Ecclesiæ; quorum observatione etiamnum homines tenentur, et quæ nunquam sine peccato, ac morsu conscientiæ perfringuntur; imo nec sine pœnis, cum præsules satis vigilantes sunt, ut rem animadvertant, vel sat magna potestate instructi, ut eam plectant. Unde colligere licet, disciplinam Ecclesiæ posse corrumpi, nec sine eorum peccato, a quibus corrumpitur; dum lex et consuetudo, quæ sunt duo fontes normæque disciplinæ, etiamnum vigent, nec ulla alia lege sunt abrogatæ, aut consuetudine contraria obsoletæ.

XI. Quam in rem animadvertendum est alterum vitium, quo laborat Arnaldi ratiocinatio, et quod est pejus priore. Ut facilius intelligatur, in memoriam revocandum, quod paulo antea dictum est, ἀναμαρτησίαν Ecclesiæ pertinere non tantum ad doctrinam et fidem, sed etiam ad id, quod spectat ad mores, atque leges. Hoc volo, Ecclesiam catholicam non posse errare neque in veritate fidei, quam possumus vocare dogmaticam, neque in veritate morali, seu practica. Cujus duplicis rei meminit S. Basilius in libro de Spiritu sancto, cap. 27. ubi priorem vocat δόγματα, posteriorem κηρύγματα. Igitur fieri non potest, ut Ecclesia catholica constituat articulum fidei, qui non sit verus, aut decretum canonicum, quod sit vitiosum, seu homines ad peccatum inducat. Quo posito, contendo potissimam enunciationem Arnaldi, quæ argumentum est totius ejus operis, esse falsam ac contumeliosam Ecclesiæ; in eo quod vult, id quod immutandum putat et corrigendum, in præparatione *necessaria* fidelibus pœnitentibus, ut ad sanctam communionem accedant, esse *licentiam*, et *morum prolaptionem* vitiosam, ac vituperandam; et in eo, quod id referat ad depravationem vitæ, qua in parte Ecclesia *corrumpi*, et *degener esse* potest. Nam ea consuetudo, idque institutum, quod complectitur præparationem necessariam ad sacram communionem, recepta sunt, atque usitata consensu, et adprobatione Ecclesiæ catholicæ, quæ iis utitur erga omnia sua membra, neque necessario iis imponit ullum aliud officium externum. Quod tamen nec posset, nec deberet facere, si pravum esset id institutum, atque ad depravationem morum spectaret.

XII. Nec quisquam hic dixerit, relaxationem hanc disciplinæ esse abusum, quem Ecclesia toleret, non probet. Necesse enim esset ut eum palam improbaret, sententia ea de re edita, ut leges contrarias conderet, iterataque edicta proponeret ad licentiam emendandam; quemadmodum solet in aliis abusibus, morumque corruptelis, in quæ, licet frequentia et inveterata, canones suos dirigit, cum ei non liceat in rebus ejusmodi connivere, præsertim si sit

[1] Præf. unn. p. 1.

[2] Lib. 1. de Mor. Manich. initio.

late patens licentia, et consensu omnium fidelium recepta. Fieri quidem hoc nequit, nec, si fieret, Ecclesia abstinere posset ab eo oppugnando et castigando, saltem ore concionatorum, episcoporum, conciliorumque; ut interrumperet, si ita loqui licet, possessionem manifestarii abusus, et depravationem morum, qua deformis fieret. Non est cogenda, ut ejusmodi officium debeat charitati ac misericordiæ doctoris cujuspiam privati, ac omni auctoritate destituti, potiusquam iis, qui pro munere suo rei invigilare, ac medicinam facere debent. Sed quis unquam audivit, a multis seculis, hoc est, ex quo abrogata est pœnitentia illa cæremonialis, quemquam vituperatum ideo fuisse, quod diu a communione non abstinuerit, postquam peccata sua rite confessus esset? Quis concionator unquam receptum morem castigavit, docuitve, nos etiamnum priscis legibus teneri? In quo Concilio restituta est prior illa pœnitentiæ forma, aut dilatio communionis, propter quælibet peccata? Profecto Ecclesiæ, ejusque ministris prævaricatio objici merito posset, si rem tantam dissimulassent, in qua agitur universa prolapsio morum; quod facere non potuissent sine Dei offensione, et jactura salutis.

XIII. Nulla alia est *licentia, prolapsio, ac corruptio morum*, præter vitium et peccatum, quæ in hac re levia esse non possunt; adeoque digna sunt æternis pœnis, tam in iis, a quibus admittuntur, quam in iis, qui, cum possent ac deberent obstare, silentio ea confirmant. Invehitur Paulus [1] in eos, *qui cum justitiam Dei* (hoc est, officia quibus erga Deum tenemur, nam hoc significat græca vox δικαίωμα, et hebraica משפט) *cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Quid vero diceret Paulus de iis, qui non satis habentes duplici illo delicto contaminari, hoc est admittere peccata, et consentire cum aliis ea admittentibus, ad ea veluti invitarent homines constitutionibus, disertisque decretis? Hoc demum potissimum est caput disceptationis nostræ, et damnationis Arnaldi, qui eo progressus est audaciæ, ut traduxerit quasi *licentiam, prolapsionem, ac corruptionem morum* (quæ sunt, quod repetere sæpe cogor, peccata mortalia) consuetudinem, quam data opera instituit ac confirmavit concilium Tridentinum. Ubi enim agit de præparatione necessaria ad accipiendum sacramentum Altaris, primum docet [2], ad eam rem adhiberi oportere magnam reverentiam, animi puritatem ac sanctimoniam, ne nobis contingat id, quod minatur Apostolus [3], *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Deinde ostendit, qua in re sita sit puritas illa ad rectam præparationem necessaria, utque non indigne percipiatur Sacramentum, quam ait contineri hisce vocibus ejusdem Apostoli: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.*

Igitur in illa *sui probatione*, et perquisitione animi sita est dispositio necessaria ad rectam communionem; ita ut quisquis habebit in se, quod illis verbis exprimitur, sat paratus futurus sit ad communionem, ut vitet minas intentatas iis, qui indigne ad communionem accesserint. Ab eodem ergo Concilio discamus veram sententiam eorum verborum, quam sic tradit, quod dignissimum est observatu [4]: « Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. »

XIV. Ille ergo satis paratus videtur, ne indigne Sacramenti particeps fiat, qui sacerdoti peccata confessus est, animumque peccati mortalis purum habet. Quisquis ita affectus est, potest convivale triclinium ingredi, atque accumbere mensæ inter alios convivas: nec est quod metuat, ne ejiciatur, irreverentiæque pœnas det; quia indutus est toga nuptiali, hoc est gratia et charitate [5]. Filius est Dei, jusque habet accumbendi mensæ Patris sui.

Hæc eo non dico, quod laudabile et summopere exoptandum non sit a fidelibus plura fieri, quam quæ necessaria sunt; eosque satis non habere, quod cum Deo in gratiam redierint, sed etiam conari summam religionem ad hanc rem afferre. Nihil satis esse potest, ut actione tanti momenti reverenter defungamur; et quæcumque adhibeatur cura, exiguum quiddam est, si cum majestate augustissimi Sacramenti conferatur. Sed ut vere

[1] Rom. 1. 32.— [2] Concil. Trid. Sess. 13. c. 7.— [3] 1. Cor. 11. 29. — [4] Concil. Trid. ibid.

[5] S. Greg. Hom. 38. Joannes Carpath. in Schol. 10. ad Grad. 23. Joan. Climac.

dicere possumus nihil posse nimium esse ad comparandam salutem, cum omnes tamen fateantur ad eam consequendam satis esse, si quis in gratia Dei moriatur : sic ut quispiam digne particeps fiat Sacramenti, nemo negaverit satis esse, si modo peccata confessus sacerdoti fuerit, omnibusque mortalibus delictis sese purgaverit; quod fieri nequit sine illa animi religione, quæ *actualis* dicitur. Attamen in hoc infimo gradu acquiescendum non est, sed ad perfectiorem, quoad ejus fieri potest, contendendum, parandusque animus pœnitentia, oratione, exercitioque omnium virtutum Christianarum.

XV. Hanc in rem theologi distinguunt duas rationes sese parandi ad communionem. Altera quidem est præcepti et necessitatis, sine qua nulla digna est communio, et quam ex concilio Tridentino modo descripsimus : altera vero decori, et perfectionis, cui nulli limites præfiguntur, uti nec exercitio virtutis, cui nullus est terminus, ut docet Gregorius Nyssenus [1], nisi ejus contrarium, hoc est, vitium; quemadmodum lux non terminatur, nisi tenebris ita, ut utraque in infinitum crescere possit.

Ex hac tota disputatione colligere licet causam, ob quam Arnaldus ad scribendum animum appulit, meram esse ludificationem; summopereque hominem vituperandum, qui eam ita describit, ut rem manifesto falsam persuadere nobis nitatur : nimirum, licentiam esse, ac prolapsionem morum in Ecclesia, quod admittantur ad Eucharistiam ii, qui parati non sunt, secundum priscam consuetudinem, longæ ac publicæ pœnitentiæ rigore, sed sacramentalem confessionem satis habent. Quod non modo repugnat dogmatibus, ac canonibus Ecclesiæ et Concilii, sed etiam absurdum est ac iniquum, ut in sequentibus ostendemus.

CAPUT QUINTUM.

Librum de frequente Communione secum pugnare in descriptione consilii Operis. Maxima Religionis dogmata notissima esse necesse est. Vituperandum esse, quod tribuat Ecclesiæ licentiam, ac prolapsionem morum, dum mores vocat instituta publice recepta. Relaxationem disciplinæ non esse corruptionem morum, sed solum vitium; quod non attigit hic Arnaldus, qui nihil carpsit, præter publicum Ecclesiæ institutum. Hoc esse potissimum delictorum, et errorum ejus caput.

I. Arnaldus, in præfatione sua [2], ubi consilium suum exponit, profitetur, « se nolle aggredi quidquam ex suo, in hoc opere, proferre, sed tantum in medium adducere magnos illos viros, quos Deus variis temporibus, et locis nasci voluit. » Intelligit SS. Patres, quorum testimoniis probat, aut pœnitentiam oportere antecedere, ac disponere homines ad communionem; aut id Sacramentum a nobis singularem puritatem postulare. Addit, « multum se abesse a voluntate proferendæ novæ opinionis, aut cujus ipse sit auctor. » Semper testatur, « se reverentia, quæ sanctis illis viris debetur, adductum fuisse ad eos duces sibi deligendos ita, ut sola eorum vestigia sequatur, solis eorum oculis videat, eorum ingenio ratiocinetur, ac ore loquatur in hoc opere; in quo, *inquit*, statui duntaxat exponere, ac defendere maximum Religionis nostræ dogma, ne quisquam id damnet, utque is, cui Deus aurem animi aperiet, non tantum ad id intelligendum, sed actionibus etiam exprimendum, possit id amplecti, ac sequi, pro religionis suæ motibus. »

II. Hoc ergo est Arnaldi consilium, in quo duo expendenda nobis sunt : prius est, nolle eum quidquam novi proferre : posterius id, quod propositurus est, esse *inter maxima religionis nostræ dogmata*. Quæ duo capita ita connexa sunt inter se, ut prius ex posteriori consequentia necessaria deducatur; nam *maxima religionis nostræ dogmata* debent esse omnium notissima, et commendatissima Christianis, quibus sunt perpetuo nuntianda, et sine defatigatione inculcanda ita, ut quisquis, pro modulo suo, ea intelligat. *Maxima*

[1] Gregor. Nyss. Lib. de Vita Mosis.

[2] Præf. oooo.

enim dogmata religionis nostræ sunt maximi ad salutem momenti, ac plane necessaria cognitu iis, qui religionem Christianam profitentur ; qualia sunt mysteria Trinitatis, incarnationis, passionis Jesu Christi; quorum cognitio distincta, et explicata usque adeo necessaria est, ut sine ea comparari salus non possit : quemadmodum docet S. Thomas [1], post S. Augustinum [2], qui non uno loco diserte rem habet, ut in libro de Natura et gratia, ubi scribit, « Hos, qui non per illam (gratiam) liberantur, sive quia audire nondum potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam cum per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis, quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, juste utique damnari. » Quod intelligendum tam de *maximis dogmatibus nostræ religionis* theoreticis, quam de practicis. Cujus rei S. Augustinus exemplum nobis præbet in fide baptismi ; cum neget servatum iri eum, qui nihil de eo audiverit, et eum, qui suscipere illum noluerit, quanquam sibi notum.

III. Propterea Ecclesia pia nostra parens tantam curam adhibet, ut liberi sui omnia hæc necessaria dogmata edoceantur, quorum ignoratio nobis cœlum claudit; nec tantum ignoratio, sed etiam neglectus in exsecutione eorum, quæ practica vocavi, et quæ a nobis aliquid postulant, ut de baptismo dixi. Quod etiam, ex sententia Augustini porrigi debet ad sacri Altaris sacramentum [3]. Cum autem nemo servari possit, sine explicata cognitione *maximorum dogmatum religionis nostræ*, et sine effectu, qui ex posteriorum, seu practicorum cognitione debet manare; universa Ecclesia damnaretur, si contingeret, eadem illa dogmata ab ea ignorari, cum ad cognitionem, tum etiam ad praxim pertinentia : ita ut [4] *lucerna illa* fidei, *quæ lucet in caliginoso loco*, extingueretur ; aut potius splendidissimus ille sol, ob crassæ ignorantiæ nebulas, eclipsin pateretur. Tum vero Ecclesia, quæ stare nequit sine fide, quæ cognitione constat, et sine administratione rerum saluti necessariarum, penitus interiret. Quod cum fieri nequeat, ut unquam contingat; sic quoque fieri non potest, ut fundamentalia dogmata unquam fugiant Ecclesiam, dum stabit. Sola hoc depositum accepit, neque unquam cognitionem theoreticorum, aut exsecutionem practicorum amittet.

IV. Hoc jacto fundamento, quod dirui nequit, quin ipsum evertatur Evangelium, et nisi funditus corruat tota religio Christiana, facile deprehendemus, quis sit reformatoris hujusce nostri animus ; qui secum ipse dissentit, suaque evertit, absque ulla adversariorum opera. Postquam enim professus est, se nolle ulla in re auctoritatem Ecclesiæ minuere, aut quidquam novi proferre, contrarium plane facit re ipsa, quam verbis pollicetur. Quo enim spectat longa illa, ac speciosa Præfatio, quæ non exiguam libri partem constat ; nisi ut sese purget, ostendatque zelum, qui illi communis est cum aliis earumdem partium hominibus, quo aggreditur medicinam facere *corruptioni morum et disciplinæ Ecclesiæ*, qua hodie laborat ?

Ait [5] duo esse distinguenda in Ecclesia, doctrinam et mores, et priorem quidem incorruptam esse, nec ulla emendatione indigere ; sed in posterioribus *posse eam corrumpi in plerisque membris, et paulatim a pristina puritate degenerem fore*. Hosce emendatum eunt, partem disciplinæ et morum corruptam correcturi, quam in administratione sacramentorum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ animadverterunt.

V. Fatetur Arnaldus, morbum, cui curando remedia ac curam adhibere vult, esse universalem, cum licentia sit per universam Ecclesiam sparsa. Hæc sunt ejus verba sub finem præfationis, ubi postquam professus est, sibi *hoc unum esse consilium, ut exponat ac tueatur maximum religionis nostræ dogma ;* paulo post addit : « Nam si quis putaret, me edidisse hunc librum, ut ejus ope in universa Ecclesia instaurarem ubique pœnitentiam ; mihi tribueretur animus, quem ipse insanum in privato existimo, et quem æque imprudentem, ac superbum puto. Non sum nescius, maximam esse vim consuetudinis in animis hominum, Patremque Ecclesiæ de ea dixisse, quod Romanus scriptor de amicitia, esse sensim solvendam, non subito abrumpendam. » Est ergo licentia in universa Ecclesia, quæ postulat *ubique instaurari pœnitentiam ;* sed quod privatus nemo aggredi queat. Est in toto Ecclesiæ corpore, nec tantum *in plerisque ejus membris*, in quibus Ecclesiam corrumpi posse contendebat. Vocat hoc [6] corruptionem, prolapsionemque morum, quam similem ei esse censet, de qua Paulus [7], cum

[1] Tho. 1. 2. quæst. 2. art. 7. et 8. — [2] Aug. lib. de Nat. et Gr. c. 2. et 4. — [3] Lib. de pec. mer. c. 20. et Ep. 106. et Lib. 1. de Præd. Sanct. c. 13. Lib. 2. cont. Jul. Op. imp. c. 26. p. 237.

[4] Pet. 1. 19. — [5] Præfat. uuu. pag. 1. — [6] Præfat. uuu. pag. 2. — [7] 1. Cor. 5. 5.

jussit « ejici magnum illum peccatorem e societate fidelium, ne alios corrumperet; statuens, non tantum Ecclesiam posse corrumpi in moribus, cum non ita pridem nata esset, sed etiam a solo viro potuisse corrumpi: vel cum dixit [1], omnes Christianos ejus ævi sua quæsivisse, non quæ Christi erant. »

VI. Existimat, « de tali licentia loquutum S. Cyprianum, cum tertio seculo dixit [2], ante persecutionem, quæ ejus ævo contigit, non in sacerdotibus religionem devotam, non in ministris fidem integram, non in operibus misericordiam, non in moribus disciplinam; » idem voluisse Gregorium Nazianzenum, « cum dixit [3] quarto seculo nihil, aut exiguas reliquias superesse; » Hieronymum [4], cum « sui temporis fæcem » memoravit; et Sulpitium Severum querentem [5], omnia mista ac depravata fuisse. » Denique existimat SS. omnes Patres, Doctoresque cum veteres, tum recentiores, qui viva voce, aut scriptis invecti sunt in vitia, et corruptionem morum, quibus Ecclesia illorum tempore laborabat, intellexisse iis nominibus consuetudines, atque nstituta cæremonialia, qualis est ratio pœnitentiæ et communionis, prout nunc in universa Ecclesia obtinet. Cum enim Arnaldus profiteatur, se huic uni rei velle medicinam facere, nosque ad primitivæ Ecclesiæ ritus revocare; cumque vereatur, ne vituperetur, quasi vellet universam Ecclesiam emendare vitio laborantem, ut se tueatur, profert ea testimonia, quibus ostendat, revera Ecclesiæ mores esse corruptos.

VII. Itaque ex sententia Arnaldi morum prolapsio referenda est ad usum totius Ecclesiæ circa pœnitentiam, et communionem. Quod cum ita sit, hinc colligendum est ex ejus sententia, Ecclesiam posse corrumpi in moribus, non tantum *in plerisque membris*, sed in omnibus, seu in integro corpore; quandoquidem, ut antea ostendimus, consuetudo transeundi a confessione sacramentali ad sacram communionem, cum fiducia qua existimamus, in memorata confessione sitam esse dispositionem, quam Paulus a digne communicaturis postulat, non tantum recepta est, et probata communi usu Ecclesiæ, sed etiam diserte instituta, auctoritate summa Concilii œcumenici [6].

VIII. Ac sane, cum hic reformator consuetudinum ecclesiasticarum videatur majori prædítus esse zelo, quam prudentia et maturitate judicii ad expendenda et proferenda animi sensa, secum pugnat ab ipso libri sui initio. Incipiens enim pugnare cum phantasmate, quod adoriri statuit, de auctoritate, atque ἀναμαρτησία Ecclesiæ, sententiam ejus laudat, et judicio subscribit hisce verbis [7]: « Ne me credideris usque adeo imperitum scientiæ ecclesiasticæ, ut coercere velim intra sola capita fidei et intelligentiæ mysteriorum, eximiam regulam quam proponis. Agnosco tecum, eam porrigi ad omnia dogmata, quæ pertinent ad virtutem ac pietatem Christianam, qualis est quæstio, de qua agis: nosque eam debere per omnia sequi, quemadmodum dicis; hoc est, in omnibus dogmatibus fidei, et in universa Christianismi ethica. » In paucis hisce verbis Arnaldus doctrinam suam aperta repugnantia evertit. Nam, si fatetur Ecclesiam non posse errare, non tantum in iis, quæ ad fidem pertinent, sed et in dogmatibus moralibus; sique quæstio, quæ proponitur, utrum satis sit, ut quis digne communicet, eum confessione sacramentali defunctum esse; an vero aliquandiu præterea a communione abstinere debeat: si, inquam, hæc quæstio pertineat ad ea dogmata moralia, in quibus Ecclesia errare non potest, non est amplius disceptandum de re, de qua quid sentiret ostendit, cum ubique observata consuetudine, tum etiam decretorio canone, quem pronuntiavit ore omnium ministrorum suorum coactorum in concilium œcumenicum, aut per se, aut per alios. Indignum est facinus, aut, ut verbis ejus utar, *insania, quæ æque imprudens, ac superba habenda est*, eam consuetudinem referre in numerum *perturbationum ordinis, prolapsionum et corruptionum morum*, quæ sunt emendandæ, et a SS. Patribus damnatæ.

IX. Sed quis non miretur rationem, qua ratiocinatur ac loquitur Arnaldus, cum licentiam esse putat, et depravationem, quod summum rigoris relaxatio haberi potest, aut remissio, quæ vocatur a Græcis οἰκονομία καὶ συγκατάβασις, quam usque adeo commendarunt, et regendis animis tam necessariam judicarunt?

Satis fuisset dixisse, corruptionem morum in plerisque Ecclesiæ membris conjunctam cum imminutione charitatis, adegisse Ecclesiam, ut multum remitteret de prisca illa

[1] Phil. 2. 21. — [2] Tract. de Lapsis. — [3] In Carm. de vita sua. Οὐδὲν, ἢ στενόν τι λείψανον. — [4] In vita Malchi. — [5] In fin. lib. 2. Sac. Hist. — [6] Triden. Sess. 13. cap. 7. et can. 11. — [7] Arnald. p. 1. cap. 1. p. 3.

severitate erga peccatores. Quibus non vult amplius tam longas, ac difficiles imponere satisfactiones; sed potius adhibet benigna remedia attemperata infirmitati corporum et animorum hominum postremis hisce seculis viventium. Peritus medicus, qui curat ægrum debilem, atque exhaustum, eumdemque pertinacem ac morosum, attemperat se ejus indoli, abstinetque a ferro et igne, quoad ejus fieri potest; et utitur curatione longiore quidem, sed tutiore et facilius ab ægro ferenda. Nec propterea insimulandus medicus, quasi in artem peccet, sed potius laudandus, probandaque ejus medicamenta.

X. Eadem est ratio Ecclesiæ, si statuamus, contigisse mutationem ob licentiam ac depravationem morum, ut affirmat Arnaldus. Pia hæc mater, et prudens rectrix, cum videret, plerosque liberorum suorum ægrotare, et tam debiles, ut non possent ferre violentam curationem, medicamentumque amarum ac molestum, remisisset aliquid de pristino rigore, diætamque eis præscripsisset mitiorem, quamvis minus potentem atque efficacem. Qua in re quid posset reprehendi? An propterea indignandum est, administratioque ejus contumeliose proscindenda; cum contra laudanda sit ejus prudentia, miranda consilia, adorandusque sapientissimus Spiritus, a quo regitur? Qua specie rationis irasceremur remedio potius, quam morbo? O miram Sorbonici nostri doctoris morositatem! Putat Ecclesiam in moribus esse corruptam. Profitetur se velle ei medicinam facere, communicareque cum fidelibus lumina illa præfulgida, quibus splendet, ex commercio, quod ei cum SS. Patribus intercessit. Ait [1], « se esse jurejurando adactum in S. Virginis fano, cum Doctoris titulum accepit, se defensurum veritatem usque ad effusionem sanguinis. » Incipiat ergo, bonis avibus, tueatur veritatem, *usque ad effusionem sanguinis*. Sed quomodo eam veritatem defendit, quæ medetur corruptionibus, quas inesse Ecclesiæ ait? De hisce enim hic nobis sermo est.

XI. Corruptiones morum, quæ Ecclesiam perturbant, sunt ambitio, avaritia, luxus, libido carnis, nimii sumptus in ludis, vestibus, conviviis, et in omnibus aliis comessationibus, immisericors animus erga pauperes, aut parum religiosus, profanus Dei, locorum, hominumve sacrorum contemptus, et, ut paucis multa complectar, quibus posset justum volumen conflari, quidquid sancti Patres notarunt, deploraruntque non minore eloquentia, quam zelo de corruptione morum in Ecclesia. Quorum Arnaldus aliquot loca profert, ut ostendat, Ecclesiam in disciplina posse corrumpi.

Videamus ergo, qui vir tanto zelo incensus rem aggrediatur, et quomodo tam solemne jusjurandum præstet; dum medicinalia dogmata explicat, quibus curentur Ecclesiæ morbi. Legatur præfatio, in qua operis sui rationem reddit; tum dicat lector, an videatur eo consilio scripsisse, ut oppugnaret vitia, quæ hodie grassantur inter omnes omnium ordinum homines, et præsertim quidem ecclesiasticos. Perlege integrum volumen, excute argumentum de quo agit; ut videas, sicubi vel uno verbo invehatur in ambitionem, cupiditatem divitiarum, charitatis remissionem, furtum, homicidium, atheismum, et cetera omnia peccata, quæ universum Christianismum ferme inundarunt. An usquam castigare ea vitia aggressus est, atque in ea eloquentiæ aciem, ac nervos convertere? An non oportebat eam in rem incalescere, cœlum terræ miscere, et quidquid est masculi in eloquentia SS. Patrum adhibere, ut illa monstra prosternerentur, atque affligerentur.

XII. Verum hac de re ne cogitavit quidem. Eam plane reticet, aut perpaucis attingit, in ingenti illo volumine, in quo de frequente duntaxat communione loquitur, ostendereque nititur non expedire tam frequenter ad eam accedere; *licentiam esse, abusum, ac corruptionem morum*, si quis post sacramentalem confessionem illico communicet, hoc est, postquam bona fide adhibita est præparatio, quam Ecclesia præscribit quasi necessariam ad usum ejus sacramenti. Sed ad curandum eum morbum confugiendum esse ad priscam rationem pœnitentiæ, et diu abstinendum a communione, postquam expiata sunt peccata confessione sacramentali, quamlibet humili, accurata, ac religiosa. Hac in re sitam esse vult *licentiam relapsionemque morum*, quam solam curat, et ad quam solam pertinet sanctum illud jusjurandum, quo in ecclesia S. Virginis obstrictus est. Itaque usus, quem S. Ecclesia hodie comprobat, et quem solum necessarium esse censet ad communionem religiosam, est corruptio morum, ac sacrilegium, quod Arnaldo est oppugnandum viribus omnibus, quas a zelo atque ab eloquentia sua accepit.

XIII. Necesse hic habeo lectorem orare, ut

[1] Præf. fol. a. pag. 10.

mihi ignoscat, quod tam sæpe idem repetam; nimirum, Arnaldum censere, consuetudinem cæremonialem, aut externam disciplinam pœnitentiæ, esse moralem ac vitiosam depravationem : quo pacto Ecclesiam ream facit, famæ ejus detrahit, ignominiamque ei imponit. Cogor ita me gerere, atque inculcare sæpius, quod est totius causæ jugulum. Hic est nodus solvendus, et veluti centrum conspirationis occultæ, ex quo prodeunt et moventur organa, quibus utuntur fictitii reformatores Ecclesiæ. Hoc venenum est tenue ac acre, quo inficiuntur animi, et replentur vento, φιλαυτίᾳ, atque arcana superbia, qua spernunt quidquid est commune, ac frequens in Ecclesia, et a via trita in invias semitas aberrant, amantque quod singulare est, obtentu majoris perfectionis, et cum antiquitate magis consentientis. At contraria omnia experiuntur : « Hi enim sunt, ut loquitur Bernardus [1], qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. » Magni est ergo momenti hoc arcanum aperiri, ut liqueat, quo tendat hæc novitas, et quis exitus ex ea possit sperari; quoniam orditur ab institutis, quæ seriem errorum complectuntur, spectantque ad seditionem, et Ecclesiæ catholicæ concordiam plane dissolvendam.

XIV. Sequor etiam hac in re exemplum, et monita S. Augustini in simili negotio. Scribens enim contra Petilianum e secta Donatistarum, qui existimabant schismaticos, aut hæreticos redeuntes ad unitatem Ecclesiæ, in eam sine iteratione baptismi non esse admittendos; primum exprobrat eis, quod ipsi fecerant, et exemplum cujusdam Maximiani, qui cum nonnullis aliis, quorum dux erat, ab iis secesserat, et mutata sententia ad eos redux facile admissus fuerat, sine altero baptismo. Hinc Augustinus occasionem arripit eos urgendi, oppugnandi, et perpetuo vexandi; dum iis subinde objicit exemplum Maximianistarum, qui a schismate redierunt in communem societatem, nec tamen iterum baptizati fuerant. Quin etiam adhortatur Catholicos, ut si quando disceptent cum Donatistis, omissa omni alia ratione, exemplum hoc unum eis objiciant, quasi caput Gorgonis, quo conspecto, lapide mutiores fiant, « Hoc unum, *inquit* [2], Maximianistarum factum tenete; hoc in eorum frontem configite; hoc eis ad comprimendas linguas dolosas et ora coarctate; hoc tanquam tridenti telo, velut tricipitem bestiam, eorum calumniam trucidate. Traditionem objiciunt, persecutionem objiciunt, baptisma objiciunt; de solis Maximianistis ad omnia respondete. » Hoc volui et debui imitari in re propemodum simili, ubi adversarius meus, emisso imprudenter aut necessaria ratiocinationis consequentia dogmate, ex quo erroris argui potest, id aripere debui, eoque in rem meam uti; cum hinc pendeat victoria, possitque timorem, ac horrorem animo concipere, quo fiat, ut disceptatio hæc nostra in veritatis honorem dirimatur.

Postea agam de causis, ob quas Ecclesia abrogavit usum pœnitentiæ publicæ, ostendamque, æquissimas eas fuisse, auctoritateque et exemplis confirmatas. Nunc utile erit retegere aliam artem Arnaldi, qua conatur declinare vim canonum concilii Tridentini, ex quo argumenta tam gravia, quibus erroris convinceretur, deduximus.

CAPUT SEXTUM.

Absurda subterfugia operis de frequente Communione, circa auctoritatem Concilii. Rationes absurdæ restituendæ pœnitentiæ publicæ, quas propositas a Concilio contendit. Consectaria periculosa indidem deducta. Pœnitentiam publicam non esse traditionis apostolicæ. Quid sit traditio apostolica, et quid in ea postuletur : quorum potissimum est, ut usitata fuerit tempore apostolorum.

I. Ex omnibus rationibus, quas protulimus contra novum hocce consilium de instauranda in Ecclesia vetere forma pœnitentiæ publicæ, quasi ea ratione emendaretur abusus

[1] Serm. 2. de Purific.

[2] August. lib. 1. contr. Petil. cap. 27.

ac depravatio morum, in quam prolapsa esset cæremonialis disciplinæ remissione, nulla est, meo judicio, qua certius opprimatur imprudens illud cœptum, quam quæ petita est ex sententia augustissimi cœtus concilii Tridentini, a quo damnatur [1]. Etenim ubi describit præparationem necessariam ad divinum admittendum Sacramentum, eam coercet intra monitum Apostoli, *Probet autem se ipsum homo ;* subjicitque amplioris declarationis causa examen illud necessarium, quod postulat Apostolus, in eo situm esse, ut qui admiserit peccatum mortale, sacerdoti id confiteatur, antequam ad communionem accedat. Itaque nemo sine temeritate affirmarit, præter confessionem sacramentalem, oportere a peccatore subiri aliam præparationem cæremonialem, qualis erat olim pœnitentia publica, et temporanea abstinentia a communione : ad quam vellent hi homines cogi peccatores, non decori et majoris perfectionis causa, sed æque necessario, ac necesse est omni licentiæ, et corruptioni morum nuntium remittere, ut et consuetudini, quæ favet impœnitentiæ communi omnium.

II. Ratiocinationum, quæ deducuntur ex summa auctoritate Concilii contra novos zelotas, vim declinare conatur Arnaldus inanibus subterfugiis. Huc potissimum redit ejus responsio [2], potius rationem habendam esse animi Concilii quam ejus verborum : « Quamvis enim, *inquit*, eam non potuerit imponere, qualis erat olim, propter infelicitatem temporum quibus coactum est, et duritiem animorum ob quam conqueritur ; attamen instauravit pœnitentiam publicam in peccatis publicis, indicavitque aliquatenus qua ratione posset restitui. » « [3] Licet enim omnia composuerint Patres Concilii, quoad ejus fieri potuit, sat clare innuunt, se summo cum gaudio ea ad majorem perfectionem revocaturos fuisse. Itaque animum eorum tam sanctum, ac laudabilem, sequi atque imitari melius non possumus, quam si adducamus fideles ad viam maxime consentaneam canonibus, et regimini Spiritus sancti, duodecim amplius seculorum experientia confirmato. » Igitur, « Patres in Concilium coacti disciplinam ecclesiasticam ad majorem perfectionem non adduxerunt, quia circumstantiis temporis funestis, ac deplorandis impediti fuerunt. »

III. Quod attinet ad indicationes S. Synodi, de ratione restituendæ pœnitentiæ publicæ, de iis agit in secunda parte operis sui [4], septemque proponit, quas putat esse testimonia animi Concilii. Unde colligit, optavisse quidem Concilium instaurare omnes pœnitentiales cæremonias, si rem aggredi ausum esset, et nisi conditio temporum, quo congregatum fuit, impediisset.

Sic Arnaldus conatur declinare hoc telum, seque huc illuc jactat, ut evadat, omniaque arripit, in quæ incidit ; quæ [5] *sic complectitur, et tenet, quomodo qui a torrente rapiuntur, spinas et aspera.* Ac sane quisquis attente leget, et considerabit omnia capita, in quibus Arnaldus proponit eas indicationes, intelliget ex processu ejus orationis, ingenium ejus maximis difficultatibus implicitum fuisse, nec satis scivisse qui sese expediret, atque hoc unum spectasse, ut quam minimo suo incommodo difficultatibus illis elaberetur, speciosoque quopiam responso lectorem ludificaret. Itaque merito de eo dixerimus, quod de Juliano dicebat S. Augustinus [6] ; « esse in hac ejus contradictione gestus et jactationes, tanquam hominis anhelantis, et pervenire quo nititur non valentis, et in nebulis tamen, quas perturbatus offundit, se pervenisse fingentis. »

IV. Jam dissimulationes, infirmitatemque rationum ejus ostendere aggrediar, et quam male mentem Concilii sit interpretatus. Sed antequam singillatim egregias illas indicationes excutiam, in quibus errat, quasi in ambagibus labyrinthi, undique aperti ac sine exitu ; vel id solum, quod ex ejus præfatione protuli, de animo Concilii, nonne ludicrum est ? Animo sibi finxit, sanctum illum cœtum optavisse quidem restituere antiquam pœnitentiam, eamque publicam facere ; a quo consilio dimotus non est, quod id non percuperet, sed difficultatibus, quas ea in re fore prævidebat, propter infelicitatem temporum, quibus convocatus fuerat. Itaque prudenter omisit consilium, quod bene non cessisset, resque reliquit in eo statu, in quo antea fuerant, ne præcipiti decreto exacerbaretur malum.

V. Sic divinum agis, Arnalde, ac pro veritate venditas, quod merum est somnium. Quod antequam somnium esse distinctius ostendam, et sine ulla ratione ac specie veritatis ; ex eo, quod ais, deducam firmum argumentum

[1] Concil. Trid. Sess. 13. cap. 7. — [2] Arnald. Præf. fol. ii. — [3] Ibid. fol. iiii. — [4] Cap. 21. et seq. — [5] Sen. Ep. 4. — [6] Lib. 4. con. Jul. cap. 9.

gravemque conjecturam de mente Concilii minime censentis, in nova lege aliam esse præparationem necessariam peccatori ad communionem accedenti, præter sacramentum Pœnitentiæ. Si enim Dominus aliam instituisset, ea esset, tuo judicio, quam receptæ consuetudini additam velles; hoc est, nova ratio pœnitentiæ publicæ, et dilatio absolutionis et communionis in omni mortalium peccatorum genere. Quandoquidem ergo, ut fateris, Concilium aperte non egit de tua nova pœnitentiæ forma, neque eam constituit; hinc sequitur, ab illo non præscriptam aliam dispositionem necessariam in delinquente, præter confessionem sacramentalem, nec verbulum unum præterea additum, quamvis, ut conjicis, percupivisset restituere pœnitentiam publicam.

VI. Unde vero nosti, hoc fuisse Synodo consilium? Quis te docuit, Pontificem aut legatos, qui præerant cœtui, id coercuisse *in pectore* abditum, nec propalare ausos? An arcana acta Concilii legisti, aut monumenta nobis ignota, ex quibus hæc hauseris? Si hoc cupivisset, annon conatus esset exsequi? Annon viam quæsivisset, qua posset ad id, quod cupiebat, pervenire? Saltem res proposita fuisset, Concilium ostendisset, quod cupiebat, rationesque protulisset, ob quas ulterius progredi non poterat. Denique contestatum esset, hanc esse *licentiam*, *depravationemque ac prolapsionem morum*, qua fiebat, ut careremus pœnitentia publica, et quam invitum non curatam, atque mera tolerantia omittebat. Igitur perperam, et sine ratione conjicis, concilium Tridentinum optavisse quidem pœnitentiam, qualis erat in primitiva Ecclesia, restituere, sed non potuisse.

VII. Sed verum esse tantisper concedamus, quod contendis, et Concilium instauraturum fuisse pœnitentiam, nisi satius duxisset rem differre : tantum abest, ut hoc cœpta tua purget, ut contra aperte damnet ita, ut vitare nequeas exprobrationem imprudentiæ ac levitatis, aut superbiæ atque arrogantiæ, cui alia similis non est. Si enim Concilium œcumenicum, cœtus tam augustus ac venerandus, si *repræsentativum*, ut dicitur, totius militantis Ecclesiæ corpus, instructum summa potestate ad emendanda quæcumque vitiata erant in moribus ac disciplina Ecclesiæ, quemadmodum ipsum profitetur; si, inquam, ejusmodi cœtus judicavit, movendam non esse hanc camarinam, neque ullo signo innuit se velle restituere usum pœnitentiæ publicæ, aut certe optare, qualis olim erat in omnibus peccatis mortalibus, ut contendis; qui audes hoc aggredi? An præditus es majore prudentia, quam organa illa Spiritus sancti; majore auctoritate, quam summi Pontifices, qui Concilio præfuerunt; majore studio erga Ecclesiam, quam selectissimi pastorum, a quibus regebatur; majore denique scientia, quam illi, ac fortiore animo ad rem perficiendam?

VIII. Vel putasne tempus nunc esse aptius, quam olim erat, vel mores hodie minus esse corruptos, quam tempore Concilii? Hoc consentaneum non est veritati, neque tuæ ipsius sententiæ, quam in Præfatione exposuisti [1], ubi dicis, « Cum Ecclesia moribus possit corrumpi in plerisque suis membris, semper fore, ut sit paulatim degener a primæva puritate, prout versus mundi finem progredietur. » Itaque a tempore Concilii, intra octoginta annos, qui elapsi sunt ad nos usque, existimandi sunt homines magis corrupti esse, quam antea; ac proinde ea, quæ obstiterunt, ne executioni mandaretur arcanum consilium de restituenda pœnitentia, quod commentus es, aut ex revelatione cognovisti, nunc esse difficiliora superatu, quam unquam fuerunt. Itaque sequi debebas exemplum, quod tibi a Patribus Tridentinis erat relictum, neque adire periculum excitandarum turbarum, præcipitique consilio, atque imprudente studio commaculandæ tuæ existimationis.

IX. Nunc veniamus ad indicationes illas concilii Tridentini de restituenda prisca pœnitentia, videbimusque inanes illas esse, nec ullo judicio confictas. Nulla est firma collectio, nihil immune repugnantiæ, atque absurditatis manifestæ. Prima indicatio [2], ex qua conjicis, Concilio in animo fuisse restitutionem pœnitentiæ publicæ, « in eo cernitur, quod Concilium restituat omnes traditiones apostolicas, testeturque sæpe, se vehementer cupere, disciplinam ecclesiasticam instaurari in eumdem statum, in quo erat, antequam remissione hominum, ignoratione canonum, et depravatione morum esset mutata. »

Secunda indicatio hinc petitur, « quod Concilium renovet omnes veteres canones, qui pertinent ad mores, et officia ecclesiasticorum, iisdem pœnis aut etiam majoribus, quam quæ impositæ fuerunt. »

X. Eæ rationes argumentandi vitiosissimæ sunt, teque ultra id, quod velles, abriperent,

[1] Præf. uuu. pag. 1.

[2] Part. 2. cap. 21. pag. 470.

si contra te adhiberentur, et consectaria absurdissima a te extorquerent, concessis præmissis. Concilium, inquis, restituit omnes traditiones apostolicas, vultque disciplinam ad pristinum statum revocari; ergo intelligit esse restituendam pœnitentiam publicam. Si ea argumentandi ratio valida est, debemus omnes etiamnum cavere, ne comedamus carnem cum sanguine, aut pecudes suffocatas; quandoquidem hoc diserte vetatur ab apostolis, Act. 15. estque certissime traditio apostolica, confirmata usu plurium seculorum, comprobata decretis Conciliorum, et etiamnum hodie viget in Ecclesia orientali. Vide, quid de ea scribat Balsamon in can. 67. sextæ Synodi *in Trullo*, ubi profert constitutionem Leonis *Philosophi;* qui graves pœnas imposuit iis, qui venderent, aut comederent carnem cruentam, mulctasque magistratibus, qui rem negligerent.

XI. Quod si opinionem tuam de pœnitentia publica firmare te posse putas, ostendendo [1], « priscam illam disciplinam semper servatam fuisse in Ecclesiis Orientis, » cum unum exemplum proferas Ecclesiæ montis Libani, quasi omnes Ecclesiæ Orientis illa una exigua continerentur; quanto gravior esset ratio te cogendi ad observationem priscæ illius consuetudinis Ecclesiæ primitivæ, qua a sanguine et suffocatis abstinebat, cum hodieque observetur in Ecclesia græca, et in pluribus aliis per tres orbis terrarum partes sparsis? Si quis a te peteret, quare Ecclesia catholica eam constitutionem minime observet, sed illos cibos promiscue edat; quid aliud responderes, nisi, sola longinquitate temporis rem in desuetudinem abiisse, absque ulla diserta abrogatione? Hoc ipsum tibi responderi putato, atque scito pœnitentiam istam publicam usu esse obsoletam, non tantum in Romana, sed etiam in græca, et in plerisque orientalibus, et fortasse etiam in omnibus Ecclesiis; nisi inusitata sint scelera, atque abnormia delicta, in quibus castigandis veteris pœnitentiæ supersunt quædam vestigia, etiam in ipsa catholica, et Romana Ecclesia.

XII. Præterea quis probabit formam externam et cæremoniam pœnitentialem, quæ nunc obsolevit, et in qua proprie sita est pœnitentia publica, esse traditionis apostolicæ? Possisne ostendere ejus usum aliquem certum et perspicuum primo seculo, ac per partem etiam non spernendam secundi? Fateor quidem, semper in societate Christiana quodpiam fuisse pœnitentiæ genus, non tantum quod attinet ad ejus essentiam, quodque est juris naturalis, vel institutionis divinæ, sed etiam quod spectat ad externos ejus ritus. Semper enim fuit disciplina quædam aut cæremonialis πολιτεία, exactaque est a peccatoribus actio, qua satisfacerent Ecclesiæ. Talis erat excommunicatio, et abscissio e corpore fidelium, vel penitus, vel ex parte, pro gravitate delicti, cujus in epistolis Pauli nobis sunt exempla. Peccatores semper potuere vocari non tantum ad tribunal et jurisdictionem arcanam conscientiæ; sed etiam ad tribunal externum, pro quo, qui sedent, judicant ex legibus canonicis, jureque humano. Igitur Ecclesia nunquam fuit sine causarum criminalium judicio, ut statueret de iis, quod videretur, et certas pœnas delinquentibus imponeret.

XIII. Verum ea res hic non agitur, nec quosvis ritus externos, aut satisfaciendi causa, aut pœnitentiales intelligimus, cum loquimur de pœnitentiæ publicæ restitutione. Alioqui lis dirempta esset, nec Arnaldus haberet quod quereretur, aut requireret in Ecclesia hodierna; quandoquidem in ea obtinet usus externus, et conspicuus pœnitentiæ. Aliud ergo postulat, et singulare quid instaurare aggreditur. Vult revocari in usum antiquam et obsoletam illam consuetudinem Ecclesiæ primitivæ, præsertim quarto et quinto seculo, quæ porrigitur ab anno 300. ad 500. post Christum natum. Sic enim Arnaldus definit id tempus, in Præfatione sua [2], ubi scribit « Ecclesiam primitivam esse Ecclesiam SS. Basilio, Ambrosio et Augustino æqualem; et conari sequi Ecclesiam primitivam, in capite de pœnitentia, aliud nihil esse, nisi conari restituere disciplinam Ecclesiæ, qualis est in scriptis illorum Patrum. » Hæc verba, ubi opportunum erit, expendentur, multumque nobis inservient ad convincendum Arnaldum erroris et repugnantiæ. Nunc, ne seriem orationis abrumpam, aut impediam, hinc colligam, quæ sit forma pœnitentiæ, quam Arnaldus a nobis exigit. Ostendit enim, eam a se intelligi, quæ in usu erat sub finem quarti seculi, et sub initium quinti, intra quod tempus vixerunt SS. Patres, quos nominatim appellavit; ita ut velit intromittere pœnitentiam illam in quatuor gradus divisam, de qua alias dicemus. Hanc autem peto ut ostendat traditionem esse apostolicam, ut cen-

[1] Arn. Part. 2. c. 19. pag. 461.

[2] Fol. iii. pag. 1.

seri possit contineri traditionibus, quas concilium Tridentinum restituit.

XIV. Ut res melius intelligatur, non diffiteor, in Ecclesia semper fuisse formam aliquam pœnitentiæ, etiam publicæ, quod attinet ad atrociora scelera; qua ne hodie quidem prorsus caret, ut intelligere est ex excommunicatione propter crimina hæreseos, apostasiæ, aut alia inusitata, atque enormia, quibus certæ pœnæ a canonibus sunt impositæ. Delinquens enim non potest absolvi, aut recipi in pacem Ecclesiæ sine ritu quopiam externo, et sine satisfactione, ac confessione publica criminis, conjuncta cum testificatione solemni, qua profitetur, se ejus pœnitere, atque absolutionem optare. Hoc non videtur Arnaldus desiderare in disciplina ecclesiastica; sed quod fiebat tempore SS. Basilii, Ambrosii et Augustini, hoc est ab anno 369. quo Basilius episcopus factus est, ad annum 430. quo mortuus est Augustinus. Quo tempore conflatur intervallum 60. annorum, quod Arnaldus elegit, ut ex eo peteret exemplar pœnitentiæ publicæ, quod sequi vult Ecclesiam hodiernam.

XV. Pœnitentia autem illa in hoc sita erat, primum quod omnis generis peccata mortalia, seu occulta, seu publica, ei pœnitentiæ, si Arnaldo credimus, essent subjecta. Secundo, quod singula peccata mortalia haberent tempus præfinitum pœnitentiæ et satisfactionis publicæ; quo demum exacto, non citius, absolvebantur, reconciliabantur, et recipiebantur in communionem Ecclesiæ. Tertio, quod cum tempus esset definitum, pro gravitate delictorum, pœnitentibus transeundum esset per diversos gradus, atque in iis hærendum per multos annos; imo vero per totam vitam, sine spe absolutionis, excepta tamen necessitate, ut postea dicemus. Denique, quod qui semel subiissent pœnitentiam publicam, iterum ad eam non admitterentur. Itaque irregulares habebantur, nec unquam poterant clerici fieri.

XVI. Debet itaque Arnaldus probare, hanc pœnitentiæ rationem, pro tota sua extensione, effectibusque ac circumstantiis memoratis, aliisque, quæ possem addere, et quæ observabantur tempore trium illorum doctorum, esse traditionis apostolicæ; deinde instauratam fuisse a Concilio, cum contineretur numero traditionum restitutarum. Nec satis erit, hoc ab eo probari de parte quadam pœnitentiæ, quoniam fieri nequit, ut pars aliqua ejus observata non redoleat usum temporum apotolicorum. Imo vero ejus, cujus usus superest, et quæ Arnaldo non satisfacit, maxima pars est traditionis non tantum apostolicæ, sed etiam divinæ, ut docuit Concilium, cum definivit loco Pauli, quo præscribitur dispositio necessaria ad S. communionem, *Probet seipsum homo*, nunquam alium fuisse sensum, ex vulgari interpretatione Ecclesiæ, nisi ut adhiberetur confessio, præter animi religionem.

Pœnitentiam autem publicam eo modo, quo exercebatur tempore SS. Basilii, Ambrosii, et Augustini, fuisse institutionis divinæ, vel apostolicæ, nequaquam ostendit Arnaldus; nec potest testimoniis, aut rationibus validis demonstrare.

XVII. Imo vero certa sunt argumenta, ex quibus colligere licet, non esse traditionem apostolicam. Potissimum deducitur ex natura ejus traditionis, rationeque eam secernendi, quam celebri loco docuit S. Augustinus [1], hisce verbis : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Omne temporis intervallum clauditur duobus terminis, inter quos labitur, fluxu horarum, dierum, annorum, et seculorum. Est instar rivi, vel fluvii, qui a fonte exorsus, et fluens per alveum, aquas volvit usque ad locum, in quo mare subit. Itaque ascendentes secundum alveum, tandem ad fontem ejus perveniunt. Eadem est ratio intervalli, quod continet durationem, et, ut ita dicam, ætatem traditionis apostolicæ. Fons quidem ejus ostendendus est in tempore atque in ore apostolorum. Decursus vero est usus ejus perpetuus per annos sequentes, quibus descendimus ad inferiorem terminum, aut etiam ascendimus ad primam originem. Hoc docet S. Cyprianus [2], qui, ubi agitur consuetudo Ecclesiæ, vult oportere, « ut ad fontem recurramus, id est, ad apostolicam traditionem, et inde canalem in nostra tempora dirigamus. » Verba hæc magni facit S. Augustinus, iisque utitur, contra ipsum Cyprianum, ut reverenter oppugnet opinionem, quam defendebat contra consuetudinem in Ecclesia usitatam, circa baptismum hæreticorum; quam consuetudinem sanctissimus Martyr conabatur elevare, quemadmodum postea fecerunt Donatistæ.

[1] Lib. 4. de Bapt. cont. Donat. cap. 23.

[2] Ep. 74. apud Aug. L 5. cont. Don. c. 26.

XVIII. Est ergo conditio necessaria traditionis apostolicæ, sigillumque, quo consuetudo debet esse signata, ut ejusmodi judicetur, ut fuerit in usu temporibus apostolicis. Oportet ut successionis filum ex utraque extremitate intervalli sit suspensum, in quo intervallo traditio quæretur; ut duo termini, quibus clauditur, connexi quasi fabulosa catena Poetæ, quæ extremitate una cœlo adnexa terram altera attingebat, sint similes in usu consuetudinis, et in ejus descriptione.

Quod si qua sit interruptio, qua solvatur ejus perpetuitas, facile inferior ejus terminus haberi queat. Fieri enim potest, ut traditio apostolica intercidat. Sed fieri nequit, ut initio interrumpatur, utque series annorum a suo principio non pendeat. Alioqui neque esset traditio, neque apostolica. Vox enim latina *traditio*, et græca παράδοσις significant dationem, quæ fit de manu in manum. Qua in re duæ sunt actiones reciprocæ, altera dandi, altera *accipiendi;* quas commode Hebræi exprimunt duobus nominibus מסרה et קבלה, quorum prius sonat traditionem de manu in manum, posterius acceptionem, et utrumque adhibetur ad significandum id, quod vocamus *traditionem*. Cui voci si addideris nomen ejus, inter quem et te communicatio est, et mutua relatio per traditionem; hanc necesse est ab illo derivatam, tanquam a trunco. Itaque quando vocatur traditio *apostolica*, sequitur eam ab apostolis datam, ac transmissam esse ipsorum discipulis et successoribus, et ab hisce ad alios, quomodo ad nos usque pervenit.

XIX. S. Irenæus, qui inter Patres accepit a Deo singularem gratiam probe intelligendæ naturæ, et vis traditionis, hoc variis in locis librorum suorum manifesto ostendit, ac præsertim tertio libro[1], ubi hæreticos convicturus, eos ad traditionem apostolicam revocat, quam ait a singulis apostolis relictam Ecclesiis quas condidere, et quam non aliter propalarunt Ecclesiæ ac propagarunt, quam ea proxime sequenti ætati tradita, quæ ejus depositaria facta eam similiter ad posteros transmisit. Quapropter nullum aliud argumentum adhibet ad probandam veritatem hujusce traditionis, præter successionem episcoporum, eorumque catalogum depromptum ex tabulariis Ecclesiarum apostolicarum, seu ab apostolis conditarum. Cujus successionis ut specimen tradat, eligit potissimam Ecclesiarum, hoc est Romanam in qua post apostolos Petrum, et Paulum sedit Linus, tum Anacletus, deinde Clemens, « (1) qui et vidit ipsos apostolos, et contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem apostolorum, et traditionem ante oculos haberet. » Capite vero sequenti[2]: « Quid autem, *inquit*, si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat, ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? »

XX. Omitto multa alia gravissimi scriptoris loca, in quibus docet, hanc esse naturam traditionis apostolicæ, ut in manum tradita fuerit iis, quos præficiebant Ecclesiis a se conditis; ac proinde nullam oportere esse interruptionem inter ejus originem, hoc est Apostolum, et continuationem ejusdem traditionis ab eo originem ducentis.

Traditio apostolica est instar colli, quod conjungit Ecclesiæ universalis corpus cum præcipuo suo capite, hoc est Jesu Christo; et corpus uniuscujusque Ecclesiæ particularis cum secundario capite, hoc est Apostolo, a quo primum condita est. Quod consentit cum comparatione SS. Cypriani et Augustini, qui describunt nobis traditionem quasi canalem, qui perpetuo in fluvium aquas suas evolvit; quemadmodum spiritus necessarii ad conservationem ac vitalia munera animalis transmittuntur a capite in corpus per collum, quod est meatus loco. Igitur traditio est medius canalis, per quem succus, et spiritus doctrinæ apostolicæ communicatur cum corpore mystico Ecclesiæ.

XXI. Hæc ratiocinatio necessaria erat, ac nunc quidem satis cognoscendam præbet, non sine stupore nostro, nec sine commiseratione, incredibilem cæcitatem Arnaldi contendentis, traditiones omnes apostolicas omnino restitutas a concilio Tridentino; unde colligit, instauratam quoque ab eo fuisse pœnitentiam publicam, quasi inter apostolicas recensendam. Attamen huic traditioni eripit, quod ei est necessarium, ut sit apostolica; dum eam coercet intra intervallum temporis, quod neque connexum est cum origine, hoc est cum tempore apostolico, neque cum sequentibus temporibus Ecclesiæ, a quibus ab Arnaldo divellitur. Ex nulla enim alia Ecclesia primitiva exemplar desumit pœnitentiæ publicæ instaurandæ, quam ex ea, quæ floruit per sexaginta illos annos, qui complectuntur

(1) Lib. 3. cap. 3. apud Eusebium Hist. L. c. Καὶ ἔτι ἔναυλον τὸ κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων.

[1] Cap. 3. et seq. — [2] Lib. 3. cap. 4.

tempora episcopatuum trium illorum luminum Ecclesiæ SS. Basilii Ambrosii, et Augustini. Qua amputatione ea traditio, vel consuetudo desinit esse apostolica, cum incipiat 370. annis post Christum, et desinat 430.

XXII. Possemus hic in patentem campum exspatiari, si vellemus ad examen revocare brevem descriptionem Ecclesiæ primitivæ intra illud exiguum temporis intervallum, quam tradit Arnaldus. Verum rem differemus in alium locum, in quo probabimus, quod hic in antecessum affirmamus, si velit servari consuetudinem pœnitentiæ publicæ, quæ tunc obtinebat, non fore cur sibi gratuletur, totque illinc exortura absurda, atque incommoda, ut quod dixerit, recantare cogatur. Cujus rei specimina nonnulla sequentibus capitibus trademus. Nunc mihi non licet a potissimo argumento aberrare, quo a me oportet ostendi falsitatem hujus consequentiæ: *Pœnitentiam publicam videri restitutam fuisse auctoritate concilii Tridentini, eo quod restituit traditiones apostolicas.* Nam neque pœnitentia publica, qualem postulat et præscribit Arnaldus, est traditionis apostolicæ, neque Concilium omnes traditiones apostolicas restituit. Quorum duorum capitum prius satis hujus capitis disputatione comprobatum fuit, præterquam quod de eo postea agemus. Superest alterum, cui caput sequens tribuemus.

CAPUT SEPTIMUM.

Examen quatuor priorum indicationum, quas opus de frequente Communione tribuit concilio Tridentino. A Concilio non esse instauratas omnes traditiones veteres: sed tantum eas, quæ ad fidem pertinent, aut quæ contrarias consuetudinibus, vel diserte constitutionibus abrogatæ non fuerant. Arnaldus abutitur voce *traditio*. Multi canones nunc sunt obsoleti. Absurda, quæ sequuntur ex ratiocinatione Arnaldi. Animus Concilii circa pœnitentiam. Magni facienda opera pœnitentiæ, sed quomodo.

I. « Concilium Tridentinum, inquit Arnaldus [1], restituit omnes traditiones apostolicas, testaturque multis locis se vehementer cupere restituere disciplinam ecclesiasticam in eumdem statum, in quo erat antequam remissione, ignoratione canonum, et depravatione morum mutaretur. » At Concilium nihil diserte habet de pœnitentia publica, quemadmodum de aliis traditionibus, quas nominatim commendat. Imo contra eam abrogat, præsertim si adhibeatur in omni peccatorum genere, dum declarat, non esse amplius necessariam, ut antea ostendi. Præterea dum Concilium ratas esse jubet traditiones apostolicas in genere, præcipitque eas observari, de iis tantum loquitur, quæ pertinent ad fidem, aut ad bonos mores, et quibus in perpetuum tenemur; aut de iis, quæ nequaquam immutatæ fuere, aut, contrariis consuetudinibus obsoletæ, sed quas Ecclesia constanter observari vult, quicumque abusus in eas intromittantur, quos mutat quandoque, et testatur se invita intromissos. Hæc summatim opponenda habemus infirmæ ratiocinationi, cujus tædet eos, a quibus intelligitur, et quæ risu aut silentio dignior esset, quam responso. Verum reverentius habere lubet viros litteratos, et catholicos, nec spernere quæ ab iis dicuntur, ex quibus utilitas quæpiam derivari potest, seu ad saniorem mentem adducantur, seu alii quod ignorant doceantur, atque ad regulas inconcussas veritatis catholicæ rediganter.

II. Dicam ergo primum, Arnaldum abuti nomine *traditionum* contra sententiam atque animum Concilii, quod, iis memoratis et confirmatis, rem coercet intra limites, quos dixi. Quod facile erit ostensu, breviter expensis iis locis, in quibus vetat traditionem aliquam sperni. Exempli causa, sessione 4. ubi proponit decretum de libris canonicis, dicit [2], « Evangelium, quod proprio ore Christus primum promulgavit, deinde per apostolos, esse tanquam fontem omnis et salutaris veritatis, et morum disciplinæ. Hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab apostolis acceptæ, aut ab ipsis aposto-

[1] Par. 2. c. 21. p. 470.

[2] Conc. Trident. Sess. 4.

lis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt. » Quibus in verbis, tantum sermo est de traditione, quæ pertinet ad doctrinam fidei, vel morum ; non vero ad veros ritus ac consuetudines, quæ pendent ex arbitrio Ecclesiæ.

III. Alio loco [1] memorat traditionem apostolicam, quæ pertinet ad consuetudinem laicorum ad communionem accedentium ; quos corpus Christi accipere oportet e manu sacerdotis, non ex ipso altari : « Qui mos, inquit Concilium, tanquam ex traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet. » Fateor hanc consuetudinem semper fuisse servatam in Ecclesia, neque obsoletam cessisse contrariæ consuetudini. Quamobrem Concilium in hac re novi nihil instituit, sed usum vulgo receptum confirmavit. Fuit quidem in sumptione corporis Christi nonnulla diversitas, cum, ut docet S. Basilius in epistola quadam, consuetudo ejus temporis fuit, laicos id accipere e manu sacerdotis, et servare, quemadmodum volebant, seu id illico comederent, seu domum auferrent, quando videretur comedendum, ut postea copiosius ostendemus. Cum autem ea consuetudo obsoleverit, imo vero hodie plecti queat, quasi profanatio S. Sacramenti ; Arnaldi est nos docere, quid de ea sentiat, anve ex ratiocinandi via, quam ingressus est, *a concilio Tridentino restitutas omnes traditiones apostolicas, hoc est, disciplinam Ecclesiæ, qualis extat apud S. Basilium,* non sequatur esse restitutam, quandoquidem eam commemorat, atque approbat S. Basilius. Sic intelliget, quantopere a vero aberraverit in eo, quod temere protulit. Sed hoc argumentum alii loco reservabimus, ubi majore fructu urgebimus.

IV. Redeamus ad Concilium, quod meminit alterius traditionis apostolicæ [2], quæ pertinet ad materiam, formam, ministrum, atque effectum sacramenti Extremæ Unctionis. Quæ cum sint partes essentiales ejus Sacramenti, nihil est in illis mutandum, Conciliumque sapienter definivit, relinquendam rem esse in eo, quo erat, statu. Similiter, ut brevius rem absolvam, Concilium memorat aliam traditionem pertinentem ad Canonem Missæ [3], aliam de aqua temperando Calice [4] ; aliam [5], qua docemur sacramento Ordinis communicari gratiam ; aliam de Matrimonio in numerum Sacramentorum legis gratiæ admisso [6]. Denique inter traditiones recenset Purgatorium.

Hæ sunt traditiones, quæ summatim commendantur a Synodo, non vero mere cæremoniales, et ab hominibus institutæ, e quarum numero habenda est pœnitentia publica. Quam in rem observandum est, traditiones sæpe dici capita fidei, seu ex ore accepta sint, seu e scripto ; aut ritus necessarios, atque immutabiles, quos Ecclesia semper observavit. Quod liquet ex allatis exemplis. Hinc manifesto intelligitur error Arnaldi, qui, pro consuetudine sua, ambiguitate vocis *traditio* abutitur : quod potest ignosci tironi, at non Theologiæ doctori, qui solemni sacramento ad defendendam veritatem adstrictus est ; quod facere nequit, nisi ei sit accurate nota.

V. Verum hæc satis erunt de prima indicatione, quam Concilio tribuit Arnaldus, aut de prima ejus falsa interpretatione. Secunda non est clarior, iisdemque incommodis laborat, ac prima. Quisquis enim dicit, *a Concilio renovatos veteres omnes canones, qui pertinent ad mores et ad officia ecclesiasticorum*, utitur ambigua ac captiosa enuntiatione. Eadem est ambiguitas, quam notavimus antea cap. 4. § 9. in voce *mores*. Ea vox gallico sermone (*mœurs*) significat proprie bonos aut pravos habitus, hoc est, aut virtutes aut vitia. At Arnaldus ea voce utitur æque amplo significatu, ac est vox latina *mores*, qua sæpe significantur consuetudines indifferentes. Hoc significatu sumpsit vocem gallicam, quando dixit *a Concilio renovatos canones, qui pertinent ad mores ;* nam sine dubio falsum est, a Concilio renovatos omnes antiquos canones, qui pertinent ad *mores*, si intelligantur consuetudines indifferentes et cæremoniales, non *morales*.

VI. Sunt enim permulti canones ad meras consuetudines pertinentes, quos oportebat ab ecclesiasticis servari in primitiva Ecclesia, qui hodie plane sunt abrogati, atque obsoleti, et quos Arnaldus renovatos auctoritate Concilii dicere non auderet. Tales sunt omnes Constitutiones, quæ pertinent ad electionem episcoporum, aut presbyterorum, et aliorum clericorum, beneficiisque instructorum, atque ad rationem, qua oportebat eam electionem fieri. Qua de re multa sunt decreta Conciliorum, et maximorum Pontificum. Sunt et alia de ratione juris dicendi de hominibus sacris, et ministris Ecclesiæ, ad eos exauctorandos,

[1] Sess. 13. c. 8. — [2] Sess. 14. c. 1. — [3] Sess. 22. c. 4. [4] Ibid. c. 7. — [5] Sess. 23. c. 3. — [6] Sess. 24.

similibusque aliis pœnis afficiendos; quibus decretis hodie non amplius paremus. Denique diu nos non oportet studiis ecclesiasticis incubuisse, ut sciamus magnam partem disciplinæ ecclesiasticæ; non eam quidem quæ spectat ad mores, qua in re Arnaldus ridicula ambiguitate ludit; sed eam, quæ ad consuetudines pertinet, esse prorsus mutatam : atque usum hodiernum plane alium esse quam in primitiva Ecclesia; quamvis nomen *primitivæ* coerceretur intra limites ab Arnaldo definitos, vel intra vitam SS. episcoporum Basilii, Ambrosii et Augustini.

VII. Potestne ergo, qui minime desipiat, somniare, a concilio Tridentino restitutam fuisse formam regiminis ecclesiastici, quod olim accurate observatum est; omnesque canones, quibus instituta fuerat, ac vigebat, instauratos fuisse, ac veluti excitatos e sepulcro, in quo per tot annos delituerant? Igitur cum Concilium renovaverit omnes veteres canones, oportebit, ut in posterum nominatio, atque electio episcoporum fiat suffragiis populi. Existimabat enim Cyprianus [1], esse apostolicæ ac divinæ traditionis, ut episcopus eligeretur consensu populi; ac sane usus illorum temporum certus est ex historiis ecclesiasticis, diu obtinuit, ac sæpe canonibus est confirmatus. Exstant hac de re Canones IV. concilii Carthaginensis, II. Arelatensis, III. Parisiensis, et multorum aliorum, Paparum item Cælestini et Leonis, quibus primis ea nomina fuere; quo de negotio posthac agemus. Deinde abrogandæ erunt omnes constitutiones Synodorum et Patrum, quibus canones illi abrogati fuerunt. Concordatus corruet, et omnia jura nominationis, Regalia, aliaque, quibus derogatur antiquo juri et canonibus Ecclesiæ primitivæ, simul concident.

VIII. Si enim *Concilium restituit omnes antiquas traditiones apostolicas*, si *renovavit priscos omnes canones qui pertinent ad mores et officium ecclesiasticorum*, hoc est, ad consuetudines, prout interpretatur Arnaldus; quare non restituerit etiam traditiones et canones, quos dixi? Quis Arnaldo potestatem contulit interpretandi verba Concilii prout ei videtur, et coercendi generalia verba ad consuetudinem hanc, aut illam, exclusis ceteris omnibus, quæ sunt pari jure? Respondeat, si potest, cur hinc colligat Concilio animum fuisse revocandi fideles ad usum pœnitentiæ publicæ, quia canones et traditiones veteres instauravit; nobis vero non licebit colligere voluisse eum electiones episcoporum iterum fieri suffragiis populi. Cur non dicemus, Arnaldum, quæcumque ei sint opes, oportere, ad vitam sustentandam, artem quampiam exercere, quia concilium Carthaginense IV. jussit [2], « Clericum, quantumlibet verbo Dei eruditum, artificio victum quærere. » Disertior est canon sequens, qui ita habet : « Clericus victum et vestitum sibi artificio, vel agricultura, absque officii sui duntaxat detrimento, comparet. » Concilium autem illud celebratum est circa annum 400. ac proinde est intra intervallum, quod Arnaldus Ecclesiæ primitivæ tribuit. Multa alia similia possunt ei objici exempla, ex quibus liquidum fit, falsas esse ejus consequentias, et inane ac alienum ab hoc negotio, quidquid hic habet.

IX. Eadem absurditas animadvertitur in aliis indicationibus concilii Tridentini, ut ille vult, ad instaurandam pœnitentiam publicam.

Tertiam dicit esse [3], ubi « Concilium definivit, quasi veritatem catholicam, et caput fidei, contra Lutherum : Pœnitentiam sitam non esse in sola mutatione vitæ peccatis contaminatæ, in vitam virtuti consentaneam; sed etiam in deflenda vita præterita, et in satisfaciendo Deo lacrymis, jejuniis, eleemosynis, etc. » Verum an hinc sequitur, Concilium [4] *vehementer optasse, restitui consuetudinem, quam*, ut putas, Arnalde, *damnamus?* An hinc sequitur *non posse penitus satisfieri præceptis ejus divinis, nisi adlaboremus, pro viribus, ad restituendam veterem pœnitentiam?* Concilium damnavit Lutherum [5], quia contendebat veram pœnitentiam sitam esse in emendatione vitæ, sine ulla contritione, doloreque ob commissa peccata et operibus satisfactoriis, ut ipsum Concilium ostendit [6], utque videre est in capitibus doctrinæ Lutheri damnatis a Leone X. Verum an dicit, post confessionem sacramentalem, conjunctam cum dolore ac contritione, studioque vitæ emendandæ, et executioni mandandæ tempore suo satisfactionis, quam sacerdos imposuerit, oportere pœnitentem aliquandiu a communione abstinere? Contenditne esse *abusum*, *licentiam*, *collapsionem*, *depra-*

[1] Epist. 68. — [2] Carth. 4. can. 51. — [3] Arnald. Part. 2. cap. 22. pag. 473.

[4] Ibid. cap. 21. pag. 470. — [5] Concil. Trident. Sess. 14. — [6] Ibid. cap. 8. et Can. 13. et 14.

vationemque morum, si quis ad mensam Domini accedat post confessionem sacramentalem?

X. Fatemur tecum, magni facienda esse opera satisfactoria, jejunia, eleemosynas, et alias actiones pœnales, ut vocantur; hæc esse prædicanda, atque inculcanda populo; imo expedire, ut imponantur, quasi pœna et satisfactio peccatorum commissorum, atque in confessione enumeratorum. Solet hoc fieri in Ecclesia catholica in conscientiæ tribunalibus. Usus earum est optimus, optandumque est, ut confessarii iis remediis utantur animose et prudenter. Quod si nonnulli, qui sacris illis ministeriis funguntur, remittant eam curam, peccant et quidem contra animum Concilii, qui contraria fieri jussit. Quapropter te laudo, quod tibi cordi sit utilitas, quam Ecclesia percipit ex recto usu sacramenti Pœnitentiæ. Nemini displicere queat, quod iis, qui sententiam tuam sequuntur, auctor sis austerioris vitæ, ut doment corpus suum, eademque opera pro sceleribus præteritis satisfaciant.

Ne dixeris oppugnari opera satisfactoria, minuique auctoritatem sanctorum virorum, qui illa tanti fecerunt, exemplumque eorum nobis ostenderunt. Ne queraris confutari egregiam illam praxim devotionis laboriosæ et patientis. Ne usque adeo jactato novam tuam pœnitentiæ rationem, neve calumniis impetito eos, quibus displicet, quasi inanibus suspicionibus et fallaci specie niterentur.

XI. Ad extremum contendis, imitarisque imprudens veteres illos hæreticos, qui, cum haberent Ecclesiam catholicam communem adversariam, eam invicem insimulabant contrariorum errorum. Sic Ariani vocabant Catholicos Sabellianos, Sabelliani vero dictitabant Catholicos cum Arianis sentire. Nestoriani Ecclesiam referebant ad partes Eutychianorum, Eutychiani ei exprobrabant hæresim Nestorianorum. Sine mala fide, nec dissimulari status quæstionis, nec subterfugia inania, et dolosa quæri possunt. Omittamus ergo inutiles querelas, exaggerationes, ac dissimulationes inanium verborum. Ad rem ipsam venianus, et statum quæstionis constituamus. Nihil est nobis tecum negotii de pœnitentia, et satisfactione, propter admissa delicta. Utrumque tecum probamus. Imo nec eos vituperamus, « [1] qui ex consilio sacerdotum aliquandiu abstinent a sacra mensa, non alienatione animi, sed ob veram agnitionem peccatorum suorum, ut postea sanctius ad eam accedant, postquam digniorem ea facti sunt operibus pœnitentiæ. » Sic se gerant, per nos licet, abstineantque a communione ex consilio, aut etiam jussu directorum.

XII. Sed quemadmodum magnum erat discrimen inter jejunia et abstinentias a carne et vino, quæ exercebantur a nonnullis hæreticis, ut Manichæis et aliis, et inter jejunia Catholicorum; (quia hæretici ab iis abstinebant ob falsum atque exitialem errorem, quo credebant, cibos illos esse reipsa malos; Catholici vero in bonum finem, et sine fidei detrimento jejunabant:) sic quamvis omnes eadem dicamus de usu ejusmodi rerum, eodem tamen animo non loquimur. Hac in re sita est controversia nostra, quod eam pœnitentiam quasi necessariam imponas, non ex mero consilio. Hoc enim vis, cum contrariam consuetudinem vocitas *licentiam*, *depravationem*, *corruptionemque morum*; cum castigas Ecclesiam, vituperas ejus regimen, contemnis instituta, et quasi vitiosa damnas, quæ constitutionibus Conciliorum probavit; cum dicis, consuetudinem, quæ ipsa sciente, aut potius jubente viget, *favere impœnitentiæ communi plerumque;* cum doces, usum pœnitentiæ publicæ, qui obtinebat in Ecclesia primitiva, et cujus memoria antiquis canonibus conservata est, ut et scriptis antiquorum Patrum, esse juris divini, non [2] « consuetudinem ad regimen pertinentem, non institutionem Ecclesiæ, sed præceptum Jesu Christi; » cum contendis [3], *remedium* esse *necessarium*, et [4] *dispositionem immutabilem*. Unde colligere licet, fideles æque ea lege teneri nunc, atque olim, nec sine scelere eam perfringi.

Hoc demum ferre non possumus, hoc offendimur, ut sæpius jam in antecedentibus capitibus diximus. Nega eam dilationem communionis necessariam esse; dic esse consilium, quod possit a te dari hominibus, pro affectione animi, quam in iis deprehendisti. Ne damnes consuetudinem contrariam, quasi morum depravationem. Denique maneas intra limites ab Ecclesia et concilio Tridentino positos, nec ulla amplius erit tibi nobiscum disceptatio. Hac sola in re dissentimus, quam si probe intellexeris, videbis corruere *indicationes*, *fundamenta* et conjecturas, quas con-

[1] Part. 2. cap. 18. pag. 460. Arnald.

[2] Part. 2. cap. 8. pag. 290. — [3] Ibid. — [4] In Præfat. pag. 13.

tra nos profers, et conatus omnes tuos inutiles fieri.

XIII. Quarto loco [1] Arnaldus in rem suam utitur præcepto Concilii, « quo jubet omnes sacerdotes imponere pœnitentibus pœnas pro peccatorum gravitate. » Est autem maxima pœna, quæ imponi queat, *temporaria illa exclusio a mensa Ecclesiæ*. Ideoque melius convenit delicto. At modo ostendi non satis esse, a te probari, remotionem a communione posse peccatori imponi, ut pro delicto satisfaciat, neque hoc contrarium esse Concilii sententiæ. Præterea oportet, ut ostendas, ab eo partem illam pœnitentiæ publicæ, qua utebatur Ecclesia primitiva, habitam esse necessariam, ut vitetur licentia et corruptio morum; hoc est, consuetudinem contrariam, qua peccatores a mensa Domini minime excluduntur, esse depravationem vituperandam. Nisi hoc colligas ex Concilio, nihil agis. Potissimum hoc est controversiæ caput.

XIV. Verba Concilii, quæ profers, ita habent [2] : « Debent ergo sacerdotes Domini, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera, pro gravissimis delictis, injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. » Ex hisce verbis nemo collegerit, Concilio animum fuisse, injungere confessariis, ut dilatione communionis uterentur; aut id pœnitentiæ genus potius, quam alia, constituisse quasi ex consilio. Rem totam refert ad prudentiam confessarii, qui pro sua sapientia, et statu peccatorum, varia iis imponet pœnitentiæ genera. Quod permittitur alicujus arbitrio, non definitur, neque ei imponitur, quasi Deum offenderet, nisi faciat. Quæ non possunt omitti sine peccato, non sunt consilii, sed præcepti. Quis sanus dixerit, ut pro sua prudentia, et prout opportunum ei videretur, neminem occideret, nullumve committeret adulterium. Tu vero contendis, omissionem pœnitentiæ publicæ, et dilationis communionis esse *licentiam, ac corruptionem morum*. Igitur, ex tua sententia, necessario ei corruptioni obviam eundum est dilatione illa.

CAPUT OCTAVUM.

Examen quatuor posteriorum indicationum, quas Arnaldus concilio Tridentino tribuit, circa pœnitentiam publicam. De potestate ligandi et solvendi, quam perperam sitam potissimum esse vult in impositione pœnarum satisfactoriarum, cum primo loco ad peccatum referatur. Quod probatur testimonio Scripturæ, et Patrum. Quid sit retinere peccata, et quomodo hoc fiat a sacerdotibus. Arnaldus verba Concilii in sensum alienum torquet. Ei Concilio nequaquam animum fuisse restituendæ pœnitentiæ publicæ.

I. Tua, Arnalde, quinta indicatio [3] non magis ratione, auctoritateve Concilii nititur. Eam autem desumis ex eo, quod Concilium dixit, « Claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiquos Patres credere et docere. » Deinde addis, actionem ligandi peccata sitam esse in impositione pœnarum satisfactoriarum, ex testimoniis Patrum. Tandem caput claudis hisce verbis, « Constare potissimam partem potestatis ligandi, secundum Patres, sitam esse in impositione pœnitentiæ, et in separatione ab Eucharistia. »

Si tibi hæc omnia concederem, quæ tamen sunt falsissima, ut mox ostendam; nihil promovisses, nisi ostenderes, in ea sola dilatione communionis, quam ex prisca pœnitentiæ forma revocas, situm esse universum effectum potestatis ligandi. Si enim exerceri potest impositione aliarum pœnarum, argumentum tuum inane est, nec persuadere potest, animum Concilio fuisse restituendæ pœnitentiæ publicæ, aut potius instaurandi exigui ejus speciminis, quod retineri vis.

II. Ac certum est, te gravissime falli cum in re ipsa, tum in citatione Patrum. Scito

[1] Part. 2. cap. 23. pag. 477. — [2] Trid. Sess. 14. cap. 8. [3] Part. 2. pag. 29. pag. 496.

enim, neque potestati ligandi finem esse, aut effectum præcipuum imponere pœnas satisfactorias, sed tantum accessionis loco; neque a Patribus rem aliter esse intellectam.

Primum cum potestas ligandi sit pars universæ jurisdictionis sacerdotii, adjunctam habet et alteram partem, quæ est potestas solvendi ei opposita. Itaque æque late patent, muneraque contraria eadem in re habent; ac proinde si scire cupiamus, quanam in re proprie sita sit actio ligandi peccata, videndum est, quid sit ea solvere; neque hoc aliunde desumendum, quam ex ipsis Evangelii verbis. Dominus autem promittit apostolis, se iis eam collaturum potestatem, qua [1] *quæcumque alligavissent super terram, forent ligata et in cœlo; et quæcumque solvissent super terram, forent soluta et in cœlo.* Quod promissum præstitit, cum excitatus e mortuis, stetisset se apostolis, eosque his verbis allocutus est : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.*

III. Eo tempore, atque iis verbis Dominus iis revera contulit eam potestatem, quam verbis magis propriis, et significatioribus expressit. Unde discere licet, ut *solvere* est *remittere*, ita *ligare* esse perinde, ac retinere. Græca vox ἀφιέναι proprie sonat *dimittere*, et κρατεῖν *retinere*, impedire ne abeat. Quemadmodum vero actio *solvendi* et *ignoscendi* proprie et necessario pertinet ad peccata; sic actio *retinendi* et *vinciendi* ad eadem primum respicit, deinde etiam laxiore significatu ad pœnas et satisfactiones. Nullus est theologus, neque Catholicus, qui vel paulo attentius catechismum audiverit, qui nesciat sacerdotes accepisse a Deo potestatem absolvendi reos, remissis peccatis; quod perinde est ac ea delere, substituta eorum loco gratia, sacramentalium verborum virtute. Quam sententiam pronuntiant ut judices, qui, audita causa, acceptoque testimonio rei ex ipsius ore, eum absolvunt. Hoc est caput fundamentale religionis Christianæ et catholicæ, quod concilium Tridentinum multis et summa diligentia explicuit [2].

IV. Si autem potestas atque effectus absolutionis directe et potissimum ad peccatum spectent; sequitur potestatem *ligandi*, ac *retinendi* potissimum etiam ad peccatum referri, non vero ad pœnam, nisi quadam consequentia. Præterea absolutio sacramentalis, quæ est proprie dicta executio potestatis remittendi peccata, solius est sacerdotis; cum sit munus, quod a sacerdotio divelli nequit, nec ab alio peragi, ut docuit Concilium [3]. Sed remissio vel relaxatio pœnarum, et censurarum, quæ delicti causa imponuntur, potest legitime ab alio concedi, at non sacramentali ratione, nisi a sacerdote; ideoque non est actio propria potestatis, quam Christus sacerdotibus confert Joannis cap. 21.

Remittere peccata, vel ea solvere idem est, ac cum Deo reconciliare. Potest autem quis reconciliatus esse, quamvis ferendæ pœnæ temporariæ obligatio imminuta non sit. Eo duntaxat spectant opera pœnalia et satisfactoria, quæ non sortiuntur suum effectum abolendi pœnas, nisi postquam peccato venia concessa est, et sententia sacerdotis pronuntiata est; ita ut pœna æterna mutata sit in temporariam, si modo affectio pœnitentis ea sit, ut hæc posterior pœna absolutione sacramentali plane extincta sit.

V. Quæ cum ita sint, fatendum est, tam actum potestatis absolvendi, quam ligandi, seu retinendi, respicere proprie et directe delictum, ac per consequentiam duntaxat pœnam.

Jam dixi, iterumque repeto, functiones judiciales ligandi et solvendi, ignoscendi et retinendi, quæ sunt cum solo sacerdotio conjunctæ, proprie ac directe pertinere ad peccatum; eorumque effectum in eo esse situm, ut id deleat, peccatoremque in gratiam restituat; sed consequenter, ac secundo loco respicere pœnas ac satisfactiones, sed non potissimum, ut tu dicis. Hoc sensu Concilium [4] verba faciens de potestate clavium, seu ligandi et absolvendi, eam refert ad opera pœnalia et satisfactoria; quatenus sacerdos, postquam potissima parte muneris sui defunctus est, quæ sita est in tollendo aut retinendo peccato, operatur etiam in iis, quæ minus præcipua sunt. Quemadmodum una eademque natura humana prædita est facultatibus ratiocinandi, ridendi et flendi, nec tamen duæ posteriores qualitates sunt ei essentiales, sed tantum facultas ratiocinandi, ex qua posteriores noscuntur; sic potestas ligandi et solvendi ita amplectitur quidquid delictum est, Deumque offendit, quasi potissimum objectum, ex quo deducit naturam suam, ut simul ambitu suo contineat, quod pertinet ad satisfactionem, pœnamque delicti, quam imponit, cum sacerdos Sacramentum aut absolutionem negat:

[1] Matt. 18. 18. — [2] Sess. 14. cap. 6. et can. 3. et 9. — [3] Sess. 14. can. 10. — [4] Sess. 14. cap. 8.

remittit vero, ubi sacerdos, pro sua prudentia id par esse judicat, secundum animi affectionem, quam in pœnitente deprehendit.

VI. Hæc doctrina solida est, habetque vades non tantum subtilioris illius Theologiæ in schola magistros, sed etiam SS. Ecclesiæ Patres. Hi enim cum explicant vim atque efficaciam potestatis collatæ sacerdotibus legis novæ, verbis Domini quæ extant Joan. 21. negant eam esse externam tantum, contenduntque esse internam, atque in animis mutationem aliquam parere.

S. Chrysostomus hac de re eloquentia plane divina agens, libro 3. de Sacerdotio, observat insigne discrimen, quod intercedit inter sacerdotes legis Mosaicæ et sacerdotes novæ, quod attinet ad efficaciam muneris. « (1) Sacerdotes, *inquit*, Judæorum potestatem habebant expellendæ corpore lepræ, aut potius minime expellendæ, sed tantum examinandi ea liberatos. Attamen nosti, quantopere tunc ambiretur dignitas sacerdotalis. Hi vero non lepram corporis, sed impuritatem animæ, non expulsam examinandi, sed expellendi penitus acceperunt potestatem. » Paulo antea dixerat, potestatem ligandi sacerdotibus collatam in Evangelio, non consistere in corpore, « (2) sed attingere animam, et cœlum penetrare. »

VII. Potestate autem ligandi utitur sacerdos, quando non vult remittere peccata. Quamobrem Marcionem irridet Tertullianus, qui duo numina contraria esse statuebat; contendebatque Deum creatorem cœli et terræ eum esse, quem agnovissent Judæi sub vetere Testamento, et a quo legem acceperant; Deum immitem atque implacabilem, quique sola exactione pœnarum occupabatur; quamobrem eum vocabant *Deum justum*, *Deum ultionis*. At volebat esse alium Deum contrariæ prorsus indolis, quem vocabat *bonum Deum*, qui a damnatione, pœnisque abhorrebat, sed ignoscebat, ac benefaciebat hominibus.

Tertullianus igitur, ut hominem confutet, hanc inter alias profert rationem, duas illas actiones contrarias, dimittendi peccata, atque ea retinendi, ut pœnas dent, esse unius ejusdemque potestatis, sive causæ; quæ dicitur retinere peccata, quibus non vult ignoscere. « Quis mihi, *inquit* [1], delicta dimittet? An qui, si non dimiserit, retinebit, ut judicet? » Itaque *retinere*, vel *ligare peccata* perinde erit, ac non remittere. Peccatis enim, quasi vinculis, adstringimur. « Criniculis peccatorum suorum, inquit Augustinus [2], unusquisque constringitur. » Unde sequitur, ut remittere peccata sit solvere vincula, quibus animæ nostræ sunt constrictæ; ac proinde duas illas actiones ligandi, aut solvendi, potissimum spectare peccatum, non vero pœnam peccati, nisi consequenter.

VIII. S. Ambrosius, cum scriberet contra Novatianos, eximium nobis suppeditavit locum, quo hoc dogma tueamur, ubi confert pœnitentiam cum baptismo, (quæ collatio minime rara est apud Patres,) docetque pœnitentia non minus peccatorum veniam concedi, quam baptismo [3]: « Cur baptizatis, *inquit*, si per homines peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio omnium peccatorum est. Quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque ministerium est. Sed dices, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam? ubi vultis, repudiatis? » Nemo igitur dubitare possit, quin ut efficacia baptismi versatur in eluenda macula ipsa peccati, non vero in tollenda tantum obligatione ad pœnam; sic et pœnitentia non modo pœnas peccato debitas, sed etiam peccatum deleat. Hoc liquet ex iis, quæ subjicit S. Ambrosius, ubi ita invehitur in Novatianos: « Nam et vos indignamini, et contra Ecclesiam congregatis concilium, quia videtis, mortuos in Ecclesia reviviscere, et peccatorum indulta venia resuscitari. Itaque, quod in vobis est, per invidiam vultis occidere resuscitatos. » Quod volebant etiam facere Judæi erga Lazarum, postquam eum Christus e mortuis excitasset.

Comparatio hæc mortis spiritualis cum morte corporis, et restaurationis vitæ animæ ope pœnitentiæ sacramentalis, quam oppugnabant Novatiani, cum restitutione vitæ cor-

(1) Chrys. lib. 3. de Sac. p. 17. to. 6. edit. Sav. Λεπραν σώματος ἀπαλλάττειν, μᾶλλον δε ἀπαλλάττειν μὲν οὐδαμῶς, τοὺς δὲ ἀπαλλαγέντας δοκιμάζειν μόνον, εἶχον ἐξουσίαν οἱ τῶν Ἰουδαίων ἱερεῖς. Καὶ οἶσθα πῶς περιμάχητον ἦν τὸ τῶν ἱερέων τότε· οὗτοι δὲ οὐ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν ψυχῆς, οὐκ ἀπαλλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς, ἔλαβον ἐξουσίαν.

(2) Idem pag. 16. Ἀλλ' αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς.

[1] Tertull. 4. cont. Marc. cap. 26.

[2] Ser. 108. de div. c. 3. ex Prov. 5. — [3] Amb. de Pœn. c. 7.

poreæ, quæ fit ope resurrectionis; comparatio hæc, inquam, argumentum est manifestum, ex quo liquet, pœnitentiæ esse effectum internum, et quo anima afficitur ita, ut non tantum reatus, sed et ipsum peccatum destruatur.

IX. Ejusdem Patris capite 2. ejusdem libri de Pœnitentia, disertus est hac de re locus, ubi ostendit Novatianos perperam dixisse, se, reverentiæ erga Deum causa, ei soli tribuere remittendorum peccatorum potestatem; quia eo modo ipsius Dei mandata oppugnabant, videbanturque repudiare potestatem ab eo acceptam remittendi peccata. Deinde probat ita esse a Deo mandatum loco Joan. 20. quem antea protuli, aliisque in quibus mentio fit solutionis vel ligationis peccatorum : « Dominus enim, *inquit*, par jus et solvendi esse voluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. » Paulo post docet solam Ecclesiam illis potestatibus esse instructam, non vero hæreticos, hisce verbis : « Jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur Ecclesia vindicat, quæ veros sacerdotes habet; hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet. » Itaque potestas ligandi, et solvendi in Ecclesia, non est potissimum sita in remittenda pœna peccati, sed in delendo ipso peccato, quamobrem præsertim collata est sacerdotibus. Omitto multa alia ejusdem Patris loca, quibus idem confirmatur.

X. Sanctus etiam Augustinus similiter confert duo illa sacramenta Baptismi, et Pœnitentiæ in eo, quod in anima efficiunt, ut eam peccati sordibus liberent; satisque ostendit, potestatem ligandi et solvendi eo spectare, ut quiddam in nobis efficiat, quod est saluti necessarium, sine quo damnationis periculum aditur. Hoc habet in epistola ad Honoratum, ubi describens terrorem, quo afficiuntur cives audito subito nuntio de hostis adventu, aut de obsidione patriæ [1] : « Annon cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in ecclesiam fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus; aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, omnibus consolationem et Sacramentorum confectionem, et erogationem? quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? » Non possunt hæc intelligi de sola remissione ejus pœnæ, quæ non obstat, quominus salutem consequamur, sed capienda de venia peccatorum, et absolutione sacramentali.

Idem S. Augustinus variis locis idem confirmat [2], et allegorice præsertim interpretatur, quod contigit in resurrectione Lazari, idque accommodat iis, quæ fiunt in pœnitentia. Sic ex eo, quod conspectus est egrediens sepulcro, fasciis involutus, Dominusque jussit apostolos eas solvere, colligit comparationem ad peccatores spectantem, qui cum fuerunt ligati, solvuntur a sacerdotibus. Sic et Cœlestinus I. papa, de iis, qui morientibus negabant absolutionem sacramentalem [3] : « Quid hoc rogo, *inquit*, aliud est quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? »

XI. Quod attinet ad SS. Patres ab Arnaldo prolatos, qui sæpe vincula illa sumunt pro obligatione ad opera satisfactoria, quæ imponebantur in pœnitentia publica, fatemur quoque eos ita loqui solere. Nec tamen hinc sequitur *potissimam partem potestatis ligandi esse pœnitentiæ impositionem, et separationem ab Eucharistia.* Quam in rem observandum est, duo fuisse in pœnitentia publica; unum essentiale Sacramento; alterum vero addititium, quod situm erat in consuetudine quadam cæremoniali. Primum est pœnitentia ipsa sacramentalis, quæ complectitur confessionem delicti admissi apud sacerdotem, et absolutionem, quæ concedebatur impositione manuum, postquam pœnitentes satisfecerant. Quod discere licet præsertim ex epistolis et tractatibus Cypriani, canonibusque Synodorum. Alterum erat præceptum cæremoniale, quales erant quatuor illi gradus, per quos necesse erat ascendere ad integram, ac plenam communionem; officia et præsentia pœnitentium, nunc ad vestibulum ecclesiæ, nunc in navi; assiduitas in audiendis concionibus et adhortationibus, quæ eorum causa fiebant; genuflexiones, ac flagitationes precum episcopalium, impositionisque manuum cum episcopi, tum etiam reliqui cleri, quæ parabat tantum ad reconciliationem, non reconciliabat; et multa alia humilitatis genera, cilicia, cineres, abstinentiæ, aliaque id genus.

[1] Aug. Ep. 180.

[2] Tract. 49. in Joan. in Psal. 101. Conc. 2. et Hom. 27. c. 3. de 50. — [3] Cœl. Ep. 2, c. 2.

XII. Cum autem duæ illæ partes, quibus constabat pœnitentia publica, mistæ essent, et ambæ obnoxiæ potestati ligandi ac solvendi; quid mirum, si Patres rem summatim spectantes dicant, potestatem sacerdotum versari circa pœnitentiam publicam, quandoquidem eæ satisfactiones sacramentales erant, et ad integritatem Sacramenti faciebant? Jus enim sacerdotum remittendi, aut retinendi peccata pertinet ad universum sacramentum Pœnitentiæ, constans omnibus suis partibus, non tantum essentialibus, sed etiam parte *integrante*, ut dicitur, hoc est, satisfactione; ea tamen ratione, ut ea potestas potissimum et directe respiciat, quod est essentiale Sacramento, consequenter vero, quod minus ei est necessarium.

XIII. Supersunt jam duæ aliæ indicationes Arnaldi, quarum prior, quæ numero sexta est, sic habet [1] : « Concilium, ubi explicat necessitatem confessionis omnium peccatorum, non tantum summatim, sed etiam particulatim, nullam aliam ejus rei proferre rationem, quam quia sacerdotes, nisi hoc fiat, judicium hoc incognita causa exercerent, neque æquitatem in pœnis injungendis servare possent. Unde colligere est, in hac re, ut in ceteris omnibus, Concilium secutum esse duntaxat judicium antiquitatis, quæ semper habuit confessionem peccatorum quasi aditum ad pœnitentiam proximam, quam sibi proponit sacerdos, in audiendis confessionibus, ut eam imponat convenientem peccatis, servetque æquitatem, de qua loquitur Concilium, proportionemque debitam inter delictum et satisfactionem, quam alibi tanta cura præcipit. »

XIV. Mirum est, quam parum attente argumentetur, ac ratiocinetur Arnaldus; cujus acumen nisi aliunde notum esset, sinistra de ejus ingenio ferremus judicia. Quænam enim hæc est consequentia? Definivit Synodus oportere nos peccata confiteri particulatim, ut sacerdos, iis auditis, recte judicare possit de pœnitente, pœnamque peccato convenientem imponere : Igitur animus ei fuit instaurare pœnitentiam publicam, aut certe ejus partem, quæ sita erat in dilatione communionis. Qua regula dialecticæ ejusmodi consequentia defendi potest, ne vitiosissima, atque absurdissima existimetur? Ea ratiocinandi methodo exculpam ex Concilio, quidquid voluero; nec quidquam erit tam absurdum, ac ridiculum, quod ei non tribuam. Colligerem æque verisimiliter, Concilio animum fuisse, quamvis rem patefacere ausum non sit, definire oportere ut sacerdotes, satisfactionis loco, imponerent pœnitentibus, ut sese offerrent tormentis solitis atque insolitis, quibus reis veritas extorquetur, ut olim flagris sese objiciebant, vel ut in triremibus remiges fierent, vel ut in nosocomiis peste laborantes curarent; aliasve pœnas : quæ sunt multo minores, quam exclusio a communione, quæ, judice Arnaldo [2], « maxima est pœna, quæ imponi queat peccatori, qui rebus divinis vere afficitur. »

XV. Verum hoc est maximum incommodum, quod insit ratiocinationi Arnaldi. Est vitium multo majus, et acriore castigatione dignum; quia discedit a dogmatibus Ecclesiæ, circa Pœnitentiæ sacramentum, ejusque præstantiam multum minuit. Putat enim confessionis finem proximum, imo unicum, ex sententia Concilii, esse satisfactionem pro peccatis, *habitamque ab antiquitate, quasi aditum ad impositionem pœnitentiæ.* Quasi institutionis confitendi peccata nullus alius esset finis, nisi ut confessarius possit peccato convenientem pœnitentiam imponere. Unde sequeretur, potissimam et nobilissimam partem hujus Sacramenti esse satisfactionem; quæ tamen omnium minima est, et qua carere posset Sacramentum, non vero duabus, aut tribus aliis, quæ sunt ei plane essentiales.

XVI. Summatim ut omnia dicam, duo sunt in ea oratione falsissima, nec levis momenti. Prius est, *Antiquitatem semper habuisse confessionem peccatorum aditum ad impositionem pœnitentiæ*, (hac postrema voce sumpta pro satisfactione, ut facile ex hisce verbis intelligere est,) *et hunc fuisse finem ejus proximum.* Sed antea ostendimus, hoc a nemine posse defendi, propriumque ac præcipuum, ac proinde proximum finem confessionis peccatorum esse reconciliationem peccatoris, et remissionem peccatorum, ad reatum quod attinet, non vero quod spectat ad pœnas temporarias, quæ satisfactione sacramentali delentur. Confessio enim ad eumdem finem spectat, ad quem tendit absolutio. Absolutio autem, ut ex veteribus probavi, et quod majus est, verbo ipso Dei et principiis fidei, hunc habet præcipuum finem, directum et proximum, abolitionem peccati, quatenus opponitur gratiæ ac favori Dei, in quem restituimur

[1] Part. 2. cap. 30. pag. 498.

[2] Part. 2. cap. 23. pag. 478.

absolutione; quæ propterea *reconciliatio* dicitur. Itaque oportet eodem spectare confessionem. Lector animo relegat, quæ antea a me dicta sunt, intelligetque, quanti momenti sit hoc caput Theologiæ catholicæ, et quam sit periculosa Arnaldi doctrina.

XVII. Alterum, quod falsum esse dixi in ejus verbis, hoc est : a Concilio nullam aliam proferri rationem necessitatis confessionis omnium peccatorum, præter æquitatem in pœnis imponendis servandam. Qua in re male interpretatus est verba Concilii, quod profert duas rationes, quas in unam miscet Arnaldus. Hæc habet, postquam proposuit necessitatem confessionis [1] : « Constat enim, sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse. » Hæc est prima ratio, quam sequitur altera : « Neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse. » Quisquis leget hunc locum, illico animadvertet fallaciam Arnaldi, qui ex duabus rationibus unam conflavit. Sed liquet, Concilium paucis versibus complexum esse duos fines, ad quos refertur tam absolutio, quam confessio sacramentalis. Quod consentaneum est cum eo, quod docet capite sequente, et canone 9. Absolutionem esse sententiam judicis ; ut confessio est testimonium rei, qui in jus venit et peccatum fatetur, ut sententiam judicis audiat. Itaque cum judex sententiam ferre nequeat, nisi probe norit sontem, delictaque, quorum reus est; hic optime collegit Concilium, inde sequi oportere, a pœnitente patefieri ingenua confessione omnia delicta, quorum sibi conscius est. Qua in re situm est discrimen, quod interest inter judicium de conscientia, quod fertur a sacerdote in administratione sacramenti Pœnitentiæ, et judicium magistratuum de scelere quodam admisso. In posteriori enim judicio idem non est reus, ac accusator; in priori vero reus semetipse accusat.

XVIII. Septima indicatio, quam profert Arnaldus [2], tantum abest, ut causæ ejus prosit, ut contra obsit, aut potius etiam funditus evertat. Putat Concilium multum juvisse restitutionem pœnitentiæ publicæ in nonnullis ejus partibus, quam sibi proponit, quia diserte jussit [3] eos, qui palam peccarunt, oportere palam pœnitentiam agere. Verum hoc ipsum damnandum esse, Arnaldi consilium ostendit; neque enim Concilium id constituit omnium peccatorum mortalium causa, sed tantum eorum, quæ et publica sint, et scandalosa, prout diserte monet. Igitur nec arcana peccata, nec ea, quæ scandalosa non sunt, huic constitutioni sunt obnoxia ; contra quam sentit Arnaldus, qui vellet, omnis generis peccata mortalia, etiam occulta subjicere phantasmati pœnitentiæ publicæ, quod finxit. Si verum est axioma jurisconsultorum, *exceptione firmari regulam ;* oportet ab Arnaldo omnes illas indicationes deleri. Cum enim Concilium peccata atrocia et scandalosa juri communi exemerit, quod præter consuetudinem disertis constitutionibus firmavit, ut ostendimus; consequens est, ut in aliis peccatis mortalibus, quibus eæ non sunt circumstantiæ, nullam mutationem afferre voluerit, neque somniarit quæ illi perperam tribuit Arnaldus.

XIX. Addo et aliud signum, ex quo colligere licet, quis Concilio animus fuerit, et quo irritæ fiunt omnes Arnaldi indicationes. Eo in loco, in quo Concilium censet, pœnitentiam publicam imponendam esse peccatoribus publicis, qui scandalo omnibus fuere ; potestatem facit episcopo mutandi id satisfactionis genus in privatam et occultam, si ita expedire videatur. Quod facere non debuisset, si tantopere cupivisset instaurari antiquam rationem pœnitentiæ; sique vias omnes quærebat, per quas ad id, quod optabat, perveniret, emendaretque corruptionem consuetudinis contrariæ, ut mores exigeret ad antiquæ disciplinæ exemplar. Cujus rei commodam occasionem invenerat in sceleribus, quæ insolita pœna erant afficienda. Quod cum non fecerit, satis ostendit, sibi usque adeo cordi non fuisse pœnitentiam illam publicam, ac vellet Arnaldus.

[1] Conc. Trident. Sess. 14. cap. 5.

[2] Part. 2. c. 11. p. 507.— [3] Sess. 24. c. 8. de Reform.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Enumeratio aliquot consuetudinum, quæ obtinebant in Ecclesia primitiva, et in ea fuerunt mutatæ. Notæ veræ Ecclesiæ, ejusque ἀναμαρτησίας. De consuetudine prisca Christianorum abstinendi a sanguine, et rebus suffocatis. Constitutio Ecclesiæ de secundis nuptiis. Ejusdem consuetudo antiqua circa baptismum.

I. Ut melius ab errore revocentur ii, quos doctrina libri de frequente Communione fefellit, utque facilius intelligant, quam infirmo nitatur fundamento; ex superiore disputatione colligemus tres esse effectus potestatis, qua Deus instruxit Ecclesiam ad regendos fideles. Primus est, quo capita fidei catholicæ firmantur et definiuntur quænam sint creditu necessaria, quæ secus. Secundus est situs in moribus componendis, auctoritate bonarum et sanctarum Constitutionum, quæ doceant, quomodo vitam instituere possimus, cœlumque virtutibus Christianis promereri. Tertius in legibus condendis, quibus imponitur observatio rerum quarumdam, quæ ceteroquin indifferentes sunt, confirmandisque ejusmodi consuetudinibus, vel iis abolendis, si noxiæ sint, aut intempestivæ.

II. Hæc tria capita colligere licet ex egregia ac copiosa oratione, quam habet S. Epiphanius sub finem *Panarii*, quod complectitur catalogum et confutationem omnium hæresum, quæ ad ejus usque tempus exortæ fuerunt. Orationem enim claudit constitutione certorum indiciorum, quæ vocat χαρακτῆρας, ad secernendam veram Ecclesiam a cœtibus, qui falso hoc nomen usurpant, quales sunt cœtus hæreticorum. Indicia autem illa ad tria genera rerum refert; quorum primum complectitur doctrinam et fidem; alterum consuetudines, quæ in cultu publico Dei observantur; tertium virtutes, quas exigit a suis, vitiaque a quibus eos abstinere vult, quippe damnatis ac vetitis.

III. Quam in rem duo sunt maximi momenti in memoriam revocanda, quæ antea attigimus. Prius est ἀναμαρτησία Ecclesiæ universæ, vel Conciliorum generalium, quæ eam repræsentant, in omnibus constitutionibus ad tria memorata pertinentibus; hoc est, Ecclesiam minime posse errare in canonibus quos condit, sive ad firmanda dogmata, sive ad componendos mores. Hoc volo : ut Ecclesia nihil definire potest, quod fidei catholicæ adversetur; sic nec eam posse præscribere quidquam, quod sit contrarium moribus, aut quod merito queat reprehendi.

Alterum est, magnum esse discrimen inter ea, quæ ad morum disciplinam pertinent, et quæ ad meras consuetudines spectant, seu, si ita loqui libeat, disciplinam legalem aut cæremonialem. Quod enim per se ad mores pertinet, id mutari nequit; neque ei præscribi, aut derogari contraria consuetudine potest, quæ mala necessario habenda est.

IV. Sic, prout habet Epiphanius, Ecclesia semper damnavit et damnat etiamnum hodie idololatriam, homicidium, adulteria, sortilegia, detractiones, calumnias, et omnia alia vitia. Hæc detestatur, insectatur, et plectit convenientibus suppliciis in sontibus, nulla ratione habita longinquitatis temporis, consuetudinisve antiquæ, quæ præscriptionis instar ei objici queant. Contra nunquam desiit, neque desinet adhortari, atque impellere liberos suos ad omnes virtutes amplectendas, et *quæ decent sanam doctrinam*, quemadmodum loquitur Paulus [1]; qualia sunt sobrietas, castitas, modestia, temperantia atque inculpata vita.

V. Sed leges cæremoniales, consuetudinesque, quales sunt, quæ pertinent ad modum quo sacrorum ministros muneribus suis fungi decet, aut ad ritus indifferentes jurisque humani, nequaquam sunt immutabiles, sed vim suam amittunt; seu potestas, a quibus institutæ sunt, eas contrariis legibus abroget, sive

[1] Tit. II. 1. et Phil. IV. 8.

per se obsolescant minime observatæ ab iis, qui iis antea tenebantur; imo vero dum vigent nonnullis in provinciis atque Ecclesiis, in aliis non observantur, ut ex antiquis canonibus et conciliis, historiaque ecclesiastica intelligere licet. Nec præter rem quidquam fecerimus, si horum nonnulla exempla proferamus, quibus erroris arguentur fervidi illi homines, qui nimio animi æstu, sed sine scientia ac prudentia, consilia capiunt, quorum exitus iis esse queat æque funestus, ac temeraria fuere.

VI. Initium faciamus ab antiquissima, et maximæ auctoritatis lege hominibus olim lata. Ea est, qua vetabantur homines vesci sanguine brutorum, aut carne suffocatorum. Hæc statim a diluvio cœpit, viguitque sub tribus generis humani conditionibus; sub natura, sub lege scripta, sub gratia. Apostoli in prima Synodo Jerosolymam coacta [1], abrogatis omnibus ritibus Mosaicæ legis, hanc excepterunt, renovaruntque, prout epistola synodica omnibus fidelibus significarunt. Ex actis martyrum, testimonioque Tertulliani [2], in Apologetico, intelligimus, a Christianis fuisse religiosissime observatam ita, ut mallent quævis subire supplicia, quam obsequi gentibus, qui terrore ac pœnis eos ad eam perfringendam adigere conabantur.

VII. Postea concilium Gangrense ostendit, in secundo canone, rem fuisse adhuc quarto seculo usitatam; imo vero constat, multo diutius nonnullis in locis viguisse. Secundum enim concilium Aurelianense coactum an. 532. canone vicesimo excommunicat eos, qui ejusmodi cibos comedissent. Græci etiamnum hodie inviolatam servant legem hanc cæremonialem, quam solemnem in modum renovarunt canone 67. sextæ eorum Synodi. Verum Augustinus testatur [3], eam legem obsoletam fuisse in Africa ita, ut irrisus fuisset quisquis religioni duxisset comedere leporem suffocatum, minime expresso sanguine. Itaque sola consuetudine, absque diserta ulla abrogatione, intercidit lex antea quam religiosissime observata.

VIII. Præterea notum est in primitiva Ecclesia, et sequentibus ætatibus, severissimam fuisse disciplinam, in capitibus, quæ postea, absque culpa ulla, remisit, et quæ non observari nemo religioni ducit. Olim severe habebantur, qui secundas nuptias contraxerant; communione arcebantur, atque inter pœnitentes habebantur: quamvis ceteroquin Ecclesia minime damnaret secundas nuptias, imo et pro hæreticis eas damnantes haberet, quales erant Cathari Novatiani. Quod accepimus ex canone 8. magnæ synodi Nicænæ, qui vetat recipi ad communionem eos hæreticos, nisi prius polliceantur, se non amplius aversaturos eos, qui ad secundas nuptias convolassent, et communionem cum iis æque, ac cum ceteris fidelibus, culturos: « (1) Ante omnia, *inquit*, spondere eos scripto decet se asensuros, et obsecuturos decretis Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ; hoc est, cum digamis communicaturos, cumque iis, qui in persecutione lapsi essent. » Attamen Ecclesia primitiva ab iis, qui ad secundas nuptias convolaverant, exigebat austeram pœnitentiam, jejunia, orationes, aliaque ejusmodi; quamvis nullum ea in re peccatum esse putaret, matrimoniaque illa licita, ac legitima judicarentur.

IX. Hoc liquet ex can. 1. Laodiceni concilii, quo statuitur, « (2) Oportere, secundum ecclesiasticam regulam, iis, qui libere et legitime secundas nuptias contraxerunt, non qui occultum matrimonium fecerunt, brevi tempore præterlapso, postquam vacaverint precibus et jejuniis, communionem indulgenter reddere. » Observandum autem, eam restitutionem fieri auctoritate et jussu Ecclesiæ, unde liquet ab ea minime damnatas fuisse secundas nuptias.

Dionysius exiguus, qui latine vertit canones, alium sensum hic invenit, qui in græcis verbis non; est sic enim habet: « De his qui secundum ecclesiasticam regulam libere et legitime secundis nuptiis juncti sunt, nec occulte nuptiarum copulam fecerunt, oportet ut parvo tempore transacto vacent orationibus et jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam communionem reddi decrevimus. » Refert enim verba κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα ad iteratum matrimonium, quod ex hac sententia statuitur consentaneum Ecclesiæ decreta; cum alii

(1) Can. 8. Πρὸ πάντων δὲ τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας δόγμασι· τουτέστι καὶ διγάμοις κοινωνεῖν, καὶ τοῖς ἐν τῷ διωγμῷ παραπεπτωκόσι.

(2) Laod. can. 1. Περὶ τοῦ δεῖν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα τοὺς ἐλευθέρως καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις, μὴ λαθρογαμίαν ποιήσαντας, ὀλίγου χρόνου παρελθόντος, καὶ σχολασάντων ταῖς προσευχαῖς καὶ νηστείαις, κατα συγγνώμην ἀποδίδοσθαι αὐτοῖς τὴν κοινωνίαν ὡρίσαμεν.

[1] Act. 15. — [2] In Apolog. cap. 10.

[3] Lib. 32. cont. Faustin. cap. 13.

ea verba conjungant cum sequentibus, hoc sensu : *Oportere, secundum ecclesiasticam regulam, reddi communionem digamis.*

X. Sed parum mea interest, utrovis modo res intelligatur. Constabit semper id, quod volumus : quamvis ea matrimonia essent licita, Ecclesiam tamen a conjugibus exegisse pœnitentiam. Concilium Ancyranum, quod coactum est non multo post Laodicenum, multo severius fuit. Digamos enim eodem loco censet, ac eos, qui, cum virginitatem vovissent, eam non servassent ; quod non est exiguum peccatum, et quod S. Basilius can. 18. eorum, quos mittit ad Amphilochium, æquat adulterio, ut observavit Zonaras. Idem S. Basilius annum pœnitentiæ imponit digamis, can. 4. quamvis alii duos annos imponant. Verum trigamos male habet, vultque, ut quinquennio integro varios pœnitentiæ gradus subeant. Nec tamen hæc matrimonia magis erant illicita, quam superiora. Nunc vero obsoletæ sunt hæ constitutiones Ecclesiæ ; nec ulli censuræ obnoxii sunt, qui ad secundas, aut tertias nuptias convolant.

XI. Est etiam alia consuetudo insignis cum antiquitate sua, tum temporis, quo viguit, longinquitate, et momento, quo habebatur ; cum esset conjuncta cum primo omnium Sacramentorum baptismo, per quem nos oportet in religionem Christianam ingredi, et sine quo nulla est salus [1]. Ratio autem solita administrandi hujus Sacramenti erat, ut ter in aquam immergerentur qui baptizabantur[2], adeo ut in singulis immersionibus pars aliqua essentialis formulæ pronuntiaretur. Ac sane immersio proprie dicitur βαπτισμὸς, cum hodie satis habeamus aquam capiti affundere, quod græce dicitur περίχυσις. Quod nunquam fiebat, nisi urgente necessitate, et ægrotante eo, in cujus gratiam fiebat ; ea lege, ut qui sic baptizati fuerant, irregulares haberentur, nec unquam in sacros Ecclesiæ ordines admitterentur. Hoc intelligere licet ex universa antiquitate, et præsertim a papa Cornelio, in epistola quam scribit ad Fabium de Novatiano[3]. Canone 8. secundi œcumenici Concilii jubentur Eunomiani redeuntes ad Ecclesiam iterum baptizari, quia baptizatos semel tantum immergebant illi hæretici. Canon Apostolicus 50. damnat episcopos et presbyteros, qui idem facerent contra receptam tunc temporis consuetudinem, quæ diu viguit, nec nisi sero loco cessit ei, qua nunc utimur.

XII. Similiter paulatim obsolevit observatio temporum, quibus ea cæremonia solebat administrari ; cum vetitum esset baptizare, exceptis festis Paschatis et Pentecostes ; nisi urgerent necessitas, et manifestum mortis periculum. Quod confirmatur testimoniis multorum scriptorum, ut Tertulliani [4], et Pont. maximorum Siricii [5] et Leonis I [6]. Alii [7] addebant Epiphaniæ festum, in honorem diei, quo Dominus noster baptizatus fuerat ; quod tamen improbat Leo loco memorato. Nunc quovis tempore administratur baptismus, etiam infantibus ; quod illis temporibus rarum erat.

CAPUT SECUNDUM.

Nonnullæ aliæ veteres consuetudines obsoletæ. De pœnitentia publica, quæ seculo præsertim tertio constituta fuit. Tria genera peccatorum sine remissione. Locus Joannis explicatus. Sanctus Cyprianus severus in disciplina ecclesiastica. Pœnitentia publica Constantinopoli sublata.

I. Verum, ut clarius liqueat meras consuetudines ac cæremonias, quamvis veteres, pendere ex arbitrio Ecclesiæ, exceptis iis, quæ sunt essentiales Religioni et Sacramentis ; addam duo exempla insignia, et quibus res extra controversiæ aleam collocatur. Alterum est communio laicorum sub utraque specie in sacramento Altaris ; alterum vero præbitio ejusdem Sacramenti infantibus statim post baptismum. Hæ duæ consuetudines tam certæ

[1] Joan. 3. — [2] Tertull. cont. Prax. cap. 26. et de Cor. 1. Dion. de Eccl. Hier. cap. 2. Basil. Lib. de Sp. S. cap. 27.

[3] Eus. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 43. — [4] De Bapt. cap. 19.— [5] Ep. 1. — [6] Ep. 4. — [7] Gregor. Naz. Or. 40.

sunt ac notæ omnibus, qui historiæ ecclesiasticæ, et Patrum lectioni nonnullam operam dederunt, ut eas probare sit supervacaneum. De posteriore nobiscum hæretici consentiunt; sed, ad priorem quod attinet, consuetudine nostra offenduntur, nec desinunt eam nobis quasi sacrilegum facinus, contra institutionem divinam, exprobrare; atque hanc in rem aures nostras verberant usu antiquæ Ecclesiæ, qui a temporibus apostolicis per multa secula obtinuit.

Quibus idem respondent Catholici, quod respondemus pœnitentiæ publicæ patronis: cum nullo diserto præcepto jubeamur dare calicem omnibus fidelibus, Ecclesiam hic se gerere posse, quemadmodum ei videtur, pro temporibus; secundum prudentiam suam, et cœlestia lumina, quibus a Spiritu sancto erroris experte illustratur.

II. Quoniam vero hic obiter attigi veteris pœnitentiæ instauratores, de ea nonnulla hic dicenda, quibus constabit cæremonialem illam consuetudinem multas mutationes esse passam. Primo quidem et secundo seculo difficile est statuere, quæ forma pœnitentiæ obtinuerit, quia pauci ejus ætatis scriptores supersunt, et propter diversitatem, quæ in ea contigisse videtur. Itaque tertio demum seculo cœperunt ordinem ac rationem pœnitentiæ constituere, tempus ejus definire, ac distinguere in certos gradus, quorum singulorum diuturnitas præscripta fuit. Hoc certe constat, initio admissos non fuisse ad pœnitentiam, aut ad satisfactionem publicam omnis generis peccatores, cum spe impetrandæ reconciliationis; multosque ea fuisse exclusos ita, ut nunquam communionem exspectare possent nisi instante morte. Cujus rei testes habemus Tertullianum, Cyprianum, et recentiorem illis Innocentium I. ut alios omittamus.

III. Verum paulo pluribus illustranda est hæc observatio, ita tamen, ut perstringamus tantum rem, quæ, ut excuteretur, justo volumine indigeret. Tertullianus, qui sub imperio Severi, ejusque liberorum, initio tertii seculi, tam eruditione florebat, quam infirmus erat pietate atque integritate fidei, delapsus in hæresim Montanistarum scripsit librum de pudicitia contra Catholicos; ubi Episcopum Romanum vituperat, qui creditur fuisse Zephyrinus, quod disciplinam ecclesiasticam remisisset, reddita communione iis, qui admisso adulterio, vel polluti scortatione, pœnitentia sibi imposita essent defuncti. Quam in rem queritur, cum essent tria delictorum genera, idololatria, adulterium, et homicidium, propter quæ delinquentes in perpetuum communione arcebantur, quamlibet austeram pœnitentiam subirent; Papam adulterio soli tribuisse locum pœnitentiæ, et reconciliationis, relictis aliis duobus absque ulla veniæ spe, quamvis adulterium misericordia dignius non esset. « Quid agis, *inquit*[1], mollissima et humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis, beati enim pacifici; aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem et homicidam semel damnas, mœchum vero de medio excipis. »

IV. Ex quibus verbis, ut et tota antecedente oratione et consequente, liquet tria illa delicta sine remissione fuisse. Fortasse hæc peccata a Joanne dicuntur peccata *ad mortem*, cum sic scribit[2]: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti peccatum non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis.* Videtur vocare tria memorata delicta *peccata ad mortem*, quia ea sequebatur mors canonica, in eo sita, quod in perpetuum a communione arcerentur, quicumque iis attaminati erant, nec ullæ preces pro iis funderentur. Quapropter vetat, ne pro iis fideles orent, non privatim, sed publice; quod etiamnum hodie fit erga eos, qui sunt nominatim excommunicati. Attamen viri docti existimant, hanc severitatem ad finem duntaxat vitæ porrectam fuisse; ad quem si pervenisse judicarentur, admittebantur ad communionem. Quod colligitur ex canone 13. concilii Nicæni, ubi dicitur, esse ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος, *antiqua, et canonica lex.*

V. Cum eo, quod protuli ex Tertulliano, de nunquam revocanda damnatione trium illorum delictorum, consentit Pacianus Barcinonensis episcopus scriptor gravis atque antiquus, in Paranesi, vel adhortatione ad pœnitentiam; ubi illis eripit omnem spem veniæ ecclesiasticæ, qua communionis pristinum jus eis restitueretur. Non obstabat quidem prorsus Ecclesia, ne ii, qui sic in perpetuum erant excommunicati, consulerent saluti suæ ope pœnitentiæ; verum nunquam jus communionis recuperabant. Hoc nos docet Innocentius I. in epistola 3. ad Exuperium, cap. 2. ubi respondet ei episcopo, qui quæsiverat, quid fieri oporteret viro, qui totam

[1] De Pud. cap. 5.

[2] 1. Joan. 5. 16.

vitam, a baptismo, in luxuria trivisset, et qui pœnitentiam ac communionem sub vitæ finem peteret.

VI. Innocentius enim quæstionem his verbis solvit : « De his observatio prior, durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est; concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur : et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam, depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit. » Hoc Innocentii loco illustrantur variæ epistolæ, quas S. Cyprianus scripsit contra Novatianos. Hi cum offensi fuissent, quod Ecclesia, ad misericordiam pronior, de pristino illo rigore remiserat erga illa enormia delicta, quibus antea nulla concedebatur venia; in eam insurrexerunt, atque accensi imprudente studio instaurandæ veteris disciplinæ, quam conabantur revocare, similibus rationibus utebantur, quas nunc adhibent hi nostri recentiores pœnitentiæ patroni.

VII. S. Cyprianus [1] acriter eos confutat, probatque firmis rationibus, esse sequendum id, quod Ecclesia constituit in communem utilitatem. Nec eo secius, ubi necesse est, severiorem se præbet erga eos, qui severitate digni sunt. Quod probe ostendit iis, qui, cum ardente persecutione lapsi essent, Ecclesiaque propterea expulsi, contendebant tamen reditum sibi oportere patere sine impositione durioris pœnitentiæ; quam ut evaderent, imlorabant gratiam sanctorum confessorum, qui fidei causa cœperant pœnas dare ethnicis, detinebantur carceribus, aut ad metalla erant damnati. Ab his impetrabant commendatitias litteras, quibus jubebantur ad communionem admitti. At sanctissimus episcopus viriliter omnibus illis conatibus obstitit, nec vel importunis precibus cedere voluit.

VIII. Attamen adductus reverentia sanctorum confessorum, qui lapsis favebant, invenit temperamentum, quo illis ita satisfaceret, ut ne solveretur disciplina. Constituit ergo, ut qui commendatitias accepissent a nobilissimis Christi athletis, si in morbum inciderent, atque in periculo versarentur, absolverentur, admitterenturque ad Ecclesiæ communionem; ceteri vero manerent in eo statu, in quo erant, donec persecutio desiisset, intereaque si cuperent ad Deum redire, iramque ejus placare, redintegrarent prælium, dum campus erat apertus, et animi sui specimen ederent. Hæc legimus in variis fortissimi martyris epistolis, et præsertim in 13. et sequentibus, qua de re monuit clerum Romanum, dum Sedes vacaret, a quo litteras accepit [2], quibus probabatur quod statuerat, consentaneumque dicebatur iis, quæ Romæ decreta erant.

IX. Est præterea animadvertenda, in pœnitentia illa primitivæ Ecclesiæ, circumstantia, a qua alienissima est hodie consuetudo nostra. Nimirum nunquam, nisi semel, imponebatur, ita ut qui peccatorum causa pœnitentiam publicam subierat, si forte in eadem peccata relaberetur, ad eam non amplius admitteretur; ac proinde sine remedio vitam ageret, nisi morti proximus acciperet necessarium absolutionis et communionis viaticum, ut vocatur a priscis conciliis. Non immorabor hic colligendis locis veterum Patrum, quibus hæc probari queant. Adeat duntaxat lector epistolam 54. Augustini scriptam ad Macedonium, atque ex ea intelliget, quidquid a me dictum est. Legatur præterea Ambrosius l. 2. de Pœnitentia, cap. 10. et Siricius epist. 1. cap. 5. et multi alii, quos possem proferre; nisi alienum hunc locum esse censerem, et nisi rem obiter duntaxat attigissem, ut ederem specimen variarum Ecclesiæ consuetudinum, magnarumque mutationum, quæ iis contigerunt : quibus factum est, ut colligi non possit certa ejus forma, cum propter varietates, quæ in ea per universam Ecclesiam animadvertuntur, tum etiam in particularibus Ecclesiis.

X. Ut totum hunc locum claudam, addam, integram illam pœnitentiam publicam sublatam fuisse Constantinopoli, propter scandalum, quod contigit tempore Nectarii; qui ea sublata jussit, quod attinet ad sacram communionem, ad quam ea pœnitentia sese parabant, unumquemque permitti conscientiæ suæ, ut judicaret de eo, quod sibi faciendum esset : prout in suis historiis prodiderunt Socrates [3], et Sozomenus [4]. Quod observatum post mortem Nectarii per sancti Joannis Chrysostomi episcopatum.

Quisquis aliquod tempus tribuerit investigationi antiquitatum ecclesiasticarum, intelligendisque priscis canonibus, vel consuetudi-

[1] Ep. ad Anton. et alios. — [2] Ep. 30. et 31.

[3] Lib. 5. cap. 19. — [4] Lib. 7. cap. 16.

nibus usitatis in celebratione mysteriorum, omniumque Sacramentorum, aliorumque Religionis exercitiorum, me facile excusatum habebit, quod rem hic copiosius non describam; cum probe sciam, quæcumque dixerim, multo plura dicenda superesse. Sed quod collegi, satis superque est ei fini, quem hic spectavi. Postea tamen et nonnullas alias consuetudines attingemus circa electiones episcoporum, aliorumque sacrorum ministrorum, quæ valde differebant a nostris; de ratione communionis accipiendæ, auferendique donum corporis Domini nostri; de jejunio diei sabbati, deque pluribus aliis, in quas nolo hoc loco exspatiari.

CAPUT TERTIUM.

Consectaria antecedentis disputationis. Antiquas consuetudines ab Ecclesia posse mutari. Exemplum memorabile Augustini de jejunio diei sabbati.

I. Ex iis, quæ ostendimus superiore capite, de varietate consuetudinum Ecclesiæ, tria colligimus, quibus funditus evertitur nova reformatio Arnaldi, quam in libro de frequente Communione proposuit. Primum est, esse in potestate Ecclesiæ mutare, aut prorsus abolere consuetudines omnes mere cæremoniales, atque institutionis humanæ, quoniam ea potestate tam sæpe usa est in innumeris constitutionibus, quas postea abrogavit, vel consuetudine contraria passa est obsolescere, nec unquam restituere conata. Quod cernere est potissimum in communione laicorum sub utraque specie, quam eis ademit, licet antiquissimam et multorum annorum usu in Ecclesia catholica confirmatam.

II. Igitur abolitio priscarum consuetudinum minime lædit integritatem fidei, morum, et bonæ disciplinæ; ac proinde haberi non potest *licentia*, *abusus ac depravatio morum*, quibus mederi necesse habet Ecclesia. Unusquisque sine ulla noxa, animique scrupulo, potest vivere, secundum morem atque usum Ecclesiæ, omniumque fidelium, nunquam propterea castigatorum, neque unquam ab Ecclesia, Conciliisve aut Pontificibus maximis ab eo ullis interdictis revocatorum, aut monitorum, rem sibi minus placere, mutatamque velle. Hæc est una ex potissimis prudentiæ Christianæ regulis, qua tota Ecclesia administratur, et concordia in fidelium corpore servatur; quod cum contextum sit variis membris, complectaturque miram diversitatem nationum, ingeniorum, legum et consuetudinum, non posset consentire, atque in unum cœtum coire sine hac moderatione, normaque vitæ cum civilis, tum ecclesiasticæ. Hanc tanti fecerunt sanctissimi viri, ut eam privatæ suæ religionis commodis prætulerint: quippe qui tanta dexteritate, ac sui ad aliorum infirmitatem attemperatione vixerunt, ut probe ostenderint, se veros esse discipulos Christi; qui tanto obsequio usus est, quod attinet ad omnes vitæ communis consuetudines, quatenus per decorum atque honestum licebat, ut animos eorum, qui illum compellabant, plane sibi conciliaret mansuetudine illa, qua consuetudines receptas ferebat.

III. Eadem prudentia usi sunt apostoli, et præsertim Doctor gentium, qui eam jactare videretur, nisi sanctissimum ejus animum nossemus. Magnus ille vir studio promovendæ Religionis ardens ait, se [1], *cum liber esset ab omnibus, omnium se servum fecisse, ut plures lucrifaceret. Et factus sum*, inquit, *Judæis, tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer, etc. iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Tum idem docens Christianos, eos hortatur ut sibi caveant, ne cuiquam scandalo essent. *Sine offensione*, inquit [2], *estote Judæis et gentilibus, et Ecclesiæ Dei: sicut et ego per omnia*

[1] 1. Cor. 9. 19.

[2] Ibid. 10. 32.

omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

IV. S. Augustinus epistola 86. tam egregia habet monita, et quæ usque adeo ad rem faciunt, ut nulla alia re indigeamus, ut imponatur silentium *publicanis* nostris, hoc est, pœnitentiæ publicæ patronis. Exorta erat ingens controversia de jejunio diei sabbati, propter varietatem, quæ in Ecclesia primitiva cerni hac in re poterat; alii enim religioni ducebant jejunare eo die, ut Orientales et Græci ad hunc usque diem; in Italia vero, Ecclesia Mediolanensis. Atque his quidem favebat Canon 66. apostolicus, qui vetat jejunare diebus Dominica et sabbati, addita pœna exauctorationis in clericos, excommunicationis vero in laicos. Alii vero diei sabbati jejunium servabant, secuti consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, plerarumque occidentalium, et Africanarum.

V. Vir quidam, quem Augustinus vocat *Urbicum*, (ficto nomine, et forte quidem ab urbe Roma,) qui posteriores partes sequebatur, libellum edidit, ut jejunium hoc tueretur, in quo acerbe atque imprudenter invectus est in eos, qui non jejunabant eo die, ita ut contumeliose eos proscinderet, traduceretque quasi homines gulæ deditos, et qui ventrem Dei loco habebant, multis aliis probris et calumniis additis. Operæ pretium est probe expendere, quod ei respondet Augustinus, rationesque, quibus ei os occludit. Primo loco [1] hoc ponit, quasi certum, « In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, morem populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda esse. » Cum enim nulla lege divina sint imposita, pendent ex arbitratu Ecclesiæ, ejusque pastorum; qui prout videtur, de rebus indifferentibus statuere possunt, cum nec ad fidem, nec ad mores pertineant.

VI. « Sit ergo, inquit Augustinus, una fides universæ, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, tanquam intus in membris etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur. » Quare acriter castigat imprudentiam ac temeritatem novi illius reformatoris, qui audebat invehi in consuetudinem receptam a magna parte Ecclesiæ, eamque atrocibus convitiis infamare. « Eumdem sermonem, *inquit*, cujusdam, ut scribis, Urbici paulo diligentius ipse considera, et videbis eum pene universam Ecclesiam Christi, ab ortu solis usque ad occasum, verbis injuriosissimis nequaquam lacerare timuisse. » « Quæ, subdit idem Augustinus, si de uno quopiam Dei famulo diceret, quis eum audire, quis non devitare deberet? Cum ergo his opprobriis atque maledictis insectatur Ecclesiam, per totum mundum fructificantem, atque crescentem, et die sabbati pene ubique prandentem, admoneo, quisquis est, ut se cohibeat. »

VII. Annon similiter castigare debemus hominem, qui eo processit audaciæ, ut calumniaretur, non partem aliquam Ecclesiæ, sed totum ejus corpus; tribueretque ei *licentiam*, *prolapsionem*, *depravationemque morum*, quales non possunt esse, sine ejus virtutis ac sanctitatis imminutione? Narrat denique S. Augustinus, quid sibi Mediolani aliquando apud S. Ambrosium contigisset, responsumque prudens, quod a sanctissimo viro accepit. Cum enim mater ejus S. Monica, quæ una cum illo etiamnum catechumeno erat, dubitaret, num more Africano jejunare die sabbati deberet, aut prandere, ut solebat fieri Mediolani, oravit Augustinum, ut sententiam Ambrosii exquireret, a quo hanc solutionem accepit : « Quando hic sum, non jejuno sabbato; quando Romæ sum, jejuno sabbato. Et ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere. »

VIII. Non piguit summam ratiocinationis Augustini proferre, quia graphice pinxit hujusce nostræ controversiæ statum : in qua agimus personam Augustini, et cum eo Ecclesiam, ejusque consuetudinem tuemur; contra vero adversarii nostri referunt indolem *Urbici*, atque in Ecclesiæ instituta invehuntur. Imo vero majus est Arnaldi delictum, minusque excusandum, quam *Urbici*, qui non invehebatur nisi in partem Ecclesiæ, quæ diverso utebatur instituto. At Arnaldus totum corpus Ecclesiæ aggreditur, cui detrahit, dum eam invidiose insimulat *licentiæ*, *et corruptionis morum*. Coerceat ergo linguam suam, et pœnitentiam facti sui agat, quod ab *Urbico* volebat fieri Augustinus; audiatque potius salubres admonitiones duorum illorum Ecclesiæ luminum, qui viri sunt optima pars illius Ecclesiæ primitivæ, quam ipse intra eorum episcopatuum tempora coercuit. Quod si in sententia pertinaciter maneat, pudeatque interea eum consentire cum insano illo *Urbico*, quem Augustinus usque adeo castigavit; doceat nos, qua in re ab illo differat, nisi quod

[1] Ep. 86.

eum superet, minusque toleranda audacia delinquat.

IX. Jejunium, quatenus adstrictum diei sabbati, est tantum consuetudo, quæ ad fidem minime pertinet, estque institutionis mere humanæ. Ac proinde Ecclesia eam instituere, aut abrogare poterat, absque ulla culpa. Quid est pœnitentia, prout publica est, præter meram cæremoniam, quæ non est juris divini, neque apostolici? Quare ergo Ecclesia nequeat eam abolere diserta constitutione, aut tacita permissione eam obsolescere non patiatur, deinde etiam contraria instituta non inducat? Sic videtur res contigisse, adeo ut ea consuetudo perpetuo observari non potuerit, sed paulatim collapsa sit, ob dispensationes iteratas, et conniventiam pastorum, a quibus prudentia eam remissionem postulabat; ac tandem plane interciderit, nec quidquam ejus remanserit, præter mentionem ejus instituti quæ in veterum monumentis exstat, eruditorumque memoriam. Quod contigit etiam multis aliis consuetudinibus, longinquitate temporis extinctis, postquam olim viguerunt.

CAPUT QUARTUM.

Leges positivas contraria consuetudine obsolescere. Ratio ejus rei ex S. Thoma. Exemplum jejunii. Error Arnaldi, malaque ejus fides in vertendo Bellarmini loco, cujus auctoritate abutitur. Idem Arnaldus convictus exemplo jejunii, et auctoritate S. Augustini.

I. Theologi et juris canonici doctores vulgo docent, leges positivas, quamvis sanctas et laudabiles, sola consuetudine paulatim obsolescere, atque aboleri. Cujus rei S. Thomas causam nobis aperit in hisce verbis[1]: «Omnis lex proficiscitur a ratione, et voluntate legislatoris; lex quidem divina et naturalis a rationabili Dei voluntate; lex autem humana a voluntate hominis ratione regulata. Sicut autem ratio, et voluntas hominis manifestantur verbo in rebus agendis; ita etiam manifestantur facto. Hoc enim unusquisque eligere videtur ut bonum, quod opere implet. Manifestum est autem, quod verbo humano potest et mutari lex, et etiam exponi, in quantum manifestat interiorem motum, et conceptum rationis humanæ. Unde etiam et per actus, maxime multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex, et exponi, et etiam aliquid causari, quod legis virtutem obtineat; in quantum, scilicet, per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus et rationis conceptus efficacissime declaratur. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis judicio provenire, et secundum hoc consuetudo et habet vim legis, et legem abolet, et est legum interpretatrix.»

II. Idem sentiunt jurisconsulti[2]: «Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur; et hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum, etc. Quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solo suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium, per desuetudinem abrogentur.» Vide et leges sequentes. Exemplum jejunii a nobis allatum, aptissimum est ad rem comprobandam; non tantum quod attinet ad tempora et dies, quibus Ecclesia jejunari voluit, sed etiam ad rationem ipsam jejunandi. Nemo ignorat, morem veterem Christianorum fuisse, cum jejunabant, ut nihil comederent usque ad vesperam, cum erat plenum atque integrum jejunium, quale fuit quadragesimale; vel, si erat tantum *semijejunium*, ut loquitur Tertullianus[3], ut differrent sumere cibum ad horam tertiam pomeridianam, quæ est hora *nona*. Testatur etiam S. Thomas [4], ipsius ævo diebus jejunii eadem hora cibum sumi solitum.

III. Quare Kemnitius Lutheranus[5] aggressus est castigare, atque irridere Catholicos, quod

[1] S. Th. 1. 2. q. 97. art. 3.— [2] Leg. 31. D de leg. etc.

[3] Tertull. c. 13. lib. de jejun. *Et stationum jejunia interponentes*; et lib. contra Psych. — [4] S. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 7. — [5] P. 4. Exam. Concil. Trid.

tempus anticiparent, prætereaque nocturnam gustationem addidissent. Quod cum confutaret cardinalis Bellarminus[1], utitur hisce verbis, quibus male usus est Arnaldus, qui et ea corrupit: « Primum respondeo, usum jejunii solvendi circa meridiem, et cœnam sumendi sub noctem, ab Ecclesia non imperari, sed tolerari; neque deesse inter Catholicos, qui unica omnino refectione contenti, nihil omnino cibi degustent, nisi vel hora nona, vel sub vesperam. » Deinde aliter respondet, defenditque eam consuetudinem, quia ejusmodi mores, cum non sint juris divini, ad tempus quod attinet, possunt mutari aliis legibus ecclesiasticis, aut contrariis consuetudinibus; et quia circa meridiem prandere ab usu veterum non multum distat, si rationem habeas horæ, qua prandium sumebant, cum non jejunarent.

IV. Sed omitto, quæ habet Bellarminus, et quæ ad rem non faciunt, ut loquar de præcipiti ingenio Arnaldi, quo Bellarmini verba perperam est interpretatus, deque pravo consectario, quod hinc ducit contra veritatem ac bonam fidem. Nam probare aggressus[2], « posse nos aliquando, sine temeritate, consuetudines receptissimas non sequi, ut alias sanctiores, et quas nos docent SS. Patres, potius observemus; » « Visne, *inquit*, ejus rei exemplum? Recepta est consuetudo jejunare usque ad meridiem tantum, et degustationem vesperi sumere. Nec tamen hoc obstat, quominus cardinalis Bellarminus contendat, verum jejunium, ex doctrina omnium Patrum, situm esse in uno pastu, qui sub vesperam sumendus, moremque contrarium tolerari duntaxat, non probari in Ecclesia. » Atqui pessime hic Arnaldus verbum latinum *imperare* interpretatur *probare*. Deus et Ecclesia multa probant, quæ minime imperant, qualia sunt opera consilii et supererogationis, comedere nihil præter panem, bibere nihil præter aquam, continentiam servare, et alia similia. Sic Apostolus scribens ad Corinthios[3], permittensque illis usum matrimonii; *Hoc autem dico*, inquit *secundum indulgentiam*, *non secundum imperium*. Attamen quisquis negaret, Apostolo improbatum esse actum matrimonii, hæresim proferret, quam damnavit in epistola ad Hebræos c. 13. 4.

V. Ait ergo Bellarminus, *non imperari*, *sed tolerari* anticipationem cibi, et degustationem vespertinam, ut irritam faciat objectionem Kemnitii; qui ex infractione priscæ consuetudinis jejunandi occasionem arripiebat vituperandæ Ecclesiæ catholicæ. Sed minime dicit cardinalis, eam remissionem ab Ecclesia improbatam fuisse; imo vero eam excusat, ostenditque, contra hominem hæreticum, vituperari non posse. Sic loquitur paulo post verba ab Arnaldo prolata: « Itaque, tametsi nostro tempore severitas jejuniorum aliquantulum relaxata videatur, tamen non ideo reprehendi possunt populi Christiani, qui morem in Ecclesia introductum, atque a pastoribus vel probatum, vel certe permissum sequi volunt. » Attamen tandem fatetur, eorum morem meliorem esse, qui, ex prisca consuetudine diebus Quadragesimæ pastum ad vesperam differant. Quod verum est; sed minime propterea sequitur id improbari, quod minus perfectum est. Nam Apostolus in loco, quem protuli ex 1. ad Corinthios, 7. 38. *Et qui*, inquit, *matrimonio jungit virginem suam*, *bene facit; et qui non jungit*, *melius facit*. Igitur probat quidem matrimonium virginis, sed tamen non tanti facit ac cœlibatum.

VI. Hæc tota disputatio apprime ad rem nostram facit, ut prorsus ab errore revocentur hi nostri pœnitentiæ publicæ simulatores. Videtur Arnaldus, non sine singulari providentia divina, devenisse ad exemplum illud jejunii, ut intelligeret peccare non Ecclesiam in recepto pœnitentiæ usu, sed ipsum in sua ratiocinatione, ac consilio novo quod cœpit. Attente ergo expendat, quæ dicit de jejunio, tum dicat, an auderet quidem damnare omnes, qui usque ad meridiem tantum jejunium producunt, atque affirmare *licentiam* esse, *depravationem*, *corruptionemque morum* in iis, qui non jejunant ad occasum solis. Quisquis talia affirmaret, insaniret, imo vero pœna dignus esset. Damnaret enim universam catholicam Ecclesiam, et omnes fideles laicos, ecclesiasticos et regulares, cujuscumque sint severitatis, exceptis perpaucis.

VII. Attamen videtur eo spectare disputatio Arnaldi, imo vero eo spectet necesse est; quod satis significat, quando ad aptandum exemplum jejunii præsenti negotio, inducit cardinalem Bellarminum dicentem, quod falsum est, Ecclesiam tolerare, non probare cibum sumi circa meridiem, et degustationem fieri vesperi; quia nisi hoc dicat, nulla vis

[1] [illegible] er. in partic. cap.

[2] Arn. par. 2 cap. 18. p. 629. — [3] 1. Cor. 7.

mest ratiocinationi ejus ad probandam necessitatem instaurandi pœnitentiam publicam. Si enim, fide incolumi, licet circa meridiem frangere jejunium ; quamvis ostendas perfectius quid fore, si ad vesperam jejunium producerem, propterea tamen mihi non persuadebis mores meos corruptos esse. Non auderes palam dicere, vitiosam esse hanc vulgarem jejunandi consuetudinem, neque aggredi eam reformare. Timeres tuæ existimationi, si dixisses animum fuisse concilio Tridentino instaurare priscam jejunandi rationem; indicationemque hujus animi esse, quod Concilium voluerit restitui priscas traditiones, canonesque primitivæ Ecclesiæ.

VIII. Puderet te, ut uno verbo dicam, proferre in defensionem novi illius tui instituti jejunandi, quod dixisti, ac scripsisti de pœnitentia publica, vel de dilatione mysteriorum sacrorum Altaris post communionem sacramentalem. Attamen minus vituperandum esset id facinus, juvenilique fervori facilius ignosceremus, si aggrederetur tantum consuetudinem jejunandi ; quia Ecclesia hac de re nihil etiamnum pronuntiavit, et intra limites meræ permissionis sese coercuit ; quod tamen satis est, ut res fieri queat, omnisque scrupulus animis eximatur. Sed quod aggrederis, ponisque ob oculos omnium de Pœnitentia, spectat ad contumeliam Ecclesiæ, et ad violationem constitutionum Conciliorum, legesque omnes et πολιτείαν Christianismi conculcat ; et nos eo adducit, ut horum alterum credamus, te cæcutire in tuis judiciis, aut Ecclesiam in regimine fidelium.

IX. Hanc disputationem claudam, te amandato ad duas epistolas, quas scripsit S. Augustinus de variis consuetudinibus Ecclesiæ, deque ratione, qua oportet virum religiosum ac prudentem in ejusmodi negotio se gerere ; qua de re nunc disceptamus. Sunt 118. et 119. quas perlege, ut ex iis discas, quod hactenus non satis intellexisti, et quod tamen scire tua intererat. « Quod neque contra fidem, *inquit*[1], neque contra bonos mores convincitur, (ita lege præeuntibus Mss.) indifferenter est habendum, et pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est. » Illic iterum leges sermones quos habuit cum S. Ambrosio, et responsum quod ab eo accepit de jejunio diei sabbati, de quo egit ep. 86. Videbis tandem, qui deploret nonnullorum superbiam atque superstitiosam pertinaciam, qui acrius æquo contendunt de consuetudinibus natura sua indifferentibus ; maluntque pacem Ecclesiæ violare, quam ullo modo a sententia discedere, eo quod rem magis sibi, quam aliis, perspectam esse opinatur.

CAPUT QUINTUM.

Librum de frequente Communione favere hæreticis, adeoque nocere Ecclesiæ catholicæ, quæ ex ejus libri doctrina illis respondere nequit. Ea everti firmitatem fidei et Ecclesiæ. Noxiam etiam esse reipublicæ, et potestati Regum, ac præsertim quidem Christianissimorum.

I. Alterum consectarium, quod deduco ex more Ecclesiæ in abolendis consuetudinibus antiquis, hoc est : consilium Arnaldi, ejusque exsecutionem, esse scandalosa, et duos quidem pravos effectus parere. Primum facit, ut hæreticorum hujus ævi causa superior videatur ; præbetque eis commodas rationes, quibus eam tueantur, schismaque suum defendant. Deinde vim detrahit omnibus argumentis, quibus utitur ad ostendendum, penes nos esse veritatem catholicam, et similitudinem cum Ecclesia primitiva.

II. Quod ut liquidum fiat, statuamus vera esse duo illa fundamenta, quibus nititur tota machina novi hujusce consilii de reformanda pœnitentia ; quorum unum est, Ecclesiam posse errare in eo quod pertinet ad *mores* et ad *disciplinam*, prout ea vocabula interpretatur, hoc est ita, ut complectantur quævis instituta et quaslibet consuetudines. Hisce in

[1] Ep. 118. cap. 2.

rebus vult Ecclesiam esse emendationi obnoxiam [1] « ita, ut horrenda cæcitate remiserit disciplinam apostolorum et Jesu Christi. » Alterum est, laudabile esse, in usu consuetudinum et constitutionum, præferre antiquas recentioribus, et quæ vigebant in Ecclesia primitiva iis, quæ postea, prioribus obsoletis, intromissæ sunt. Contendo ex iis duabus enuntiationibus necessario sequi incommoda a me memorata. Eligamus, exempli causa, caput quoddam, de quo nobiscum certent, et in quo pertinacissime se gerant. Videtur ad rem appositissimum fore id, in quo communio sub utraque specie agitur. Hoc enim caput quam maxime urgent, et maximo affectu tuentur.

III. Inducamus ergo Lutheranum, aut Calvinistam, hac de re cum Arnaldo disceptantem, et de duabus allatis enuntiationibus consentientem. Illico hæreticus queretur, contendetque injuste ab Ecclesia Romana mutatum esse priscum Sacramenti usum, erepto laicis calice, quem eis præbitum vivis apostolis, et diu postea, novimus. Clamabit hunc esse abusum, et turpem errorem; propter quem merito ab ea secesserunt, ut Ecclesiam primitivam pressius imitarentur, præsertim in mysticæ Cœnæ administratione. Quid Arnaldus respondebit huic argumento? Quas in partes se vertet, ut eo se expediat? An potest negare, consuetudinem illam communicandi sub utraque specie, viguisse tempore apostolorum, et per multa secula in Ecclesia fuisse? Hoc nunquam faciet; nec posset certe fieri, nisi ab eo, qui summæ ignorantiæ atque impudentiæ hominem se haberi non reformidaret.

IV. Fatebitur ergo eam rationem communicandi diu fuisse in usu, sed postea fuisse abrogatam. Verum, inquit Calvinista, quamobrem, aut quo jure mutata est? Arnaldus huic quæstioni, nisi ad silentium adigi malit, duo habebit respondenda : alterum, nullum esse generale præceptum divinum, quo omnes jubeantur sanguinem Jesu separatim sumere in sacramento Altaris; ac proinde nullo jure divino, ex quo nihil remitti queat, hoc esse Christianis impositum : alterum vero, eam consuetudinem, quamvis antiquissimam, cum non sit res fidei, neque necessaria integritati Sacramenti, pependisse ex arbitrio Ecclesiæ, a qua mutari potuit. Sed vix hæc dixerit, cum ab adversario sistere gradum jubebitur, et convincetur suis ratiocinationibus. Dicet Ecclesiam, cum errare queat in iis, quæ pertinent ad mores et disciplinam, errasse in abolitione calicis in communione laica; quemadmodum erravit etiam, cum pœnitentiam publicam sustulit, atque illam delapsam *in corruptionem, prolaptionemque morum, ac cæcitatem horrendam.* Dicet remedium ei rei esse afferendum, restituendumque veterem usum communicandi; quemadmodum Arnaldus dat operam, ut instauretur usus pœnitentiæ publicæ : ac quidquid tandem censeatur, laudabile esse, imo vero tutius, adhærere veteribus, et sequi consuetudines primitivæ Ecclesiæ, quam hodiernæ.

V. Denique nulla prorsus est ratio, nullum argumentum, nulla auctoritas, quibus uti queat Arnaldus, et quibus utatur in suo libro ad urgendam instaurationem pœnitentiæ publicæ; quam Calvinista non possit causæ suæ multo justius, ac speciosius accommodare. Pœnitentia enim publica multum abest ab antiquitate communionis sub utraque specie, neque fuit tam late, et tam diu recepta. Non facilius ex Scriptura probatur, neque conjunctior est cum fide ac Religione catholica, quam communio sub utraque specie. Utraque est institutio juris positivi, lex cæremonialis, atque pariter in arbitrio Ecclesiæ posita. Hoc Arnaldo contingeret, si cum protestantibus ei certandum esset; ex quo certamine sine ignominia sese non expediret, nisi vellet principia a se posita deserere, librique sui doctrinæ nuntium remittere.

VI. Præterea in maximam anxietatem, ac dubitationem conjicit animos alumnorum Ecclesiæ, qui ejus institutis parent, regimenque ejus sequuntur. Statim enim, ac hanc doctrinam amplexi fuerint, et probaverint Arnaldi principia, tranquillitatem omnem suam amittent, ac fiduciam. Quemadmodum navis sine anchora in irato mari fluctibus huc atque illuc rapitur, fitque ventorum ludibrium; sic animi illi fluctuantes indesinenter huc atque illuc agentur, quovis vento novæ doctrinæ [2].

VII. Fideles in quiete continentur, constanterque adhærent ac parent Ecclesiæ, quia eam putant esse supra erroris periculum positam, ejus decreta esse sancta, nihil in ejus institutis carpi posse, regimenque tutum esse. Hoc concusso fundamento, totum corruit ædificium, nec quidquam certi superest,

[1] Arn. in Admon. p. 40.

[2] Ephes. 4. 14.

neque in fide, neque in vita ; cum nobis non constet an rectam insistamus viam, qua ad æternam felicitatem pervenire liceat. Dubio atque suspenso gradu iter illud facimus, semperque animo nostro hoc inhæret dubium, posse fieri, ut fallamur, quoniam Ecclesia ipsa erroris expers non est.

VIII. Si statuas licentiam non tantum tolerari, sed a sciente ac prudente Ecclesia probari, ac communi consensu confirmari : quod colligere licet ex nova hacce Arnaldi doctrina ; Ecclesiam errasse, dum alit, ac fovet institutum pravum, ac vituperandum ; satius esse sequi consuetudines traditiones ac canones veteris Ecclesiæ, quam quod nunc usitatum est, sciente ac consentiente hodierna Ecclesia : hinc prodibunt innumera absurda, periculosaque, ac erronea consectaria, quibus omnia perturbabuntur.

IX. Exempli gratia, anxii erimus de baptismo ab obstetrice collato urgente necessitate, dubitabimusque, an ratus haberi possit ; quia diserta hæc sunt verba in canone 100. concilii Carthaginiensis IV. « Mulier baptizare non præsumat. » Poterimus etiam dubitare, an baptismus administratus a viro laico legitimus sit, quia S. Basilius videtur eum pro nullo habere in Epistola canonica [1], quam scribit ad Amphilochium, et quam Ecclesia orientalis authenticam habet. Similiter dubius erit administratus aut a digamo, aut ab eo, qui nondum ipse baptizatus sit. Prius enim vetitum est ab Eliberitano concilio, quæcumque sit necessitas ; vult enim [2], « ut peregre navigans, ingruente necessitate, a quocumque fideli, qui non sit digamus, baptizetur. » De posteriori vero nihil audet affirmare Augustinus [3]. Patres autem illi vixerunt intra id intervallum Ecclesiæ primitivæ, in quo Arnaldus exemplar reformationis suæ sibi quærendum statuit, excepto Eliberitano concilio, quod omnibus antiquius est.

X. Alius inquietioris et turbulentioris ingenii improbabit rationem, qua hodie eliguntur episcopi, nec legitimam habebit ; quippe minime consentaneam traditioni, et decretis veteris Ecclesiæ, ex quibus oportet episcopum eligi a populo, quemadmodum observavimus. Sæpe Pontifices maximi, sæpe Concilia eam consuetudinem probarunt. Itaque jura, ac dignitatem episcoporum in dubium revocabit. Tum ulterius progressus aggredietur Constitutiones, et *Concordata* Pontificum, quæ derogant prisco juri, et statutis Ecclesiæ primitivæ. Denique nihil erit tam firmum, ac stabile in πολιτείᾳ Ecclesiæ, novisque Paparum Constitutionibus, quod nequeat in controversiam vocari, imo et everti ; eo quod novis institutis anteponenda sit antiquitas ; et omnia, quæ huic adversantur, habeantur *licentia, et corruptio morum*. Hinc intelligere est venenum, quod latet in dogmatibus, quibus nititur consilium novorum illuminatorum, qui, mutata una parte disciplinæ Ecclesiæ, reliquas omnes concutiunt, suspicionemque animis nostris injiciunt, eos clam cum ejus hoste consilia habere, cui ea ratione arma suppeditant, quibus pugnat contra Ecclesiam, eamque evertere aggreditur.

XI. Liquet etiam eam reformationem esse summopere noxiam Reipublicæ, ac regimini civili, potestatique summæ Regum, et præsertim Christianissimi ; quia dubium reddit, vel potius evertit jus nominandi ad episcopatus, aliaque beneficia, quæ regalibus juribus continentur : quandoquidem hæc nominatio adversatur canonibus antiquis, et traditioni Ecclesiæ primitivæ, quæ obsolescere non potuit, nisi ob *licentiam ac cæcitatem horrendam ;* cui oportet medicinam fieri, quoniam illi canones non fuerunt abrogati, auctoritatemque suam illibatam etiamnum obtinent. Unde sequetur, tam episcopos quam ceteris beneficiis instructos, quibus collata sunt contra mores primitivæ Ecclesiæ, intrusos esse, nec legitima possessione gloriari posse, si hæc dogmata sint vera.

[1] Can. 1. — [2] Can. 85.

[3] Lib. 2. contra Epist. Parm. c. 13.

CAPUT SEXTUM.

Brevis repetitio eorum, quæ dicta sunt de consilio libri de frequente Communione, ejusque erroribus. Eo spectare, ut corrigat consuetudinem universalem Ecclesiæ probatam a concilio Tridentino, eamque vocare abusum, ac licentiam. Quod ejus verbis demonstratur, et copiose refellitur; dum interea opus crassorum errorum, ac repugnantiarum arguitur.

I. Tertium, atque ultimum consectarium, quod sequitur ex observatione nostra de mutatione consuetudinum, secundum varias Ecclesiæ ætates, hoc est : magnum hunc Pœnitentiarium nescire, quid petat, et quo nos adduci cupiat; ab eo minime intelligi, quale sit consilium, quod cœpit, ita ut, si tueatur quæ dixit de rationibus reformandæ Ecclesiæ, quamvis ei concederentur quæ petit, nullam rationem reddere posset ejus, quod flagitat, neque id clare exprimere, et sine repugnantia, nedum ut ad finem perducere possit. Caput hoc magni est momenti, dignumque, quod probe intelligatur. Sed ut plenius exponatur, possitque quam maxime afficere animos lectorum, oro eos ut patiantur iterum summam hujus consilii a nobis recognosci, prout ab auctore describitur in Præfatione, atque in universo opere; meque excusatum habeant, si nonnulla repeto, dum describo accuratius, quo spectet nova hæc reformatio. Res est summæ tenuitatis, nec multi pervident ejus arcana, ut intelligant quam malignitatem, et quodnam venenum occultet. Quæ antea dixi, tantum perstringam, additis interdum iis, quæ ad illam melius intelligendam, fideliusque explicandam faciant.

II. Dixi Arnaldum hunc sibi ultimum, ac potissimum finem proposuisse, ut in integrum restitueret disciplinam ecclesiasticam, initio facto a pœnitentia et a præparatione necessaria ad communionem mysteriorum. Quamobrem conatum esse instaurare pœnitentiam publicam, eo perfectionis gradu, quem in Ecclesia primitiva obtinebat; sed cum non posset rem tam cito ad finem perducere, satis habuisse nunc quidem partem ejus restituere, quæ in eo sita est ut differatur absolutio et communio pœnitentibus, postquam peccata sacramentaliter confessi sunt, donec pro peccatis per aliquot menses satisfecerint. Utque ostendat se non sine ratione aggredi id charitatis officium Ecclesiæ præstare; duo ab illo proferri : quorum alterum est, quod obstrictus est jurejurando in Ecclesia S. Virginis concepto defendere veritatem usque ad effusionem sanguinis : alterum vero veritas ipsa, quam necesse habet tueri, prout juravit.

III. Hæc est autem veritas, quam defendendam suscipit, « [1] irrepsisse licentiam, prolapsionem, corruptionemque morum in Ecclesiam, [2] quæ favet impœnitentiæ communi plerorumque, » in eo, quod spectat ad pœnitentiam; quia desiit ea uti ex prisca consuetudine, et « [3] sese attemperavit infirmitati liberorum suorum, concesso illis alio usu, qui specie quidem externa facilior est, sed multo minus utilis et perfectus. » Is usus in eo situs est, ut præscribatur ad præparationem sufficientem, aut necessariam, confessio sacramentalis. Quare cum vellet Arnaldus stare promisso tam sancto, consilium cœpit de conscribendo opere, « [4] ad defendendam doctrinam tam sanam, et usque adeo confirmatam ab universa antiquitate; » et ad corrigendam *licentiam ac corruptionem*, quæ in Ecclesiam intromissa est. Præterea observavi, id, quod vocat [5] *licentiam*, *et perturbationem in disciplina Ecclesiæ*, aut *corruptionem morum*, idque, quo degener facta est, et quod debet ac vult emendare, non esse vitia, et peccata virtutibus contraria, sed remissionem pœnitentiæ publicæ, et consuetudinem intromissam ejus loco.

IV. Cum enim eo spectet opus ejus, ut medeatur illi licentiæ, nullam aliam licentiam in animo habuit, præter eam, quam oppugnavit, et cujus meminit. Dum autem licentiam corruptionemque describit, minime agit de vitiis, aut medicina, quæ iis posset fieri. Nihil dicit de superbia, de luxuria, de iracundia, de homicidio, de furto, de detractione, deque aliis vitiis, quæ sunt vera corruptio morum. Itaque morbis illis minime aggreditur mederi. Alioqui absurde se gereret, nec aliter ac medicus, qui pollicitus se locuturum de morbis corporis, ne verbum quidem de iis

[1] Præf. p. 110. et 111. — [2] Arn. par. 2. c. 47. p. 628. [3] Par. 2. c. 18. p. 404. — [4] Præf. p. 4. — [5] Ib. ooo. et uuu.

faceret ; nec doceret, quid sit febris tertiana, aut quartana, quid sit paralysis, aut phthisis, quid lethargus, aliusve morbus, ut postea remedia apta ad singulorum curationem præscriberet ; sed, iis omnibus prætermissis, ageret de alio argumento. Annon judicares, ejusmodi medicum indigere medicamento, non quidem reliqui corporis, sed cerebri male habentis ?

V. Igitur si Arnaldus *licentiam ac depravationem morum* vocaret veros morbos spirituales, hoc est, peccata, eam in rem maximam et potissimam partem operis sui insumere debuisset. Quod cum non fecerit, nec de ulla alia re egerit, nisi de remissione pœnitentiæ, quia non est hodie publica, et quia fideles satis paratos ad communionem se existimant, cum sacerdoti omnia peccata confessi sunt, eique per omnia paruerunt : sponte cæcutiat oportet, qui non videat, *licentiam*, *collapsionem*, *depravationemque morum* vocari abolitionem pœnitentiæ publicæ, et substitutionem pœnitentiæ sacramentalis ejus loco, quasi remedii, quod satis esse queat, *necessitate præcepti*, ut loquuntur, delinquenti, qui se ad participationem Sacramenti parare studeat. Cum vero Ecclesia sese attemperans infirmitati liberorum suorum, hodiernum hunc usum eis concesserit, quem induxit indulgentia Ecclesiæ ; huic debet tribui ea collapsio, depravatioque morum, de qua Arnaldus, et in qua sola *degener esse potest*, *et obnoxia est errori et corruptioni*, *quæ favet communi plerorumque impœnitentiæ*.

VI. Præterea scribit sub finem præfationis suæ, sibi animum esse, non instaurare per totam Ecclesiam pœnitentiam ; quod consilium esset insanum et superbia plenum ; sed velle se tantum proponere, quæ didicit a magnis luminibus Ecclesiæ, hoc est, a SS. Patribus. Per totum opus coacervat tantum loca veterum Patrum, et nonnullorum etiam, qui non ita pridem vixere, ut ex illorum auctoritate colligat restituendam esse pœnitentiam publicam, utque os occludat iis, qui aliter sentiunt ; non quod improbent eam pœnitentiam, aut non cupiant eam ab Ecclesia instaurari, vel nostram ætatem capacem esse ejus disciplinæ ; sed quia eam necessariam non judicant, postquam Ecclesiæ et Conciliis aliter visum est, concessa, ut ipse docet, faciliore pœnitentia. Quod cum ita sit, cumque loquatur tantum de consuetudine hodierna, qua pœnitentia illa publica abrogata est ; manifestum est, eam consuetudinem, cui opponit auctoritatem Patrum, ut conferat *ad instaurationem generalem Ecclesiæ* quidquid privatus potest, quo observans sit jurisjurandi ab eo, cum doctor fieret, præstiti ; manifestum, inquam, est *licentiam et corruptionem*, quas putat esse in Ecclesia, esse tantum constitutionem de pœnitentia, et præparatione necessaria ad communionem.

VII. Idem Arnaldi animus clarius patet in egregia illa Admonitione, quam secundæ editioni præfixit, ubi queritur, « suam doctrinam suspectam fuisse, quia eam ex antiquitate deducit, et quia non fucata pietate deplorat vitia et corruptionem postremorum horumce seculorum : et quia non veretur dicere, permotus charitate, quæ temporalem nullam utilitatem spectat, quandoquidem videmus, hac ætate nostra, horrenda cæcitate usque adeo remissam esse disciplinam apostolorum et Jesu Christi, ut videantur Christiani aggressi esse vestigia ejus delere ; nullas sat magnas gratias referri posse iis, qui ore, et scriptis conantur priscam consuetudinem revocare, et zelum primorum Christianorum excitare. »

Atqui in toto opere agit tantum de præparatione ad S. communionem, cum de ea, quæ hodie viget, quam putat esse *licentiam et corruptionem morum*, tum etiam de prisca, quam restitutam vult ex disciplina apostolorum et primævæ Ecclesiæ. Itaque *remissio disciplinæ*, quam tribuit *horrendæ cæcitati*, est consuetudo, quæ nunc obtinet per totum orbem Christianum, quam confirmavit synodus Tridentina, et quæ saltem, ut diserte fatetur Arnaldus, intromissa est *indulgentia et* συγκαταβάσει *Ecclesiæ*. Quod satis est, ut defendi queat, neve haberi possit *licentia et prolapsio morum*. Alioqui non esset hic locus *indulgentiæ* et συγκαταβάσει, sed Ecclesia peccati insimulari posset, quod minime testaretur, rem sibi displicere. At profecto non mera Ecclesiæ tolerantia, sed ejus voluntate, quam diserte explicuit, consuetudo illa obtinet, ut antea ostendimus, et postea demonstrabimus.

VIII. Quæ cum ita sint, nemo dubitare queat, quin Arnaldi doctrina talis sit, qualem eam hactenus descripsimus ; hoc est, tam contrariam esse sensui communi, et sano judicio, quam est aliena a pietate catholica, contumeliosaque Ecclesiæ et Conciliis, quandoquidem iis tribuit *licentiam*, *corruptionem*, *prolapsionemque morum*, non ex mera tolerantia, ita ut iis, quatenus potuerint, restiterint, sed ex consensu et permissione ; quasi

pateretur eorum sanctitas tolerari ac confirmari licentiam et vitia absque ulla eorum castigatione.

Plutarchus scripsit librum in Stoicos, ubi infamat eorum dogmata, quoniam adversabantur sensui communi, et rationem naturalem oppugnabant. Doctrina Arnaldi similis est ejusmodi paradoxis, ne loquar de periculo, quod post se trahit, deque detrimento, quod Ecclesiæ dogmatibusque catholicis infert.

IX. Quid potest absurdius in mentem incidere, quam si remedium morbi cum morbo ipso confundatur? Hoc tamen contigit Arnaldo, qui vocat *licentiam et corruptionem* constitutionem Ecclesiæ, quam opposuit depravationi morum. Ipsum audiamus, videamusque, qua ratione, elapsa inscio veritate, evertatur mendacium, quod data opera protulit. Postquam enim dixit[1], « Ecclesiam ut matrem benignam, ut se infirmitati liberorum suorum attemperaret, eis concessisse usum alterius illius pœnitentiæ, quæ successit publicæ; » hæc addit[2]: « Ad hunc modum medici cedentes aversationi ægrorum, qua remedia prosequuntur, non semper eis præscribunt, quæ saluberrima esse putant, sed ea, quæ ab iis ferri posse judicant. Ad hunc modum iterum (ut ascendamus ad fontem, ex quo regimen Ecclesiæ fluit) videmus, Deum ipsum in Scriptura multa fecisse ex indulgentia, et contra prima sua consilia, propter vitia temporum, et σκληροκαρδίαν, ut loquitur Christus in Evangeliis. »

X. Accipiamus, quod das, Arnalde, deinde tu ipse judices, an possis merito dicere, cum medicus sese ægro attemperans propinat ei remedium, minus quidem efficax, sed quod melius consentit cum ejus debilitate, minusque molestum est ac fastidiosum; id remedium esse contrarium regulis artis, et perturbationem medicinæ. Perturbatio est in morbo, non in præscriptione medici, quæ prudentissima est. Eodem modo judicare debes de remedio illo pœnitentiæ sacramentalis, quod Ecclesia, *ut mater benigna*, sicut dicis, voluit dulcius reddere, sublata ex eo acrimonia, quæ ejus liberis erat intoleranda. Si hæc relaxatio esset licentia, ac depravatio morum, Ecclesia neque prudens, neque sapiens mater esset. Peccaret in ethica ac virtute Christiana, in qua alibi eam errare non posse fateris, uti nec in fide ac doctrina [3].

XI. Si medicus ille, cui res esset cum ægro, qui nollet vehementiora quidem, sed efficaciora remedia sibi propinari, propinaret ei arsenicum, tum demum adversaretur regulis artis. Sed cum præscribit salubre remedium, quamvis usque adeo efficax non sit, neque tam cito ei valetudinem restituat, nullum admittit peccatum contra artem; imo vero eo prudentior est, quo magis attemperat curationem ægro, et dum ei satisfacit, salubria tamen adhibet medicamenta. Videsne fulgorem ejus veritatis tibi perstringere oculos, atque ostendere, si quid est perturbationis, id esse in ea ratiocinatione, cui innititur universum consilium reformationis tuæ, et totius tui operis? Nonne animadvertis, cum tibi conceditur, quidquid potest tibi concedi, et quod tibi satis esse debet, si ratione recte uteris: occasionem remissionis fuisse corruptionem morum, et vitiorum exundationem, quæ minuerunt fervorem ac pietatem, quæ in primis erant Christianis; attemperationem vero Ecclesiæ, et mitigationem rigidæ pœnitentiæ non esse ordinis perturbationem, sed prudentem remissionem, *in benigna illa matre* Ecclesia, quæ rem, ut dicis, concessit?

XII. Qua in re profecto non vides perturbationem ratiocinationis tuæ, et manifestam repugnantiam, quæ est inter veritatem et mendacium, et quæ in tuis opinionibus, ac verbis latet. Fateris enim hic [4] Ecclesiam esse erroris immunem in suo regimine, « nosque debere eam sequi in omnibus omnino rebus, hoc est, in doctrina fidei, et in universa ethica Christiana; » at alibi affirmas, eamdem Ecclesiam *concessisse liberis suis usum faciliorem* pœnitentiæ. Hæ duæ enuntiationes veræ sunt, sed non tertia illa, quæ est potissimum causæ tuæ caput, argumentum libri tui, et fundamentum totius tui consilii: remissionem pœnitentiæ veteris concessam ab Ecclesia, esse *licentiam, prolapsionem, corruptionemque morum; favere impœnitentiæ communi plerorumque, et intromissam esse horrenda cæcitate;* cui, ob jusjurandum præstitum, cum doctor fieres, mederi te necesse est, quantum est in te. Hæc postrema enuntiatio omnino scandalosa est, et contraria duabus aliis.

XIII. Ut liqueat, quam falsa sit, proferenda sunt tantum verba tua, quæ antea protuli; ubi comparas id quod facit Ecclesia, *dum concedit liberis suis usum faciliorem* pœnitentiæ sacramentalis, quæ publicæ successit, ei quod fit a medico, *cum cedens aversa-*

[1] Par. 2. c. 18. pag. 454. — [2] Ibid. p. 455.

[3] Lib. 1. c. 1. p. 3. — [4] Part. 1. c. 1.

tioni, qua ægri remedia prosequuntur, non semper iis præscribit, quæ saluberrima omnium esse putat, sed quæ ab iis ferri posse judicat. Continuo subdis verba illa, in quibus ais Deum ipsum ita se gessisse, *cum multa fecerit ex indulgentia et contra prima sua consilia, propter vitia temporum et* σκληροκαρδίαν *hominum.* Unde alterutrum horum sequetur, aut Deum esse auctorem *licentiæ, prolapsionis corruptionisque morum*, quandoquidem concedit, ac remittit hominibus innumera, *contra prima sua consilia;* aut Ecclesiam probri immunem esse, cum propter infirmitatem liberorum eis *concessit usum faciliorem pœnitentiæ*, Dei ipsius exemplum imitata.

XIV. Quod si dixeris magnum esse discrimen inter Deum et Ecclesiam, atque a Deo posse multa delicta et scelera ferri, quæ non licet hominibus tolerare, minime adhibitis artibus omnibus ad ea impedienda; verum quidem dices, sed propterea non elaberis. Primum enim potest quidem Deus permittere, ac ferre peccata, sed non ea licita esse pronuntiare, aut lege ea concedere; uti nec Ecclesia, cujus *regimen ab eo, tanquam a fonte manat.* At Ecclesia diserte concessit remissionem antiqui rigoris pœnitentiæ, prout fateris; conciliumque Tridentinum definiit confessionem sacramentalem semper habitam esse ab Ecclesia præparationem sufficientem ad communionem. Præterea quandoquidem dicis Ecclesiam concessisse usum pœnitentiæ minus perfectum, quam præcedentem; *quemadmodum videmus Deum ipsum, in Scriptura, multa fecisse ex indulgentia;* oportet ut de ambobus similia judicaris, absolverisque simul et Deum et Ecclesiam, aut damnaveris. Alioqui non sine blasphemia sumeretur, quasi exemplum sceleris ab homine admissi, ut licitum esse ostenderetur, nuda permissio Dei ex mera tolerantia, sine ulla diserta lege ex qua id scelus licitum esse pronuntietur.

XV. Si Pontifex maximus Heli[1], cum nomine Dei castigatus est, ob nimiam indulgentiam erga filios, et ob dissimulationem flagitiorum, quæ ab iis admittebantur, sese defendisset exemplo Dei, qui eos tolerabat; annon gravius multo peccasset, pœnasque, quæ sibi intendebantur, auxisset, novæ blasphemiæ accessione? Itaque exemplum Dei, quod protulisti, ostendit non tantum ratiocinationem tuam esse nullam, sed etiam doctrinam periculosam; et prorsus falsum esse omnem remissionem a majore perfectione esse licentiam, ac depravationem, vel non posse concedi usum faciliorem, ac minus severum, neque indulgentiam adhiberi contra prima consilia, sine licentia ac depravatione morum.

XVI. Hæc autem est enuntiatio, quæ totam tuam doctrinam pervadit, et quæ consilium tuum debet fulcire. Ea admissa, colligendum erit incarnationem, et passionem Domini nostri fuisse licentiam, ac depravationem; quoniam hæc facta sunt contra prima Dei consilia, quibus volebat, hominem innocentem vivere, nec remedio, ac redemptore indigere. Idem erit statuendum de omnibus divinis legibus, quæ latæ sunt post peccatum, et corruptionem naturæ humanæ. Pariter et omnes leges civiles, aut ecclesiasticæ habebuntur abusus ac depravationes; quia statuunt mores humanos esse corruptos. Nam, ut habet Livius[2], « Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges, quæ iis modum facerent. » Est etiam axioma jurisconsultorum, *Ex malis moribus bonas leges existere.*

XVII. Sic semper Ecclesia aliquid remisit de severitate regiminis et pristina disciplina; quod antea probavimus, cum recensuimus mutationes consuetudinum et cæremoniarum. Idem confirmatur exemplo, de quo Innocentius I. in quadam epistola, quodque pertinet ad eos qui, in peccatis transacta vita, cum essent in periculo mortis, petebant pœnitentiam et absolutionem. Docet pristinam consuetudinem severissimam fuisse, quandoquidem iis negabantur ita, ut sine absolutione homines morerentur; sed postea remissum fuisse tantum rigorem. Probavimus eamdem indulgentiam ac relaxationem disciplinæ ex Tertulliano, Cypriano, aliisque Patribus. Quod damnandum fuisset, instar licentiæ ac prolapsionis morum. Hinc consequens est, ut consuetudines primitivæ Ecclesiæ, quam coercuit Arnaldus intra finem 4. seculi, et initium 5. quas sibi proposuit quasi exemplar reformationis suæ, mera fuerint licentia, ac prolapsiones morum; quia erant remissiones severitatis disciplinæ, quæ antea in Ecclesia obtinuerat.

XVIII. Hæc sunt specimina absurditatum, in quas delabitur Arnaldus nova hac doctrina,

[1] 1. Reg. 2. et 5.

[2] Lib. 4. Dec. 4.

et dum assentitur falsis, ac temerariis enuntiationibus, quibus consilium suum inædificavit. Hæc est quoque ratio, cur sæpe obstupuerim, dum legerem opus de frequente Communione; cum non possem satis admirari, S. Theologiæ doctorem, celebrem ingenio, eruditione, præsertim in antiquitatibus ecclesiasticis, tam parum judicio valere, et in tam crassos errores præcipitem ivisse, qui sensui communi repugnant, et rudissimos quosque pudore suffunderent.

Quis enim nescit licentiam et depravationem esse nomina vitiorum, oppositorum legi, ac rectæ institutioni?

XIX. Quando de moribus agimus, eorum normam desumimus ex lege. Quamobrem Seneca philosophus sic definit legem [1]: « Legem, *inquit*, dicimus justi, injustique regulam esse; » sanctus vero Thomas [2], « Lex, *ait*, quædam regula est et mensura actuum. » Igitur ubi nulla est lex, nulla quoque est depravatio, quæ sita est in violatione legis; quod docet Apostolus, hisce verbis [3], *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Dum lex viget, eaque tenemur, non possumus eam perfringere sine delicto, quo a norma discedimus. Sed cum lege abrogata non amplius tenemur, quod contingit cum alia lege deletur, aut usu contrario obsolescit, quomodocumque irrepserit; tum vero, cum nulla sit lex, nulla est corruptio morum in ejus neglectu, quandoquidem arbitrii est nostri facere, aut negligere, quod antea jussum erat, nec poterat sperni sine delicto.

XX. Aptemus hæc negotio huic nostro. Contendis, Arnalde, esse *licentiam et prolapsionem morum*, quæ irrepsit in Ecclesiam, suppressionem atque remissionem pœnitentiæ publicæ; ac propterea vis eam restituere, mederique huic licentiæ, ac corruptioni morum. Oportet ergo, si verum dicis, esse legem, quæ nobis rem imponit; eumque, qui non transit per pœnitentiam publicam ad communionem, in Deum peccare, et male affectum esse. Quod tamen profiteris falsum a te credi, cum neges [4] te quemquam obstringere ad pœnitentiam publicam, aut velle invitum ad eam adducere; affirmesque te tantum proponere sententias SS. Patrum, ut eas quivis pro pietate sua amplectatur.

Nemo ita loquitur de iis, quæ nobis legibus, quasi officia, imposita sunt. Nemo dixerit se nolle quempiam adigere ad amorem Dei et proximi, aut ad furtum vitandum; sed potius se velle rationibus, adhortationibusque illum eo adducere.

XXI. Non putat ergo Arnaldus eos peccare, qui negligunt pœnitentiam publicam et ad communionem accedunt sine mora, postquam sacerdoti peccata confessi sunt. Si enim hoc censeret, et palam profiteretur ita se sentire, oporteret eum ostendere veterem illam consuetudinem etiamnum in Ecclesia vigere. Quæ consuetudo cum obsoleta sit, ut ipse fatetur, hinc sequeretur, universam Ecclesiam subjacere damnationi; et peccasse concilium Tridentinum, quod præparationem ad communionem, quam quasi necessariam exigit Paulus, hisce verbis, *probet se ipsum homo*, intra confessionem sacramentalem coercuit. Dicat, an præter eam, quam Concilium expressit, alia quædam sit occulta, quam nemo retexerit, quæ necessaria sit ad salutem, et qua neglecta rei fiant homines maledictionis apostolicæ, cum ab iis sumitur corpus Christi, quod ad damnationem suam comedant. Si qua sit alia præparatio, Concilium erravit, et male prospexit saluti animorum in re tanti momenti, cum de ea Christianos non monuerit.

XXII. Sed si nulla alia sit lege imposita, non est licentia, neque prolapsio morum, si ea careamus. Nam quia non adsequimur arctiorem quamdam perfectionem, quæ minime præcepta est, ideo non incurrimus in offensam Dei, ejusque justitiam. Si quis aliquandiu sese sustentasset pane et aqua, rediretque ad communiorem vivendi rationem, non esset hæc licentia, aut depravatio morum, sed duntaxat majoris austeritatis remissio. Denique si censeres nos observatione prisca publicæ pœnitentiæ etiamnum teneri, quia observare debemus canones, veteresque traditiones Ecclesiæ; oporteret eadem de causa jejunare nos usque ad vesperam tempore jejunii, ne damnaremur; accipere sacramentum Altaris sub duabus speciebus; et pariter relegentes omnes consuetudines, quæ olim viguerunt in Ecclesia, eas ad usum revocare : quo pacto delaberemur in magnam perturbationem; neque sciret Arnaldus, quid faciendum esset, nec quid postularet perspicue posset exponere, cum sententiam rogaretur, quemadmodum faciam in capite sequente.

[1] Lib. 4. de Benef. c. 12. — [2] S. Th. 1. 2. q. 90. art. 1. [3] Rom. 4. 1. — [4] In Præf.

CAPUT SEPTIMUM.

De Ecclesia primitiva, ejusque auctoritate in rebus ad fidem pertinentibus et consuetudinibus Ecclesiæ. Nos revereri oportere, non imitari priscos omnes ritus. Error operis de frequente Communione de tempore primitivæ Ecclesiæ constituendo.

I. Finis ultimus novæ reformationis Arnaldi est, ut sæpe observavi, restitutio hodiernæ Ecclesiæ in statum primitivæ. Eo spectat Arnaldus, eo denique contendit, quo vult paulatim Ecclesiam adducere; tentata primum ea disciplinæ parte, quæ ad pœnitentiam pertinet, ne simul nimis multa complectatur. Hoc ergo potissimum consilium, quod est instar animæ totius cœpti, ad examen revocabo, atque aggrediar in hoc capite; in quo ostendam merum esse spectrum, ac phantasma nocturnum, simile somniis, in quibus phantasia partes variarum specierum cogit in unum, iisque conflat monstra constantia partibus, quæ revera simul esse nequeunt. Ut illum suis armis aggrediar, hoc est enuntiationibus, quibus maxime utitur; incipiam a statu Ecclesiæ primitivæ, quam exemplar inanis reformationis sibi proposuit.

II. Vocamus *primitivam Ecclesiam* eam, quæ primis seculis floruit, et quæ, quia propior fuit origini, hoc est temporibus Christi et apostolorum, integrior, ac minus corrupta fuisse censetur. Sic partes arboris propiores radicibus majorem copiam succi, et qui magis eas nutrit, ex iis trahunt, quam altiores, quæ a radicibus distant. Ideo ea Ecclesiæ distinctio adinventa est, solemusque confugere ad primitivam, quasi ad prototypum; quod mutationem afferat moribus et disciplinæ longa annorum series, qua res humanæ in pejus sublabuntur. Quod spectat ad fidem et doctrinam, nulla nobis controversia est, nisi cum hæreticis, qui contendunt, mutationem in deterius æque contingere fidei Ecclesiæ, quam moribus singulorum hominum, quibus constat. Substantia fidei, et fundamentalia ejus capita, semper quidem eadem fuerunt in Ecclesia, atque in cognitione ac professione distincta et explicita fidelium. Verum non minus certum est, in intelligentia ac declaratione mysteriorum nostræ religionis, extensioneque formali fidei, insigne Ecclesiæ accessisse augmentum; quia mirum in modum excultum est studium Scripturarum, sustentatum cognitione aliarum disciplinarum, quæ una conjunctæ sunt, et præsertim linguarum, quas Hieronymus et Augustinus summopere utiles, imo et necessarias judicarunt, ad penetrandam sacrarum litterarum sententiam.

III. Hanc in rem multum contulerunt hæreses, quæ catholicos exercitos habuerunt, fueruntque mirus stimulus, quo adducti sunt ad investiganda, ac dilucidanda sacra mysteria. « Multa quippe, ut habet S. Augustinus [1], ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur; et ab adversario mota quæstio discendi existit occasio. » Idem alibi [2], « Si, *inquit*, doctrina ecclesiastica simplex esset, et nullis extrinsecus dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara et tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentem obsidet impugnatio, ut fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. »

IV. Hinc fit, ut multa dogmata fidei catholicæ, quæ antea non erant satis nota, et de quibus vix ullus erat sermo, clariora facta sint, et melius demonstrata seculis sequentibus, imo vero et postremis hisce temporibus, quam in Ecclesia primitiva. Qua in re Ecclesia crescit, augetque lumina sua; ut sol lucidior fulget prout ad meridianum ascendit, donec eo pervenerit.

Testimonii vero et auctoritatis Ecclesiæ primitivæ hic est effectus, quod fulciant dogmata catholica, confirmentque fidem nostram, dum ostendunt, quæ fuerit prisca traditio. Sic instrumenta, quibus continetur jus, aut acquisitio prædiorum, quo antiquiora sunt, et magis authentica, eo magis confirmant possessionem eorum, qui ea prædia obtinent.

Utimur etiam exemplis, monumentisque antiquæ Ecclesiæ ad confirmanda ethica dogmata, eaque immutabilia; quæ magis splenduerunt in vita, et moribus primorum Christianorum, qui in aurea ætate Ecclesiæ vixere;

[1] Aug. 16. de C. D. c. 2.

[2] Serm. 98. de Temp.

qua tot floruerunt sancti atque incomparabiles viri, quales erant apostoli ac discipuli Christi, eorumque successores viri apostolici, quorum dicta et facta lex ac norma posteris fuere.

V. Sunt præterea consuetudines, quæ potius sunt cæremoniales, quam morales, eæque duum generum. Sunt quædam essentiales administrationi Sacramentorum, cum qua sunt necessario conjunctæ, adeoque institutionis divinæ. Aliæ additæ sunt auctoritate Ecclesiæ, ejusve pastorum, ornatus et decori causa, aut quasi utiles prioribus, aut moribus etiam formandis. Prius genus cæremoniarum est immutabile, quamobrem ad id defendendum, ac confirmandum contra hæreticos merito utimur exemplis, ac moribus Ecclesiæ primitivæ, quam a se magni fieri fingunt.

VI. Verum, quod attinet ad alias, quæ sunt natura sua indifferentes, pendentque ex arbitrio Ecclesiæ, obnoxiæ sunt mutationibus et possunt abrogari, ut in superioribus capitibus copiose ostendimus. Itaque usus atque exemplum Ecclesiæ primitivæ non est satis firmum argumentum, quo quis ostendat eas esse servandas aut revocandas, si forte obsoleverint; quia ejusmodi consuetudines variæ sunt, pro temporibus et circumstantiis, ob quas alia statuuntur, quam quæ primum, cum instituerentur, decreta fuerant.

Attamen eas veneramur, quasi reliquias quasdam sacræ antiquitatis, testimoniaque religionis, ac virtutis, quæ in umbris illis cæremonialibus micant, quamvis nunc sint prorsus obsoletæ.

VII. Possumus huc referre varias priscas ejusmodi consuetudines, quæ insignis sanctitatis, virtutisque omnibus numeris absolutæ signa sunt, cum qua erant in primitiva Ecclesia conjunctæ; at quæ nunc restitui non debent, nec possent sine magno scandalo, quod cum reipublicæ, tum etiam Ecclesiæ noceret.

Sumamus, exempli causa, consuetudinem, quæ erat olim inter fideles, et quæ diu viguit, ut se invicem oscularentur, dum sancta mysteria celebrabantur; quam consuetudinem, præter Paulum, qui ejus obiter meminit, obtinuisse nos docent Clemens Alexandrinus [1], Tertullianus [2], et multi alii Patres.

Hæc sine dubio signa erant charitatis minime fucatæ, amorisque mutui, quo se invicem prosequebantur. Attamen nemo est vir sapiens ac consideratus, qui censuerit, eam consuetudinem instaurandam, eamque non judicarit noxiam ac exitialem conditioni præsenti Christianorum.

VIII. Idem dici queat de alia consuetudine primorum Christianorum, quæ vigebat etiamnum temporibus SS. Basilii [3] et Ambrosii [4], auferendi, nempe, Sacramenti extra ecclesiam, servandique in ædibus, ut sumi posset, cum videretur. Quod hodie fieri non posset sine sacrilegio et irreverentia; nec quisquam est sani sincipitis, qui auctor esse queat instaurandi ejus moris, quamvis tamdiu in Ecclesia primitiva servatus fuerit. Idem dixerim de eo, quod fiebat ex lege, et consuetudine in electione episcoporum et cleri, consensu populi; deque communione sub utraque specie, et aliis similibus consuetudinibus, de quibus antea egi. Nemo quidem eas consuetudines reprehendit in prisca Ecclesia, nec tamen quispiam censeat esse revocandas, nisi qui de suo ipsius judicio nimis magnifice sentiat, aut a catholicis dogmatibus dissideat.

IX. Nunc ad seriem orationis nostræ revertamur, et præstemus promissum nostrum de ostendendo Arnaldum ipsum non intelligere, quid dicat, neque quid postulet, cum loquitur de restitutione priscæ pœnitentiæ, ut hodierna Ecclesia ad primitivæ exemplar refingatur. Primum ab eo quæramus, cur, cum aggressus sit reformare pœnitentiam vulgo nunc receptam, et præparationem, quæ ad communionem satis esse censetur, ad id exemplar non consentiat cum aliis, in constituenda primitivæ Ecclesiæ ætate. Nemo enim aut Catholicus, aut hæreticus eo nomine non intelligit Ecclesiam, quæ ab apostolis cœpit, et quæ minimum usque ad seculum quartum porrigitur.

X. Cur ergo coercuit Ecclesiam primitivam intra tam breve spatium, ut non ultra 60. annos extendatur? Quo jure contendit instituendam reformationem ad formam disciplinæ, quæ vigebat temporibus SS. Basilii, Ambrosii et Augustini, non vero superioribus ætatibus, usque ad ipsam originem Ecclesiæ, aut quam proxime ad eam fieri poterit? Non est credibile Ecclesiam perfectiorem fuisse, disciplinaque et moribus florentiorem ab anno Christi 370. ad annum 430. quam 70. annis quarti seculi qui antecesserunt episcopatum S. Basilii, aut etiam per tota secula tertium, secundum, et primum.

Imo vero facile ostendere possumus, corru-

[1] Pæd. l. 3. c. 11. — [2] Lib. de Orat.

[3] Basil. Ep. 289. — [4] Amb. de ob. Sac.

ptionem majorem fuisse, et disciplinam remissiorem tempore trium illorum luminum Ecclesiæ, quam antea. Legendum est duntaxat, quod primus trium scripsit capite ultimo libri de Spiritu sancto, ubi copiose et ad vivum pingit conditionem Ecclesiæ illius ævi.

XI. Illic videre licet, quasi in tabula, quam fœda esset ejus facies, et quot ac quanta vitia grassarentur inter omnes ordines, ac præsertim in ecclesiastico. Legatur etiam, quod de eo seculo scripsit Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua. Profecto hinc liquebit Ecclesiam ejus ævi, quam habet Arnaldus absolutissimum exemplar, cujus lineamenta vult imitari, atque ad ea suam reformationem fingere, non fuisse formosiorem, aut elegantiorem Ecclesia anteriorum ætatum; neque dignam esse, quæ ei præferatur, ubi eligendus est canon absolutus, ad quem exigenda sit Ecclesia hodierna et restituenda disciplina, etiam ad pœnitentiam publicam quod attinet. Si verba ipsius attendamus, contraria deprehendentur ejus consiliis, quæ et varia, et pugnantia sunt.

XII. Nonne scripsit, in Præfatione, « Ecclesiam degenerem semper fore a primæva puritate, prout ad finem mundi accedet? Unde manifeste sequitur, Ecclesiam tempore trium illorum sanctorum virorum Basilii, Ambrosii et Augustini, minus puram fuisse, quam antecedentibus seculis. Præterea scribit in eadem præfatione [1], « Revocandos esse Christianos ad normam Evangelii et Scripturæ dilucidatæ, atque explicatæ a Patribus, et Conciliis antecedentibus. » Quare ergo amovet hinc primum seculum, quod nobis dedit Evangelium ipsum, et Scripturam cum interpretatione viva apostolorum, qui primitivæ illius Ecclesiæ magistri primitivi fuerunt? « Fuerunt, ut ibidem scribit [2], evangelistæ vitæ ac disciplinæ Jesu Christi; et sancti viri, qui postea vixere, fuerunt veluti evangelistæ disciplinæ apostolorum. » Quod dicit ex occasione pœnitentiæ publicæ, quam instaurari vult; quamobrem eam confirmare nititur exemplo, atque usu temporum apostolicorum.

[1] Fol. aaaa. — [2] Fol. ooo.

XIII. Imprudenter ergo agit, qui quasi exemplar ad nos affert apographum, cum posset nobis præbere prototypum; et qui ad extrema tempora delabitur Ecclesiæ primitivæ, cum posset eam in summo perfectionis apice deligere. Imitatus est insanum pictorem, qui, cum aggressus esset pingere vultum mulieris forma præstantis, ut posteris relinqueret æternum admirationis argumentum, expectaret donec ætate provecta esset, quo tempore pulchritudinis ejus flos emarcuisset.

Nec quidquam juvat dicere, id tempus primitivæ Ecclesiæ electum [3], « quia pauca nobis supersunt scripta trium primorum seculorum, propter persecutionemm, quæ per ea tempora exarsit, et cujus angustiis, ut ait Hieronymus, de divinis Scripturis nequaquam disseruit Cyprianus, qui a Deo electus fuit, ut pœnitentiam tueretur. » Hæc in ejus præfatione verba leguntur, in quibus duo insignia peccata deprehendo, quorum alterum repugnantia est, alterum error.

XIV. Repugnantia in eo sita est, quod fateatur, *Cyprianum electum fuisse a Deo, ut tueretur pœnitentiam;* quod non potuit rescire, nisi ex ejus martyris scriptis. Ac proinde oportet, satis scripsisse eum de pœnitentia, ut eo elogio dignus esset; sicut revera fecit, et in epistolis, et in libro de Lapsis. Igitur frustra ad defendendum id, quod fecit, cum pœnitentiæ exemplar sumi voluit ex fine quarti seculi, rejecto tertio, ait antea paucos fuisse scriptores, qui de pœnitentia egerint, et pauca extare Cypriani scripta.

At sat multa reliquit ad confutandum errorem Arnaldi, quod secundum caput in ejus oratione a me notatum est. Is autem error non facile ignoscetur homini, qui aggressus est agere de pœnitentia, et qui, cum vellet docere totam societatem fidelium rationem, qua in usum revocari queat, debuit antea ipse rem perspectam habere; non vero ignorare, quod plane necessarium est ad ejus naturam penitus intelligendam, persuadendumque aliis cum majore fiducia et cognitione eam esse amplectendam.

[3] Præfat. fol iii.

CAPUT OCTAVUM.

Error Arnaldi de tempore pœnitentiæ publicæ. Quinam ei leges tulerint. De canonibus ad eam pertinentibus. Eum nescire, quid petat, et male ab eo definitum tempus primitivæ Ecclesiæ. Pœnitentiam, qualis nunc viget, esse magis consentaneam temporibus apostolicis, quam pœnitentiam, quam inducere vellet Arnaldus. Tunc temporis homines neque in perpetuum, neque in longum tempus communione exclusos fuisse. Quod confirmatur aliquot exemplis.

I. Ait Arnaldus sese tempus, ex quo licet formam Ecclesiæ primitivæ petere, coercuisse intra ætatem trium illorum sanctorum episcoporum ; quia antea Christiani non multum scribebant, paucique ad nos pervenerunt libri, ex quibus satis possimus colligere consuetudines eorum temporum.

Hoc vero quisquis versatus erit in antiquitatibus ecclesiasticis, et in cognitione pœnitentiæ publicæ, nunquam concedet. Constat enim id pœnitentiæ genus non tantum ortum suum debere, sed et progressum ac perfectionem seculo tertio et maximæ parti quarti ; eamque ad summam perfectionem pervenisse ante annum 370. quo episcopus factus est Basilius ; ac præterea plura scripta hac de re edita fuisse primis illis temporibus, quam post annum, a quo Arnaldus primitivæ suæ Ecclesiæ ætatem orditur.

II. Contendo pœnitentiæ jam fuisse integram suam formam, ac perfectionem, et plerosque canones Conciliorum, qui ejus usum cum omnibus circumstantiis constituerunt, quam maxime viguisse. Itaque tantum abest, ut disciplina primitivæ Ecclesiæ de pœnitentia publica perfectior fuerit, et ordinatior tempore SS. Basilii, Ambrosii, et Augustini, quam antea ; ut contra jam cœperit pristinum rigorem remittere. Quin etiam prorsus fuit abrogata in parte Ecclesiæ, ut ostendemus suo loco, hoc est, in Constantinopolitana, et multis aliis Ecclesiis Orientis eam secutis, quarum nempe primatum sibi abrogare cœperat. Quis ergo ausit dicere, ante S. Basilium paucos fuisse scriptores, qui egerint de pœnitentia publica ? An quisquam ignorat, quod Tertullianus de ea scripsit, et post eum S. Cyprianus, qui tertio seculo florebant ?

III. Ad canones quod attinet, annon habemus eos, quos reliquit S. Gregorius Neocæsariensis episcopus, cognomine thaumaturgus, qui eodem seculo vixit ? Primos perspicue descripsit quatuor gradus pœnitentiæ publicæ, et eum præsertim, qui dicitur προσκλαυσις, et qui primus erat. Nonnulli supersunt canones S. Dionysii Alexandrini æqualis S. Gregorii ; et alii S. Petri ejusdem urbis episcopi, qui martyrium passus est initio 4. seculi, sub tyranno Maximino.

Sed maximus pœnitentiæ publicæ vigor fuit initio 4. seculi paulo ante, aut paulo post concilium Nicænum ; cum post persecutiones, et infelicem mortem ultimi tyrannorum, qui oppugnaverant Christianos, Ecclesia sese recolligere cœpit, ac tabulas naufragii conquirere. Tunc temporis convocata sunt multa concilia provincialia, variis in provinciis, in quibus actum est de ratione reconciliandi eos qui, quia in persecutione lapsi fuerant, ex corpore Ecclesiæ fuerant exclusi.

IV. Propterea ingens illa multitudo canonum constituta est, quæ collecta una cum Nicænis, canonibusque sequentium Conciliorum, conflarunt vetus Corpus juris canonici, quo diu Ecclesia usa est ; et quod fuit instar normæ in omnibus cœtibus, decretisque synodalibus, et præsertim quidem in eo, quod pertinet ad usum pœnitentiæ publicæ ; quam semper posteriora secula conata sunt exigere ad veterem formam, quæ extat in canonibus pœnitentialibus, qui partem ejus Corporis conflabant, et collecti fuerant ex synodis coactis initio 4. seculi. Ejusmodi fuere synodi Nicæna, Ancyrana, Neocæsariensis, Gangrensis, Laodicena, Antiochena ; quæ omnes coactæ sunt ante initium fictitiæ Arnaldi Ecclesiæ primitivæ.

Annon ergo satis fuisset, a reformatoribus nostris exemplar pœnitentiæ publicæ in tertio seculo quæsitum fuisse, et in initio quarti, quo tempore maxime viguit, quam in ætate Ecclesiæ provectiore, cum inciperet collabi, et pristinum rigorem remittere ?

V. Hic manifesto se prodit veritas ejus, quod dixi, dum loquerer de novo intromittendæ pœnitentiæ publicæ consilio ; eos nimirum, qui id ceperunt, non posse animo concipere, aut verbis exprimere quid postulent, et quo spectent, nisi evertant fundamenta, quibus suum consilium inædificarunt. Si enim, ut

statuunt, remitti nequeat disciplina sine *licentia, corruptioneque ac prolapsione morum*, præsertim in hoc negotio; Ecclesiaque ideo, cum a primæva puritate desciverit, indigeat reformatione illa pœnitentiali; æque necessario sequitur, quoniam primitiva Ecclesia, quam coercet Arnaldus intra annos 370. et 430. multum remiserat de pristina perfectione pœnitentiæ, immutatam eam fuisse, ac corruptam in moribus. Itaque velle Ecclesiam hodiernam, usumque nunc receptum pœnitentiæ exigere ad exemplar primitivæ per illos sexaginta annos; id demum erit mederi corruptioni morum alia corruptione, cum posset absolutius curari, si ad superiora tempora ascenderemus, ut ad Ecclesiam antiquiorem nos componeremus.

VI. Sed quamvis vellent ii, quibuscum nobis res est, hoc, quod dixi, amplecti, ut cederent ponderi ratiocinationis, qua ad maximas angustias rediguntur, pœnitentiamque exigere ad canones Nicænos, aliarumque synodorum provincialium, quæ constituerunt formam ejus postea receptam; semper in similia incommoda delaberentur, et verbis suis caperentur. Idem enim illis objicietur, quare hic constiterint, nec potius elegerint formam pœnitentiæ publicæ, qualis obtinebat sexaginta, aut septuaginta annis antequam illæ synodi cogerentur; quo tempore S. Cyprianus scribebat eximios illos libros, in quibus tam diserte et tam copiose explicuit πολιτείαν, quæ observabatur, et quæ sine dubio multo severior erat, quam tempore synodi Nicænæ, ut antea ostendimus.

VII. Cum vero eos coegerimus sese componere ad tempus S. Cypriani, eos iterum urgebimus, et rejiciemus ad ætatem Tertulliani vi ejusdem argumenti. Tum vero cogentur pristinam hancce severitatem instaurare, atque in perpetuum excommunicare quosdam peccatores, ut adulteros, homicidas, apostatas, qui a Christianismo defecerint, ita ut nunquam possint delictorum impetrare veniam ac communionem, quamvis essent morti proximi, ut nonnulli putarunt, aut saltem dum vivunt, ut alii censent. Quare non potius imitentur hunc usum, qui minus affinis est licentiæ et corruptioni morum, quam remissio postea intromissa? Si finis hujusce novæ reformationis eo spectat [1], « ut in posterum imponantur pœnitentibus satisfactiones consentaneæ gravitati peccatorum, prout jussit concilium Tridentinum; » cum peccata hæc sint usque adeo enormia, non sunt digna minore pœnitentia, quam quæ tunc eis imponebatur.

VIII. Sed quamvis ascendissent usque ad finem secundi seculi, similia iis objiceremus, contenderemusque tutius esse et sanctius disciplinam ecclesiasticam ad eam componere, quæ viguit seculo et tempore apostolorum, quo nondum fuit ulla licentia, nec corruptio morum irrepserat. Quis non malit Ecclesiæ colorem illum eximium, ac rubore decoro placentem redire, eamque primævam valetudinem, viresque integras recuperare; quam dimidia ex parte languere, nec prorsus valentem, nec ægrotantem, ne quid deterius dicam, quod possim etiam affirmare de tertio seculo? Sed aliquantum in primo consistamus, quandoquidem altius ascendere non possumus, nisi velimus regredi ad ideam, quam a tota æternitate Deus in essentia sua complexus est. Quod cum fieri nequeat, adigemus reformatores nostros ad fatendum, satius esse relinquere usum pœnitentiæ, qualis nunc est per totam Ecclesiam, ut fideles sese ad communionem præparent; quam iis imponere nescio quod pœnitentiæ genus, quod describere non possunt.

IX. Rem sic probamus ex ipsis eorum principiis, rationeque divina et humana. Si enim optandum est, revocari posse Ecclesiam ad priscas consuetudines, ut quam perfectissima sit; si ratio suadeat, eam esse proinde componendam ad exemplar apostolorum et primi seculi, aut eorum qui proxime iis successerunt potius, quam ad normam tertii aut quarti, vel sequentium; si denique probare possimus, usum pœnitentiæ et præparationis ad accipiendum S. Sacramentum, qui nunc obtinet in Ecclesia, similiorem esse usui temporum apostolicorum aliis, et præsertim eo quem usque adeo urgent reformatores nostri: liquebit nihil esse novandum, sed servandam receptam consuetudinem, ut omnium optimam.

X. Nostrum autem morem propiorem esse mori apostolorum et duorum primorum seculorum, quam alii qui secuti sunt, id vero manifesto eorum collatione demonstrabimus. Mos hodiernus confirmatus auctoritate synodi Tridentinæ, præparandi se ita, ut possimus digne participes fieri Sacramenti, situs est in abjiciendis peccatis mortalibus, si iis laboremus, ope confessionis sacramentalis, præter contritionem. Quod satis est peccatis non

[1] Part. 2. c. 22. pag. 473.

nimis gravibus. Sed quod attinet ad sceleră enormia, quæ plecti solent excommunicatione, vel alia censura, præter confessionem; oportet ut delinquentes expientur humilibus, et satisfactoriis operibus, quæ palam fiant, et omnibus spectantibus, adeoque ut ante aut post confessionem differant aliquandiu communionem, donec Ecclesiæ prorsus satisfecerint.

Præterea concilium Tridentinum jubet [1], peccatis publicis et scandalosis imponi pœnitentiam publicam; quod tamen permittit prudentiæ episcopi. Præterea usus obtinet, ut nulli peccato unquam negetur pœnitentia, aut absolutio, si modo delinquens sese subjiciat legibus, et satisfactioni præscriptæ ab Ecclesia; quamvis exsecutio interdum differatur pro ratione delicti, et conditione pœnitentis.

XI. Hoc observatum est a primitiva Ecclesia primo seculo, et maxima parte secundi, non tertio, aut quarto. Nam, ad primum quod attinet, constat nullam aliam fuisse legem de pœnitentia, et præparatione ad S. sacramentum Altaris, præter eam, quam tulit Apostolus, et quam habet in epistolis.

Præparatio autem necessaria ad communicandum sine peccato describitur hisce verbis prioris ad Corinthios [2]: *Probet seipsum homo.* Quæ Ecclesia cum primitiva, tum hodierna, semper ita interpretata est, ut probatio, quam postulat Apostolus, in eo sita sit, « Ut nemo, qui sibi conscius est peccati mortalis, quamvis credat se habere contritionem, accipiat S. Eucharistiam, nisi prius sacramentalem confessionem subierit. » Ita censuit concilium Tridentinum, quod ostendit etiam tempore Apostoli solam confessionem sacramentalem veram, et legitimam, esse sufficientem dispositionem, ut quis digne communicet; dilationem vero, quam nostri reformatores vellent quasi ordinariam intromittere, et ad omnia peccata mortalia, parum fuisse usitatam, nec creditam fuisse necessariam ita, ut ejus omissio abusus ac licentia haberi non possit.

XII. Quod attinet vero ad peccata enormia et scandalosa, idem Apostolus [3] nos docet rationem pœnitentiæ, quæ iis imponebatur, exemplo memorabili hominis incesti, qui novercam duxerat. Hunc enim lata sententia excommunicat, ac resecat a corpore Ecclesiæ; minime contentus pœnitentia solita ad casum tam atrocem, sed jubens satisfactionem esse publicam et conspicuam. Attamen cum rescivisset delinquentem ad meliorem frugem rediisse, et signa edidisse animi vere contriti, ei ignovit, jussitque illico ad communionem Ecclesiæ restitui [4]. Unde liquet nondum fuisse consuetudinem receptam negandæ communionis et absolutionis in quibusdam sceleribus, qualis fuit tempore Tertulliani, præsertim in adulterio; quandoquidem Apostolus ea severitate non est usus in hominem incestum, qui deterior erat adultero, cum ejus peccatum usque adeo fœdum atque horrendum esset, ut ne gentiles quidem auderent id nominare, ut habent græca verba.

XIII. Probe observandum, Ecclesiam catholicam uti solitam eo loco et auctoritate Apostoli ad confutandam hæresim Montanistarum, vel Cataphrygum, ad quam accessit Tertullianus, et postea Novatiani. Hi omnes negabant Ecclesiam posse ignoscere peccatis, aut concedere absolutionem delinquentibus, saltem in delictis gravioribus, qualia sunt adulterium, homicidium et apostasia. Quamobrem Tertullianus [5] utitur omnibus ingenii nervis, ut vim eludat loci apostolici, quem Catholici proferebant contra ejus errorem. Hunc locum multis tractat, atque in partes omnes versat, ut vim ejus declinet. Eodem loco utuntur SS. Pacianus [6] et Ambrosius [7] ad oppugnandos Novatianos. Quæ profero, ut liqueat, in administratione pœnitentiæ, consuetudinem hodie receptam similiorem esse usui primi seculi, quam institutis tertii et quarti, et præsertim pauculorum illorum annorum, intra quos *pœnitentiarii* nostri coercent Ecclesiam primitivam, quam suæ reformationis exemplar sibi proposuerunt.

XIV. Quamvis enim tempore S. Augustini Ecclesia multum remisisset de rigore seculi tertii; attamen pars aliqua ejus severitatis remanserat, quatenus postquam semel quispiam, delicti causa, pœnitentiam publicam subierat, si iterum peccaret, nunquam postea ad communionem et absolutionem recipiebatur, ut jam antea observavimus.

Quod non videtur fuisse in usu primo seculo, neque etiam per maximam partem secundi. Constat hoc exemplo hæreticorum Marcionis et Valentini, quod habet Tertullianus, cujus sunt hæc verba [8]: « Constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere prin-

[1] Sess. 14. de Refor. c. 8.— [2] 1. Cor. 11. 28.— [3] 1. Cor. 5. — [4] 2. Cor. 2. — [5] De Pudic. c. 5.

[6] In exhort. ad Pœn. — [7] Lib. 1. de Pœn. c. 12. et seq.— [8] Lib. de Præsc. c. 30.

cipatu, et in catholicam primo doctrinam credidisse, apud Ecclesiam Romanensem, donec sub episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel et iterum ejecti, etc. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros quoque, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est. »

XV. Insigne est hoc exemplum, quod ex eo discere liceat, quæ esset forma pœnitentiæ illo ævo, ostendatque tunc temporis nondum ullum delictum fuisse exceptum, neque iteratum peccatum, quemadmodum paulo post; sed potuisse delinquentes promiscue ad communionem Ecclesiæ restitui pœnitentia, quamvis plus semel eam subiissent delinquentes. Est et alterum exemplum apud Irenæum, quo hoc confirmatur. Prodidit enim lib. 3. c. 4. hæresiarcham Cerdonem plus semel pœnitentiæ ope rediisse ad communionem Ecclesiæ.

Præter hæc tria, historia ecclesiastica nobis suppeditat egregium exemplum, ex quo nobis constat temporibus apostolorum nullum fuisse peccatum, quod prorsus a pœnitentia, communioneque excluderet. Est exemplum adolescentis [1], quem apostolus et evangelista Joannes adductum ad fidem commendaverat episcopo cuidam Asiæ, ut educaretur in pietate. Contigit eum, absente Apostolo, postquam aliquandiu pie vixisset, et baptisma accepisset, tandem prorsus depravatum fuisse, et ad tantam nequitiam devenisse ut factus sit dux latronum, cædesque, latrocinia, et alia scelera admisisse, quæ solent admitti ab iis, qui ejusmodi vitam agunt. At Joannes cum eum adiisset, adeo hominem permovit lacrymis, adhortationibus, et precibus conjunctis cum summa illa charitate, qua ardebat, ut eum ad saniorem mentem reduxerit. Denique cum multos dies in precibus et jejuniis egisset, ut a Deo impetraret salutem pœnitentis, eum Ecclesiæ, communionique fidelium restituit, ac ita erudivit, ut in magnum Dei servum evaserit.

XVI. Hinc intelligimus Ecclesiam tunc temporis ulnis excepisse peccatores quosvis ad pœnitentiam, deinde ad communionem, si modo priorem subire vellent, sine ullo peccatorum discrimine, quemadmodum paulo ante Tertulliani ætatem. Si enim consuetudo illa in perpetuum excommunicandi propter certa peccata, sine ulla spe absolutionis, tunc viguisset, credibile est Joannem lege adolescentem illum minime fuisse soluturum, quam ipse tulerat, cum vetaret Deum orare pro homine, qui admisisset *peccatum ad mortem*.

Quod potest verisimiliter intelligi de gravioribus sceleribus, qualis est cædes, qua manus suas polluerat adolescens, ut jam observavimus. Igitur si sententia Joannis, qui vetat etiam pro ejusmodi peccatoribus Deum orari, fuisset absoluta, et sine ulla exceptione, quemadmodum censebatur tempore Tertulliani, eam ipse non esset transgressus. Sed nondum eo devenerant Christiani; et verborum Joannis hic est sensus : nullas esse fundendas publice preces pro iis, qui rei sunt enormium ejusmodi scelerum, et qui ideo sunt Ecclesia expulsi; addita tamen hac cautione, eos ita habendos, dum sunt excommunicati, et donec pœnitentiæ ope restituti sint.

XVII. Ut finem huic disputationi imponamus, manifestum est formam pœnitentiæ, qua nunc Ecclesia utitur, similiorem esse consuetudini Ecclesiæ vere primitivæ, seu primi seculi, quam ceteras omnes, quæ postea invaluerunt, atque a SS. episcopis disertis canonibus institutæ sunt, majore aut minore adhibita severitate pro conditione temporum, et indole eorum, qui ejusmodi remediis indigebant.

Igitur quemadmodum est nimia temeritas privatis hominibus aggredi tantas et tam subitas mutationes facere in regimine Ecclesiæ; sic pravum esset consilium eorum, qui, cum possent exemplar sibi sumere Ecclesiam, cum perfectissima fuit, oculos conjicerent in minus perfectum exemplar. Puto autem me satis superque probasse, quod in hoc capite demonstrandum susceperam; si acciperemus, quod nobis offerunt novi hi pœnitentiarii, et per nos liceret iis restituere usum pœnitentiæ publicæ, vix dicturos ipsos quid sibi velint, atque instar ædificatorum turris Babelis abituros, pudore suffusos, quod se ipsi non intellexissent.

[1] Euseb. Lib. 3. Hist. c. 23. ex Clem. Alex.

CAPUT NONUM.

De varietate Arnaldi in institutione Pœnitentiæ. Jugiter eum queri ob pœnitentiæ remissionem. Descriptio publicæ pœnitentiæ, secundum Tertullianum, quam nobis Arnaldus promiserat. Idem negat illum usum fuisse abrogatum, deinde retractat, quod dixit. Cum simulasset, se velle restituere illam pœnitentiam, ei aliam substituit, quæ vetus non est.

I. Quod modo diximus de anxietate novorum *pœnitentiariorum*, cum describenda est pœnitentiæ publicæ forma, magis ex hoc capite liquebit, in quo ostendemus inquietam mobilitatem animorum illorum semper fluctuantium. Similes sunt mulieribus parturientibus, sed quæ parere non possunt. *Venerunt filii*, ait Propheta [1], *usque ad partum, et virtus non est pariendi.* Idem contigit hisce hominibus, qui reformationem usque adeo exoptant. Videntur nihil antiquius habere prisca severitate pœnitentiæ publicæ, hoc solum optare, atque quibuscumque possunt artibus promovere.

II. Hisce votis resonat totum opus Arnaldi, singulisque ferme paginis occurrunt voces, *Pœnitentia*, *Antiquitas*, *Traditio*, *Canones*, *Ecclesia primitiva.* Ubi queritur, *disciplinam esse remissam*, *corruptos*, *collapsosque mores* Christianorum; quia corruptus est, imo vero sublatus veræ pœnitentiæ usus, quam suo opere restituere se posse putat. Qui legunt vel audiunt ejusmodi sublimes sermones, quid possunt judicare de hoc novo consilio, nisi id eo spectare, ut omnino mutetur disciplina ecclesiastica; ut instauretur universa veterum severitas; ut omnia impleantur ciliciis, cineribus, jejuniis, lacrymis, aliisque corporis et animi σκληραγωγίαις; ut catervatim cogantur pœnitentes, quorum alii collocentur ad valvas ecclesiarum, ut procidant ad pedes eorum, qui ingredientur; alii intromittantur certis horis in mediam ecclesiam, ut illic prosternantur, dum episcopus et clerus iis imponent manus, et preces recitabunt, ac paulo post ignominiose ejiciantur ecclesia, antequam sacra mysteria celebrentur; ut vetentur illis convivia, choreæ, ludi, delectationes omnes et voluptates vitæ : uno verbo, ut omnis generis σκληραγωγίαις pœnitentibus imponat, idque non in sex menses tantum, aut in annum, vel duos aut tres, sed in septennium, decennium, vicennium, et aliquando in totam vitam.

III. Quis hæc non expectet ex magnificis promissis, consiliisque? In hisce enim proprie sita erat pœnitentia publica, quæ erat, ut eam definiit Tertullianus, *humilificandi hominis disciplina.* Cujus verba digna sunt, quæ subjiciantur [2]: « Itaque, *inquit*, exhomologesis prosternendi, et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem; de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animam mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare; ceterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa; plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. »

IV. Hoc modo pœnitentes debebant publice Ecclesiæ satisfacere, ut expiarent peccata. Hoc instituerunt veteres canones, hoc SS. Patres docuerunt, hoc primitiva Ecclesia diu observavit, etiam temporibus SS. Basilii, Ambrosii, et Augustini, ut testatur Sozomenus, qui vivebat circa tempora S. Augustini; ubi narrat, qua ratione aboleverit Nectarius Constantinopoli pœnitentiam publicam, quam suo tempore Romæ obtinuisse ait. Hinc sumpta occasione ejus describendæ, narrat omnes circumstantias, quas Tertullianus allatis verbis complexus est, et quæ confirmantur narratione multorum scriptorum veterum, et recentiorum.

Cum autem *pœnitentiam publicam veteris Ecclesiæ* non aliter animo concipiamus, quando hæc verba aures nostras verberant, legentes in libro de frequente Communione magnifica promissa auctoris profitentis, potissimum suum consilium esse, ut det operam instaurationi disciplinæ ecclesiasticæ in eo, quod pertinet ad pœnitentiam publicam; quid aliud sperare possumus, nisi quod ea verba

[1] Isa. 7. 33.

[2] De Pœnit. c. 9.

propria, et nativa significatione animo nostro objiciunt?

V. Arnaldus profitetur [1], sibi animum esse « defendere doctrinam tam sanctam, tam confirmatam ab universa antiquitate, quem videbat indigne haberi, » in scripto Anonymi, quem confutare aggressus est. Quandoquidem « optima regula, quam sequi debemus ne in quæstione de frequente communione fallamur, est ut consideremus, quid sit consentaneum antiquitati, traditionibus sanctorum, et veteribus consuetudinibus Ecclesiæ, » quod non diffitebatur auctor scripti; nihil aliud supererat ipsi faciendum, « nisi ut simpliciter proponeret, quid nos doceant Patres hac de re. » Addit [2], « Quamvis ratio pœnitentiæ, quæ nunc est in usu inter fideles, differat a pœnitentia antiquæ Ecclesiæ, attamen damnari non potest, sed contra venerationi esse debet, quasi sanctissima, quæ confirmata est ab universa antiquitate, usu duodecim aut plurium seculorum, doctrina omnium Patrum, canonibus omnium Conciliorum, quæ aliquid de pœnitentia statuerunt, nec unquam damnata est, aut rejecta ullo seculo, ullo concilio, aut ullo decreto; omnibus consentientibus e contrario ad ejus observationem urgendam, quando negligebatur; ad eam conservandam, dum vigebat; et ad restituendam, postquam obsolevit. »

VI. Digna sunt consideratu hæc verba Arnaldi, quibus negat pœnitentiam, quam tuetur, et quæ totius fuit antiquitatis suffragio stabilita, unquam fuisse abrogatam; sed nos etiamnum teneri ejus legibus, quandoquidem omnia Concilia in ejus conservationem, ac restitutionem consenserunt.

Hinc hoc nascitur necessarium consectarium, omnes peccatores hodie æque, ac olim in Ecclesia primitiva teneri lege, qua jubentur pœnitentiam publice agere, et abstinere a communione, donec ea defuncti fuerint. Attamen in eadem pagina fatetur, *rationem pœnitentiæ, quæ nunc est in usu inter fideles, differre a pœnitentia antiquæ Ecclesiæ.* Quod verum esse nequit, nisi omnes fideles torpeant in statu peccati mortalis, et damnationis, ac proinde et totum Ecclesiæ corpus; quia nullum habet, nec sequitur usum pœnitentiæ, nisi sacramentalis. Quamobrem est in statu manifesto inobedientiæ, corruptioneque damnanda; cum perfringat legem, cujus vis, et auctoritas etiamnum viget nunquam abrogata. Quod est non modo falsum ac ridiculum, sed etiam contrarium iis, quæ alibi habet Arnaldus [3]; ubi negat, quemquam lege pœnitentiæ publicæ amplius teneri, aut a se ad eam adigi.

VII. Quidquid id est, Arnaldi animus est revocare pœnitentiam illam, qualem Patres, canones, atque antiquitas eam præscripserunt. Ait se defendere eos [4] « qui, ut se pararent ad excipiendum filium Dei, vellent sequi usum confirmatum ab universa antiquitate et traditione Ecclesiæ. » Acriter castigat scriptum Anonymi, quod hominibus suadeat, « deserendam auctoritatem Patrum, ubi agitur de affectione animi, qua accedere ad Sacramentum debemus. » Ait mirum esse, « a nobis adhiberi testimonia SS. Patrum, ut veritas S. Sacramenti confirmetur contra hæreticos, qui eam negant; nec tamen adhiberi ad constituendam veram dispositionem ad id sacramentum contra Catholicos, qui eam oppugnant. » Scribit, « Ut qui baptismum accipiebant, sine præparatione pœnitentiæ, quam Ecclesia imponebat, tam facile eum amisisse, quam acceperant; sic potiore jure pœnitentes, qui gratiam baptismi jam amiserunt. »

VIII. Addit præterea, « Non opus fore particulatim illa omnia expendere, si viveremus in simplicitate fidei, conantes duntaxat sequi id, quod Ecclesia in traditione præscripsit, quod fecit per duodecim secula, quod sequentibus seculis in nonnullis occasionibus observari voluit, et magno studio nobis commendavit: quippe quod omnium vehementissime cupit, et quod servat semper, si spectemus ejus amorem, atque animum Spiritus illius, qui eam agitat ac regit. » Paulo post, « Eo animo, *inquit*, ut nonnihil dirigam eos, qui regunt animos, utque innotescant leges sanctæ et ecclesiasticæ de pœnitentia, aggressus sum eam describere in hoc opere, qualem eam comperimus traditione Ecclesiæ constitutam, non tantum a Patribus et Conciliis antiquis, sed etiam nuper a concilio Tridentino, etc. »

Præterea [5] verba faciens de consilio suo imitandi Ecclesiam primitivam, monet Ecclesiam primitivam dici a se non apostolicam, sed *eam, quæ florebat tempore SS. Basilii, Ambrosii et Augustini.* « Conari autem, *inquit*, sequi Ecclesiam, in capite de pœnitentia, perinde est, ac conari instaurare disciplinam Ecclesiæ, qualis describitur in illorum Patrum scriptis. »

[1] Præf. a. — [2] Ibid. e. — [3] Præf. fol. i. — [4] Ibid. fol. c. — [5] Ibid. iii.

IX. Perpetuo laudat traditionem [1], « Nec vult aliam habere normam dogmatum catholicorum, aut sequi ratiocinationem, vel consuetudinem hominum in rebus ecclesiasticis ; sed auctoritatem divinam, cui innititur tota nostra religio. » Dicit, « Ex hac traditione judicandum de omnibus rationibus, omnibusque opinionibus veris et catholicis; omnes vero hæreticos oppugnare hanc regulam ab omnibus Catholicis defendendam. » Deinde prolato testimonio papæ Victoris, qui nullam aliam rationem reddidit excommunicationis eorum, qui non celebrabant Pascha eo die quo par erat, præter traditionem ; ostendit, ad quam traditionem spectet hæc tota narratio : « Quod judicium ergo, *inquit,* tulisset magnus ille Pontifex de iis, qui volunt errores haberi dogmata de pœnitentia, a temporibus apostolorum in Ecclesia recepta ? » Deinde habet, quod jam expendi, infallibilitatem Ecclesiæ sitam esse tantum in doctrina, at non in moribus. Laudat [2] nescio quem populum viginti quinque milliaribus Lutetia remotum, apud quem hæc consuetudo de pœnitentia publica est instaurata, et ubi abstinent vulgo a communione, nec ingrediuntur in ecclesiam, sed consistunt ad januam flentes, dum alii canunt.

X. Tandem claudit præfationem, laudibus pœnitentiæ, et vituperatione eorum, qui eam elevare conantur. Producit sanctissimos illos viros, qui factis et dictis pœnitentiam prædicarunt, vel aliquando prædicabunt, quales Elias, Enochus, S. Joannes Baptista, et S. Hieronymus.

Quando hominem audio vociferantem et extollentem pœnitentiam tanto studio, ac fervore divino, videor mihi videre priscum quempiam anachoretam, qui vestitus corio, aut aspero cilicio prodit in publicum, et in media turba concurrentis ad spectaculum populi, flebili voce in hæc verba erumpit : *Ad Deum convertimini, averruncate ejus iram, quæ in vos incensa est, vobisque imminet, nisi meliores fiatis, et pœnitentiam agite.*

XI. Igitur post tantum apparatum, post orationem tam vehementem, nisusque tam efficaces, post tonitru fragorem, quid poteramus aliud expectare, nisi ex illa nube fulmen erupturum, quod everteret omnes prolaptiones corruptionesque morum, disciplinam æquo molliorem, et languentem pœnitentiam ? Earum vero loco instauratum iri pœnitentiam masculam, et severam, quæ nihil clam ageret, sed in omnium oculos incurreret; qualem delineavimus antea, et qualem eam descripsere antiqui Patres Tertullianus, S. Cyprianus et innumeri alii, docentque canones, concilia et traditio; quæ denique sola intelligi solet nomine pœnitentiæ publicæ ?

Hanc in rem laborare debuerat Arnaldus, quasi in finem potissimum consilii sui. Debuisset ostendere, qualis fuisset pœnitentia publica, atque enumerare gradus ejus, et partes quibus constabat, multisque verbis rem persequi ; quia est ignota populo, et cujus memoria intermissione extincta est.

XII. Verum in magno illo opere, ne cogitavit quidem ea de re ; in quo oppugnavit tantum nescio quem adversarium latentem, nec usquam ad rem venit, cujus spem ac desiderium in nobis accenderat, tanto strepitu verborum et magnificis pollicitationibus. At vide, quæso, qui eodem tempore, quo tam pulchri cœpti alis, ut ita dicam, subnixus in cœlum volaturus videtur, subito cadit pudendo lapsu, atque ex aquila fit serpens, quæ humi repit. Nam pro perfecta imitatione Ecclesiæ primitivæ, quam sibi quasi exemplar proposuerat, et pro vera pœnitentia publica, quam se instauraturum pollicebatur, satis habuit commentitiam pœnitentiam substituere ; quæ nulla re priorem refert, quam neque antiquitas novit, neque Ecclesia confirmavit, neque vel unus omnium scriptorum, quotquot sunt, memoravit.

XIII. Sic autem aperit arcanum caput, ad quod refertur universum novæ hujusce reformationis mysterium [3]. « Non equidem institui in usum revocare omnes σκληραγωγίας pœnitentiæ, quas quasi catholicas defendi in hoc opere. Novi magnum discrimen esse constituendum inter id, quod optandum esset, et id, quod fieri potest ; nec oportere exigi a Christianis in imbecillitate, in qua nunc sunt, id, quod ab iis postulatum est, cum firmiores essent, et virtute florerent. » Antea professus erat [4], « Se nolle loqui de separandis hominibus a communione per multos annos, quemadmodum aliquandiu in Ecclesia factum est; ac multo minus eos adigere ad pœnitentiam publicam. » Quid ergo ab iis exigit ? Continuo mentem suam aperit.

« Aio tantum, si quis perculsus efficace gratia serio cogitet de mutatione vitæ, deque

[1] Ibid. 000. — [2] Præf. ccre. [3] Præf. u. — [4] Ibidem fol. 1.

consequenda pietate firma ac solida ; animadvertatque, tot confessiones ac communiones præteritas sibi fuisse inutiles, ac velit tentare eam viam pœnitentiæ, quam novit universa traditione stabilitam, deinde etiam conciliis S. Caroli, qui tam sæpe testatur, se executioni tantum voluisse mandare concilium Tridentinum ; hoc est abstinere per aliquod tempus a communione, qua se indignum censet, ut postea ad eam accedat melius dispositus et mundior : quis posset tam legitimo consilio obsistere, præsertim si ita se gerat in spiritu pacis, etc. »

XIV. Eo igitur redit totum ejus consilium, et finis, quem sibi proposuit in componendo eximio hoc opere. Vult vetare, ne ad communionem accedant ii, qui sacramentaliter peccata sua confessi sunt, quod disertius alibi profitetur [1]. Nec tantum pœnitentes arcendos contendit a sacramento Altaris, sed etiam Absolutionis, ut olim fiebat in Ecclesia primitiva, quemadmodum ipse ostendit alio in loco [2].

Oportet esse animi minime iracundi, qui omnes illas ineptias ferat, nec justa indignatione commoveatur auditis morosis illis, absurdis ac repugnantibus commentis. Quomodo enim hæc in concordiam rediges? Homo sedatæ mentis ad Ecclesiam venit, eamque commonefacit de occulto morbo, quo laborat, deque morum prolaptione, in qua imprudens torpet; deinde extollit ac pollicetur remedium, quasi unicum, quo possit pristinam valetudinem recuperare : at tandem quando ad pharmacum deveniendum est, eam irridet, et loco prioris alterum profert, idque inutile. Hoc ipsum facit Arnaldus in suo opere. Existimat omissionem pœnitentiæ publicæ esse prolapsionem ac corruptionem morum in Ecclesia. Atqui omnis defectus, ut loquuntur Scholastici, privatio est opposita formæ, quæ ei respondet, et quam expellit, atque in nihilum redigit; nec potest deleri, nisi restitutione ejusdem formæ.

XV. Quemadmodum si quis surdus et cæcus simul reciperet auditum, propterea cæcitate non liberaretur, aut recepto oculorum usu, non minus esset surdus ; sic ad curandam prolapsionem morum, in quam incidit Ecclesia remissione, aut omissione pœnitentiæ publicæ, nullum aliud remedium adhiberi potest, præter ejus pœnitentiæ restitutionem. Igitur cum pœnitentia publica plane differat a dilatione communionis; hujus instauratione non curabitur Ecclesiæ morbus, sed semper in vitio atque in opprobrio torpebit, indigebitque medico spirituali, qui cetera curet.

XVI. Pœnitentiam autem publicam non esse tantum dilationem communionis, liquet primum ex testimonio ipso Arnaldi, quod protuli ; ubi verba faciens de dilatione absolutionis et communionis, quam pœnitentiæ receptæ vellet substituere, profitetur, se neminem velle adigere ad pœnitentiam publicam. Præterea communis usus antiquitatis cum in praxi, tum in verbis, idem docet, ut postea ostendemus. Nunc nonnulla animadvertam in verbis Arnaldi, quæ modo protuli, in quibus nulla videtur esse constantia, sed multa repugnantia; et, quod est deterius, doctrina perniciosa, quam religioni ducerem dissimulare. Itaque eum pro Christianæ charitatis officio monebo, ut etiam lectorem, qui eo falli posset.

CAPUT DECIMUM.

Quam parum constans sit Arnaldus in suo consilio, deque repugnantia, in quam delabitur. Vituperando regimen Ecclesiæ eum semet ipsum damnare. Mutari ab eo, et corrumpi consuetudinem priscam pœnitentiæ publicæ, et potestatem sibi adrogari, quam negat Ecclesiæ.

I. Animum tibi esse ais, Arnalde, defendere doctrinam confirmatam ab universa antiquitate et traditione sanctorum, veteresque consuetudines Ecclesiæ circa pœnitentiam publicam. Addis nunquam fuisse damnatam aut rejectam ab ullo Concilio; imo vero omnia

[1] Part. 2. c. 17. p. 458.

[2] Part. 2. c. 8. p. 285.

consensisse in ejus conservationem, dum vigebat, et restitutionem, postquam obsoleta est. Abs te ergo ante omnia peto, qua ratione velis eam tueri? Hoc volo, an eo animo hoc inceptes, ut eam instaures in usu communi Ecclesiæ, ex quo consuetudine ejectam fateris, et vulgari pœnitentia, quæ locum ejus occupavit; vel an velis tantum eam defendere contra impudentiam eorum, qui eam carpere vellent, ac famam primitivæ Ecclesiæ lædere, quamvis nunc eam instaurandam esse non censeas.

II. Alterutrum te eligere necesse est, nec utrumque tueri potes, si vel minimum sapis; quia hæc sunt ἀσύστατα, nec potes rem unam velle, et nolle, nisi hebes sis, aut levitate ingenii labores. Attamen adeo inconstans est tua oratio, ut utrumque complectatur; nam aliquando negas te velle instaurare pœnitentiam publicam;[1] quod consilium si tibi tribueretur, ais tibi tributum iri cogitationem, quam ipse damnas, et quam putas æque imprudentem esse, ac superbam; interdum vero contrarium præ te fers consilium.

Scio quidem, cum sis privatus, juvenis, et sine auctoritate in Ecclesia, non esse tibi animum imperare, ut prisca pœnitentia restituatur, abrogata ea quæ vulgo obtinet; quod quamvis juberes, nemo tibi pareret. Igitur de jussu minime loqueris, cum profiteris a te non editum fuisse hunc librum, ut immutatio per universam Ecclesiam fiat in eo, quod spectat ad pœnitentiam.

III. Alioquin absurdum esset, te laborare, ut ex animo nostro evelleres id, quod non possemus de te cogitare, nisi te insanum esse judicaremus. Itaque vis dicere, non esse tibi consilium, edito hoc libro, auctorem esse ac simpliciter suadere, oportere ab Ecclesia restitui pœnitentiam publicam, et medicinam fieri collapsioni, corruptionique morum, in quam incidit remissione pœnitentiæ; sed te velle tantum defendere priscum illum morem contra eos, qui eum damnare vellent, quamvis non putes, usum ejus etiamnum hodie necessarium esse ita, ut sine peccato eam prætermittere non possimus. Sic S. Augustinus, aliique veteres Patres defenderunt legem Mosaicam, et cæremonias judaicas, contra hæreticos illius ævi, Manichæos, Marcionitas, et ejusmodi hominum quisquilias, qui eas spernebant, et blasphemias vomebant in Deum earum auctorem. Sic rem intelligis, atque exprimis multis locis, quæ sæpe protuli, in quibus ais, te neminem cogere eam consuetudinem sequi, aut negas te loqui *de arcendis hominibus a communione, et multo minus adigendis ad pœnitentiam publicam.*

IV. Manifestum est, hæc verba, *arcere a communione*, *cogere*, *adigere*, a te non ita sumi, quasi intelligas imperia vel prohibitiones, seu coactiones pro imperio, quales fierent edicto magistratus civilis, aut ecclesiastici; sed tantum admonitiones, vel responsa, quæ sententiam rogantibus dares, absque ulla coercitione, aut necessitate tibi parendi. Magnum discrimen est inter censuram doctrinæ cujuspiam editam a doctoribus sacræ Theologiæ, eam quasi erroneam aut hæreticam damnantibus; et censuram a Pontifice maximo, aut ab episcopis profectam. Hæc enim potestatis legitimæ censura imponit necessitatem parendi, et omnes contrarias opiniones supprimendi; at illa neminem cogere potest, quamvis interdum non sine temeritate rejiciatur, cum satis est nota veritas, nec quidquam est, quod æquet auctoritatem, quam pietate et eruditione sua doctores illi consecuti sunt. Hoc obiter pensitemus in exemplo recenti.

V. Vir ille, quem laudas[2] quasi *ex doctissimis hujus seculi viris*, et cui tribuis[3] *inusitatam eruditionem*, magnus ille vir[4], *cujus animus refertus erat tantum scientia Scripturæ et Theologiæ traditionis, hoc est, Conciliorum et Patrum*, pro judicio, quod de eo tulisti, varias enuntiationes protulit, quas sancta Sedes nuper cum ejus libro damnavit singulari Bulla, data 6. Martii anno 1642. a Christo nato. Antea Facultas Parisiensis easdem enuntiationes damnarat tanquam hæreticas anno 1560. 27. Junii. Duæ sunt censuræ, sed censura Pontificia juridica est et decretoria, altera vero est tantum doctorum sententiæ testificatio.

VI. Ut eo revertar, unde digressus sum, in iis locis, Arnalde, quos ex opere tuo protuli, voluisti dicere, neminem ullo jure teneri, ut se subjiciat pœnitentiæ publicæ; quamvis olim consuetudo hæc summopere laudabilis fuerit, et utile sit eam imitari, quatenus prudentia ac regimen Ecclesiæ sinet.

Attamen alibi, et ferme ubique doces pœnitentiam illam publicam non tantum esse consilii, aut perfectionis spontaneæ, sed etiam necessitatis, et obligationis; quemadmodum

[1] Præf. fol. oooo. — [2] Part. 2. p. 623. — [3] Ibid. p. 567. — [4] Ibid. p. 568.

satis ostendi, cum probavi, a te remissionem pœnitentiæ vocari *prolapsionem ac corruptionem morum*, et te docere [1], consuetudinem hanc confirmatam fuisse ab universa antiquitate, et canonibus omnium conciliorum, quæ de pœnitentia aliquid statuerunt, nec unquam damnatam aut rejectam ullo seculo, nec in ullo concilio, nec ullo decreto, imo omnes conspirasse ad eam conservandam aut restituendam. Quod affirmas nominatim de concilio Tridentino [2], quia instauravit omnes traditiones apostolicas, inter quas numeranda est pœnitentia; addisque, « Non posse plene satisfieri omnibus ejus divinis præceptis, nisi, quoad ejus fieri potest, adlaboremus ad instaurationem pœnitentiæ antiquæ. »

VII. Ne vero tibi objiciatur consuetudo, quæ traditioni derogavit, contendis [3], « Nullam aliam normam dogmatum catholicorum agnoscendam esse, præter traditionem ecclesiasticam; sequi hic non oportere ratiocinationem, neque consuetudinem hominum in rebus ecclesiasticis, sed auctoritatem divinam, cui nostra religio innititur. » Quam in rem exspatiaris, multisque disputas de traditione ecclesiastica, ut ostendas, quamvis remissum fuerit de pœnitentia publica, corruptaque disciplina, et Ecclesia collapsa fuerit, (quod fieri potest, cum non sit expers vitii,) attamen non esse animum despondendum, sed contra nitendum ei malo facere medicinam. Hæc est summatim ratiocinatio tua, quam superioribus capitibus expendi, et ex qua necessario sequitur, nos etiamnum lege pœnitentiæ publicæ teneri; seu spectetur universa Ecclesia, a qua eam oportet restitui, emendatis pravis consuetudinibus, quæ contra eam traditionem irrepserunt; seu singuli fideles, qui non possunt non parere traditionibus, conciliis et canonibus, quibus etiamnum præcipitur; nec unquam abrogata est.

VIII. Hinc colligis, delinquentes denuo oportere publice satisfacere, non libera electione, et quæ si tduntaxat consilii; sed necessario, ob solam consuetudinem. Quod est e diametro oppositum iis tuis verbis, quibus profiteris [4] te neminem eo velle adigere, quasi res esset præcepti; cujus rei nullam aliam rationem profers, nisi quia contraria consuetudo invaluit. At nunc vis consuetudinem posthaberi traditioni antiquæ et canonibus, nec ullam ei auctoritatem esse in rebus ecclesiasticis. Quæ enuntiatio non tantum est falsa et absurda, sed etiam scandalosa, et cui si locus esset in regimine Ecclesiæ, hominum animos torqueret, universam Ecclesiam turbaret, et apertis fidelibus omnibus inferorum portis, paradisi portas in perpetuum occluderet.

IX. Qui fieri potest, ut existimaveris, *consuetudinem nihil posse in rebus ecclesiasticis?* Quid insanius, ac sensui communi, rationive humanæ magis contrarium? An quidquam est, cujus magis explorata sit falsitas exemplis omnium seculorum, prudentia, ac principiis scientiarum divinarum, ac humarum?

Quod si hæc tua sententia tam vera esset, quam est ridicula, primus omnium damnatione continereris; quandoquidem æquo majorem rationem habens consuetudinis, legis observationem remittis, conculcas Canones, traditionemque et auctoritatem Conciliorum; *quæ omnia consentiunt in conservationem instaurationemve pœnitentiæ publicæ;* cum præsertim, ex tua sententia, *nunquam rejecta sit*, adeoque ejus lege teneamur haud secus, ac cum primum instituta est. Itaque delaberis in eamdem licentiam, et eamdem corruptionem morum, quas tribuisti Ecclesiæ, quam insimulas remissæ disciplinæ, et subversæ pœnitentiæ.

X. Profecto, si vere dicis, nuntium remittendum esse consuetudini, ut sequamur traditionem et antiquitatem; cœptum hoc tuum facinus est dignum pœnitentia publica, eaque severissima: qui non parueris traditioni et canonibus, quibus constituta est pœnitentia publica; cum tuis novis consiliis ei detraxeris, quod ad ejus naturam necessario pertinet, et in quo potissimum sita est pœnitentia publica, nempe opera illa satisfactoria, quæ publice fiebant; nec quidquam retinueris, nisi quod est minus molestum plerisque hominibus, nempe dilationem communionis, quam etiam dicis causa duntaxat instituis, remittens accuratam observationem canonum et traditionis hac quoque in re, quam unam ex pœnitentia publica retineri vis.

XI. Id quo pœnitentia publica molesta fiebat, ac proinde majoris meriti et satisfactionis, non tam erat ipsa ejus observationis molestia, quam diuturnitas omnium partium, quibus constabat, quales erant jejunia, cilicia, χαμευνίαι, cinerum aspersiones, assiduitas ad valvas ecclesiarum, ad preces, aliæque σκληραγωγίαι; in quibus per multos annos jacebant pœni-

[1] Præf. c. — [2] Part. 2. c. 21. p. 470. [3] Præf. ooo. — [4] Præf. pag. ult.

tentes, ut antea ostendimus. Ad hæc accedebat prohibitio a communione, a qua arcebantur per tempus pœnitentiæ.

Quibus in rebus potissima pars amaroris ac difficultatis erat diuturnitas. Quamobrem omnes inibant vias, quibus tempus pœnitentiæ contrahi posse putabant; ambiebantque gratiam SS. confessorum, qui damnati erant ad metalla, aut ad carceres, ut tempus molestiarum iis deprecantibus contraheretur.

XII. Quod cum ita sit, quisquis ex omnibus ritibus, quibus constabat pœnitentia publica Ecclesiæ primitivæ, solam dilationem sacramenti Altaris retineri vellet, deberet etiam ejus exclusionis retinere diuturnitatem, quæ cæremoniæ illius pœnalis pars est essentialis. Itaque arcendus esset pœnitens a communione tamdiu, quamdiu ea prohibitus fuisset in Ecclesia primitiva, dum reliquis pœnitentiæ partibus defungebatur; ut saltem hac in re traditionibus et canonibus cum eo conveniret, quibus tempus pœnitentiæ definitur. Alioqui non instaurabitur pars pœnitentiæ publicæ, qualis obtinebat in Ecclesia primitiva ex canonibus, atque ex traditione; erit tantum ejus externa species.

XIII. Hoc cernere licet in phantasmate inani pœnitentiæ, secundum novam reformationem, quæ communionem in aliquot tantum menses differt. Imo vero Arnaldus [1], prolato exemplo hominis, *qui postquam in Deum gravibus delictis peccasset*, sancto animi affectu ferretur ad subeundam pœnitentiam; « Deberet, *inquit*, sine dubio intra animum servare tam laudabilem affectionem, quasi singularem Dei gratiam; quamvis crediderim, propter alias rationes, et præsertim ne inusitata sectari videretur, eum sæpius debere ad communionem accedere. »

XIV. Attente hæc verba expendat lector, ut non sine admiratione intelligat horrendam cæcitatem novorum horumce directorum. Disciplinam traditione et canonibus constitutam, prout videtur illi, qui nulla auctoritate eam in rem instructus est, remittit; cum vero Ecclesia potestate a Deo accepta utens idem facit, et συγκατάβασιν adhibet, eam accusat licentiæ ac corruptionis, oppugnatque canonibus, traditione et conciliis. Sed quo concilio aut canone nititur, ut peccet in leges, quas ipse proponit, quo damnet rationem, qua Ecclesia se gerit in eos, qui in Deum deliquerunt, dum iis remittit antiquam pœnitentiam?

XV. Estne ergo solutus legibus, canonibus, traditionibus, quæ conculcat, et quæ tamen a nobis sancte observanda censet, quippe nunquam abrogata? Estne æquum ab Arnaldo, qui presbyter duntaxat et Theologiæ doctor est, quamvis doctus et probus, pœnitentiam pro arbitrio constitui, quæcumque vult dirui, ædificari, mutari rotundis quadrata, rejici quidquid minus placet; ab Ecclesia vero idem non posse sine infamia, et contumeliis fieri?

Si propter graves rationes privatus audet moderari severitati pœnitentiæ publicæ, etiam in perpaucis ejus partibus, quas servat; quare Ecclesiæ non erunt causæ, cur ita se gerat, nec licebit largiri aliquid temporibus, ingeniis, usuique recepto, qui paulatim confirmatus expulit contrarium? Si consentit, ne pœnitens inusitata captare videatur, *postquam in Deum gravibus delictis peccavit*, dum est in nova hacce pœnitentia, *sæpius accedet ad communionem*, nulla ratione habita canonum, traditionis, antiquitatis, legumque ab ipso latarum; potestne jure indignari, si vituperetur ejus institutum, ex quo tam inaudita et tam scandalosa consectaria nascuntur?

XVI. Verum ita solet hic scriptor secum pugnare, ac dissidere, parumque curare, ac oblivioni mandare ea, quæ antea dixit: quæ inconstantia hac in re præsertim sese prodit.

Ut enim os occluderet eis, qui offenderentur rei novitate, et mutatione, quam vult fieri in pœnitentia, fatetur [2], hac doctrina perturbari Ecclesiam; sed respondet, « Melius esse, ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur. Felicem necessitatem, aiebat Bernardus, quæ nos felices esse cogit. Quamobrem possumus eum imitati dicere, felices esse turbas, quibus fit, ut veram pacem quæramus, et nanciscamur. » Paulo post negat esse damnandum quidquid hominès perturbat; « Sed considerandæ, *inquit*, causæ eos turbandi, videndumque, an noxiæ sint, vel utiles turbæ. Parentes perturbant liberos, cum iis vitia exprobrant; sed eos turbant, ut emendent, etc. »

XVII. Hujusmodi ratiocinationibus animum lectoris pascit per maximam libri partem. Quod minime mirandum est, cum in hac re situm sit universum consilium totius hujusce instituti, et operis, quod ad ejus defensionem edidit. Nec contentus hæc sparsisse per totum

[1] Præf. fol. u.

[2] Præf. iiii.

opus, iis tribuit singulare caput [1], cujus hæc est inscriptio : *Posse sine temeritate communia instituta, et frequentissima repudiari.* Quod probare conatur cum summatim, tum particulatim ad pœnitentiam quod attinet. Igitur si scandalum, *quod potest oriri ex hac inusitata ratione pœnitentiæ, flocci non sit faciendum, nec obstare debeat, quominus convenienter nos geramus decretis, ac traditionibus antiquis ;* quare non vult hominem, qui in Deum graviter deliquerit, plenam agere pœnitentiam ad normam priscorum canonum ? Cur satis est ei dilatio communionis ? Quare non sequitur auctoritatem antiquæ disciplinæ, nec fideliter paret omnibus sacrosanctis illis decretis in ratione pœnitentiæ, sed indulgentia, et mollitie nimia prodit veritatem, et pro laude prudentis directoris, quam se consecuturum putabat, semetipse damnat ut prævaricatorem, infractoremque legum divinarum et humanarum ?

XVIII. En alterum specimen novæ hujus ridiculæ doctrinæ, quæ redolet fermentum *Illuminatorum*, qui præterito seculo exorti sunt, et nostra ætate iterum ex orco excitati. Arnaldus scribit [2], « Si necesse sit remittere legem, ut aliquando opus est, a nemine posse melius eam remitti, quam ab iis, qui norunt, quo animo sit lata. » Haud multo post : « Homo, *inquit*, ejusmodi vere instructus esset scientia Ecclesiastica, edoctus principia, et generales regulas ecclesiæ in canonibus, et rationem earum singulis occasionibus aptandarum, lumine et Spiritu gratiæ, quem a Deo oratione eliceret, et quo penetraret intima animorum, arcanasque et occultas eorum cogitationes. »

XIX. Hoc posito, privatus quispiam majora a Deo accipiet, quam universa Ecclesia ; potestamque habebit, qua carent et maximi Pontifices, et quotquot sunt episcopi et pastores : quandoquidem Arnaldus omnibus detrahit potestatem remittendi quidquam de decretis traditionum et canonum, quod *licentiam* vocat, ubi sermo est de pœnitentia publica. Attamen hanc auctoritatem concedit privato, qualem antea verbis ejus descripsimus. Hoc demum est viam aperire ad sectam, atque arcanam factionem *Illuminatorum*.

XX. Quid ergo ? Is, quem describis, et quem etiam licet doctiorem, et sanctiorem fingas, is homo, inquam, instructus erit majore auctoritate, majore cognitione, majore auxilio cœli, majore immunitate erroris, quam universa Ecclesia ? An jus habebit remittendæ pœnitentiæ publicæ, quia novit, *quo animo lex sit lata,* nimirum habet Spiritum sanctum ; Ecclesiæ vero non eadem erit potestas ? Si quid ea in re aggrediatur remittere, clamas eam remissionem esse licentiam et prolapsionem morum. Annon hoc demum est imitari Donatistas, et dicere una cum illis : *Quod volumus sanctum est.* Annon hoc est sese præferre Ecclesiæ, et Spiritui sancto, a quo agitur ; et pluris facere peculiare suum judicium, quam indubitata, dogmata et inconcussa fundamenta Religionis catholicæ ? Nimium sibi blandiuntur, qui ita se gerunt, et dum ipsi errant, decipiunt eos, qui infeliciter in ejusmodi directores incidunt ; aut qui ea imprudentia laborant, ut illis credant, postquam retecti sunt. Profecto homines illi prorsus securi agere possunt, et tuæ, Arnalde, sapientiæ fidere : cum eos dirigas tam periculosis regulis, principiisque usque adeo absurdis.

CAPUT UNDECIMUM.

De pœnitentia publica, ejusque gradibus. Dilationem communionis non fuisse proprie pœnitentiam publicam ; et quanam in re sita esset. Consuetudo antiquæ Ecclesiæ, ex qua clerici erant immunes pœnitentiæ publicæ.

I. Tempus est claudendæ hujusce disputationis, quam hactenus protraxi, et quæ eo potissimum spectat, ut ostenderem Arnaldum, dum simulat se velle restituere pœni-

[1] Part. 2. c. 48.

[2] Præf. aa.

tentiam publicam, eam nequaquam instaurasse, cum satis habeat differre absolutionem sacramentalem et communionem in aliquot menses. Verum, ut in majorem lucem protraham callidum hocce consilium, quod aliud pollicetur, aliud præstat; videturque finem hunc habuisse, ut turbaret Ecclesiam, animosque hominum specie quadam pietatis, promissisque inanibus : oportet me dilucidius explicare, quod leviter adumbravi capitibus superioribus; atque ostendere, exclusionem a communione, si proprie loquamur, non fuisse a prisca Ecclesia dictam *pœnitentiam publicam*, de qua est inter nos controversia.

II. Ut hæc veritas planior fiat, duo sunt statuenda, quæ pertinent ad pœnitentiam publicam, et quæ hauriam in ipso fonte, hoc est in scriptis SS. Patrum, et antiquis canonibus, qui eam disciplinam Ecclesiæ constituerunt. Primum est, nunquam quemquam subiisse pœnitentiam, quin simul ei interdiceretur usu S. Sacramenti per totum pœnitentiæ tempus; sed hanc exclusionem non semper fuisse conjunctam cum pœnis, et perpessionibus, in quibus proprie sita erat pœnitentia publica. Primus gradus pœnitentiæ vocabatur πρόσκλαυσις, quia pœnitententes id tempus agebant in lacrymis ac gemitibus extra ecclesiam, et quidem sub dio. Alter dicebatur ἀκρόασις, quia ejus ordinis pœnitentes poterant audire verbum divinum. Tertius ὑπόπτωσις, quia pœnitentes hujus classis expectantes, donec secundi ecclesiæ *navi* egressi essent, procidebant, ut acciperent impositionem manuum, et benedictionem episcopalium precum.

III. Postquam absolutum esset curriculum pœnitentiæ in tribus superioribus classibus, sequebatur quartus gradus, qui dicebatur σύστασις, hoc est *aggregatio;* quia qui ad eum pervenerant, aggregati jam erant ad communionem fidelium quoad preces, et præsentiam, dum divinus cultus et mysteria celebrarentur, quamvis neque oblationem offerrent, neque communionis participes essent. Quamobrem Concilia et scriptores, qui de eo locuti sunt, quartum gradum describunt nunc hisce verbis : εὐχῆς μόνης κοινωνῆσαι *; in oratione communicare;* nunc illis [1] : κοινωνῆσαι δίχα προσφορᾶς, *sine oblatione communicare.* Concilium Nicænum vocat eum [2] *communionem orationis.* Quam in rem revocanda est in animum prisca consuetudo Ecclesiæ primitivæ, neminem nimirum ad communionem accessisse, nisi prius panem et vinum obtulisset, si modo per facultates liceret, aut certe nisi potestas ei esset offerendi. Quamobrem veteres promiscue dicunt *jus habere communionis,* aut *oblationis,* ad significandam eorum conditionem, qui non subjacebant pœnitentiæ, sed integro jure fidelium fruebantur. Itaque in quarto et ultimo gradu pœnitentiæ sola exclusio Sacramenti supererat, sine ullis aliis pœnis.

IV. Alterum, quod statui oportere diximus, in eo situm erat, quod quamvis quartus gradus ad pœnitentiam pertineret, attamen minime pœnitentiæ nomine significetur. Cum sermo erat de subeunda pœnitentia, aut de pœnitente quopiam, non intelligebantur ii, qui in quarta classe censebantur, sed tantum pœnitentes trium aliarum, et præsertim quidem tertiæ. Probemus hæc testibus fide dignis. Omnibus notum est hoc moris fuisse in primitiva Ecclesia [3], in cœtibus, quos vocabant *synaxes*, post psalmodiam, et lectionem Scripturarum, habitam fuisse concionem, in quam admittebantur catechumeni, et pœnitentes secundi ac tertii ordinis. Tum concione absoluta, diaconus magna voce clamabat, excedendum esse catechumenis. Deinde emittebat et secundi ordinis pœnitentes, qui vocabantur *Auditores;* quia admittebantur in ecclesiam, duntaxat ut concionem audirent. Quo peracto accedebant tertii gradus pœnitentes, atque in humum procidebant, ut episcopus una cum clero iis manum imponeret, recitaretque super iis nonnullas orationes; quibus peractis, emittebantur, ut celebrarentur mysteria.

V. Tertius hic gradus proprie *Pœnitentia* dictus est, ut intelligimus ex egregia illa S. Basilii epistola, quam scripsit ad Amphilochium, et quam Orientales juri suo canonico inseruerunt. Illic vir sanctus enumerat quatuor gradus, quos memoravi, ubi verba faciens de eo, qui propter raptum pœnitentiam publicam subire cogebatur, imponit ei quatuor annos, quot gradus erant in pœnitentia. « (1) Est, *inquit*, in quatuor annos iis, qui

(1) Basil. can. 22. ad Amphil. Ἔστι δὲ ἐν τέσσαρσιν ἔτεσιν ὡρισμένη τοῖς πορνεύσασιν ἐπιτίμησις· χρὴ δὲ τῷ πρωτῳ ἐκβάλλεσθαι τῶν προσευχῶν καὶ προσκλαίειν αὐτοὺς τῇ θύρᾳ τῆς Ἐκκλησίας. Τῷ δευτέρῳ δεχθῆναι εἰς ἀκρόασιν· τῷ τρίτῳ δεχθῆναι εἰς μετάνοιαν· τῷ τετάρτῳ εἰς σύστασιν μετὰ τοῦ λαοῦ ἀπελθόντους τὰς προσφορὰς· εἶτα αὐτοῖς ἐπιτρέπεσθαι τὴν κοινωνίαν ἀγαθοῦ.

[1] Ancyr. can. 4. — [2] Dionys. cap. 13.

[3] Laod. Can. 19. Bas. Can. 22. ad Amph.

fornicati sunt, definita castigatio. Oportet autem primo excludi eos precibus, et flere ad januam ecclesiæ; secundo excipi ad audiendum; tertio excipi ad pœnitentiam; quarto in aggregationem populi, abstinentes ab oblatione; deinde illis boni participationem permitti. » Postremis verbis designatur sacramentum Altaris, quod ab aliis dicitur τὸ τέλειον, *perfectum* [1]. Hic manifeste sanctus Basilius proprietatem vocis μετάνοια tribuit tertio gradui.

VI. Præterea ejus rei certum argumentum habemus apud Sozomenum historicum, ubi describit, (1) quod contigit Constantinopoli tempore Nectarii, et quomodo exauctoravit presbyterum pœnitentiarium, deinde sustulit pœnitentiam publicam, relicto cuique de se judicio, an dignus sit qui ad communionem accedat. Quod confirmat etiam Socrates in narratione ejusdem historiæ. Sed Sozomenus addit, quod ad rem nostram facit, dicens, pœnitentiam publicam, quæ Constantinopoli sublata est, etiamnum observatam fuisse in occidentalibus Ecclesiis, et præsertim Romæ: « Illic, *inquit*, in propatulo est pœnitentium locus, in quo illi stant mœsti, ac veluti lugentes. Peractoque jam cultu divino, exclusi a communione Sacrorum, quæ initiatis præberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terram abjiciunt. Tum episcopus cum lacrymis ex adverso occurrens, pariter ipse humi provolvitur; et universa Ecclesiæ multitudo simul confitens lacrymis perfunditur. Post hæc vero primus exsurgit episcopus, ac prostratos erigit; factaque, ut decet, precatione pro peccatoribus pœnitentiam agentibus, eos dimittit. Privatim autem unusquisque sua sponte se macerans aut jejuniis, aut illuvie, aut ciborum abstinentia, vel aliis, quibus jussus est, modis, tempus quantumcumque ipsi ab episcopo constitutum est expectat. »

VII. Hic locus manifesto docet, quod probare aggressus sum, quandoquidem liquet, quæcumque illic habet Sozomenus, ea pertinere ad tertium duntaxat gradum pœnitentiæ, ut antea observavimus. In hoc enim solo gradu constituti pœnitentes ad episcopi pedes prociebant, omniaque faciebant, quæ illic narrantur. Itaque, cum vellet describere pœnitentiam, quam Nectarius abolevit, et exemplum sumpserit tertium pœnitentium gradum, locutus est convenienter sermoni S. Basilii, significavitque, eum gradum proprie vocari *pœnitentiam publicam*.

De hoc eodem gradu intelligenda sunt plura concilia, quæ de pœnitentia agunt, ut quartum Carthaginense, quod ita habet [2]: « Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdotibus imponatur; » et concilium Agathense [3]: « Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, et cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. »

VIII. Aio, hæc decreta intelligenda esse duntaxat de tertio gradu pœnitentiæ publicæ; quandoquidem in hac sola pœnitentes adducebantur ad episcopum, ut impositionem manuum una cum precibus adhiberi solitis acciperent ab episcopo.

Ad eumdem etiam gradum referenda est oratio Tertulliani, quam antea protulimus [4], ubi meminit jejuniorum, orationum, cilicii, cineris, genuflexionum, et prostrationum corporis, aliorumque rituum, qui pertinent ad hunc gradum. Eodem spectat, quod idem scriptor habet in hoc ipso libro, de pœnitentia, quæ ab Ecclesia catholica imponebatur adulteris, propter quam hæc in eam congerit probra [5]: « Et tu quidem pœnitentiam mœchi, ad exorandam fraternitatem in ecclesiam inducens, conciliciatum, et concineratum, cum dedecore et horrore compositum, prosternis in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem. » Eo alludebat ethnicus, qui hisce verbis irridet Christianos apud Minutium Felicem [6]: « Alii eos ferunt ipsius antistitis, ac sacerdotis colere genitalia, et quasi parentis adorare naturam. »

IX. Veteres eum pœnitentiæ gradum sæpe *exhomologesin* vocarant, quæ vox proprie significat *confessionem;* ita ut intellexerint

(1) Lib. 7. cap. 16. Ἐνθάδε γὰρ ἐκδηλός ἐστιν ὁ τόπος τῶν ἐν μετανοίᾳ ὄντων. Ἑστᾶσι δὲ κατηφεῖς, καὶ οἱονεὶ πενθοῦντες. Ἤδη δὲ πληρωθείσης τοῦ Θεοῦ λειτουργίας, μὴ μετασχόντες ὧν μύσταις θέμις σὺν οἰμωγῇ, καὶ ὀδυρμῷ πρηνεῖς ἐπὶ γῆς ῥίπτουσι σφᾶς. Ἀντιπρόσωπος δὲ δεδακρυμένος ὁ ἐπίσκοπος προσδραμὼν, ὁμοίως ἐπὶ τοῦ ἐδάφους πίπτει σὺν ὀλολυγῇ. Καὶ τὸ πᾶν τῆς Ἐκκλησίας πλῆθος δακρύων ἐμπίπλαται. Τὸ μετὰ τοῦτο δὲ, πρῶτος ὁ ἐπίσκοπος ἐξανίσταται καὶ τοὺς κειμένους ἀνίστησι, καὶ ἣ πρσῆκεν ὑπὲρ ἡμαρτηκότων μεταμελουμένων εὐξάμενος ἀποπέμπει· καθ' ἑαυτὸν δὲ ἑκοντὶ ταλαιπωρούμενος ἕκαστος ἢ νηστείαις, ἢ ἀλουσίαις, ἢ ἐδεσμάτων ἀπεχῇ, ἢ ἑτέροις οἷς προστέτακται, περιμένει τὸν χρόνον ἐφ' ὅσον αὐτῷ τέταχεν ὁ ἐπίσκοπος.

[1] Ancyr. can. 4. — [2] Can. 80. — [3] Can. 15. — [4] De Pud. c. 9. — [5] De Pud. c. 11. — [6] Minut. in Octavio.

professionem mœroris et pœnitentiæ, potius rebus ipsis, certisque signis contritionis internæ, quam verbis expressam. Hoc sensu occurrit apud Cyprianum in variis ejus epistolis [1], in quibus satis significat, se intelligere singularem pœnitentiæ ordinem; quod ante illum aperte ostendit Tertullianus in loco antea prolato [2].

Ita vox ἐξομολόγησις complectitur omnes actus humilitatis, qui edebantur a pœnitentibus, præsertim in eo gradu, qui vocatur a Græcis ὑπόπτωσις, quia procidebant ad pedes episcopi. Quod confirmat observationem nostram de usu singulari nominis *Pœnitentiæ*, ad significandum tertium ejus gradum. Vox enim græca μετάνοια sæpe sumitur pro corporis prostratione, vultu in humum converso; præsertim apud scriptores græcos, qui egerunt de regulis et constitutionibus monasticis, deque dictis et factis veterum monachorum, et eremitarum, apud quos etiam βάλλειν μετάνοιαν significat in humum procidere.

X. Hæc me longius abduxerunt, quam putaveram, sed non longius, quam necesse est consilio meo, quod eo spectabat, ut ostenderem Arnaldum in hoc opere de frequente Communione promissis suis non stetisse, neque satisfecisse spei, quam fecerat lectoribus, se medicinam facturum vitiis, ac prolapsioni Ecclesiæ, instauratione pœnitentiæ publicæ; cum pro integra primitivæ Ecclesiæ pœnitentia minimam duntaxat ejus partem retinuerit, et quæ quam facillime ferri posset. Qua in re non animadvertit, animi medicamenta similia esse corporis remediis, et quo minus amara sunt, eo minorem vim obtinere ad fugandum morbum et restituendam valetudinem.

Præterea volebam ostendere, exiguam illam partem pœnitentiæ publicæ, quam in speciem retinuerat, nempe dilationem communionis in aliquod tempus, non posse conferri cum pœnitentia publica veterum; quandoquidem non sola amotio a communione erat signum ejus pœnitentiæ, sed veluti adjunctum actionis ejus propriæ, quod ei aderat tanquam accidens substantiæ.

XI. Hoc manifesto probatum est iis, quæ diximus, nomen Pœnitentiæ proprie convenisse ei gradui, qui omnium erat molestissimus, et in quo plura erant ferenda: non vero ei, in quo nihil pœnæ supererat, præter prohibitionem a communione; quarto nimirum, qui dicebatur σύστασις, et in quo pœnitentes cum ceteris fidelibus orabant, sed Sacramenti participes non erant.

Utque major lux, majusque robur accedat huic ratiocinationi, addam gravissimam rationem; nempe, meram exclusionem a sacramento Altaris, quæ fuit unica quarti gradus proprietas, neque nomen, neque rem pœnitentiæ publicæ habuisse, nisi propter gradus antecedentes, et præsertim omnium severissimum tertium. Itaque, si in se spectetur, et seorsim ab aliis, non fuit officium, neque effectus pœnitentiæ publicæ.

XII. Constat hoc certo argumento, et cui nihil reponi queat. Qui operam dederunt lectioni canonum, et conciliorum veterum, satis norunt, pœnitentiam publicam non potuisse consistere cum clericatu, nec eos, qui eam subierant, potuisse ad sacros ordines promoveri. Hoc nos docet Augustinus ep. 50. rationemque rei addit: « Ut enim, *inquit*, constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo.* Sed ne forsitan etiam de ceteris criminibus, spe honoris ecclesiastici, animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit, ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis, medicina major et verior esset humilitatis. »

XIII. Sic papa Gelasius I. epist. 9. inter irregularitates, quæ obstant, ne quis promoveatur, recenset exantlatam pœnitentiam. Idem constituerunt antea 4. concilium Carthaginense can. 68. et papa Hilarius ep. 2. Quamobrem S. Leo papa decrevit [3], presbyteros aut diaconos, qui sceleris quidpiam admisissent, damnandos ad pœnitentiam privatam, non publicam, in qua eis manus imponebantur. Idem decretum est a 5. Carthaginensi concilio [4], observatumque a S. Isidoro Hispalensi [5], et a Rhabano [6]. Sæpe autem canones episcopos, sacerdotes et omnes alios clericos plectunt excommunicationibus, et interdictionibus a S. Sacramento. Non est igitur dilatio communionis habenda quasi

[1] Epist. 10. 11. et 12. — [2] De Pudic. cap. 9. — [3] Epist. 2. cap. 2. Epist. 92. cap. 2.

[4] Can. 11. — [5] Lib. 2. de Off. cap. 16. — [6] De Inst. Cler. lib. 2. cap. 29.

genus pœnitentiæ publicæ ; unde sequitur medicinam, quam Arnaldus vult facere licentiæ ac prolapsioni morum Ecclesiæ, quod attinet ad remissionem pœnitentiæ publicæ, non esse consentaneam moribus Ecclesiæ primitivæ, neque consilio quod sibi esse dicebat emendandorum vitiorum instauratione priscæ disciplinæ.

CAPUT DUODECIMUM.

Rationes, et exempla ridicula prolata ab Arnaldo ad defendendum suum consilium, duorum Principum apostolorum. Quare S. Paulus iverit in Arabiam. Pœnitentiam publicam non posse coerceri intra solam prohibitionem Eucharistiæ. Absurda enuntiatio Arnaldi.

I. Novum hoc pœnitentiæ genus, quod nobis proponit liber de frequente Communione, tantis vitiis laborat, ac tam male comparatum est, ut ingens volumen conficere possem, si vellem lectori exponere, quæcumque in eo reprehendenda esse puto. Satis habebo nova ratione eam oppugnare, ex qua intelligent omnes, qui ratione destituti non sunt, eam æque laborare in iis, quæ pertinent ad prudentiam et sensum communem, quam ad accuratam inquisitionem priscorum institutorum Ecclesiæ. In ipsa præfatione mihi occurrit res usque adeo faceta, ut recreaverit tædium, quod in examine ejus operis cœpit obrepere. Nam inter rationes, quas profert in gratiam novæ pœnitentiæ, et dilationis communionis, quam ex universa vetere pœnitentia delegit, dicit [1], « Cerni in duobus principibus Ecclesiæ, SS. Petro et Paulo, exemplar pœnitentiæ, qualis in eo opere descripta est. »

II. Credibile est pœnitentiam, quam describis, Arnalde, in tuo opere, non esse *licentiam, depravationemve, aut corruptionem morum ;* quoniam eam excogitasti, ut medicinam faceres vitiis illis, quibus recepta Ecclesiæ consuetudo laborat : ac proinde quidpiam plane singulare et diversum ab eo, quod vulgo obtinet apud fideles, expectare a te nos oportet. Videamus ergo singulare hoc commentum, idque intueamur in eximio exemplari, quod proponis duorum Principum apostolorum. Inducis pœnitentem tuum morosum et contentiosum dicentem, genus pœnitentiæ, quod tueris, et quod doces in libro tuo, quodque mali homines audent vocare *stratagema diaboli*, et contra charitatem vituperant, « esse imitationem S. Petri, qui veniam non petiit a Filio Dei, statim ac in eum deliquerat, ut docet Ambrosius, ne in eum amplius delinqueret, et qui maluit ejus gratiam lacrymis suis mereri, quam petere verbis ; » Paulum etiam talem egisse pœnitentiam, « qui paulo post baptismum discessit in solitudines Arabiæ, ut defleret illic peccatum suum, in separatione totius Ecclesiæ : quandoquidem, cum non constet, quid illic fecerit, satius est credere cum quibusdam veteribus, illuc ivisse eum, ut pœnitentiam ageret ad imitationem Jesu Christi, qui eodem consilio in desertum secessit statim post baptismum suum. »

III. Mirum est hominem ingeniosum et Theologiæ peritum, tam levibus rationibus subnixum cœpisse condere novos mundos, et universam Ecclesiam inscitiæ arguere. Pœnitentia S. Petri, et dolor, qui initio ei os occludens oculos aperiebat, ut peccatum suum videret, idque elueret duobus lacrymarum rivis, an similior est novæ isti tuæ pœnitentiæ, quam ei, quæ hodie in Ecclesia obtinet ? Si te audiamus, dolor propter Deum offensum peccato, lacrymæ, suspiria, gemitus, omnes humilitatis actiones, et quidquid optimum, ac utilissimum habet pœnitentia Christiana, tua sunt, effectusque istius novi tui instituti ; dum Ecclesia catholica nihil habet, præter licentiam, et remissionem, et quidquid est infirmum in sanctis illis exercitationibus. Quo jure tibi sumis sanctum Petrum, quasi patronum pœnitentiæ tuæ reformatæ ; quo Ecclesia uti nequeat, ut eumdem apostolum sibi vindicet ad confirmandam pœnitentiam, quæ obtinet ? Putasne vulgarem pœnitentiam, in

[1] Præfat. fol. 6.

qua educatus fuisti, quam universus Christianismus hodie amplectitur, et quam concilia confirmarunt, esse sine spiritu, ac vita, similem cæremoniis illis antiquæ legis, quas S. Paulus vocat *infirma et egena elementa*, Gal. 4. 9?

IV. Si eo errore laboras, concilium Tridentinum te in rectam viam revocabit [1]. Lege sessionem 14. ubi loquitur de pœnitentia, deque ratione qua est subeunda, et videbis dolorem ac mœstitiam propter admissa peccata, et quidquid tantopere jactas, quasi tibi proprium ac singulare, extolli ac præcipi gravius, quam posset a te fieri. Tum cogeris fateri, ut tua verba contra te invertam [2], « Quamvis ratio pœnitentiæ, quæ hodie inter fideles obtinet, differat ab ea, quæ obtinebat olim in Ecclesia, non potest tamen damnari, quemadmodum tu facis : sed contra eam revereri nos oportet, quasi sanctissimam, cum confirmata sit consuetudine totius Ecclesiæ, et a Concilio, quod de pœnitentia quod visum est constituit; nec unquam aut damnata fuerit, aut rejecta, omnibus e contrario ad ejus observationem conspirantibus : » nec ullo eam reprehendente præter hostes, qui ea offenduntur, et a quibus vocitatur *licentia*, *prolapsio*, *corruptioque morum*, quemadmodum in tuo libro facis. Hæc sunt verba tua, quibus usus sum emendatis, ut deberent emendari in sequente editione operis tui.

V. Redeamus ad Petrum, in quo doce nos quid observes, quod tibi sit singulare, et ex quo possis confirmare pœnitentiam et præparationem ad communionem, quam nova tua doctrina postulat? An Petrus subiit pœnitentiam tuam publicam potius, quam nostram privatam? Annon a conspectu, cœtuque hominum secessit, statim ac a Deo perculsus est, ut seorsum ac privatim pœnitentiam ageret?

Paulo antea communionis particeps factus fuerat, nec tam cito ad eam redire necesse habebat; nec potes dicere, hanc ei a Domino impositam fuisse pœnitentiam, ut differret communionem, sive celebrationem Sacrificii, aut eum adactum fuisse ad pœnitentiam publicam. Christus eum exauctorasset, atque exercendo muneri ineptum reddidisset; quandoquidem, ut jam demonstravi, episcopi, ceterique clerici minime obnoxii erant pœnitentiæ publicæ : tantum abest, ut Principem episcoporum, caputque Ecclesiæ ei obnoxium esse oporteret.

Itaque nihil tibi est cum Petro, nec pœnitentiæ tuæ cum ejus resipiscentia. Æque hæc distant, ac cœlum a terra; nec nisi immerito pœnitentia Petri uteris, quasi argumento, et tam parum expendis quæ scribis.

VI. Exemplum Pauli non magis rem tuam promovet, et prave interpretaris iter ejus in Arabiam. Non petam a te, quam ob rem proferas pœnitentiam S. Pauli, et quid faciat ad argumentum, de quo agis. Neque enim publica fuit, neque Paulus a communione exclusus, neque quidquam hic est, quod pro te potius faciat, quam pro Ecclesia et vulgari pœnitentia. Hoc tibi etiam dictum habe de pœnitentia Petri; quorum unum si solveris, alterum etiam solutum erit.

Hoc maxime ridiculum est, ubi loqueris de Paulo; ratio nimirum, qua ex ejus itinere colligis, quod cupis : « Cum non constet, *inquis*, quid Paulus in Arabia fecerit, satius est credere, illuc ivisse eum, ut pœnitentiam ageret. » Quid non potero ex iis verbis deducere, si ita velim ratiocinari? Dicam, Paulum se contulisse in Arabiam, ut pecuniam colligeret ad sublevandos Christianos Jèrosolymitanos. Contendam eum illuc ivisse, ut faceret tentoria, aliaque artis suæ opificia, quæ venderet Arabibus, ut pecunia hinc confecta subveniret fratribus egenis.

VII. Ditare te possum hujusmodi aliis multis commentis, iisque verisimilioribus, quam sunt ea, quæ a nescio quibus scriptoribus accepisti. Sed quid opus erat consulere, ut ita dicam, hariolum, ut curiositati tuæ satisfaceres, sciresque quid faceret Paulus in Arabia? Contentus esse debuisses iis, quæ opinati sunt tot gravissimi Patres, eruditique interpretes, S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius, sanctus Augustinus, scriptores commentariorum, quorum alter tributus est sancto Ambrosio, alter S. Hieronymo, Primasius, Sedulius, Claudius Taurinensis, Rhabanus, Glossa ordinaria, S. Anselmus, Petrus Lombardus, S. Thomas, Liranus, Dionysius carthusianus, Cajetanus; ut omittam recentiores scriptores : qui omnes credunt, Paulum ivisse in Arabiam, ut Evangelium illic prædicaret apud Judæos in barbaris illis locis habitantes, et quibus nondum a quoquam nuntiatum fuerat.

VIII. Magis decuisset Arnaldum suffragium suum tantæ doctorum multitudini addere, quam in tam inani conjectura, quæ neque

[1] Sess. 14. c. 3. 4. et seq.

[2] Arnald. Præf e.

ratione nititur neque Scriptura, acquiescere. Tacet posterior hac de re, cui potius contradicet prior, quam favebit. Si enim Paulus pœnitentiam agere volebat, eam statuerat subire aut propter delicta ante baptismum commissa, aut propter delicta, in quæ delapsus esset post baptismum. Ad priora quod attinet, pro iis satisfacere debuisset ante baptismum, non postea. Catechumeni, dum in eo statu erant, sese pœnitentia ad baptismum parabant, prout universa prodidit antiquitas. Post baptismum nullius pœnitentiæ mentio fit, quæ quidem eis præcepta esset. Si sponte sua simile quidpiam aggrediebantur, non erat pœnitentia ad leges exacta, neque publica, ex qua quidquam possis in gratiam tuæ pœnitentiæ colligere. Quod attinet ad peccata, in quæ Paulus infirmitate delabi potuit post baptismum, non sine temeritate censerentur scelera aut facinora, quæ sola pœnitentia publica plectebantur.

IX. Sed quod sæpe repetii, quamvis hæc tibi, et plura concederentur, ideo meliorem partem nactus non esses, nec pœnitentiæ tuæ majus esset pondus apud eruditos; qui se decipi non patiuntur inani strepitu verborum ventosorum, et levi cognitione antiquitatis, cui exiguam operam dedisti, et quam minime penetrasti. Quod enim colligis in opere tuo de pœnitentia publica, deque magna existimatione, qua fuit apud Patres, non potest coerceri intra solam exclusionem a S. Sacramento, quam retines. Quam tamen non prorsus improbarem, si prudenter eam adhiberes, et cum reverentia, quæ debetur institutis Ecclesiæ; nunquam aucto justo pretio, quod ei imposuit, aut pondere sanctuarii ei præfixo.

X. Hoc volo, eam pœnitentiæ rationem, quam ipse fateris [1] *differre ab ea, quæ nunc vulgo obtinet inter fideles,* non esse imponendam quasi officium præcepti et necessitatis; quo neglecto, in Ecclesia sit *licentia, prolapsioque et corruptio morum.* Hoc enim consilio, quo rem profers, eam corrumpis, et noxiam reddis. Multa sunt facta et instituta, quæ per se bona sunt et utilia; sed finis, et ratio, propter quam usus eorum urgebatur, aliæque conjunctæ circumstantiæ ea corruperunt, et in schismatis ac hæresis occasiones mutarunt. Quid est utilius, quam perpetuo incumbere orationi, et absque ulla interpellatione, quoad ejus fieri potest? Attamen nimium quorumdam, atque inconsideratum studium in eam rem, eam spoliavit iis, quæ laudabilia habebat; factumque laudabile ac pium mutavit in profanum institutum, infamemque hæresim *Messalianorum,* seu *Euchitarum* [2]*:* qui solam orationem magnifaciebant, spernebantque præ illa quidquid maximi momenti complectitur religio Christiana, ne baptismo quidem excepto.

XI. Similiter secta *Disciplinantium* damnata fuit [3], quasi hæresis. Homines erant, qui catervatim euntes, sese crudeliter flagellabant ad effusionem usque sanguinis, Europamque peragrabant, novum id *pœnitentiæ publicæ* genus prædicantes. Quamvis autem factum per se malum non esset, multique exemplo ad eorum imitationem adducerentur; attamen quia rem liberam volebant quasi præceptum imponere, quod sine peccato omitti non poterat, tandem judicati sunt hæretici. Idem contigit Montanistis propter jejunia et quadragesimas, quæ imponebant, operum supererogationis loco, iis quæ ab Ecclesia catholica instituta fuerant. Cum enim hæc quasi præcepta necessaria hominibus imponerent, propter hæc, aliaque capita similia, ex Ecclesia expulsi sunt, atque hæc opinio in numerum hæresum relata.

XII. Magis timendum, quam optandum est, ne nova hæc de pœnitentia publica inventa, quæ minus sancta sunt, et plus artis habent, æque funestum habeant exitum, sicut simile principium habuerunt. Certe opus de Pœnitentia publica, quod specimen complectitur ejus doctrinæ, agit de ea pœnitentia, deque exclusione a sacramento Altaris post confessionem, quasi de officio necessario, et quod negligi nequit, nisi incidamus in licentiam ac corruptionem disciplinæ, quæ Ecclesiam et omnes fideles æternæ damnationis reos faciet.

XIII. Sed prætermittendum non est, quod animadverti, dum hæc scribo. Cum enim oculos conjecissem in Præfationem libri Arnaldi, incidi in enuntiationem, quæ mihi mira visa est. Laudat illic pœnitentiam suam, quatenus adjunctam habet dilationem communionis; postque multas inauditas hyperbolas, atque enthusiasticas locutiones, easque minime vulgares, de quibusdam hominibus, qui exuberantia quadam gratiæ et pœnitentiæ perfusi, nollent ante finem vitæ ad communionem accedere, contendit [4], « Id demum

[1] Præf. p. 1. — [2] Theo. Lib. 4. Hist. Eccl.

[3] Naucler. Gen. 45. Trithem. in Chron. Albert. Krant. lib. 8. Vandalic. — [4] Præf. fol. u.

fore perinde, ac Dei adversari Spiritui, si quis damnaret eam pœnitentiam, cui comes est tanta humilitas, et tantus intra animum pudor; et qua magis satisfit Deo, quam omnis generis bonis operibus sejunctis ab eo pudore, qui nascitur ex separatione a corpore Jesu Christi. »

XIV. Hancce enuntiationem mihi soli novam visam iri non puto : pudore, qui nascitur ab exclusione a S. Sacramento, magis Deo satisfieri, quam ullo alio genere bonorum operum, quod sit ab eo sejunctum. Ponamus ergo, verbi causa, magnum quempiam peccatorem, qui pœnitentiam egerit more solito Ecclesiæ, (quem concilium Tridentinum pronuntiavit contineri hisce verbis S. Pauli, *Probet autem seipsum homo,*) deinde mutato pudore in fiduciam filio convenientem, qua divinæ bonitati fidit, de nulla re amplius cogitet, nisi de rationibus amandi Dei, et sperandæ ejus misericordiæ, ac deinceps martyrium subeat, ac pro fide moriatur; *bonum illud opus* martyrii *sejunctum a pudore, qui nascitur ex separatione a corpore Jesu Christi*, annon magis satisfecit Deo, quam merus pudor, quo quis ob exclusionem a Sacramento perfundetur, sine perpessione martyrii? Aiat, aut neget Arnaldus.

XV. Non puto tam peritum theologum, atque usque adeo versatum in lectione Patrum, ignorare perpessionem martyrii esse summum apicem meriti et satisfactionis, ad quem in hac vita pervenire liceat, ita ut, animo corpore soluto, remittantur omnes peccatorum pœnæ. Quamobrem nullæ fundebantur preces pro martyribus, neque pro eorum animis Sacrificium Deo offerebatur, neque mentio ulla eorum ad altare fiebat, ut olim factum est pro omnis generis defunctis sic, ut prodidit Augustinus [1] : « Ideo, *inquit*, ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus; quia impleverunt ipsi charitatem, qua Dominus dixit non posse esse majorem. »

XVI. Alibi ita loquitur [2] : « Ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oratur, pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. » Dicat Arnaldus ex animi sententia, an similia cogitet de eo, qui, postquam a communione exclusus esset, morbo aut morte subita interiret; anve non oporteret pro illo orare et S. Missæ sacrificium offerre? Quomodo ergo ita inconsiderate locutus est, ut dixerit: pudore, qui comes est pœnitentiæ, cujus usum docet, *et qui nascitur ex separatione a corpore Jesu Christi, magis Deo satisfieri, quam omni genere bonorum operum ab illo pudore sejunctorum?* Quod dixi de martyrio, id dici potest de innumeris aliis actionibus virtuti consentaneis, quæ quamvis minoris sint pretii ad redimendas pœnas peccatis nostris debitas, quam martyrium, attamen pluris sunt, quam pudor ex illa separatione commentitia natus.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Rationem pœnitentiæ, quæ intromittenda proponitur, non esse pœnitentiam Ecclesiæ primitivæ, ac multis incommodis laborare. Causæ, quæ impulerunt Ecclesiam ad instituendam pœnitentiam publicam, a quibus Arnaldi usus multum abest.

I. Res est in confesso apud universam antiquitatem, et apud hodiernam Ecclesiam, nihil esse præstantius, nihil augustius in tota religione Christiana, quam S. sacramentum Altaris. Nemo dubitat quin sit instar animæ, ex qua vita oritur; simulque cibus, qui spargitur per universum corpus fidelium, et qui spiritum ac vigorem ei suppeditat, quo

[1] Tract. 84 in Joan.

[2] Hom. 17. de verb. Ap.

alatur ac vigeat. Hinc factum ut dixerit S. Dionysius, « (1) Quod commune est omnibus sacris, id huic præter cetera attributum, et singulari ratione vocari communionem et synaxim. » Cujus rei hanc rationem profert, quod divinum hoc sacramentum sit veluti centrum, in quod omnes ritus colliguntur, et omnia religionis exercitia ; quod sit perfectio vitæ Christianæ, atque in eo versetur summa atque excellentissima functio hierarchiæ ecclesiasticæ, hoc est potestatis, et dignitatis episcopatus, ceterorumque sacrorum ministeriorum.

II. Quod cum ita sit, dubium etiam esse non potest, quin privatio tanti boni sit magnum malum ; adeoque quin Arnaldus merito in præfatione libri sui ita existimarit[1]. Sed quod infert, ad rem nihil facit, « Se ea de causa, ex omnibus partibus externis pœnitentiæ antiquæ, eam tantum retinuisse ; quia, ex Patrum sententia, est maximi momenti, et omnium, ut homines putant, facillima, aptiorque ad affligendum animum, quam corpus. » Addit, « Si maxima pœna damnatorum est eorum æterna a Deo separatio, sique multum superet cruciatum flammarum ; constare nullum debere esse majorem in terris dolorem, quam eorum, qui animadverterint se a Deo sejunctos, atque ab hoc superari oportere omnem sensum pœnarum, et σκληραγωγιῶν pœnitentiæ. » Denique dicit, « Ecclesiam semper habuisse eam separationem, quasi maximam omnium pœnarum, quas pœnitentibus imponere posset. »

III. Universa hæc oratio, ac ratiocinatio subtilior æquo est, et remotior a vulgi opinionibus ; nec consentit cum fructu ac usu pœnitentiæ publicæ, quem expectabat olim Ecclesia, et quem expectat etiamnum hodie ex reliquiis pœnitentiæ, quæ adhuc sunt in usu. Hæ rationes expendendæ essent, si constituenda esset pœnitentia ac satisfactio publica, in usum societatis Stoicorum, aut hominum ingeniosorum, qui rerum naturam penetrare possunt. Sed homines e vulgo, qui tanto ingenio non pollent, eas argutias minime capiunt. Quare ea pars pœnitentiæ publicæ, quam solam elegisti, parum eis apta est. Non es sapientior Ecclesia primitiva, quæ cum institueret pœnitentiam publicam, ulterius prospexit, et alia cogitavit, quam tu, aliique, quorum organum fuisti. Præceps isti hac de re judicium tulerunt ; nec vos omnes satis callidi fuistis, ut consilium vestrum probe expenderetis, atque ad rectam rationem componeretis.

IV. Hæc ergo Ecclesia primitiva, quam vultis imitari, et quam tam sæpe ad partes vocatis, sibi proposuit in pœnitentiæ publicæ institutione. Primum censuit eam pœnitentiam non imponendam membris corporis sui delicatis et spiritualibus : ecclesiasticis nimirum, qui, ut ostendi, immunes ejus erant. Laicis ergo duntaxat eæ leges latæ erant ; quam in rem etiam observandum, executioni decretorum pœnitentialium obnoxia ut plurimum fuisse crassiora, ut ita dicam, Ecclesiæ membra, hoc est minus erudita, et addictiora rebus sensibilibus, ac voluptatibus carnis.

V. Præterea noluit eam pœnitentiam imponi vulgaribus peccatis, quæ ei minime erant obnoxia. Quod intelligendum non de venialibus tantum, sed etiam de mortalibus peccatis, at non usque adeo enormibus ; ut postea ostendam. Itaque sola delicta atrocia, scandalosa, ac præterea publica, necessario subjacebant pœnitentiæ publicæ. Neque enim loquor de eo, quod potuit a nonnullis sponte fieri et exuberantia quadam religionis, qua sese magis deprimerent, ac macerarent. Sic et hodie multi subeunt σκληραγωγίας sponte sua in monasteriis, ad quas a nemine adiguntur ; prout tu ipse, Arnalde, observasti id vitæ genus pœnitentiæ publicæ successisse. Quod vero attinet ad necessitatem subeundæ ejus pœnitentiæ, ad sola delicta publica et scandalosa porrigebatur ; qua in re vehementer errasti, ut suo loco ostendam. Quod cum ita sit, facile est intellectu, paulo cultiores et prudentiores in eam necessitatem raro incidisse.

VI. Itaque Ecclesia ita instituerat decreta sua ad curationem morborum spiritualium, ut conditioni ac sorti membrorum suorum essent attemperata. Habebat remedia vehementiora et crassiora in usum eorum, qui rudiores sunt, et talia minus sentiunt. Tales erant humiles illæ prostrationes et σκληραγωγίαι, quæ simul erant corpori molestæ, et animo pudendæ, quia eas universus populus spectabat ; qua in re sita proprie erat pœnitentia publica, ut jam observavimus. Alia erant medicamenta tenuioribus membris, quales sunt ecclesiastici ; quibus aliud nihil præ-

(1) Cap. 2. de Hier. eccl. Τὸ κοινὸν καὶ ταῖς ἄλλαις ἱερουργικαῖς τελεταῖς ἐκκρίτως αὐτῇ παρὰ τὰς λοιπὰς ἀνατέθειται, καὶ ἐνιαίως ἀναγορεύεται κοινωνία τε καὶ σύναξις.

[1] Præf. i. et o.

scribebatur, nisi ut aut prorsus, aut partim a mysteriis abstinerent.

VII. Medici plane aliter curant artus crassiores, et qui pati remedia vehementiora possunt, ut brachia, crura, et alios, quando sunt læsi, quam teneriores, delicatiores, qualis est oculi pupilla. Postquam arator messuit, non utitur iisdem instrumentis, nec eodem modo triturat in area omnis generis segetes. In quibusdam utitur flagello, vel plaustrum super inducit, vel traham dentibus acutis horrentem, quemadmodum fit in frumento ; at tenuiora semina excutit duntaxat virgis aut bacillis, ut docet Propheta [1]. Ita etiam se gessit Ecclesia primitiva, et magna prudentia usa est in impositione pœnitentiæ, pro statu et conditione liberorum suorum. Quamobrem quod ais, *Ecclesiam semper habuisse quasi maximam omnium pœnarum, quas possent imponere pœnitentibus, exclusionem a communione ;* id nimis generaliter, atque indefinite a te dicitur.

VIII. Si ea quidem separatio in se spectetur, atque absolute, non diffiteor majus esse malum, et magis pertimescendum, quam jejunium, cilicium et omnes corporis castigationes, imo et quam ignominia, cui suberant ii, qui pœnitentiam publicam subibant. Sed si spectes statum, ac conditionem hominum, variasque eorum naturas, ingenia, atque affectus, quorum impetu aguntur, aliud plane judicium feres. Sunt enim animi humiles ac demissi, stupidique, qui nihil sentiunt, quod sit paulo sublimius, quodque sensus minime percellat. Hi longe petitis rationibus, et subtilioribus æquo rationibus minime afficiuntur. Eorum intellectus non capit Theologiam tuam, oculique fulgore tam sublimium dogmatum hebescunt.

IX. Quamobrem necesse fuit Ecclesiam in institutione disciplinæ sese attemperare ejusmodi hominibus, quippe quorum in societate Christiana maximus est numerus. Quod fecit, ut dixi, in eo quod spectat ad pœnitentiam publicam, quæ imponebatur laicis, et iis quidem potissimum, qui sui rerumque sensilium amore maxime ardebant. Prudenter ergo se gessit Ecclesia, cum eam elegit quasi optimam rationem, qua posset in officio fideles continere, impositis satisfactionibus delictorum causa, quæ essent veræ et sensiles pœnæ, non vero animo tantum in meditatione intelligendæ.

[1] Isa. 28. 27.

X. Cum omnis pœna proficiscatur a justitia, quam vocamus *ultricem*, debet consentanea esse delicto, ejusque gravitati. Gravitas autem delicti non tantum ex objecto intelligitur, sed etiam ex multis aliis circumstantiis, quales sunt conditio delinquentis, ejus indoles, opinio, cognitio officii, facultas agendi, aliaque ad hominem pertinentia. Itaque, ut pœna recte imposita sit, necesse est ut consentiat cum omnibus hisce circumstantiis ; quod nisi observetur, facile fieri poterit, ut neque pœna, neque justa sit. Quod enim uni pœnæ est, alteri est voluptati. Quisquis natus in magna urbe relegaretur in vicum, eam habitationem intolerandam judicaret, quam jucundissimam censeret in eo vico natus. Sic vir dives, qui ex annuis fructibus habuisset centum millia nummorum, non sine gravi dolore ad dimidiam partem redigi se videret ; quam summas divitias esse putaret, qui decem millia nummorum tantum habuisset.

XI. Duo insunt affectus naturæ humanæ, qui sunt omnium vitæ malorum fontes : alter est amor voluptatis et omnium eorum, quæ sensibus blandiuntur : alter cupiditas honoris et existimationis apud sui similes. Itaque ut animadvertit Philosophus, Ethic. 10. 10. pœna debet desumi, quasi remedium, ex eo quod eis est oppositum ; hoc est ex dolore atque ignominia. Ecclesia vero, dexteritate prorsus divina, utrumque adhibuit ad castigationem liberorum suorum in pœnitentia publica. Inerant dolor atque amaror omnibus illis σκληραγωγίαις, quibus macerabatur caro. Par iis erat ignominia, cum pœnitentes omnibus se sistebant conspiciendos ad januas ecclesiarum, indutos saccis, et ciliciis, cineribus coopertos, squallentes, atque humi provolutos, ut oscularentur pedes eorum, quorum fortasse alioqui ministeria vilissima aspernati fuissent. In hisce abjectionibus, Tertullianus sitam esse vult maximam pœnitentiæ publicæ difficultatem ; cujus horror multos absterrebat, qui a se impetrare non poterant, ut eam subirent.

XII. Quid hisce simile est in pœnitentia ista mutila et adulterata, quæ nobis quasi pœnitentia publica primitivæ Ecclesiæ venditatur ? Quid sibi volunt novi Pœnitentiarii sua separatione a Sacramento, quam nobis obtrudunt, quasi esset celebris illa veterum pœnitentia publica ? Illa interdictio a communione non est valde molesta plerisque Christianorum, quales illi sunt quibus secundum canones imponebatur pœnitentia publica. Multi etiam

gauderent sibi communione interdici, imo vero integra Missa, nec sibi necessitatem imponi eundi ad ecclesiam diebus dominicis et festis. Nimis multi pœnitentes sibi propterea gratularentur, tempusque divini cultus in ludis, ac cauponis transigerent.

XIII. Hoc modo ignominia liberarentur, quod unum deberent tuæ, Arnalde, novæ pœnitentiæ. Neque enim ullam aliam imponis eis pœnam, præter exclusionem a sacramento Altaris; nec eos vis cogere, ut se sistant ad januam sanctorum locorum, quod in primitiva Ecclesia fieri solebat: nam hoc sæpe professus es in tuo opere [1]. Itaque in iis minime creabitur is pudor, quem pœnitentiæ tuæ fructum esse vis, et quem non solum æquabas, sed etiam præferebas omnis generis bonis operibus, ne excepto quidem martyrio. Itaque pœnitentia tua caret omnibus subsidiis, quæ possint miseris peccatoribus ferri; quoniam ei desunt duo illi effectus, quos antea dixi esse veteris pœnitentiæ publicæ, hoc est, corporis maceratio et ignominia. Igitur nullo modo ostendis, quod vis de tuo consilio credi, esse hanc pœnitentiæ ac disciplinæ veteris instaurationem.

XIV. Inest præterea aliud vitium administrationi, ac prorsus adversatur ei, quod maximi fuit momenti in exemplari, quod imitari aggressus es. *Nihil retineo*, inquis, *ex pœnitentia publica, præter separationem a S. Sacramento.* Ne igitur revoces, quod profiteris, et hanc solam certe partem pœnitentiæ retineamus integram, quasi sacrum quoddam pignus et monumentum antiquitatis. Attamen hoc non facis, et hanc partem, non secus ac ceteras, adulteras; etenim veteres non tantum arcebant pœnitentes a manducatione corporis Christi, sed ne adesse quidem eos patiebantur, cum celebrabantur mysteria.

XV. Nunquam iis intererant pœnitentes. Intelligo videlicet eos, qui erant etiamnum in tribus prioribus gradibus, quibus conveniebat nomen pœnitentiæ, quemadmodum jam ostendimus. Itaque separatio, quæ obtinebat in Ecclesia primitiva, erat exclusio omnimoda a sacris mysteriis, non a sola manducatione; quemadmodum fieri vis, mutilato sacro illo deposito, quod pollicebaris te integrum servaturum, quasi sacras reliquias Ecclesiæ primitivæ. Per te autem fas esse pœnitentibus interesse sacrificio Missæ, id liquet ex tuis verbis, quæ modo protuli, clariusque etiam ex sequentibus, in quibus licet per te pœnitenti *facere, dum interest sacrificio Missæ, quod alii faciebant expulsi ex ecclesia, dum mysteria celebrarentur.* Hæc non est ratio, qua possit hodierna Ecclesia ad mores primitivæ revocari, et restituere sibi usum pœnitentiæ publicæ, etiam in exiguo illo ejus specimine, quod finxisti, et quod per totum opus usque adeo venditasti; cum illud adeo mutes, ut collatum cum vetere usu, agnosci nequeat.

XVI. Sed aliquando videris animosior esse, et plura flagitare, quam meram separationem a sacramento Altaris; cum adhortaris fideles ad rigidiorem observationem pœnitentiæ publicæ, ita ut non abstineant tantum a communione, sed ne in ecclesiam quidem ingrediantur. Eo animo, sine dubio, ob oculos nobis ponis exemplum memorabile integri populi [2], qui, viginti quinque milliaribus Lutetia remotus, revocavit in usum separationem integram tam a communione, quam ab ingressu ecclesiæ. Locum illum non novi, nec scio, an pagus sit, an vero urbs. Hoc unum scio, si tuo consilio ea novitas est intromissa, a te doctrinam tuam non retineri, et brevi tot hinc exortura incommoda, ut necesse futurum sit abrumpere id institutum, et ad pristinum, ac consuetum omnibus morem redire.

XVII. Narrant Platonem jussum aliquando a Rege conari condere Rempublicam, qualem in libris suis descripserat, quamobrem urbem ei attribuit; sed eum, postquam multum laborasset in delectu incolarum, atque in iis adsuefaciendis novis legibus, tandem coactum fuisse cœptum omittere, quod perficere non poterat. Idem prodidit Porphyrius de Plotino Platonico, cui cum facta esset potestas idem experiendi in urbe Calabriæ, non secundiorem eventum habuit, quam Plato. Idem tibi contingere necesse est, ubicumque doctrinam tuam prædices. Perturbatio, anxietas, et desperatio cœpti unquam perficiendi conatus tuos comitabuntur; nisi prius doctrinam tuam emendes, quæ cum praxi ipsa rerum consistere non potest, et omnia conturbabit. Cujus rei en tibi rationem, quæ cuivis satisfaciet.

XVIII. Existimas [3] omne peccatum mortale obnoxium esse oportere pœnitentiæ publicæ, dilationique Sacramenti, post confessionem.

[1] Præf. i. — [2] Præf. eee.

[3] Part. 2. cap. 12.

Præterea contendis [1], « Eam pœnitentiam impositam fuisse non tantum peccatis publicis, sed etiam arcanis. » Quæ duo si sequaris, oportebit ut in Ecclesia, vel parœcia, in quam novum hoc institutum intromiseris, maxima pars populi abstineat a communione atque ingressu ecclesiæ, imo etiam ut a Missa absit ; ne quid fiat dimidia tantum ex parte, utque cœptum tuum absolvas per omnia mores antiquæ Ecclesiæ secutus. Quod cum feceris, oportebit sacerdotem sæpe Missam canere solum, nemine ei respondente, nec etiam in ecclesia esse audente. Pauci enim sunt, præsertim inter ignaros et rusticos, qui diu innocentiam suam tueri possint absque ullo peccato mortali, saltem animo ac cupiditate admisso ; præsertim si pro tua doctrina diu differas eos absolvere, postquam peccata confessi fuerint, ut et eos admittere ad communionem ; quæ duo sunt veluti mammæ Ecclesiæ, ex quibus defluunt in ejus liberos auxilia necessaria ad vitandum peccatum, et gratiam acceptam servandam.

XIX. Præterea ei rei addamus aliud illud caput doctrinæ tuæ, et paradoxum, quod multo magis mirum est et inusitatum ; ex quo contendis neminem debere accedere ad sacra mysteria, nec Ecclesiam ipsam ingredi, cœtibusve fidelium interesse, nisi sit inculpatæ prorsus vitæ, et animo usque adeo purgato [2], « ut nulla ei obversetur imago præteritorum delictorum, sed sit plane perfectus. » Quod non tantum consilii instar proponis, sed quasi legem, qua, ex traditione et doctrina veterum Patrum, teneamur : ut ostendi ex serie ratiocinationis, et tuis ipsius verbis. Si igitur rem velis experiri, satisque animosus sis ad ostendendum consilium hoc tuum non esse duntaxat in ideis, ut respublica Platonis, sed esse imitationem praxis apostolicæ et primitivæ Ecclesiæ, quam secuta sit per duodecim secula per totum Christianum orbem, cujus memoria supersit in scriptis Patrum, et quæ confirmata fuerit a conciliis, ac præsertim ab ultimo œcumenico, quoad ejus fieri potuit ; cogeris eam summam perfectionem Ecclesiæ restituere, nec quemquam invenies, qui velit nomen dare novo isti tuo cœtui, adigerisque e cœlo elicere hierarchiam quampiam cœlestem spirituum corpore carentium, quæ cætus tuos impleat.

XX. Fieri enim non potest, ut in terris invenias quod cupis, ad eos constituendos. Res est in alteram vitam dilata, in qua Ecclesia erit id, quod non potest non esse, hoc est, sine peccato, maculaque, ullove eorum vestigio.

Ad hanc vitam quod attinet, cum nemo sit peccati immunis, ut nos docet fides, multo minus quisquam invenietur, qui non aliqua imperfectione laboret, ametque creaturas plusquam par est ; nisi Deus miraculo id efficere voluerit. Itaque oporteret Ecclesiam tuam cœtum esse hominum, quos Deus miraculo dignaretur, et præter morem sanctorum, quales nunquam fuerunt in terris, neque posthac erunt ; quandoquidem ex tua sententia Ecclesia semper degenerabit, seculaque sequentia anterioribus semper erunt deteriora.

[1] Ibid. cap. 10.

[2] Part. 1. c. 4.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Consilium hujus libri, et ratio, cur in hoc opere pergat auctor. Tres potissimi fontes errorum libri de frequente Communione. Primus est, quod ex indefinitis propositionibus consectaria practica deducat. Alter, quod consectaria ad extrema quæque urgeat. Tertius, quod misceat ea quæ sunt præcepta, cum iis, quæ ad decorum tantum pertinent.

I. Hactenus operam dedimus, ut everteremus doctrinam novorum Pœnitentiariorum; oppugnatis eorum consiliis summatim spectatis, et retectis arcanis eorum causis, pravisque effectibus, quos in Ecclesia catholica parere possunt. Qua de re ea diximus, quæ facile queant ab errore revocare eos, qui primo fulgore spuriæ illius lucis falluntur, et quorum palato placent nova illa dogmata; quæ primo intuitu non talia videntur, qualia revera sunt, sed velis ac prætextis rationibus occultantur, ut specie pietatis ac emendationis morum, suam imbecillitatem tegant. Hoc satis fuit, ut judicaremur præstitisse promissum nostrum de minuenda fama, atque existimatione pravæ hujusce rationis agendi, ad quam temeritas cum ignorantia, et partium studio, conspirat. A temeritate enim conceptum est hoc consilium, et ab ignorantia descriptum in opere de frequente Communione. Nihil superest, nisi ut partium studium id exsequi pertinaciter conetur.

II. Existimo quidem nihil esse in toto illo opere, nullam ratiocinationem, nullum argumentum paulo insignius, cujus solutio inveniri nequeat in generali disputatione, quam præmisimus; nec ullam superesse difficultatem, quæ possit impedire animos, quibus superest aliqua rationis scintilla nondum affectu extincta. Sed quoniam hæc scribimus in usum imperitorum potius, quam doctorum, qui puerilibus ratiocinationibus non falluntur: consilium cœpi pergere, tempusque paulo majus tribuere occupationi parum jucundæ; et quam æquo animo fero duntaxat, quia multis perutilis est, et quia non indignari non possum, quod ea doctrina innoxia habita sit, quæ Ecclesiam in partes lacerat; et quod id opus existimatum sit egregius fœtus ingenii, et eruditionis, quod est tantum delineatio cognitionis confusæ, et specimen juvenis, qui incipit doctrina tingi, sed qui nondum sat diu litteris sacris operam dedit.

Antequam vero singillatim ostendam, quid in eo opere sit peccatum, operæ pretium erit lectori ob oculos ponere generales causas eorum peccatorum, et paralogismorum per universum opus sparsorum. Sunt autem tres præcipuæ, ad quas ceteræ omnes referri possunt.

III. Prima est, auctorem libri de frequente Communione, ratiocinantem, et quæ ad rem suam faciunt colligere ex præmissis cupientem, proferre enuntiationes nimis generales, unde colligit dogmata practica, quæ variis circumstantiis coercita, mutantur, nec satis consentiunt cum generalibus principiis, ex quibus sunt deducta. Captiosa est ea ratio argumentandi, eique similis, qua uteretur probaturus, in societate civili non esse capitis supplicio afficiendos, qui id commeriti sunt, ostenderet clementiam esse egregiam virtutem, et in Evangelio præceptam, quasi indicium filiorum Dei, et similitudinem, qua patrem suum referunt. Ea ratiocinandi ratio sine dubio inepta esset; quia sunt ea in re circumstantiæ, per quas non licet ei generalem enuntiationem aptare. Hoc delictum crebro admittit Arnaldus sic, ut ostendat oportere ab Ecclesia recipi rationem pœnitentiæ, quam docet, ita ut differatur communio eorum, qui, ut par est, peccata confessi sunt; utque abroget pœnitentiam, qua hactenus usa est, et quam probavit concilium Tridentinum: exspatiatur in laudes pœnitentiæ, multisque agit de rigore observando in punitione peccati mortalis, deque aliis, quæ ad rem nihil faciunt. Multa colligit exempla ex antiquitate,

multasque Patrum sententias, quæ pœnitentiam vehementer commendant. Eadem ludificatio est in ratiocinatione, qua conatur probare concilium Tridentinum confirmasse pœnitentiam publicam, et voluisse quidem eam restitui, at ausum non esse aggredi, ut nimirum illibata rei confectæ gloria servaretur Arnaldo. Hoc enim colligit ex eo, quod Concilium significavit velle se instaurare traditiones antiquas. Quasi vir sani judicii ita posset intelligere eam Concilii enuntiationem, quasi ei animus fuisset restituere omnis generis traditiones, ne iis quidem exceptis, quæ multorum annorum præscriptione et consuetudine contraria obsoleverant, aut etiam iis, quas Concilium abrogavit.

IV. Alterum erroris principium in eo situm est, quod Arnaldus semper consectaria ad extrema perducat. Exempli causa, si quis dixerit male eos facere, qui jubent abstinere a communione eos, qui se ad eam comparârint viis solitis ab Ecclesia præscriptis; clamat damnari omnem dilationem Sacramenti, et quidem quacumque occasione; queritur [1], *quibusvis fieri audaciam sæpe accedendi ad Eucharistiam*: quæ mera est calumnia. Si quis dicat imminutionem studii rerum cœlestium, quam interdum sentimus, non debere obstare, quominus ad communionem accedamus, dolose hæc verba interpretabitur de quavis imminutione, deque ea, quæ proxime oritur ex peccato mortali, quæque charitatis ardorem extinguit. Is est stylus solitus hæreticorum, quem non decet Arnaldum imitari.

Tertia causa ejus hallucinationum, et quæ minime omnium toleranda est, ac sparsa tamen per universam ejus disputationem, in eo sita est, quod miscet id quod per se satis est, aut necessarium ex præcepto, cum eo, quod est tantum decori et majoris perfectionis. Hinc fit, ut damnet quasi peccatum et corruptionem morum, quod summum est tantum remissio quædam studii rerum cœlestium, et omissio instituti, quod nullo præcepto nobis est impositum. Innumera sunt ejus rei exempla in opere de frequente Communione, quorum magnam partem protulimus in superioribus libris. Sed et in sequentibus nonnulla attingemus.

V. Sunt quidem et alii fontes erroris in eo opere, sed satis erit digitum ad præcipuos intendisse. Ceteri procedente disputatione per se aperientur. Sed antequam rem aggrediar, oro lectorem, ut meminerit ejus, quod sæpe diximus: a nobis prorsus non damnari novam hanc pœnitentiæ rationem, quia aliquando eos, qui peccata confessi sunt, communione interdicit, aut eorum absolutionem differt. Sæpius professus sum me existimare non mala hæc esse, imo posse esse interdum necessaria, si directores conscientiarum prudenter utantur ejusmodi remediis, pro occasionibus, adjunctaque prudentiæ charitate, a quibus eorum usus definiatur. Hoc unum reprehendo una cum universa catholica Ecclesia, quod animus sit Arnaldo has consuetudines instituere, quasi necessariæ essent et præcepto nobis impositæ; quasi sine licentia, depravationeque et prolapsione morum omitti non possent; quasi denique singuli fideles peccato sese obstringerent, quod ea instituta non suscipiant, Ecclesiaque universa conscia esset ejus peccati, quod iis minime confirmatis contraria potius sequatur. Hoc unum improbamus, atque oppugnamus quasi falsum dogma, quod Arnaldus patefacit ac tuetur in opere de frequente Communione.

VI. Scio quidem, in usu ejus remedii, quamvis omnibus necessarium non esse censeatur, fore periculum, et jacturam timendam; quæ mature essent expendenda, antequam ad id deveniretur: præsertim si non communio tantum, sed et absolutio diu differretur, ut vellet hic noster Theologiæ doctor. Attamen incommoda, quæ sequi possent, imprudentiæ tantum essent tribuenda, si res inter volentes transigeretur absque ulla impositione legis et coactionis peccatoribus pœnitentibus. Contra vero prout rem adhibent, et pro animo, quo eam urgent, rationeque, qua se gerunt, consilium eorum favet errori et hæresi, non tantum ex axiomate Arnaldi ipsius contendentis [2] *omnem errorem aliquid trahere ex hæresi;* sed etiam quia hæresis est, non dimidiata, sed integra, si dicas Ecclesiam consciam sibi esse *licentiæ ac corruptionis morum.*

Iterum igitur oro lectorem, ut hæc secum pensitet, utque hisce affectus, ut par est, non prius tegat hasce nostras disputationes, deque iis judicare aggrediatur.

[1] Par. I. c. 20.

[2] Ibid.

CAPUT SECUNDUM.

Ab Arnaldo sæpe laudari anonymum parum candide, et malo consilio. Quare velit traditiones antiquas normæ instar haberi. Ratio commoda secernendi rectas consuetudines a pravis.

I. Veteres olim crediderunt [1] esse homines, qui laudando fascinabant; quibus non dissimilis est Arnaldus, qui sæpe probat et laudat verba anonymi, quem sibi adversarium delegit, sed eo animo, ut iis laudibus utatur ad intromittendam doctrinam suam, et ut venenum erroris sui trahat ex axiomate, quod ex auctoris sententia intellectum sanctum et catholicum est. Ita se gerit, ab initio libri [2], ubi multum laudat hanc enuntiationem lib. 1. « Optimam regulam servandam, ne fallamur, in quæstione de frequente communione, quemadmodum in omnibus aliis rebus esse, si consideremus quid sit consentaneum antiquitati, traditionibus sanctorum, et priscis consuetudinibus Ecclesiæ. Hæc regula desumpta est ex 1. Joan. c. 2. » Multis hoc axioma laudat Arnaldus, idque tuetur similibus Patrum testimoniis. Nec alia de causa id laudat, atque urget, quam ut inde colligat admittendam esse novam rationem pœnitentiæ, quam putat a primitiva Ecclesia usurpatam, et cujus meminit traditio, in scriptis veterum Patrum, et canonibus Conciliorum.

II. Verum liquet ex iis, quæ ante ostendimus, neque pœnitentiam, quam usque adeo prædicat esse priscam illam, cui auctoritatem addit traditio, neque quamvis traditionem seu consuetudinem Ecclesiæ admittendam esse, ac restituendam in communem usum fidelium. Hoc adeo constat, ut in dubium revocari nequeat, nisi ab iis, qui sensu communi destituti sunt, aut quid dicant nesciunt. Si enim prorsus universaliter intelligenda esset ea enuntiatio, de omnibus traditionibus et consuetudinibus, quæ olim viguerunt, omnia essent invertenda, et nova Ecclesia ædificanda. Pro temporibus mores mutantur, prudentiæque est, et officium quod præstandum humanæ societati, ut sequamur instituta recepta ab omnibus, apud quos vivimus, quando mala non sunt.

III. Nulla autem est ratio facilior intelligendi, cum dubitamus, an prava sint, quam si videamus, quomodo boni ac docti se gerant; nam ut docet Aristoteles [3], « Videtur virtus, et vir bonus esse unicuique mensura. » Cum ergo videbimus a bonis viris, qui sunt in societate, minime damnari institutum quoddam, sed probari potius eorum observatione, et Conciliis, si interrogentur; certum hoc demum est indicium, ex quo intelligere licet rem esse bonam, aut certe indifferentem, posseque sine delicto observari. Sed cum videmus eam ab iis tolerari duntaxat, occasione vero data vituperari, et ab ejus observatione alios, quoad licet, revocari; mali quidpiam ei inest, ac proinde est ab ea cavendum. Quam in rem eximiam nobis regulam suppeditat Augustinus, hisce verbis [4]: « Quisquis ergo vel quod potest arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest, salvo pacis vinculo excludit, vel quod salvo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus. » Nunc eam regulam negotio nostro apta de pœnitentia publica, præparationeque necessaria ad sacramentum Altaris; atque intelliges gravissimas tibi esse rationes, cur acquiescas in dogmate Ecclesiæ, et omnium Catholicorum, quorum virtus ac eruditio tuam virtutem, eruditionemque minimum æquant; nec ullam tibi esse causam damnandi quasi *licentiam, corruptionemque morum* id, quod illi minime damnant, sed quod ipsi sequuntur, atque exemplo suo comprobant.

IV. Eum in finem, et propter consilium suum Arnaldus [5] usque adeo laudat regulam anonymi de electione fidi directoris, deque dotibus, quibus eum præditum esse oportet, et quarum prima est, *ne foveat ulla peculiaria dogmata, alienave a dogmatibus SS. Patrum.* Hinc enim occasionem arripit extollendarum priscarum traditionum, variis Patrum testimoniis. Quod callide facit, ut sensim præparet animos, ne offendantur nova pœnitentiæ inventione; quandoquidem nititur traditione

[1] Virg. Ecl. 7. et ad eam Servius. — [2] Part. 1. cap. 1.

[3] Eth. 9. 4. Ἔοικε γὰρ μέτρον ἑκάστῳ ἡ ἀρετὴ, καὶ ὁ σπουδαῖος εἶναι. — [4] Lib. 2. contra Parm. c. 2. — [5] Part. 1. c. 28. et 32.

atque antiquitate. Sed falsimum est, ut multis ostendimus, hanc esse pœnitentiam, quæ traditione et usu veteris Ecclesiæ celebris est. Quod quamvis esset verum, attamen cum consuetudo, et præscriptio longi temporis rem derogarint, non sine *insania*, *animoque imprudente et superbo*, ut ipse fatetur [1], *privatus* aggrediatur non tantum *instaurare universam Ecclesiam*, restituta pœnitentia publica; sed etiam vituperare morem contrarium, quem probat Ecclesia, quasi esset corruptio morum, nosque ad pristinum revocare ab aliquot seculis obsoletum.

CAPUT TERTIUM.

Antiquam esse controversiam de frequentia communionis, non posse illam generaliter definiri sine multis exceptionibus in usu quotidiano; nec eo secius frequentem communionem, si summatim loquaris, præferendam esse rariori.

I. Hoc est potissimum caput, primariumque argumentum totius operis Arnaldi; de quo capite nonnulla prius summatim dicemus, quam recenseamus singillatim errores, in quos delapsus est, dum agit de hoc argumento.

Non hodie, atque heri cœptum est disceptari, an præstaret sæpe ad communionem accedere, quam ea abstinere, nec nisi raro, et circumspecte participem Eucharistiæ fieri. Abhinc ferme tredecim seculis res cœpit agitari inter viros doctos ac pios. Utrinque prolatæ sunt rationes, quibus res obscura ac dubia esse facta videtur, quamvis revera non sit, ut ostendit Augustinus epist. 118. ubi meminit hujus controversiæ, quam dirimit, sententia prolata, quæ neutri contendentium parti adversatur. Sane si hæc quæstio generaliter proponatur, his aut similibus verbis, an expediat sæpe ad communionem accedere, necne; non potest dirimi simplici responsione, negante aut aiente, ita ut nihil possit cum ratione objici. Hoc ei commune est cum omnibus aliis quæstionibus, quæ practicæ dicuntur, et quæ, cum pendeant ex variis circumstantiis temporum, locorum, hominum, conditionum, munerum, dignitatum, aliisque, non possunt universali enuntiatione dirimi; sed sunt in partes dividendæ ita, ut singulis partibus singillatim expensis plene satisfiat.

II. Eadem est ratio quæstionum, quæ pertinent ad vitam spiritualem, conditionemque animorum, quæ est eorum quæ spectant ad corpus. Si quis quæreret, an expediat valetudini multum ambulare, cibum sumere semel aut sæpius de die, vino uti, quibusdam cibis vesci, laborare, sese exercere aut quiecere, vel simile quidpiam; nemo responderet, nisi prius distinctis temperationibus corporis, consuetudinibus, ætatibus: quamvis nonnullis quæstionibus universim satisfieri queat, habita ratione ejus, quod vulgo fieri solet, et moderati usus rerum, quæ proponuntur. Ita si quæras, an utile sit sæpe et multum comedere, Celsus respondebit oportere [2] « bis die potius, quam semel cibum capere, et semper quam plurimum, dummodo concoquas. » Alius rogatus de corporis exercitationibus, dicet multum laborare esse eximiam rationem tuendæ valetudinis. Alius æque generaliter respondebit de cibo quopiam, aut de diæta. Attamen constat, neque multum comedere, aut parum; neque magnam exercitationem corporis, aut levem; neque hunc, aut illum cibum; neque denique diætam quamvis convenire promiscue omnibus: et quod uni prodest, alii nocere, propter varias corporis temperationes. At magni illi viri, qui sunt oracula medicinæ, Hippocrates, Galenus, Celsus, et alii, quando generales regulas tradunt, primo statuunt agi de corpore firmo, et rectæ temperationis, prout postulat ejus natura; non vero de corpore male affecto, et morbo præter statum naturalem laborante. Deinde considerant id, quod præscribunt, quale est in seipso, proque sua virtute, et prout convenit

[1] Sub. fin. Præf.

[2] Lib. 1. cap. 1.

corpori recte constituto, ac temperato; neglectis varietatibus et mutationibus, quæ ei accedunt.

III. Idem dici queat, quod attinet ad animos; neve recedam a nostro argumento, seu cibo cœlesti, et pane vivifico, qui in Eucharistia sumitur; roga medicum spiritualem, an expediat sæpe Eucharistiæ participem fieri, anve satius sit frequentius, quam rarius ad eam accedere: si postules ab eo generale ac decretorium responsum, non dubitabit dicere, id quam frequentissime fieri oportere. In quo responso, duo illa attendit, quæ dixi, cum agerem de cibo corporeo. Rationem scilicet habebit et naturæ panis illius angelorum, et affectionis animi religiosi, qualis naturalis est ei statui spirituali; nec perturbationes, quæ ei accidunt, efficient, ut regula falsa habenda sit. Exceptio enim, quæ regulæ contraria est, non obstat, quominus regula sit vera; satis est responsum convenire naturæ, ac conditioni rei, finique atque usui, propter quem instituta est; quod videre est in hoc de frequente communione negotio. Quis enim dubitet quin summatim loquendo satius sit ad Deum accedere, quam ab eo recedere; amplecti vitam, quam eam fugere; accipere benedictionem cœlestem, quam eam repudiare?

IV. Pastus autem, quem accipimus in eo sacramento, est Deus ipse; est vera vita animorum nostrorum, panis vivus ac vivificus, est benedictio, quæ sanctitatem in nobis creat; quæ sunt elogia, quibus Patres solent Sacramentum ornare; id vocitant corpus, et sanguinem Jesu Christi: « Panis ille quem videtis in altari, ait Augustinus [1], sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, imo quod habet calix, sanctificatus per verbum Dei, sanguinis Christi est. » Vocant etiam vitam. Idem [2]: « Optime Punici Christiani baptismum ipsum, nihil aliud, quam salutem; et Sacramentum corporis Christi nihil aliud quam vitam, vocant. » Appellant etiam *benedictionem* simpliciter, interdum etiam *mysticam*, quemadmodum loqui solet S. Cyrillus Alexandrinus (1).

V. Hinc sequitur, si velimus regulam constituere, præferendam esse frequentem communionem rariori; nec exceptiones, quæ noscuntur ex circumstantiis, iisque, quæ accidere solent, impediunt, quominus recte et prudenter constituta sit. Ea est enim natura enuntiationum universalium, quæ practicæ vocantur, quemadmodum paulo antea dixi.

Aristoteles hanc in rem docet, « (2) Artem operari in individua, ut medicina curat hominem, non in genere, sed singularem. » Hinc fit, ut aptatio præceptorum, acceptorum ab Hippocrate et Galeno, aut in scholis, multam mutationem patiatur propter varietatem temperationum, aut symptomata diversa morbi. Nec semper sequi licet axiomata illa generalia, prout vulgo dici solet, insolita symptomata inusitatis remediis indigere.

VI. Ut redeamus ad communionem, certum est, si summatim loquamur, satius esse sæpe ad eam accedere, quam raro. Hoc vulgo docent theologi, et præsertim Scholastici scribentes in Magistrum sententiarum. « In hoc Sacramento, ait S. Thomas [3], duo requiruntur, desiderium conjunctionis ad Christum, et reverentia Sacramenti; quorum primum inclinat ad sumendum, secundum ab abstinendum. Sed quia amor timori præponderat, ceteris paribus, laudabilius est sumere, quam abstinere, dum tamen ex frequenti sumptione amor intendatur, et reverentia non minuatur. Alias laudabilius esset aliquando abstinere. Unde in hoc unusquisque suo judicio relinquitur, ita duntaxat, ut tempus ab Ecclesia constitutum non prætergrediatur; sed ad minus semel in anno communicet. »

VII. Durandus eximius ac celebris scholasticus [4] eam in opinionem consentit, si res universim spectetur, frequentissimam communionem esse optimam; sed propter varios effectus, quos creat in nobis cibus ille cœlestis, pro affectione animi, quæ non est similis in omnibus, qui communicant, expedire interdum ea abstinere. Qua in re, ut in ceteris omnibus, instituta Ecclesiæ esse sequenda. Eum omnes secuti sunt, qui post eum scripserunt, qui ferme ejus verba transcripserunt; ut Gabriel Biel, Richardus et alii.

(1) Cyr. Εὐλογίαν aut μυστικὴν εὐλογίαν passim, ut lib. 8. Joan. pag. 324. et lib. 4. pag. 360. et seq. et alias sæpe.

(2) Met. 1. 1. Οὐ γὰρ ἄνθρωπον ὑγιάζει ὁ ἰατρεύων, ἀλλὰ Καλλίαν, ἢ Σωκράτην.

[1] Serm. 83. de div. — [2] Lib. 1. de pecc. mer. cap. 24.

[3] In 4. dist. 12. qu. 4. ad 3. — [4] In 4. dist. 12. qu. 5.

CAPUT QUARTUM.

Quæstionem practicam tribus modis posse dirimi, et quando oporteat addere circumstantias in responsi applicatione. Hanc rem esse summi momenti, ut satisfiat objectionibus Arnaldi. De formula, vel actione, quam jurisconsulti vocant doli mali.

I. Ex dictis colligere licet, duas esse rationes solvendarum quæstionum practicarum. Prior est, cum res summatim dirimitur; altera, cum particulatim. In priore res est in se spectanda, pro natura ac conditione sua, deinde aptanda homini bene affecto, et convenienter naturæ suæ, omissis peculiaribus circumstantiis, quæ adhærent individuis, et innumeras mutationes afferunt generalibus enuntiationibus, quæ varietates una sententia, vel uno simplici responso contineri non possunt. Sed cum res est singillatim expendenda, duplici ratione id fieri potest; aut sejunctis rebus, separatisque affectionibus contrariis, aut designata una affectionum contrariarum.

II. Utamur iterum exemplo medicinæ, ut clarius mentem nostram exprimamus. Aio, medicum duplici ratione solvere posse quæstionem practicam, ad tuendam valetudinem spectantem. Prima est, de qua in superiore capite diximus, cum dirimit quæstionem generaliter, missis particularibus circumstantiis; ut si quis quærat, utrum sit melius multum, an parum exercere corpus, respondebit universim, præstare multum corpus exerceri. Secunda ratio solvendæ quæstionis adhiberet distinctionem habitudinis, et temperationis corporis, statueretque robustos homines multa exercitatione indigere; sed debiles aut cacochymos non debere multum sese movere, ne nimium agitent humores, morbosque longos sibi creent. Ad id exemplum, licet in particularia magis descendere, et minutatim considerare potissimum ætates, sexus, occupationes, morbos, variasque circumstantias vitæ humanæ. Ejusmodi præceptis pleni sunt omnes libri eximiorum illorum medicorum, Hippocratis, Galeni et aliorum; qui diætas varias præscripserunt, adhibitis distinctionibus, quæ omnem hominum varietatem complectuntur.

III. Tertiæ solutionis rationi locus est, cum medicus a certo homine interrogatur de se ipso. Tum vero quod præscribit medicus aptum est illi homini, non aliis. Si is firma valetudine utatur, responsum consentaneum erit thesi generali; quia enuntiationis, qua quæstio generaliter solvitur, nullus est scopus, præter speciem rei, quæ agitur, perfectissimam et omnia complexam quæ ejus natura postulat. Philosophia enim [1] nos docet, in omni genere speciem, quæ est excellentissima, esse normam et mensuram omnium aliarum. Unde liquet, consilium medici, cum spectet corpus quam optime affectum, fore simile responso, quod quæstionem generalem solvit.

IV. Eadem est ratio quæstionum practicarum moralium, medicinæque spiritualis, ac corporeæ. Triplici ratione quæstiones ejus tractari ac solvi possunt. Ne ab hoc nostro argumento abeamus, sumamus, exempli causa, quæstionem, quæ disputationi nostræ occasionem præbuit, *an sæpe sit communicandum*. Triplex responsum hanc in rem proferri potest. Primum erit universale, expedire frequentius communicare, quam rarius. Quod debet intelligi eo modo, qui est a nobis capite superiore expositus; hoc est, id responsum spectare hominem religiosum, et qui ita est affectus, ut postulat rectus augusti illius sacramenti usus. Secundum adhibebit distinctionem variorum hominum et affectionum, definietque, his quidem expedire frequentiorem, aliis vero rariorem communionem. Ultimum responsi genus pertinebit ad quempiam singularem hominem, notum directori suo, qui pro ea cognitione salubre ei dabit consilium, secundum animi ejus affectionem. Si videat eum in vitæ piæ curriculo, quo contendit ad perfectionem, auctor sine dubio illi erit, ut sæpe ad communionem accedat; uteturque eam in rem locis cum Scripturæ, tum Patrum, quibus frequens usus communionis commendatur; nec verebitur, ne castigetur, aut insimuletur ob male aptata ea testimonia, dogmataque generalia, quia non docuerit ad quos pertineant. Quod nec fecit, nec debuit facere, cum sciat hominis, cui ei aptat, esse eam affectionem, quam postulant ii quorum sunt illæ auctoritates.

[1] Arist. 5. Met. c. 6. S. Th. l. 10. Met. c. 3. lect. 3.

V. Hoc prius constitutum, et probe intellectum lucem affundet tenebris, quibus Arnaldus obscurat orationem suam, facietque, ut animadvertamus dolum per totum opus de frequente Communione sparsum. In eo potissimum aggreditur castigare scriptum anonymi, quod male intellexerit testimonia Patrum, quæ adhortantur ad frequentem communionem, nec considerarit, de quonam hominum genere prolata fuissent. Sed observatio nostra omnia ejus consilia, et conamina irrita faciet.

Romani olim magni fecerunt constitutionem formæ judicii, quam vocabant *doli mali*, inventam a C. Aquillio jurisconsulto, ex qua dabatur actio in eum, qui fraude usus fuerat. De ea sic Cicero [1] : « Everriculum malitiarum omnium judicium de dolo malo, quod C. Aquillius familiaris noster protulit. Quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, cum aliud sit simulatum, aliud actum. » Idem dici queat de consilio, quod modo dedimus de dogmatibus moralibus, deque responsis doctorum, eorumque, quibus animorum commissa est cura. Hoc enim modo reteguntur omnes fraudes, quibus liber de frequente Communione refertus est, satisfitque uno responso omnibus objectiunculis, et argumentationibus, quas auctoritate Patrum confirmat. Quod me summopere levat, et minuit laborem, cujus jam me cœpit tædere; neque enim necesse est, ut singula minutatim expendam, objectionesque omnes confutem, quas contra usum et doctrinam communem proponit. Quamobrem, cum ostendero usum hujus consilii, atque observationis in aliquot capitibus, in quibus maxime mala ejus fides conspicua est; cetera permittam lectori, ut ipse idem experiatur in aliis locis, ubi iisdem artibus lectori fucum facit Arnaldus.

CAPUT QUINTUM.

Novam rationem pœnitentiæ ab Arnaldo propositam differre a communi Ecclesiæ duntaxat dilatione absolutionis et communionis. Voluisse eum, hanc pœnitentiam imponi tantum peccatis mortalibus, pro more antiquæ Ecclesiæ. Inde sequi ab eo revelari arcana conscientiæ. Vera narratio occasionis, qua scriptum, quod oppugnat Arnaldus, compositum est. Scandalosam esse Arnaldi doctrinam.

I. Ut melius intelligat lector, quanti sit momenti admonitio superioris capitis, oportet ut ejus utilitatem ostendam, dum eam apto summæ consilii Arnaldi, et eorum, quæ opere suo de frequente Communione complexus est. Unde evincam, et quidem confessione ipsius Arnaldi, reum eum esse duorum delictorum, quorum alterum est, quod prodiderit arcana conscientiæ, alterum vero quod conscripserit ingens opus, quod perpetua calumnia constat.

Ut res tam incredibilis planior fiat, oportet a lectore in memoriam revocari potissimum finem novæ hujusce doctrinæ, quæ eo præsertim spectat, ut instauret in Ecclesia usum pœnitentiæ publicæ; dum differtur absolutio sacramentalis, et communio sacramenti Altaris iis, qui mortali delicto in Deum peccarunt, idque in quinque aut sex menses, prout ipse hoc spatium definivit.

II. Qua in re duo sunt animadvertenda; prius, in hac sola dilatione absolutionis et communionis, situm esse discrimen novi hujusce instituti ab instituto Ecclesiæ, per quod licet accedere ad sacram mensam post confessionem et absolutionem, nisi ob peccata enormia utrumque differatur, quod Ecclesia prudentiæ confessarii permisit. Hoc aperte profitetur Arnaldus in sua præfatione, in qua negat [2], « Se ex partibus externis pœnitentiæ antiquæ quidquam retinere, præter separationem a corpore Filii Dei, quæ est, secundum Patres, pars ejus maximi momenti. »

III. Posterius, quod animadvertendum dixi, hoc est, quod pœnitentia hæc, seu dilatio communionis imponatur tantum peccatis mortalibus, non delictis levioribus et venialibus. Quamvis enim possint esse homines tam sancti, tamque perfecti in amore et ti-

[1] Lib. 3. de N. D.

[2] Præf. i.

more Dei, ut sponte abstineant a communione, humilitatis causa, aut quod eos pœniteat leviorum delictorum; attamen non sunt propterea jure obnoxii pœnitentiæ publicæ, neque ita se gerunt, ut eam subeant, sed sponte sua. Sic et in antiqua Ecclesia, qui voluntaria religione abstinebant a communione in aliquod tempus, non poterant tamen dici ita se gerere ex legibus pœnitentiæ publicæ, nisi admisissent peccata ei pœnitentiæ obnoxia; quandoquidem ipsi sacerdotes et clerici, qui ejus erant immunes, poterant abstinere a sacrificio et a communione, reverentiæ atque humilitatis causa. Itaque hoc novum Arnaldi institutum eos tantum spectat, qui rei sunt mortalis cujuspiam peccati, ut liquet ex toto ejus libro, qui hæc nobis rei argumenta suppeditat, quibus nihil est quod reponatur.

IV. Primo cum rationem reddit consilii sui, sibi duntaxat animum esse ait [1], « Simpliciter proponere, quod Patres nos docent » in scriptis suis de pœnitentia publica, quam vult partim restituere. Ait, « Se velle illustrare alios sola refusione vividorum et coruscorum luminum, quorum Deus participes fecit doctores suæ Ecclesiæ, ut per eos omnes homines et omnia secula illustraret. Rem sibi faciliorem eo visam, quod quamvis ratio pœnitentiæ, quæ nunc obtinet inter fideles, differat ab ea, quæ obtinebat in antiqua Ecclesia, hæc tamen non possit damnari quasi temeraria, sed contra debeat venerationi esse, quasi sanctissima, quæ confirmata est ab universa antiquitate, etc. » Subdit id quod vellet intromittere ex pœnitentia, et quod damnatur ab auctore scripti quod confutat, « esse doctrinam S. Dionysii, Tertulliani, SS. Cypriani, Paciani, Basilii, Ambrosii, Augustini, et omnium aliorum, qui de pœnitentia egerunt. » Constat autem a Patribus et Conciliis imponi pœnitentiam publicam, duntaxat propter gravia peccata. Ponamus, omnia peccata mortalia intellecta fuisse, ut putat Arnaldus; saltem nobis concedet ejusmodi pœnitentiam peccatis venialibus non fuisse impositam. S. Augustinus inter alios rem repetit innumeris locis [2], ubi distinguit gravia peccata expianda pœnitentia publica, et leviora, quæ deleri possunt oratione Dominica, eleemosyna, aliisque pietatis operibus. Itaque propter scelera constituta est in Ecclesia ea pœnitentia Canonum, et Patrum, non propter venialia delicta.

V. Igitur, quandoquidem Arnaldus aggressus est emendare inolitam consuetudinem Ecclesiæ, intromissa nova ratione pœnitentiæ, et præparationis ad communionem, non alium in finem, nisi ut priscam pœnitentiam, quatenus licebit, instauret; et quandoquidem selegit dilationem absolutionis et Sacramenti, ut res referret, quoad ejus fieri posset, id quod fiebat in pœnitentia Ecclesiæ primitivæ; æquum est novam hanc separationem similem esse antiquæ, ac proinde ob sola peccata mortalia imponi. Alioqui pœnitentia nova Arnaldi durior multo esset et intolerabilior pristina; imo etiam degeneraret in tyrannidem, atque in barbaricam sævitiam, si ad levia peccata porrigeretur. Is autem non est Arnaldi animus, qui testatur se voluisse mitigare pœnitentiam publicam veterum, et, quod in ea facillimum fuit, sumere. Itaque dubium non est, quin pœnitentia Arnaldi ad sola peccata mortalia pertineat, venialia vero prætermittat.

VI. Præterea manifesto consilium suum aperit exemplis aliquot, quæ habet in Præfatione; ubi inducit homines eam pœnitentiam expertos, qui satis ostendunt, quinam eam subeant. « Si quis, *inquit* [3], præpotente gratia commotus serio cogitet de mutandis moribus, etc. cumque viderit tot confessiones ac communiones præteritas inutiles fuisse, velit inire hanc viam pœnitentiæ, quam agnoscit institutam fuisse ab universa traditione etc. quis possit ægre ferre, eum partim imitari pœnitentiam illam adeo sanctam, ac confirmatam ab omnibus Conciliis etc. eum clam facere, quod alii palam faciebant, et per aliquot menses, quod alii per aliquot annos? » Itaque peccato demum mortali obstrictos, et antea Sacramentis abusos oportet imitari priscam pœnitentiam publicam.

VII. Sic rursus inducit pœnitentem novi generis loquentem, quibus facti sui rationem reddit [4]: « Volui semel abrumpere omnes catenas, quibus cingebar; cumque viderem ab Ecclesia mihi offerri in Conciliis suis, inque exemplis postremorum sanctorum, viam redeundi in gratiam cum Deo, dum aliquandiu abstineo participatione Corporis ipsius, ut vera pœnitentia me ad eam comparem; hanc volui ingredi eo cupidius, quo alteram per tot annos inutilem expertus eram. Itaque agere volui pœnitentiam, quæ aliquo modo æquaret gravitatem peccatorum meorum. » Multa

[1] Præf. c. — [2] Vide inter alia lib. de fid. et Oper. c. 26. et Arn. p. 2. c. 4. et seq.

[3] Præf fol. i. — [4] Præf. fol. i.

alia inducit hunc pœnitentem dicentem, ex quibus liquet eum ob gravia peccata hanc disciplinam, pœnitentiamque subiisse. Ex quibus verbis, omnibusque rationibus, quibus utitur Arnaldus ad declarandum defendendumque novum suum institutum, constat solis peccatis mortalibus ab eo imponi illam pœnitentiam, cui non sunt obnoxii leviores lapsus.

Hoc posito, videamus nunc, quid dicat Arnaldus initio præfationis suæ de causa, ob quam conscripsit librum suum; qui nihil est præter perpetuam orationem, qua invehitur in hominem, quem nomine non appellat, et qui manuscriptam dissertationem pro frequente communione scripsit. Sic ergo loquitur.

VIII. « Nuper vir quidam primariæ dignitatis, qui cum accepisset a Deo raram, ac singularem gratiam, dabat operam, ut grates ei rependeret factis piis ac vere Christianis, accepit scriptum, quod ei missum est, et quo conabatur auctor ei persuadere, viam, in qua erat, fuisse viam erroneam ac periculosam. Cumque ei constaret nullam esse viam certiorem cœli, quam eam, quam verbis et factis pinxit Christus, offensus fuit, cum videret auctorem ejus scripti eo spectasse, ut averteret homines a via arcta Evangelii; et dum prætexeret studium ostendendi quam utilis sit frequens communio, eum evertisse necessariam animi affectionem, sine qua sanctus ille cibus vertitur in venenum secundum Patres; nec contentum hortari imprudenter omnis generis homines ad participationem tremendorum mysteriorum, judicasse dignos arctissima communione cum Filio Dei, in Eucharistia, eos qui pleni sunt φιλαυτίᾳ, et rebus mundi mirum in modum addicti etc. » Tum addit eum virum cupivisse clarius explicari dogmata magni momenti, et quæ non tantum acumine ingenii, sed etiam sua experientia compererat salutaria esse omnibus, qui serio cogitant de animo ad Deum convertendo.

IX. Hæc petita ex præfatione operis, in qua describit Arnaldus usum novi sui instituti, manifesto ostendunt scandalosum esse, et spectare ad rem longe exitialissimam, quam dixi; hoc est ad aperienda conscientiæ arcana, et ad significandum, eos, qui confugient ad consilia horum pœnitentiæ apostolorum, eaque sequentur, fore in statu peccati mortalis.

Cum enim hæc ratio pœnitentiæ, quam præscribunt, hoc unum habeat præter communem, quod differat absolutionem et communionem in aliquot menses iis, qui peccatum mortale admiserunt; necessarium est consectarium, ut qui sese ei directioni subjicient, relicta vulgari, quæ extrinsecus similis videtur erga omnis generis peccata, minime manserint in statu innocentiæ, sed in Deum graviter deliquerint. Alioqui ea pœnitentia eis non imponeretur, nec ejus severitatem ipsi experirentur.

X. Denique qui non probant novum hoc pœnitentiæ institutum; de quibus Arnaldus queritur, et quos acriter insectatur in opere de frequente Communione; hoc unum queruntur, contrarium id esse constitutioni concilii Tridentini de pœnitentia eorum, qui post peccata mortalia ad communionem accedunt, satis habentes se confessis peccatis absolutionem sacramentalem accepisse, cum hi nostri nitantur iis imponere novum jugum, eosque privare beneficio absolutionis et S. Sacramenti, quod eis concedit Ecclesia. Itaque hic sermo est duntaxat de peccatoribus, qui lethale peccatum admiserunt; ac proinde artibus hujusce directionis reformatæ facile quis posset verisimiliter dijudicare, quis sit hominum status, ac minime temere reos esse peccati cujuspiam veniali gravioris. Quo pacto arcana peccata patefiunt, aut certe mortalia esse intelliguntur. Quod sane prorsus contrarium est sigillo confessionis et pœnitentiæ sacramentalis; quæ cum ceteroqui multis jam sat gravis sit, hoc argumento infamiæ intoleranda fieret omnibus fidelibus.

XI. Si statuamus, quod jam observavi, et repetere expedit, pœnitentibus interdici communione per quinque aut sex menses [1], nec eos ingredi in Ecclesiam ex instituto Arnaldi primitivam Ecclesiam imitantis; nec erga quemquam ea severitas adhibeatur, nisi erga eos, qui lethaliter peccarunt: qui ita different communionem, quam antea frequentabant, nec ingredientur Ecclesiam, continuo judicabuntur excidisse gratia, et peccatum mortale admisisse.

XII. Ne ergo Arnaldus usque adeo contemnat tantum et tam conspicuum incommodum; nec putet leve esse peccatum eorum, qui in tantum periculum adducunt confessionis auricularis sacrosanctum arcanum. Sine dubio res indecora est, et quæ religioni duci debet, tam temere agere in re tanti momenti.

Illa arcanorum communio, quæ interest

[1] Par. 2. c. 18.

directori cum eo cujus animum regit, debet mirum in modum occultari ; patresque spirituales oportet caute cum aliis de iis loqui, ne imprudentiæ delicta admittant, quorum postea eos pœniteat.

XIII. Sozomenus verba faciens de presbytero pœnitentiario constituto ad audiendas confessiones, (1) observat inter alias dotes, quibus ornatum eum esse oportebat, electum fuisse hominem, qui linguæ suæ imperare posset, ut arcani fides sancte servaretur. Quamobrem eum oportebat esse singulari prudentia præditum.

Paulinus, qui scripsit vitam S. Ambrosii archiepiscopi Mediolanensis, inter virtutes sanctissimi illius præsulis, hanc recenset, quod nunquam ulla ratione patefaceret id, quod a pœnitentibus in confessione acceperat. Ac sane huic rei diligenter prospectum est Ecclesiæ canonibus, et decretis, quibus impositæ sunt graves pœnæ presbyteris, qui culpa et imprudentia sua retexissent, quæ prorsus occultari debent.

Hoc erat primum vitium, quod animadverteram in disputatione Arnaldi ; quod ea nimirum ostenderetur ratio cognoscendorum peccatorum mortalium, propter quæ ejus pœnitentiam subire oporteret.

(1) Lib. 4. cap. 16. Πρεσβύτερον δὲ τῶν ἄριστα πολιτευομένων ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα ἐπὶ τοῦτο τετάχασι.

CAPUT SEXTUM.

Argumentum et occasio scripti, quod Arnaldus oppugnavit. Desumptum fuisse ex libro de Institutione sacerdotum, scripto P. Antonio Molina carthusiano, quem immerito indignis modis laceravit Arnaldus. Id scriptum ad omnes promiscue non spectasse, sed ad certum hominem ; ac proinde necesse non fuisse, ut distingueret varias affectiones eorum, qui ad communionem accedunt. Arnaldum ex ipsius confessione, perpetuæ calumniæ in toto suo opere convinci.

I. Ut intelligamus alterum peccatum, quod est ab Arnaldo admissum, in scribendo libro de frequente Communione ; observandum est, scriptum contra quod tam acerbe invectus est, eoque animo qui prodit simultatem diu antea conceptam, complecti tantum doctrinam P. Antonii Molinæ carthusiani, haustam ex libro, quem conscripsit in institutionem presbyterorum, et qui maximo cum plausu ab omnibus Catholicis exceptus fuit, et latine versus, atque octavum editus anno 1618. Id opus in septem tractatus dividitur, in quorum ultimo [1] reverendus Carthusianus agit de frequente communione in usum laicorum non minus, ac sacerdotum, colligitque testimonia Scripturæ, Patrum, ac theologorum, quæ sunt eadem, quæ auctor scripti ab Arnaldo confutati ei inseruit, exceptis aliquot aliis, quæ aliunde desumpsit ; ita ut librum duntaxat verterit ex lingua latina in gallicam.

II. Hunc ergo carthusianum monachum tam male, tamque inhumane habuisti ; cum crederes alium esse, quem aggrediebaris. Hunc traduxisti quasi ignarum, hæreticum, ineptum, hominemque nullius judicii ; non vero eum, quem infamare statueras, acerba et satirica disputatione. Qua sane in re graviter deliquisti, nec propterea tibi gratiam habebunt lectores, quod tam male exceperis hominem, qui dignus erat, qui aliter plane exciperetur a sacerdote catholico, atque a doctore Theologiæ, qui solemne jusjurandum præstitit in ecclesia B. Virginis, se religionem defensurum, *usque ad effusionem sanguinis*. Quod si hoc debes veritati officium, multo potiori jure præstandum est charitati, quæ nunquam est sine veritate ; et quam pariter læsisti, cum utramque contumelia affeceris.

III. Sed quodcumque judicium feratur de primo, ac præcipuo auctore scripti, probe expendendum, quod de eo dixi capite antecedente ; nimirum, scriptum aliud non fuisse promiscue omnibus compositum, sed tantum uni, pro animi ejus affectione, quæ directori explorata ac perspecta erat. Itaque quod scripsit, id affectioni, quam in eo esse norat, attemperavit. Cum autem sit pietati addictissimus, et ad pietatem vere Christianam contendat, minime obnoxia est novo tribunali

[1] Tract. 7. c. 3. et seq.

pœnitentiario nuper erecto; cumque singulari gratia divina, immunis sit peccatorum mortalium, quibus solis pœnitentia publica imposita est; non est, cur timeat dilationem communionis. Igitur nihil vetat sæpe eum communicare, etiam ex sententia Arnaldi, qui eos solos a communione arcet, qui peccati cujuspiam mortalis rei sunt; non vero eos, quibus inest ea animi affectio, quam postulant SS. Patres. Cum igitur ad hunc unum spectaret scriptum, non ad omnes, non debuit auctor distinguere homines *innocentes*, aut *scelestos;* quemadmodum putat Arnaldus, debuisse eum facere, ne malis occasionem præberet existimandi sibi dici, quod innocentibus duntaxat, et justis dicitur.

IV. Sed annon ineptum fuisset ab eo, qui unum, cujus affectionem norat, alloquebatur, generales locutiones adhiberi; aut distingui varios ordines eorum, qui ad communionem volunt accedere? Quid opus erat meminisse aliorum, cum ei animus esset uni duntaxat inservire? Quid censeremus de medico, qui præscripturus medicamentum ægro laboranti quartana, quam creasset intemperies humoris melancholici, hæc scriberet: Si morbus ægri hujusce oritur ex melancholia, utendum hoc medicamento; sed si ex pituita, vel bili nascatur, alio illo utendum erit? Quæ scribuntur in usum singularium hominum, non debent esse generalia et indefinita, sed peculiaria et definita, prout indiget æger. Scriptum autem illud, quod ut Arnaldus confutaret quadriennium absumpsit, aut potius homines ejus partium, qui ei suppeditarunt rationes et loca Patrum, quibus opus illud conflaret; id, inquam, scriptum compositum non fuerat, ut ederetur, et multo quidem minus ut haberetur quasi disputatio, quæ omnibus promiscue attemperata esset. Compositum fuit instar epistolæ directoris, qua solveretur quæstio proposita ab eo, qui directioni ejus suberat.

V. Hinc facile colligas Arnaldum non sine mala fide id scriptum publici juris fecisse, atque eo solo in facto plura admissa esse ab eo delicta, quorum unumquodque dignum esset, quod ex legibus ejus pœnitentiæ plecteretur dilatione communionis solita diuturniore. Primum enim civilis societatis jura perfregit, editis litteris amici ad amicum, inscio nec consulto scriptore. Deinde violavit charitatem Christianam, et fraternam, cum produxit id scriptum, ut traduceret auctorem, contemptumque ei crearet, dum eum castigat quasi ignarum, imprudentem, imperitum functionum muneris sui, et dirigendis animis ineptum. Offendit etiam graviter virum primarium, ad quem cupientem missum fuerat id scriptum, cum ausus sit edere eo inscio scriptum, quod ad illum pertinebat, ad infamandum, ludibrioque habendum directorem, quo utebatur. Ac sane sibi rem cordi esse ostendit, et valde miratus est, doctorem, qui se quasi patrem spiritualem gerit, tam parum esse sui compotem, ut affectui suo satisfacturus famæ suæ nullam rationem habuerit, legesque omnes, fœdo facinore, prudentiæ et justitiæ perfregerit.

VI. Sed cum vitium et scelus secum trahant supplicia sua, quorum frequentissimum quidem, sed non levissimum est cæcitas, hoc nec Arnaldo defuit. Justo Dei judicio, qui innocentiam ac veritatem semper tuetur eo usque processit, ut aperuerit suum ipsius vitium; quod est alterum, quod a me ostensum iri pollicitus sum. Immerito nempe aggressus est, et sine causa auctorem scripti, perpetuaque usus est in eum fraude et calumnia per totum opus, ita, ut ipse nobis arma suppeditet, quibus contra eum pugnemus, et quidem paucis verbis ejus opus confutemus, nulla alia ratione, præter eam, quam nobis ipse præbuit. Quod facile ostendi potest.

XII. Ubique enim profitetur [1], sibi animum non esse frequentem communionem universim oppugnare, et quosvis ab ea revocare; sed tantum homines ea indignos, seu eos, qui non sunt *innocentes et justi;* hoc est, quos peccata mortalia a se admissa par esset expiare pœnitentia publica secundum canones, et morem Ecclesiæ primitivæ. Itaque si quis erit, qui servet in animo thesaurum gratiæ et justitiæ, absque illa pollutione mortali, ei per Arnaldum ad communionem sæpe accedere licebit [2]. Ac sane satis aperte sententiam suam exponit, cum indignatur scripti auctori, quod colligat loca Scripturæ, et præsertim Evangeliorum, in quibus Christus omnes invitat ad S. Sacramentum. Hinc enim hoc consectarium deducit: male eum facere, quod insimulet bonos, « quasi damnarent frequentem communionem, hominesque ab ea revocarent; quia non possunt pati, non secus ac SS. Patres, esse, qui indigne abutantur participa-

[1] In Præf. et P. 1. c. 2. et 26.

[2] Part. 1. c. 26.

tione sanctorum mysteriorum. » Addit, auctorem scripti ea in re imitari hæreticos, « qui nos incusant damnati matrimonii, quia Ecclesia ex traditione apostolorum eo sacerdotibus interdicit, iisque, qui irrevocabili voto in perpetuum obstricti sunt vitæ puriori, atque excellentiori. » Deinde per totum caput ostendit se nolle excludere frequenti communione, nisi eos, qui non sunt justi ac sancti, eosque, « qui superbe audent frequenter communicare, cum deberent in multum tempus arceri a S. Altari, si Ecclesiæ animum spectemus. » Eos autem solos, qui digni erant excommunicatione, Ecclesia primitiva ab altari arcebat, ut testatur S. Augustinus, et post illum Arnaldus [1], ut libro sequente videbimus.

VIII. Quod cum ita sit, quare invehitur in auctorem scripti? An probe novit eum, ad quem missum fuerat? scitque, quæ sit affectio ejus animi? Quod si ignorat, nonnisi temere judicat eum dignum fuisse excommunicatione, ejusque directorem esse hæreticum, quod eum ad frequentem communionem adhortatus sit. Si vero arcana ejus animi novit, atque in eo deprehendit quodpiam peccatum mortale, quo ea indignus fiat, et propter quod pœnitentiam subire eum oporteat, non sine sacrilegio rem in libro suo patefecit.

Quod si vir ille, ad quem scriptum missum fuerat, sit in ea affectione animi, quam postulant doctrina SS. Patrum, canonesque Ecclesiæ tam primitivæ, quam hodiernæ, resque innotuerit ejus directori; tam acerbis probris dignus non est, ut inter hæreticos referatur, quod id fecerit, quod calumniator ipse fas esse agnoscit.

IX. Atque hoc est generale responsum, quod hausimus ex doctrina et universa disputatione Arnaldi, quod solum potest eum convincere perpetuæ calumniæ, et fraudis per totum ejus opus sparsæ. Hoc enim unum est ejus argumentum, ut carpat auctorem scripti, et quod in medium attulerit ratiocinationes, testimoniaque Scripturæ ac Patrum, ad persuadendam frequentem communionem; nec tamen usquam dixerit, ad quosnam hæc adhortatio pertineret, quive digni essent, qui ad eam accederent, qui vero secus. Liquet autem ex iis, quæ diximus, merum esse dolum, et mala fide intentam ab eo esse litem contra auctorem scripti; quandoquidem falsum est eo scripto consilium quibusvis dari, quod si verum esset, tum demum necessario adhibenda fuisset distinctio. Contra ostendimus ex re ipsa et confessione ipsius Arnaldi, ad unum duntaxat virum respexisse hoc scriptum.

X. Igitur lector, sumpto in manus libro de frequente Communione, semper meminerit argumenti et instituti scripti, quod confutandum suscepit, et cujus auctorem inhumanissime habet. Sine dubio judicabit Arnaldum sui prorsus oblitum nimium indulsisse affectui, cum tam acerbe confutarit hominem, cujus consilium innocuum erat, et rationi consentaneum. Eadem opera vehementer læsit charitatem, et violavit jus gentium. Priorem læsit, dum conviciis exagitavit hominem, a quo minime lacessitus fuerat, et magno conatu eum infamare aggressus est aculeatis dictis, et probris indignis penna ejusmodi viri. In posterius vero peccavit protrahendo in lucem scriptum, quod erat instar epistolæ, et peculiaria consilia complectebatur ad certum quemdam virum duntaxat spectantia. Præterea quæ in scripto illo habentur de frequente communione, ea minime inventa sunt ab eo, quem solum aggressus est Arnaldus, sed hausta atque exscripta ex gravissimis auctoribus. Quæ ignota esse Arnaldo non poterant, quandoquidem satis ostendit in libro suo, eos scriptores a se fuisse lectos, nec dissimulari ab eo debuerant. Igitur iracundia, et ultionis cupiditas ita agitarunt hominis animum, ut famæ suæ dispendio in re tantilla eis satisfacere voluerit, præterquam quod charitatis et ædificationis bonorum exiguam rationem habuit.

[1] Part 2. c 2.

CAPUT SEPTIMUM.

Arnaldum sine ratione litem intendisse auctori scripti. Usus superioris disputationis in confutandis iis, quæ ei objecit Arnaldus.

I. Hisce universim præmissis de argumento, et scopo totius operis de frequente Communione, facile est semel id ita confutare, nulla ut ratio opponi, nulla excusatio proferri queat, quibus vitium totius operis tegatur. Sed ut hic specimen aliquod relinquamus ratiocinationis, quam colligimus ex iis, quæ antea observavimus; consideremus pleraque testimonia in scriptum anonymi collecta, quibus ostendere voluit, viro illi cupienti non esse, cur timeret frequenter ad communionem accedere. Quamvis ea testimonia sint generalia, tamen coercenda sunt secundum consilium auctoris, et referenda ad rem, cui ea aptavit; non ita intelligenda, quasi spectarent ad omnes fideles. Itaque alia loca, quæ Arnaldus profert ex iisdem SS. Patribus, in quibus postulant accuratiorem præparationem, majoremque religionem in iis, qui volunt sæpius accedere ad S. mensam; non sunt contraria animo auctoris, qui ad unum tantum hominem spectavit, cujus religio ei erat nota, et consentire cum frequente communione videbatur.

II. Ille quidem protulit exemplum primorum Christianorum, qui sæpe communicabant; Arnaldus vero respondet [1] fuisse sanctos homines, quibus hoc fas erat. Scitne autem, qualis sit vir ille, cui anonymus auctor est frequentius communicandi? Anonymus laudat Canones apostolicos, testimoniaque S. Clementis et S. Dionysii, aliorumque, qui frequenter communicandum censent. Arnaldus reponit [2], « Eos, quos admittit, aut potius impellit auctor ad frequentem participationem mysteriorum, ne adesse quidem iis debere, ex sententia sanctorum illorum virorum. » At respondere licet, cum scriptum compositum esset in usum unius viri primarii, omnia testimonia illi soli aptari, non aliis. Nemo autem dixerit virum illum non debere adesse Missæ, nedum ut communicet, sine gravi contumelia, et temerario judicio de animo, quem non novit Arnaldus.

III. Anonymus contendit [3], « Omnes Patres auctores fuisse communionis frequentandæ. » Regerit Arnaldus, non sequi propterea, eos velle promiscue hoc ab omnibus fieri. Quis vero hoc suadet? Profecto non suadet anonymus. Si quis objiceret Arnaldo, eum arcere a communione quosvis fideles; nonne quereretur calumniam sibi imponi? Nonne vociferaretur, se eos tantum excludere, qui propter peccata mortalia pœnitentiæ publicæ obnoxii sunt, secundum veteres canones? Si hoc se jure respondere posse censet, quomodo audet auctorem scripti insimulare, quasi promiscue omnes ad communionem vocaret; cum virum unum alloquatur, quem novit ita affectum esse, ut par est? Sic omnia loca scripti, quod confutat Arnaldus, recenseri possent; qui nusquam attendit consilium adversarii, nec quærit, utrum remedium, quod uni præscribebat, ad omnes pertineret. Quod cum non existimarit, hallucinatus est Arnaldus, atque aerem verberavit.

IV. Quamvis hac generali responsione evertatur universum ejus consilium, et totum opus de frequente Communione : attamen cum præter hoc generale peccatum, quod per totum opus sparsum est, sint plures alii errores in singulis ejus partibus; nonnullos saltem attingam, non ut Arnaldi existimationem minuam, sed ut in posterum sibi caveat, nec tam facile alios reprehendat, traducatque quasi ignaros, exiguæ eruditionis, parvi judicii, bonarum litterarum imperitos, in antiquitatibus ecclesiasticis rudes : quæ omnia exprobrat auctori scripti. Itaque non erit alienum ab hoc nostro negotio ob oculos ei ponere peccata, quæ admisit, et ostendere, vehementer multis in rebus eum falli, cum in iis ipsis, in quibus potissimum rem se acu tetigisse censet, in magnos et multos errores delapsus sit, quibus majus volumen confici posset. Itaque omnes non persequar, sed nonnullos tantum, ut et alii habeant hic, quod agant, aut ipse pluribus rem diducam, cum majus erit scribendi otium.

[1] Par. 1. c. 3. — [2] Ibid. p. 23.

[3] Ibid. cap. 7.

CAPUT OCTAVUM.

Responsio Arnaldi ad loca Patrum, frequentem communionem probantium. Eam non esse firmam. Pœnitentiam ab eo intromissam non esse veterem. Confusionem, et absurditates ejus doctrinæ.

I. Ut respondeat testimoniis Patrum, collectis ad probandum frequenter communicandum, ab auctore anonymo, Arnaldus observat [1], « ut iidem Patres non docent, Ecclesiam constare duobus hominum generibus, innocuis, et reis; hoc est, iis qui servarunt gratiam baptismi, et iis a quibus amissa est peccato quopiam mortali. » Tum subdit, cum Patres suadent frequentem communionem, eos respicere ad priores, seu ad innocuos et justos; alteros vero semper aliquandiu a communione seclusos fuisse.

Quod Poeta dixit de Ægypto, eam protulisse *multa quidem bona medicamenta et multa mala,*

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά,

id potest dici de hac oratione, totoque adeo opere. Sunt enim vera mista falsis, sed posteriora plura sunt, et gravioris momenti, quam priora. Falsum est omnes peccatores promiscue, et propter quævis peccata mortalia damnatos fuisse ad longam, et molestam illam pœnitentiam; qua de re suo loco agemus. Verum quidem est, obnoxios pœnitentiæ in plures annos a communione fuisse exclusos; sed hoc ad te, Arnalde, non pertinet, neque hinc pendet tua pœnitentia publica, quæ tuum commentum est, et de quo nihil unquam audivit antiquitas.

II. Ostendimus eam separationem significatam proprie non fuisse nomine pœnitentiæ publicæ, sed σκληραγωγίας, quæ exantlandæ erant in tribus primis gradibus pœnitentiæ. Omitto alias circumstantias, quæ necessario ad eam pertinebant, ipsiusque exclusionis ab Altari, quæ semper cum ea conjuncta erat; quas circumstantias tu resecuisti contra veterem pœnitentiæ formam. Itaque non est, quod usque adeo te jactes, et tam sæpe repetas, Διὸς Κόρινθος, quasi omnibus satisfecisses, et pœnitentiam ad exemplum Ecclesiæ primitivæ revocasses. Tua ratio pœnitentiæ neque est antiqua, neque publica, de qua legimus in canonibus et in scriptis SS. Patrum. Novitas est a nemine probata, ac confirmata, e solo cerebro prognata nonnullorum, qui non usque adeo incubuerant lectioni veterum, aliisque disciplinis, quam putasti. At hoc maxime dolendum fuit, quod eruditionis inopia non pensaretur acumine atque judicio.

III. Verum hæc mittamus, ut expendamus id, quod habet Arnaldus de discrimine innocentium et peccatorum. Ait, « Ecclesiam constare duobus hominum generibus, innocentibus et peccatoribus; quorum priores servarunt gratiam baptismi, posteriores vero amiserunt mortali quopiam peccato. » Paulo post, innocentes vocat *justos*, additque collectionem illam locorum, quos legere est in scripto pro frequente communione, « ostendere tantum, quid fieri soleret erga priores, qui sunt innocentes, et erga eos ex posterioribus, seu peccatoribus qui, ablutis omnibus sordibus longa pœnitentia, redierant ad vitam vere Christianam, sed non erga eos, qui nuper sese ex lapsu peccati mortalis erexerant. » Hi enim *semper in aliquod tempus a communione seclusi sunt.* Nunc illi concedamus, quod postea ad examen revocabimus, in Ecclesia primitiva omne peccatum mortale pœnas dedisse seclusionis a mysteriis in aliquod tempus; respondeatque nobis, an nunc sit in Ecclesia lex, qua id facere jubeamur in omni peccatorum mortalium genere. Si fateatur nullam esse, nec peccatores posse cogi ad observationem prisci illius instituti, quamvis utile esse queat, et possit cum laude observari ab iis, qui sponte ita se gerere volent; verum dicet, adsentieturque Ecclesiæ et concilio Tridentino, qui nihil aliud exigit ab iis, qui lethaliter peccarunt, ut se parent ad communionem, nisi ut pœnitentiam agant peccatorum, eaque, si fieri queat, sacerdoti confiteantur. At si fateatur nos minime teneri lege instituti, quod instaurare in Ecclesia, cum nonnullis aliis aggressus est; tum vero universa eorum factio dissolvetur. Nihil enim novi afferent, nihil quod sine eorum consiliis non fiat a multis in pœ-

[1] Part. 1. cap. 2.

nitentia vulgari, qui sponte sua, aut ex consilio directorum, reverentiæ causa abstinent a communione, si in Deum gravi delicto peccarint.

IV. Necesse ergo habebit ad tuendam existimationem suam, et consilii sui utilitatem ostendendam, dicere nos ea lege teneri, qua nos jubet ad tempus communione abstinere. Quod revera contendit, quandoquidem pœnitentiam vulgo receptam, et ab Ecclesia probatam vocitat *licentiam*, *depravationem*, *corruptionemque morum*; aitque horrenda blasphemia, *eam favere impœnitentiæ communi plerorumque*. Quis enim ei rei nuntium remittere non debeat?

Si autem contendat peccatores teneri sua lege de dilatione communionis, ostendat quo jure, quave auctoritate. Nihil ad hæc reponit, neque reponere aliud queat, nisi hanc esse priscam consuetudinem, sic primitivæ Ecclesiæ canones sanxisse. Omitto nunc, quæ respondi ad inanem hanc solutionem in superioribus libris, statuoque veteres canones etiamnum vigere; nos vero doceat Arnaldus, quam longo tempore pœnitentem, qui jam in gratiam cum Deo rediit, pane vivifico carere oporteat, et cujus sit tempus illud præfinire. Justus est, ac filius Dei, ideoque hæreditatem ejus jure expectare potest, cohæres est Christi, ejusque frater, nec eo secius arcetur a S. mensa. Quamdiu ab ea vis hominem arceri, et a quonam tempus definiri?

V. Si quo pudore adhuc tenearis, non respondebis tuum esse hoc jus. Juvenis enim adhuc es, sine auctoritate, ac dignitate in Ecclesia. Itaque confugere necesse habebis ad eamdem traditionem, eosdemque canones, quorum auctoritate intromittere conaris pœnitentiam; nec licebit tibi quidquam ea in re addere, aut detrahere, aut denique mutare. Cur ergo ausus es coercere tempus pœnitentiæ veteris, dilationisque communionis, intra quinque aut sex menses, cum olim septem, decem, viginti anni, et plures in pœnitentia absumerentur? Quam potestatem habes? Quæ mandata accepisti a Deo, aut ab inferioribus potestatibus remittendi de canonibus, mutandique leges, ac constitutiones conciliorum, episcoporum, et pontificum; quibus legibus ac constitutionibus teneri nos adhuc existimas.

Pœnitens sese hodie si tibi offerat, admisso scelere, cui priscæ constitutiones imposuerint decem, aut viginti annos pœnitentiæ; si canones illi etiamnum vigent, excludendus saltem erit a communione per tot annos, quot in canonibus præscribuntur. Quod si satis habeas eum arcere a communione per sex aut quinque menses, quemadmodum dicis; annon hoc demum erit perfringere leges, et invadere in jus, ac potestatem Ecclesiæ? Quomodo is pœnitens tuis verbis fidere poterit? Quomodo ei constabit, contracta illa pœnitentia, mutilataque satisfactione, quam illi pro tua auctoritate imponis, se sic affectum iri, ut affectum eum oportere censes, præter receptam nunc pœnitentiam, quo possit digne communicare, nec sacra mysteria polluere? An quinque, aut sex menses possunt idem efficere, ac decem, aut viginti anni, quos antiqui canones constituerant? Esne Papa, aut episcopus, qui instituas indulgentias plenarias, aut in certum annorum numerum, ut prorsus eximas homines pœnitentiæ, ac exclusioni a communione?

VI. Hinc, Arnalde, intelligere licet, quam leves sint tuæ rationes, quam temerarium istud tuum consilium, et quam auctoritate omni destituta sint tua instituta. Peccatores purgati altero baptismate pœnitentiæ, secundum leges Ecclesiæ et doctrinam Conciliorum, sat bene affecti sunt, ut eis fas sit accedere ad communionem. Justi sunt, quia fuerunt justificati, et satisfecerunt legibus pœnitentiæ. Justus enim est [1], qui vivit secundum legem. Itaque nihil est, quod possit iis eripere aut differre communionem, nisi sponte sua, atque ex animi humilitate, aut consilio directoris, ea abstinere malint. Director enim, nonnullis in delictis a canonibus notatis, aut prout intelliget conducibilius esse ex unctione Spiritus, poterit in aliquod tempus communionem differre. Sed hanc in rem minime indigemus tua reformatione. Jamdudum ita se gerit Ecclesia, et quidem antequam doctor esses, ac jusjurandum dixisses de docendis mysticis illis dogmatibus, quemadmodum innuis.

[1] Arist. Eth. 5 c. 3.

CAPUT NONUM.

Opinio S. Bonaventuræ de frequente communione. Eum nullo modo favere doctrinæ Arnaldi. Duo genera præparationis ad communionem. Alterum necessarium, et quod satis esse potest; alterum decori et consilii. Quod probatur auctoritate theologorum. Præparationem necessariam ad communionem secundum concilium Tridentinum esse sacramentum Pœnitentiæ.

I. Putas, Arnalde, multum te profecisse, eo quod laudas S. Bonaventuram [1], quasi tibi faveret. Atqui a tua sententia multum abest. Sanctus ille vir quærit, utrum satius sit frequenter communicare, an vero rarius, si res ex arbitrio nostro pendeat? Deinde respondet, si quis æque sancte affectus sit, ac primitivi Christiani, qui, ut ait, quotidie communicabant, recte eos imitaturum esse; si vero procul absit ab iis, sique frigeat, ac langeat, pro conditione Ecclesiæ posteriorum temporum, præstare eum rarius communicare. Quod si inter duo illa extrema medius sit, mediam etiam viam eum inire oportere; ita ut nunc communicet, nunc reverentiæ causa a Sacramento abstineat. Ea sententia S. Bonaventuræ nec officit scriptori anonymo, nec tibi ad defensionem tuæ causæ prodest.

II. Ad prius quod attinet [2], tibi adversatur, ostenditque immerito te ejus scriptum carpsisse, quod simili distinctione, ac S. Bonaventura, usus non sit. Causa ejus discriminis est, quod S. Bonaventura, tribus hominum generibus consilia daret, et unicuique quidem, prout conditio ejus postulat : scriptum vero anonymi ad unum virum missum fuerit, qui erat in una tantum classium memoratarum, non in tribus simul; ita ut necesse non habuerit uti distinctione S. Bonaventuræ.

III. Ad te vero quod spectat, is locus plane est inutilis. Sæpe tibi dixi, et sæpius repetere me oportet, nunquam Catholicos ægre laturos, te hortari homines, ut se quam diligentissime præparent ad participationem SS. mysteriorum. Præstantissimus is est totius religionis Christianæ actus, et exquisita sane præparatione dignissimus. Sed hinc colligere, necesse nos habere plura facere, quam lex postulat, quam Ecclesia præscribit, quam SS. doctores et theologi censent necessarium esse; hoc demum est intoleranda tyrannis. Hoc non possumus pati, in tuo instituto, ac nobiscum universa damnat Ecclesia catholica. Duo sunt genera præparationis ad accipiendum S. Sacramentum; alterum essentiale et necessarium; alterum decori. Prius postulat, ut homines in gratiam cum Deo redierint, confessique sint omnia peccata mortalia, quibus eorum animus angebatur, præter religionem ac reverentiam. Alteri nulli sunt constituti limites; sed crescere in immensum potest pro gratiis, quæ nobis ex alto conceduntur, et pro ratione, qua iis utimur.

IV. Charitas, ac religio, omnesque aliæ virtutes tam infusæ, quam acquisitæ, gradatim crescunt, ut aliæ omnes qualitates, quibus est, ut loquuntur Scholastici, *extensio gradualis*. Quemadmodum autem essentia caloris tam conservatur in uno gradu, quam in pluribus, quamvis in uno non sit tam vehemens et tam efficax; sic gratia et charitas sunt semper gratia et charitas, quamvis sint minores; minimaque earum copia satis est ad salutem consequendam, vitandasque pœnas æternas. Idem dicamus de religione ac præparatione necessaria ad dignam communionem. Essentiam suam habet; habet et perfectionem accidentalem. Illa sita est in liberatione animi ab omni peccato mortali; hæc ei superaddit ornamenta virtutum, actionumque laudabilium, præsertim pietatis, ac religionis.

V. S. Thomas [3] nos docet duo hæc genera præparationis, quorum priorem vocat *necessitatis*, posteriorem *decori*. Ibi quærit, utrum nocturnæ pollutiones impedire debeant, ne ad communionem accedamus. Ad quam quæstionem respondet his verbis : « Si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem hujus sacramenti; ita, scilicet, quod homo sumendo reus sit corporis et sanguinis Domini. Si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. » Paulo vero inferius dicit, *ex quadam congruentia impedire*, quamvis nullum intercesserit peccatum mortale. Idem S. Thomas

[1] In 4. Dist. 12. art. 2. q. 2 in Resol. — [2] Vide supra C. 3. § 3. in hac Lib.

[3] 3. P. qu. 80. art. 7. in corp.

in quæstione antecedente [1] proponit hoc dubium, an peccato veniali impediatur effectus Sacramenti? quod dubium ita solvit: « Peccata venialia, *inquit*, dupliciter accipi possunt; uno modo, prout sunt præterita; alio modo, prout sunt actu exercita. Primo quidem modo, peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus sacramenti. Potest enim contingere, quod aliquis, post multa peccata venialia commissa, devote accedat ad hoc sacramentum, et plenarie hujus sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo, peccata venialia non ex toto impediunt hujus sacramenti effectum, sed in parte; dictum est enim, quod effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis succedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, et charitatis. » Hæc habet ea de re S. Thomas.

CAPUT DECIMUM.

Sententiæ quorumdam aliorum Scholasticorum de eo, quod pertinet ad dispositionem ad communionem; Alexandri Alensis, S. Bonaventuræ, et Dominici Soto.

I. Alexander Alensis [2], qui dicitur fuisse magister S. Thomæ, et S. Bonaventuræ, agens de affectione animi, qua accedimus ad communionem, tria ejus genera constituit. Primum satis esse censetur, ut quis digne communicet; cum nimirum nulla in animo peccata mortalia supersunt, ac reverenter, et timide ad communionem accedimus. Alterum re ipsa satis non est, sed tantum probabiliter putatur, quando quis opinatur nulla amplius in se hærere peccata mortalia, sed tamen quodpiam superest nondum expiatum. Tertium est, cum quis ad communionem accedit contemptim, ac negligenter, cum operam non dederit, ut conscientiam peccatis mortalibus purgaret. Primus digne affectus est ad communicandum; secundus non digne communicat, si proprie loquamur, neque etiam indigne, quia bona conscientia, in qua est, delicta omnia mortalia arcet. Ita censet celeberrimus ille theologus, qui nullam aliam præparationem postulat ad digne communicandum, præter purgationem animi, qui omni peccato mortali solutus est, timoreque; ac reverentia Dei afficitur.

II. Assentitur magistro S. Bonaventura, hisce verbis [3]: « Si probabilia habeat signa de gratia, sufficit sibi ad hoc, quod peccatum non incurrat, quia non incurrit contemptum, quamvis non tantum se disponat, quod Deus acceptet omnino. » Eodem in loco [4] distinguit tres rationes communicandi indigne. Una est in memoria, cum quis recordatur peccati cujuspiam, cujus eum non pœnitet; altera in voluntate, cum cepit consilium de peccando; tertia in actione, cum quis actu peccat. Alibi etiam [5] mentionem facit præparationis necessariæ, præparationis *de congruo*, hoc est decori.

III. Dominicus Soto [6], qui adfuit concilio Tridentino quasi theologus, ac proinde satis norat, quæ fuisset sententia Patrum in id coactorum, eadem de re agens, « Si consilium, *inquit*, spectes, a venialibus etiam, pro humana fragilitate, perpurgare se pollutissimus quisque debet, antequam ad hoc sacramentum accedat. » Deinde addit: « Quia venialia non sunt obex gratiæ, non est tantum præparamentum de præcepto necessarium. Quapropter accedere cum conscientia venialium certum est non esse peccatum mortale, quanquam sit nonnulla irreverentia. Imo, quamvis hoc non tam certo asseruerim, quam Major Dist. 9. quæst. 1. forte neque est veniale, quia nullum tale habemus præceptum. »

IV. Idem Soto nullam aliam præparationem

[1] Quæs. 79 art. 8. — [2] In 4. qu. 11. memb. 2. art 2. § 2. — [3] In 4. Dist. 9. in Expos. Dub. 3.

[4] Dub. 5. — [5] In 4. Dist. 12. — [6] In 4. Dist. 12, qu 2. art. 4.

ab iis exigit, qui peccata mortalia commiserunt, præter absolutionem sacramentalem ; quam putat esse necessariam jure divino, nixus auctoritate concilii Tridentini, quod eo sensu intellexit verba Apostoli, *Probet se ipsum homo*. Testimonium autem hujusce doctoris eo gravius est, quod probe nosset sententiam Concilii hac de re. Itaque multo dignior est fide, quam recentiores, qui nova sibi de Concilio fingunt, divinantque arcanam ejus mentem, quam nusquam expressit, inventis nescio quibus indicationibus, de quibus ne somniarat quidem. Tandem idem Soto agens de iis, qui peccatum mortale ad impuritatem pertinens commiserunt, ait, ex vulgari sententia, satis esse post confessionem differre communionem in viginti quatuor horas.

CAPUT UNDECIMUM.

Arnaldum frustra niti oppugnare vulgarem doctrinam. Rationes, ob quas SS. Patres aliquando postulent eximiam quamdam dispositionem ad communicandum. Doctrinam Arnaldi esse absurdam, et Ecclesiæ contumeliosam. Ex ejus opinione universum Christianismum a communione esse arcendum ; omnesque episcopos et sacerdotes, qui sæpe Missam celebrant, sacrilegia committere ; quandoquidem ex ejus doctrina sequitur a nullo id oportere fieri, nisi apostolos perfectione æquet.

I. Hæc doctrina solidæ Theologiæ superstructa, defensaque auctoritate tot gravium Doctorum, est firmum propugnaculum, aut potius inconcussa rupes ; ad quam novitia omnia dogmata illisa franguntur, ac comminuuntur. Hac una propulsari, et irriti reddi possunt omnes conatus auctoris libri de frequente Communione contra consuetudinem universæ Ecclesiæ catholicæ. Hoc autem eo verius est, quod omnia testimonia Patrum, quæ coacervat ad ostendendum, non esse communicandum statim post peccatorum confessionem, sed aliquot mensibus prius sese parandum, aut oportere fideles accuratissime sese probare, et inusitata religione accedere ad Sacramentum : quod, inquam, omnia illa testimonia non complectantur præcepta et leges, quibus teneamur, nisi lethaliter peccare velimus ; sed consilia iis utilia, qui volunt quam maximum fructum ex tam sancta actione colligere.

II. Aliquando etiam Patres respiciunt ad periculum, in quod se conjiciunt, qui non eam diligentiam, quam possunt, ad sese parandum adhibent. Ut autem vitæ spiritualis magistri solent monere discipulos suos, qui ingressi sunt viam virtutis, vel perfectionis Christianæ, aut religiosæ, in periculo eos versari, nisi quotidie progrediantur, ascendendo per gradus scalæ illius mysticæ, quæ a terra ad cœlum pertinet, nec tamen damnant quasi peccati reos eos, qui non augentur in ea perfectione, modo ne ullam legem perfringant ; sic et sancti illi viri, quos Arnaldus citat contra scriptum anonymi, hoc unum spectant, ut incendant Christianos cupiditate majoris perfectionis, absolutiorisque religionis, ut eo pacto magis colerent divinum illud sacramentum, utque ex eo inexhausto fonte majora beneficia divina haurirent. Non eo spectant ardentibus illis pietate orationibus, et refertis hyperbolis, affectibusque divinis ; ut imponant novas leges, quibus nonnisi perpauci *moraliter*, ut loquuntur Scholastici, possent parere, et quæ plerosque fideles conjicerent in desperationem, impedirentque, ne possent ea, qua par est, animi tranquillitate accedere ad convivium pacis, Deumque hominum amantem et benignum.

III. Ut intelligas, Arnalde, carere ratione tuas ratiocinationes, consectariaque falsa esse, in animum revoca, quod probare instituisti, et argumenta, quibus eam in rem uteris. Alio nullo judice opus erit, a quo damneris. Auctor scripti aggressus erat ostendere, ex consensu sacrarum litterarum et Patrum, laudabilem esse frequentem communionem, expedireque ea uti. Vis ei persuadere consilium hoc promiscue ab eo datum omnis generis hominibus, nullo discrimine dignorum vel indignorum. Falsissimum hoc est, ut sæpe diximus, estque una ex tuis calumniis ; quandoquidem

hoc unum ei consilium fuit, ut orationem suam aptaret usibus hominis, quem probe norat. Sed hæc in præsentia omittamus, veniamusque ad potissimum caput. Existimo, tibi persuasum esse, cum sensu communi, tum iis, quæ legisti capite 3. hujus libri, quamvis hoc scriptum compositum fuisset absque ulla restrictione, aut determinatione cogitationis consiliique auctoris, nullam tibi fuisse satis gravem rationem, cur eum reprehenderes. Etenim propositiones universales, responsionesque indefinitæ in ejusmodi quæstionibus, quæ ad usum referuntur, sunt intelligendæ absolute, et absque ratione applicationis singularis, quæ postea fit.

IV. Attamen dentibus hanc doctrinam vellicas. Insimulas auctorem erroris in eo, quod habet, convenienter dogmatibus universæ Ecclesiæ rem esse utilem, et quæ meriti non exigui sit, frequenter ad altare Domini accedere. Quid vero contra profers? Affers loca veterum Patrum et Doctorum, qui ab iis, qui solito frequentius communicare volunt, postulant affectionem animi plane singularem. Dicis de S. Bonaventura, quod cap. 9. protuli. Opponis nobis S. Dionysium, qui vult, arceri non tantum communione, sed etiam ecclesia, eos qui nondum cum Deo arcte conjuncti sunt, nec dum plane perfecti, et inculpati. Vocas in partes S. Basilium, qui non satis habet eos, qui accedunt ad Eucharistiam, corpore et animo mundos esse; sed qui præterea vult, eos testari, se mundo et sibi mortuos esse, ac Deo soli vivere. Paucis ut omnia complectar, adducis nubem testium, qui affirmant eos, qui digne communicant, attigisse apicem Christianæ perfectionis, purumque habere animum, non tantum omnis peccati, sed etiam amoris creaturarum, omniumque levissimorum delictorum, sine quibus nemo vivit.

V. Hæc est summa totius tuæ disputationis, de qua nihil aliud est, quod quæram, nisi quonam sensu hæc testimonia Patrum intelligas; an ea putas esse leges et præcepta, quibus omnino teneamur ita, ut qui ea non observat, offendat Deum, incidatque in damnationem, quam Apostolus minatur iis, qui indigne communicant, quos ait [1] *comedere, et bibere damnationem suam?* Si ita non censeas, putesque nimis inhumanam esse eam opinionem; si fatearis neminem ulla lege teneri ad tam raram, tamque eximiam dispositionem, tum vere judicabis, sed tecum ipse pugnabis, abjiciesque doctrinam istam novam, et omittes temerarium istud cœptum, cujus arcana ratio, et fundamentum est enuntiatio contumeliosa Ecclesiæ: nimirum, constitutionem ejus de præparatione ad Eucharistiam, et pœnitentiam, quam probat esse [2] *licentiam, collapsionem, corruptionemque morum,* [3] *quæ communi plerorumque impœnitentiæ favet.* Quod si nunc velis recantare, oportet ut fatearis delictum tuum in eo, quod accusasti scripti anonymum scriptorem æque falso, ac Ecclesiam. Si enim nulla lex est, quæ Christianis imponat necessitatem sese parandi ad communionem, tam austera pœnitentia, et apparatu usque adeo religioso et insolito, ac exigunt Patres in locis a te allatis; scriptum illud a censura tua immune sit necesse est, quia egit tantum de eo, quod necessarium est et præceptum, non vero de eo, quod est consilii duntaxat et *congruentiæ*, ut loquar cum SS. Thoma, et Bonaventura.

VI. Ars est, qua utuntur directores omnes et magistri vitæ spiritualis, quando iis res est cum hominibus timidis, et quorum animi scrupulis præpediti sunt, ut exponant tantummodo id, quod præceptum ac necessarium est; quo eos consolentur, iisque animum addant, explanata cœli via, et reddito faciliore studio perfectionis. Ita se gesserunt celeberrimi illi doctores Theologiæ mysticæ, ut Thaulerus, Suso, Rusbrochius, et Ludovicus Blesensis, abbas Lætitiæ, qui collegit eximias sententias ex libris trium priorum, aliorumque similium, in libro quem scripsit de Consolatione pusillanimorum. Illic videbis magnos illos viros, quamvis theoreticæ vitæ addictos, atque in nubes evectos eximia quadam oratione, et conjunctione cum Deo, attamen quando erant alii instituendi levandique, potuisse ad terram usque descendere: ut aquilas [4] quæ altum petentes oculos fugiunt, nidificantque in summis rupibus, unde in conspectam prædam ruunt, quam vel e profundissimis vallibus rapiunt. Ita se gerit auctor anonymus scripti, qui non magis propterea reprehendi potest, quam alii, quos nominavi, quibus fuit religio mitior, rationi magis consentanea, et quæ se aliis attemperare posset; non qualis est tua, Arnalde, quæ fera est, nec a via trita abit, nisi per invios, ac periculosos calles aberret.

VII. Sed ut ad alteram partem enuntiationis meæ redeam, si forte censeas loca illa

[1] 1. Cor. 11. 27. — [2] Præf. ooo. et uuu. [3] Part. 2. c. 47. — [4] Job. 36. 29.

Patrum, quæ protulisti, et quæ urges tam vehementer, et tanto affectu, leges esse, quæ doceant, quid sit necessario faciendum illis, qui cupiunt ad communionem admitti ; si putes firmam hinc tibi esse rationem vituperandi præparationem vulgarem, pœnitentiamque per universum Christianum orbem receptam, ejusque loco tuæ substituendæ, cogeris neminem admittere ad communionem, nisi eum, qui sanctitate æquet apostolici ævi Christianos. Imo vero necesse erit, ut eos multum superet ; quoniam multi carebant conditionibus, quas postulat maxima pars testimoniorum a te allatorum, cum non prorsus exuissent φιλαυτίαν, nec ita cum Deo conjuncti essent, ut creaturarum omnium essent obliti, nec suas utilitates amplius sectarentur : ut intelligere licet ex historia Actorum apostolicorum, et epistolis S. Pauli, in quibus videmus, multos fuisse imperfectos, obnoxios vitiis, delictisque insignibus, quæ erant fons querelarum, dissensionumque, quæ inter eos minime raræ erant.

VIII. Quamvis hæc seponamus, concedamusque tibi, primævos Christianos præditos fuisse perfecta sanctitate, quales eos describis, ut frequentis communionis capaces essent ; at certe cogeris fateri, ex fundamentis a te positis arcendam a communione universam Ecclesiam catholicam, non tantum ut ne tam sæpe ad eam accedat, sed etiam ut ea prorsus excludatur. Ratio ejus rei est, quod Ecclesia hodierna non accedat ad fervorem, et ad sanctitatem primævorum Christianorum, ut ipse affirmas [1], ubi Ecclesiam ad finem seculorum degeneraturam esse doces. Quod credis esse dogma fidei, quod docetur in Evangelio, ubi Christus dicit fore, ut [2] *charitas multorum refrigescat*, et cum secundum ad homines veniet [3], *vix inventurum fidem in terra*. Itaque cum Ecclesia postremorum seculorum ita sit fini proxima, ut eam S. Bonaventura vocet *Ecclesiam finalem*, constat, eam multum abscessisse a pristina illa charitate, neque zelo ac fervore æquare primitivam.

IX. Quandoquidem vero, cum anonymus scriptor proposuisset exemplum primorum fidelium [4] ad Christianos ad frequentem communionem adducendos ; objicis illi auctoritatem S. Bonaventuræ docentis id exemplum eos demum oportere sequi, *qui se videant in statu Ecclesiæ primitivæ ;* hinc necessario sequitur, totam Ecclesiam, aut certe maximam Christianorum partem non posse sæpe communicare. Non vis enim Ecclesiam hodiernam similem esse moribus et pietate Ecclesiæ apostolicæ, nec semel hoc repetis. Significas ergo, non tantum *plerosque fideles*, qui degenerarunt a pristino fervore ; sed etiam totam Ecclesiam, quæ retro sublapsa jam refertur, affectam non esse, sicut par est, ut sæpe communicet ; eamque peccato mortali sese obstringere, cum eam in rem consentit, et adhortatur liberos suos. Deberet contra vetare, ne ad communionem accederent, et interdicere ecclesiis, ut statim dicemus.

X. Sed majora etiam loquar. Omnes ex tua sententia episcopi, et presbyteri tam regulares, quam seculares, qui S. Missam sæpe celebrant, atque in ea communicant, quod plerique ferme quotidie faciunt, ut a te etiam fieri puto ; omnes, inquam, illi committunt sacrilegia, si doctrina tua est vera, sique opus tuum sani hominis, ac sedati haberi possit. Volo te rei esse judicem simul, et testem, postquam mihi ex animi sententia responderis. Dic ergo, esne *in statu* primorum Christianorum ? An *servasti inviolatam* gratiam, quam acceperas in baptismo, et *plenitudinem Spiritus sancti*, quæ tibi in eo sacramento collata fuerat, deinde etiam in Confirmatione ? Eodemne fervore ageris, ac illi ? Charitatis illa flamma, quæ eorum animos incendebat, an incendit etiam animum tuum ? An utilitatibus tuis non magis studes, quam illi ? Nihiline facis creaturas, honorem, existimationemque hominum ? Nullone affectu teneris, nullisne tangeris injuriis ? An lætaris, cum contemneris, male haberis, irrideris, quemadmodum primi illi fideles ? An eos amas, et beneficiis cumulare cupis, qui tibi contumelias imponunt, ac te inimice insectantur ? Si talis es, sanctior es, quam universa nunc est Ecclesia, aut fuit a mille quingentis annis, quandoquidem ex tua sententia a primo seculo semper degeneravit.

XI. At si multum absis a cœlestibus illis hominibus, si vigor religionis tuæ, robur constantiæ, ac charitatis ardor, et quidquid est Christianismi in te, minime æquent *vigorem illum ac robur heroicum primitivæ Ecclesiæ*, potesne celebrare Missam quotidie ? Esne ita affectus ad sæpe communicandum, quemadmodum alios affectos esse vis ? Quamvis eo pervenisses, attigissesque statum primitivæ Ecclesiæ, nondum a me dimittereris. Satis esset homini laico attigisse virtutem heroicam

[1] Præf. uuu. — [2] Matt. 24. 12. — [3] Luc. 18. 8. — [4] Arnald. Part. 1. cap. 2.

primorum Christianorum, ut sæpe communicaret. Sed sacerdoti, ac directori animorum, et præsertim tali directori, qui sublimiori ratione, et quæ cum vulgari commune nihil habet, homines regit, opus est majore sapientia ac eruditione, majoreque perfectione ac sanctitate, quam plebi illius ævi. Similem ergo te esse oportet apostolis ac discipulis Christi, qui tunc erant presbyteri Ecclesiæ. Alioqui cave tibi, ne offeras Sacrificium, aut communices, nisi rarissime; imo vero ne unquam ad communionem accedas, quod necessario colligitur ex doctrina tua, ut in sequente capite videbis.

CAPUT DUODECIMUM.

Arnaldum docuisse, non esse, ne semel quidem, communicandum iis, qui non pervenerunt ad sublimem prorsus, et rarum perfectionis gradum, et ne ipsum quidem S. Paulum potuisse communicare. Unde doctrinæ ejus absurditas intelligitur.

I. Inter loca Patrum, quibus Arnaldus maxime nititur, contra auctorem anonymum scripti, aut potius contra R. P. Antonium Molinam carthusianum, quem ille secutus est; pleraque agunt generaliter, et universim de dispositione ad communionem, et quavis participatione S. Sacramenti, sive frequens illa sit, sive rara; postulantque ab iis, qui ad hoc accedunt, sublimem quamdam virtutem, atque exquisitam sanctitatem. S. Dionysius, exempli causa, vult prorsus arceri a communione [1], aut quod amplius est, ab ecclesia, non tantum pœnitentes, sed etiam eos, « qui nondum purgati sunt phantasmatibus et imaginibus pristinorum vitiorum, succedente illis habitu, atque amore divino puro et impermisto; ac tandem eos, qui non sunt perfecte conjuncti cum Deo solo, et, ut utar verbis Scripturæ, qui non sunt prorsus inculpati. » Hisce verbis fretus Arnaldus exclamat, et invehitur in auctorem anonymum scripti, aitque, « Si sanctus ille vir potuisset prævidere extrema, et perturbationem sacrorum, ad quæ ille devenit, (quæ prævidebat quidem spiritus, quo agebatur Dionysius,) nequivisse ea suffocare gravioribus verbis. »

II. Vult igitur eo Dionysii loco contineri præceptum, quod illæsa conscientia non possit violari. Alioqui juvenilis ille ardor atque impetus, quo invehitur Arnaldus in Carthusianum, eumque a quo exscriptus est, videretur insanus, similisque conatui cæci, qui scipione aerem verberaret. Idem fieret, si disserens de eleemosyna, eam universim laudarem, hortarerque homines ad largiendas liberaliter pauperibus facultates suas; quispiam vero mihi indignaretur, contenderetque doctrinam meam esse *extremum quidpiam vitiosum, et perturbationem*, Dominumque eam prævidentem voluisse eam suffocare hisce verbis, quibus paupertatem præcepit, et abjectionem bonorum terrestrium [2] : *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Si enim omnia sint relinquenda, quæ possidemus, non possumus ea pauperibus largiri. Quicumque ita ratiocinaretur, nisi plane careret sensu communi; oporteret eum statuere omnes, ex illis verbis Domini, necesse habere, relictis facultatibus, amplecti paupertatem evangelicam. Alioqui non sequeretur conclusio ex præmissis; reponeremusque ei illico, cum nemo necesse habeat possessionem bonorum suorum dimittere, utilissimum esse eleemosynam exercere. Simillima est huic Arnaldi argumentatio. Carthusianus enim, et qui eum exscripsit, hoc unum voluerunt, recte facere eos, qui sæpe communicarent; intellexeruntque ita rem, quemadmodum uterque professus est, si modo prius se præparent pœnitentia, aliisque rationibus ab Ecclesia institutis; nec quidquam, nisi ex consilio prudentis directoris, facerent.

III. Qui ergo consilium hoc carpit, utque id confutet, affert testimonia Patrum, et præ ceteris sancti Dionysii, qui usque adeo extollit præparationem adhibendam, ut in perpaucos

[1] Arnald. p. 1. c. 4.

[2] Luc. 14. 33.

cadat; perspicuum est eum credidisse patres locutos de ea eximia ratione præparationis, quasi de re necessaria, non vero quæ sit consilii, et ad decorum tantum pertineat : nisi enim hoc statuat, vis et forma argumentationi ejus desunt. Posset ei os occludi ratione simili ei, quæ de eleemosyna antea a me prolata est; quamvis exoptanda sit singularis illa dispositio ad communicandum, attamen cum nemini sit lege imposita, posse Christianos impelli ad religiosissimam illam communicandi actionem viis solitis, quas satis esse judicavit Ecclesia. Quod cum consideratu sit dignum, manifestum est Arnaldum credidisse, illicitum esse accedere ad communionem nisi iis, qui apicem perfectionis a S. Dionysio, aliisque Patribus memoratum attigissent.

IV. Itaque nec ipse, nec plerique sacerdotes, ne jam de plebe loquar, possent unquam, vel semel, communicare sine infractione constitutionis, quæ non potest non esse juris divini, et sine pœna mortis ac damnationis æternæ, loco gratiæ atque æternæ felicitatis, quam se ex divino illo sacramento relaturos sperabant. Quis nunc invenietur, qui sit *purgatus phantasmatibus et imaginibus præteritorum vitiorum*, cum ne ipse quidem apostolus Paulus ad eam conditionem pervenisset? Patet hoc ex eo, quod dicit de se, deque prælio interno, quod in animo suo sentiebat. Lex illa peccati, ac concupiscentia carnis, quibus sese expedire non poterat, et propter quas usque adeo queritur, poterantne eum ita angere, atque in peccatum propemodum invitum abducere, ut ipse affirmat, sine phantasmatibus atque imaginibus puritati contrariis? Quomodo vero audebat particeps fieri sacrorum mysteriorum sine dispositione necessaria? Præterea quot homines invenies hodie, qui teneantur divino amore tam puro, ut nulla sit amplius rerum amoris mistura? aut qui plane sint perfecti, atque inculpati?

V. Quam insana est hæc doctrina! Aut potius quo furore agitantur, qui audent proferre tam falsas enuntiationes, et paradoxa tam remota a sensu communi, ac naturali ratione? Cum præsertim tam periculosa hinc oriantur consectaria, ut si semel admitterentur, claudendæ essent ecclesiæ plebi Christianæ, vetandus aditus ad altaria sacrorum ministris, interdicendi fideles communione, abolendum sanctum Missæ sacrificium; atque abrogatione sanctissimarum religionis cæremoniarum, antevertenda tempora ac furor Antichristi, et in antecessum effectus ejus impietatis edendi, quorum nihil adhuc novimus præter minas.

VI. Idem sequetur ex locis S. Basilii, unde Arnaldus colligit non tantum eum arcendum communione, « qui admittit peccata mortalia, quavis occasione data; sed etiam eum, qui castigatioribus est moribus, et veluti semi-Christianis, ac semi-secularibus, nec plane vivit Christo, quemadmodum in baptismo pollicitus est; » et eumdem S. Basilium postulare, ut quispiam bene præparatus sit, *mortuum eum esse mundo et sibi, et vivere tantum Deo.* Quis audebit posthac communicare, aut sacra facere, suscepta in se observatione rei, quæ est plerisque saltem Christianis *moraliter*, ut loquuntur, *impossibilis?* Quis non judicabit, ex tot absurdis consectariis, falsa esse principia, ex quibus deducuntur; erroremque non esse in doctrina Patrum, sed in eorum sententia, qui in alienum sensum eorum verba detorserunt, ut cum falsis suis opinionibus, periculosisque dogmatibus consentire viderentur?

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Semper redeundum esse ad doctrinam Ecclesiæ. Eximius locus doctoris Theologiæ de tribus generibus præparationis ad communionem, deque ea, quæ necessaria est. Cur Patres tam eximiam dispositionem postularint ad communicandum. Arnaldum abuti auctoritate Patrum. Ejus paralogismus.

I. Redeamus ergo, si sapimus, nisi falli volumus, ad arcem illam inexpugnabilem, ad rupem inconcussam, contra quam nihil possunt ars et dolus; quam omnes conatus hominum, et cacodæmonum perrumpere nequeunt, et quæ eorum ictibus, ac adsultibus

magis firmatur. Intelligo S. Ecclesiam, ejusque doctrinam, nec tantum eam, quam diserte docuit, sed et eam, quam usu et consuetudine sua probavit. In hoc autem negotio, ubi sermo est de præparatione necessaria ad communicandum, facile intelligi potest, quæ sit doctrina Ecclesiæ. Sat multis eam probavimus auctoritate concilii Tridentini, consensuque omnium Doctorum catholicorum, ac præsertim SS. Thomæ ac Bonaventuræ, ceterorumque theologorum scholasticorum, cum quibus consentiunt magistri Theologiæ mysticæ et spiritualis.

II. Hi uno consensu statuunt geminam esse dispositionem ad communionem, quemadmodum antea dixi. Nunc operæ pretium me facturum existimavi, si subjicerem disputationem hac de re gravissimi, ac doctissimi theologi, ferme ante centum annos editam in libello de frequente Communione ; nullus enim hodiernus scriptor videtur hanc quæstionem tanto judicio pertractasse ; et quidem paucis verbis : prætereaque ostendit, qui intelligenda sint loca illa Patrum, quæ usque adeo jactat Arnaldus. Hæc ergo ea de re scripsit magnus ille Dei servus [1].

III. « Ut cum laude participes esse possimus divini illius sacramenti, oportet ut digne ad id accedamus. Digne autem ad id accedere, triplici ratione intelligi potest. Prima est, ut ille, qui accipit, habeat in se veluti æqualitatem pretii, ac valoris, quam theologi vulgo vocant *condignitatem*. Hoc sensu, nulla creatura, ne beata quidem Virgo, potuit digne particeps fieri divini illius sacramenti. Quid enim est homo, aut alia creatura, ut comparetur cum Deo ? Quæ proportio est inter finitum et infinitum ? Secundo accipere digne potest dici de quadam perfectione virtutum, donorum, ac præsertim reverentiæ et religionis ; ita ut is dicatur accipere digne, qui accipit cum quadam eminentia virtutum, magnaque reverentia ac religione, sine quibus Sacramentum nonnisi indigne accipiatur. Verum hæc ratio dignæ participationis non est necessario injuncta, ut quispiam digne participare dicatur ; et sæpe contingit, ut gratiæ illæ concedantur frequenti usui communionis ; quandoquidem, cum sint dona Dei, conceduntur et augentur iis, qui admirabile illud sacramentum frequentant. Quo factum, ut Gerson dixerit eos, qui nolunt accedere ad id mysterium sine hujuscemodi donis, similes esse iis, qui cum frigeant, nolunt accedere ad ignem, nisi prius incaluerint. »

IV. « Denique intelligimus vocibus, *digna præparatio*, dispositionem, quam Deus ab homine postulat, ut sine peccato sacramentum Eucharistiæ accipiat. Nec aliud est, ad peccatorem quod attinet, præter accuratam investigationem peccatorum, quæ detestatur, conjunctam cum firmo proposito vitæ emendandæ, et vera atque integra omnium delictorum suorum confessione ; cui rei addendum, nullum incidere obicem communionis, jussu superiorum. Quod si forte qui accedit ad Sacramentum nullius peccati conscius sibi sit, digna præparatio illi erit fides operans per charitatem. Atque hæc dicitur digna præparatio, et postulatur ab eo, qui ad Sacramentum accedit. Quicumque vero venit absque hac præparatione, is sine dubio indigne accedit, deque tali homine loquitur Paulus [2], quando dicit, eum qui *manducaverit panem, et biberit calicem Domini indigne, judicium sibi manducare et bibere*. Hanc autem dispositionem postulat, cum subjicit : *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat*. Præterea hæc dispositio complectitur quidquid SS. Doctores postulant, ut quis digne particeps fiat S. Sacramenti. Quod si nonnullis in locis videantur exigere ad eam præparationem eximias virtutes ; existimamus eas ab illis postulari quasi utiles, sed non quasi necessarias. Quo enim dispositio ejus qui accepit capacior est, eo majores liberalis Dominus largitur gratias. Unde sequitur nec imperfectionem virtutum, et religionis, nec remissionem reverentiæ, quando non excludit dignam præparationem, reddere hominem indignum, qui accipiat Sacramentum ; imo vero non sine fructu ad id eum accedere, quamvis in se sentiat minutas reverentiam et religionem, quæ sæpe per Sacramentum conferuntur eo tempore, quo accipiuntur. »

V. Nihil potuit opportunius, ac significantius dici. Nec pluribus opus est ad dirimendam litem, silentiumque imponendum fervidioribus æquo theologis, qui omnia miscent ; eo quod careant prudentia, nec secernant id, quod necessarium est ab eo, quod est consilii et decori. Hinc etiam intelligimus, quæ cautio adhibenda sit in interpretatione locorum Patrum, qui usque adeo severi esse videntur, tamque puram ac raram affectionem animi exigere, ut nemo ferme eam attingere possit. Ejusmodi est locus S. Bonaventuræ, itemque

[1] Christ. Madrid. c. 1. de Freq. Com. — [2] 1. Cor. XI. 27.

S. Basilii, et aliorum alii : quos venditat Arnaldus ad homines revocandos a frequente communione, augendamque famam novi sui instituti.

VI. Sed et aliud moneam necesse est, de auctoritatibus illis SS. Patrum circa præparationem necessariam ad communionem, protrahamque in lucem dolum, aut potius ruditatem Arnaldi in constituenda pœnitentia. Si incidat in Patrem quempiam, qui verba faciens de communione, et pœnitentia, significet audax esse facinus, et temeritatem iis, qui graviter in Deum peccarunt, quod festinent ad participationem mysteriorum ; et veluti vi extorqueant, quod mereri debent assiduitate longæ pœnitentiæ : si quando, inquam, incidat in ejusmodi locum, tum vero triumphat, et intolerabilem se præbet jactationibus suis, nec sine fastu invehitur in bonum Carthusianum, et eum, a quo exscriptus est. Putat causa se esse longe superiorem, postquam ostendit SS. Doctores existimasse nefas esse, peccatorem tam cito accedere ad Altare, cum debeat aliqua pœnitentia præparari. Qua in re summopere ei favent loca S. Cypriani, ex epistolis et libro de Lapsis. Illic enim magnam religionem injicit sanctus ille vir animis pœnitentium, qui longæ pœnitentiæ moram ferre non poterant ; quique, ut eam contraherent, confessorum ad metalla, aut ad carcerem, Christi causa damnatorum, deprecationibus et auctoritate utebantur. A qua cupiditate eos revocat, ostenditque, novam esse culpam, et quidem ad perniciem disciplinæ ecclesiasticæ spectantem.

VII. Itaque, ne lector fallatur, meminerit oportet magnum esse discrimen inter Ecclesiam, quæ Cypriani ævo vigebat, et hodiernam, quod attinet ad præparationem necessariam ad communionem. Tunc enim pœnitentia publica lege constituta erat, circumstantiæque ejus disertis canonibus definitæ adeo, ut accurate observarentur, nec possent sine peccato violari. Igitur mirandum non est, si SS. episcopi acriter pro ea pugnarent, nec pedem facile referrent, cum vellent disciplinam observari, atque Ecclesiæ pareri. Nec mirum est etiam, si peccatores tam graviter hortarentur, ad ferendam pœnitentiam, proposita iis magnitudine noxæ, quam contrahebant, si pœnitentiam negligerent. Nunc vero obsoleta ea lege in peccatis vulgaribus, Ecclesiaque satis habente arcanam, ac sacramentalem pœnitentiam, argumenti illius nulla est amplius vis ; nec nisi dolose simplicioribus objicitur species rationum, quæ revera sunt sophisticæ ; et colligitur religioni nobis esse oportere negligere leges jam obsoletas.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Hallucinationes aliquot Arnaldi. Omnem errorem non esse hæresim. Locus Tertulliani suspectus propter ejus hæresim, qui oppugnat consuetudinem Ecclesiæ ; qua in re eum sequitur Arnaldus. Ejusdem Arnaldi falsa enuntiatio, et error in interpretatione loci S. Bonaventuræ, qui suspectum eum facit gravioris erroris contra auctoritatem Ecclesiæ.

I. Volo hic exsequutioni mandare præceptum Evangelii, et benefacere iis, qui nos vexant ac calumniantur. Non possum autem majore beneficio Arnaldum afficere, quam si eum delictorum atque errorum admoneam, qui contendit [1] *omnem errorem trahere aliquid de hæresi.* Igitur ostendam eum errasse potissimum in usu, et interpretatione locorum SS. Patrum, quibus usus est.

Quoniam vero in eam enuntiationem forte incidi, ab ea libet ordiri, et petere ab Arnaldo quomodo eam intelligat. Nam videtur mirum, imo vero prorsus falsum, omnem errorem trahere aliquid de hæresi. Nulla est hæresis, quæ non sit contra fidem ; quis vero nescit, esse errores in historia, in grammatica, et in aliis disciplinis, quæ ad fidem non pertinent ? Est ergo, Arnalde, tua enuntiatio paradoxa, nisi forte errores fidei contrarios intelligas. Quo sensu verum est, quod dixit Tertullianus [2] : *Quodcumque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.*

[1] Part. 2. c. 21.

[2] De Virg. vel. c. 3.

II. Quod habet hic de consuetudine, obiter attigit ad patrocinandum suo errori, qui vera erat hæresis. Erat nempe hæresis Montanistarum, quæ varia instituta intromiserat contraria priscis consuetudinibus Ecclesiæ catholicæ : ut jejunia nova, secundarum nuptiarum interdictio, exclusio perpetua ab aditu ecclesiæ, atque a communione, eorum qui peccata enormia admiserant; et quædam alia, quæ se nuper edoctos dicebant a Paracleto, sive ita vocarent hæresiarcham Montanum, sive crederent Paracletum, hoc est, Spiritum S. per os ejus loquutum. Quidquid id est, Catholicis objicientibus consuetudinem Ecclesiæ nihil reponebant Montanistæ, nisi agi non de consuetudine, sed de veritate ei præferenda. Tertullianus eodem spiritu actus, et in eadem schola institutus, postquam negavit, consuetudinem præscribere veritati, ita loquitur [1] : « Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. » Tum paucis verbis interjectis, addit quod antea recitavi.

III. S. Cyprianus, et alii afri episcopi, qui sententiam dixerunt contra communem Ecclesiæ consuetudinem, ex qua ab hæreticis baptizatos minime rebaptizabat, in concilio Africano, in quo fuerunt 90. episcopi, utebantur eadem ratione, veritatem esse præferendam consuetudini. Imitatus hoc est Arnaldus [2], qui ad instar Tertulliani, et afrorum episcoporum, negat « sequendam esse ratiocinationem, aut consuetudinem hominum in rebus ecclesiasticis, sed auctoritatem divinam, qua nititur tota nostra Religio. » Verum quemadmodum falsum erat, veritatem stetisse e partibus Montanistarum, aut episcoporum afrorum, et quemadmodum falsum consectarium deducebant ex verissima hoc enuntiatione, *sequi nos oportere veritatem et Scripturam ;* sic etiam Arnaldo nec veritas favet, nec consuetudo, et pravum ab eo elicitur consectarium ex enuntiatione vera, *ad Verbum Dei, et ad traditionem omnia esse exigenda.* Quarum enuntiationum prior est omnino vera : et posterior, quando aguntur res ad fidem pertinentes ; non quando mera agitur consuetudo, eaque indifferens et in arbitratu Ecclesiæ sita; ut satis demonstravimus.

IV. Ut redeam ad id, quod cœperam dicere, de Arnaldi propositione, *omnem errorem de hæresi aliquid trahere ;* perspicuum est, eam falsam esse, multosque esse errores, quibus nulla est cum hæresi affinitas, quales sunt errores grammatici ad significationem, atque interpretationem vocum tantum pertinentes. Quod dico, quia posset contingere, ut error grammaticus esset etiam error fidei catholicæ contrarius. Sic contigit in hæresibus Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, et multorum aliorum, in quibus necesse fuit diligenter inquirere in significationem multorum vocabulorum, quibus abutebantur hæretici.

Non opus est, me exemplis sat notis immorari. Suppeditatur mihi ab Arnaldo ipso exemplum, quod instar omnium erit ad probandum, quod dixi, uno errore posse in fidem et in grammaticam simul peccari ; quamvis qui errat minime sit hæreticus, nisi pertinaciter errorem tueatur. Quod non puto facturum Arnaldum, agnita culpa.

V. Eum errorem erravit in interpretatione loci S. Bonaventuræ, quem usque adeo ostentat [3]. Sanctus ille vir, agens de varia communicantium dispositione, hæc habet [4] : « Si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum et tardum, laudandum est, quod raro. » Arnaldus pro *Ecclesia finali* intellexit *Ecclesiam finientem,* (gallice, *l'Eglise finissante,*) quæ summa est absurditas. Theologi sæpe utuntur voce *finalis*, ut quando vocant *pœnitentiam* aut *impœnitentiam finalem*, ut eam significent, in cujus statu homines moriuntur. Eodem sensu dicitur *perseverantia finalis* eorum, qui ad finem usque vitæ perseverant. Si quis vocaret perseverantiam, impœnitentiam, aut pœnitentiam *finientem*, significaret contrarium ejus, quod dicere cuperet. Nam perseverantia, vel impœnitentia *finalis* est, cui nullus est finis, finiens vero quæ desinit.

VI. Verum hic error non consistit in grammatica. Ulterius progreditur, habetque nescio quid contagiosum, quod fidei catholicæ contrarium est. Significant enim ea verba, Ecclesiæ finem fore, contra quam promisit Dominus, qui eam nunquam desituram pollicitus est. Aliunde etiam nobis innotuit, potissimum auctorem hujusce novitatis, et operis de frequente Communione, credidisse veram Ecclesiam posse corrumpi, nec eam amplius esse legique hoc ejus dogma : « Veram Ecclesiam non esse cœtum constantem Papa, episcopis, presbyteris, doctoribus, monachis et plebe, qualem eam videmus ; nec ejusmodi corpus posse censeri Ecclesiam alio sensu, nisi quia

[1] De vel. Virg. c. 1. — [2] In Præf. 000.

[3] Part. 1. c. 2. — [4] In 4. Dist. 12.

successit veræ Ecclesiæ : quemadmodum si aquæ lutulentæ et corruptæ, quæ impleret alveum fluvii, cujus aqua fuisset olim limpida, viva, ac salubris, nomen imponeretur ejusdem fluvii, quamvis mutati corruptione, quæ successit ; nec sane posse Ecclesiam vocari, nisi eam, quæ sexcentos postremos annos antecessit. »

VII. Quare vereri possumus, ne pravam illam interpretationem duarum vocularum latinarum data opera inseruerit Arnaldus, ut eamdem doctrinam obiter insinuaret ; præsertim si attendamus præjudicatas opiniones sparsas per opus de frequente Communione, in quo parum reverenter de ea loquitur, quam putat posse prolabi in *licentiam* et *corruptionem morum ;* quam censet reipsa confirmare consuetudines, quæ sunt *veræ corruptiones morum*, et quæ *fovent communi impœnitentiæ plerorumque*. Paucis ut omnia dicam, universum libri argumentum, et novum institutum, quod nobis obtrudit, vituperando vulgarem consuetudinem totius Christianismi in usu Sacramenti, dispositioneque eorum, qui ejus participes fiunt ; nobis gravem rationem suspicionis præbent, expendendique ejus, quod agit Arnaldus, quanquam innocuum videtur.

VIII. Ne mihi credideris, Arnalde, sed ex tuis ipsius verbis judica, annon merito suspicemur nescio quid de te, dubitemusque de integritate fidei tuæ, quod attinet ad Ecclesiam. Scribis in præfatione tua, « Concilium Tridentinum , cum videret procellam , quam ubique cacodæmon concitaverat, tam violentam fuisse, ut posset abripere omnem paleam ex area, atque in ea solum triticum relinquere, ut utar verbis Scripturæ ; hoc est, dejicere omnes infirmos, relictis tantum firmis et perfectis ; cumque vereretur ne redderet Catholicos apostatas, cum eos cuperet catholicæ Religioni addictiores reddere, confugisse ad sacerdotes etc. » Hæc verba, prima specie simplicia, occultant periculosam doctrinam. Hinc enim colligendum est imperfectos non esse justos, sed tantum perfectos. Intelligis enim tantummodo *firmos et perfectos* significari tritico, palea vero debiles. Perspicuum autem est Scripturam, ex qua hæc verba mutua sumpsisse te profiteris, nunquam palea significasse debiles et imperfectos, sed peccatores, qui torpent in peccato, vel reprobos, pro statu in quo erunt, cum de iis judicium feretur. Constat vero omnes justos, quanquam debiles et imperfectos, pertinere ad massam tritici, ut loquar cum Augustino. Sic Joannes Baptista dicebat [1], Dominum nostrum *mundaturum aream suam, et congregaturum triticum suum in horreum, paleas autem combusturum igne inextinguibili.*

IX. S. Augustinus rem ita innumeris locis interpretatur, soletque intelligere grana de justis, eisque qui sunt in Dei gratia, paleam vero de iis, qui sunt in damnationis statu. In libro de vera Religione [2] vocat hæreticos paleam et lolium ; in alio vero loco [3] iis verbis utitur ad significandos impios, qui in eadem Ecclesia bonis misti sunt. Qui ultimus significatus est apud eum frequentissimus, præsertim quando disceptat contra Donatistas [4]. In quodam etiam sermone ita loquitur [5]: « Ecclesia hujus temporis areæ comparatur habens mista grana cum paleis, habens permistos bonis malos, habitura post judicium, sine ullis malis, omnes bonos. » Hæ sunt propriæ significationes *paleæ* et *tritici.*

X. Potest etiam hoc confirmari auctoritate S. Gregorii papæ, qui verba faciens de ultimo judicio, et de separatione electorum et reproborum, eadem utitur comparatione [6]. « Nam post trituram vitæ præsentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ita illo extremi judicii ventilabro inter triticum, paleasque discernitur, ut nec in tritici horreum paleæ transeant, nec in palearum ignem horrei grana delabantur. »

Itaque qui nomen quidem *tritici* ad solos perfectos refert, paleæ vero ad imperfectos, merito se suspectum facit pravæ cujusdam opinionis de membris Ecclesiæ ; præsertim cum ceteroqui nec cogitationes, nec locutiones habeat satis sinceras, et satis consentaneas doctrinæ catholicæ.

[1] Matt. 3. 12. — [2] Cap. 6. — [3] Ibid. c. 27. — [4] Aug. Ep. 48. [5] De div. 8. T. 10. Vid. et Ser. 22. de Tem. — [6] 24. Mor. cap. 5.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De loco S. Dionysii, quem maxime jactat Arnaldus, quamvis eum nullo modo intellexerit. Primo absurdum esse consectarium, quod ex eo deducit. Deinde nullum unquam adfuturum Missæ, aut communicaturum fuisse, si verum esset, quod vult Arnaldus.

I. Omnium locorum Patrum, quibus utitur Arnaldus, potissimus et disertissimus est locus Dionysii. Est *fulgur*, est *tonitru*, ut dicit, cujus nec splendorem, nec fragorem possunt adversarii sustinere. Antonius Molina [1], et post eum auctor anonymus eum protulerant, ut ostenderent priscam fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut communio daretur omnibus, qui aderant Missæ. Verum Arnaldus hoc ipso testimonio contra adversarium utitur, quem eo ictu prosternit in Carthusianum ipsum, qui primus id adhibuerat; quem quasi mancipium, aut potius ad remos damnatum habet, ac contumeliosissime conculcat. Si jactantias ejus hanc in rem audiamus, videtur invenisse arcanum occultæ suæ factionis in loco Dionysii, nec quidquam superesse adversariis, quod ei reponant. Attamen ostendemus eum locum nullo modo ab eo fuisse intellectum, sententiamque, quam ei tribuit, non tantum esse contrariam scopo sancti illius viri, sed etiam perabsurdam, et a ratione plane alienam.

II. Incipiamus a posteriori, ostendamusque, quamvis illi concederemus quidquid de loci sensu habet, nihil hinc eum referre posse, præter ignominiam, et necessitatem defendendi necessaria ejus, æque ac absurda consectaria. Vult verba Dionysii nos eo adducere, ut credamus, in Ecclesia primitiva, ecclesia et communione expulsos, non tantum catechumenos, dæmoniis obsessos, et pœnitentes, sed etiam « omnes, quibus nondum inerat purus amor divinus, et sine mistura, eosque, qui non erant prorsus perfecti et plane inculpati. » Unde occasionem arripit irridendi auctoris anonymi, aitque [2], « Per se ei licere incitare ad communionem omnes, qui manebunt, ut adsint celebrationi mysteriorum; postquam, ex sententia S. Dionysii, expulerit omnes eos homines ex templo Dei, et sacrificio, ut sublimiore, quam ut ejus participes esse queant. »

III. Quis credere posset, nisi res oculis subjecta esset, tam absurda quemquam cogitare, eaque audere palam profiteri apud Christianos, ut putet, secundum S. Dionysium, et consuetudinem Ecclesiæ veteris, expulsos fuisse ecclesia, et S. sacrificio Missæ, qui non erant prorsus conjuncti cum Deo solo, et qui non erant penitus perfecti, atque inculpati, præter pœnitentes; nam Arnaldus post hocce, quasi ultimam classem exulantium, recenset eos, qui nondum summam perfectionem attigere. Si aliud nihil ei subsidii fuisset ad intelligendum hunc S. Dionysii locum, certe vel sola doctrinæ absurditas ei aperire oculos potuisset, hominemque absterrere, ne eo usque progrederetur, ut sancto illi viro tribueret tam absurdam, et falsam enuntiationem, quæ prima fronte omnes rationis compotes offendit.

IV. Quis ergo aderat Missæ? Quis frequentabat cœtus Christianorum? Quis ingrediebatur in ecclesias, si soli perfecti et plane conjuncti cum Deo poterant sacrorum spectatores esse et participes? Estne quisquam in terris, qui ab omni parte perfectus sit? Annon docet Scriptura [3], *non esse hominem, qui non peccet*? Omne autem peccatum defectus est perfectionis. Recte dixit Augustinus [4], « Ut ostenderet, secundum istius vitæ modum esse quamdam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque noverit nondum esse perfectum. » Quandoquidem Paulus negabat, *se jam comprehendisse, aut jam perfectum esse*, non poterat ex falsa hac doctrina, ecclesiam ingredi, et communicare.

Verum nec Ecclesia primitiva unquam usa est eo rigore, aut potius ea barbarie, quæ ne mandari quidem poterat executioni, si voluisset; nec S. Dionysius simile quidquam scripsit. Arnaldus nempe sensum ejus minime assequutus est: quod nunc ostendam, et cogam eum fateri.

[1] Tract. 7. c. 3. — [2] Arn. Par. 1. c. 4. et 5.

[3] 3. Reg. 8. 46. — [4] Lib. 3. cont. Ep. Pelag. c. 5.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Enarratio loci S. Dionysii e cap. 3. de Hierarchia ecclesiastica, male intellecti ab Arnaldo, et a Georgio Pachymere. Variæ significationes vocis Pœnitentia. Quis ordo servaretur in exclusione eorum, qui non aderant Missæ.

I. Ut intelligatur insignis ille locus S. Dionysii, necesse est, ut probe sciamus, quodnam sit argumentum, et quinam scopus 3. capitis de Hierarchia ecclesiastica, in quo est. In eo S. vir agit de *Synaxibus*, hoc est de cœtibus ecclesiasticis, in quos conveniebant fideles, ad sacrorum mysteriorum celebrationem; narratque, quæ in iis solerent fieri. Inter alia igitur dicit, cum psalmodia desiisset, et absoluta esset lectio sacrorum librorum, « (1) ejectos sacro ambitu catechumenos, dein energumenos, et pœnitentes; mansisse vero eos, qui digni erant qui spectarent res divinas, earumque participes essent. » Probe notandi sunt tres illi hominum ordines, qui emittebantur ecclesia, nec mysteriorum celebrationi aderant.

II. Deinde postquam exposuit, quæ interea fierent in sanctis illis ritibus, aggreditur accuratiorem rationem reddere exclusionis trium illorum ordinum. Tum summatim rem repetens, ita loquitur : « (2) Postquam ergo divino templo emissi sunt, et a Sacrificio, quod eorum captum superat, qui nondum sacris ullis sunt initiati; deinde tranfugæ a sacra vita; consequenter vero et ii, qui propter imbecillitatem afficiuntur terriculamentis, et spectris cacodæmonum, quippe qui non pervenerunt intenta et perpetua propensione ad immobilitatem, et efficaciam divini habitus; postea et præter illos, qui reliquerunt quidem contrariam vitam, sed nondum sunt purgati ab ejus imaginibus, habitu et amore divino impermisto; et post hosce, qui non sunt plane uniformes, et, ut secundum legem loquar, prorsus sine macula et vitio. »

III. In hoc loco observandum S. Dionysium non loqui, nisi de iis, qui excludebantur ecclesia voce solemni diaconi, qua jubebantur exire, non omnes simul, sed suo ordine; et per intervalla, ut mox dicemus. Hic videntur commemorari quinque ordines hominum ecclesia expulsorum. Primus est catechumenorum; secundus eorum, qui delapsi sunt in peccatum, quos vocat ἀποστάτας, *desertores sanctæ vitæ;* tertius est obsessorum a cacodæmonibus; quartus eorum, qui nuntium quidem remiserunt pravis moribus, sed eorum reliquiis nondum sunt satis purgati, qui sunt pœnitentes; quintus eorum est, qui non sunt plane *uniformes*, sed vitio quopiam commaculati. Attamen, quemadmodum paragrapho primo diximus, Dionysius initio capitis enumerat tantum tria hominum genera, qui jussi ecclesia exibant : et qui fuere catechumeni, a cacodæmonibus obsesssi, et pœnitentes. Quinam igitur sunt duo alii gradus?

IV. Credidit Arnaldus quintam classem eorum, qui ejiciebantur, fuisse hominum, qui nondum *plane conjuncti erant cum Deo*. At græca vox est ἑνοειδεῖς, quæ significat *uniformes*, iique intelliguntur, quibus animus nondum satis purgatus est, et ad simplicitatem Christianam adductus; sed qui divisi sunt reliquiis affectuum, quibus creaturas prosequuntur, quamvis sint perfectiores quartis, quibus est phantasia referta phantasmatibus et imaginibus præteritorum peccatorum. Itaque non intelliguntur, qui nondum prorsus *conjuncti sunt cum Deo*, ut vertit Arnaldus, sed qui non sunt *uniformes*. Præterea existimat Arnaldus hos esse distinguendos a pœnitentibus; et quia non erant prorsus perfecti, ideo exclusos a communione et ab ecclesia fuisse. Quæ interpretatio est frigida, et ratione omni destituta; cum nullo modo verisimile sit exclusos ab

(1) Καὶ μετὰ ταῦτα ἔξω γίγνονται τῆς ἱερᾶς περιοχῆς, οἱ κατηχούμενοι, καὶ πρὸς αὐτοῖς οἱ ἐνεργούμενοι, καὶ οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες· μένουσι δὲ οἱ τῆς τῶν θείων ἐποψίας καὶ κοινωνίας ἄξιοι.

(2) Dion. 16. Ἐπεὶ δὲ τοῦ θείου γεγόνασιν ἔξω ναοῦ, καὶ τῆς ἀπεικαιμένης αὐτοῖς ἱερουργίας, οἱ τῶν τελετῶν ἀμύητοι καὶ ἀτελεστοί, καὶ πρὸς αὐτοῖς οἱ τῆς ἱερᾶς ἀποστάται ζωῆς, ἑπομένως τε τούτοις οἱ πρὸς τὰ τῶν ἐναντίων δείματά τε καὶ φάσματα δι' ἀνανδρίαν εὐπαθεῖς, ὡς οὐκ ἀφικόμενοι διὰ τῆς πρὸς τὰ θεῖα συντόνου καὶ ἀνενδότου συννεύσεως ἐπὶ τὸ τῆς θεοειδοῦς ἕξεως ἀκίνητον, καὶ δραστήριον· εἶτα πρὸς αὐτοῖς οἱ τῆς ἐναντίας μὲν ἀποστάντες ζωῆς, οὔπω δὲ καὶ τῶν φαντασιῶν αὐτῆς ἕξει καὶ ἔρωτι θείῳ καὶ ἀμιγεῖ καθαρθέντες· καὶ μετ' αὐτοὺς οἱ μὴ καθάπαξ ἑνοειδεῖς, καὶ νομικῶς εἰπεῖν, ἄμωμοι καὶ ἀλώβητοι παντελῶς.

ecclesia eos, qui non erant prorsus perfecti. Nec ulla est auctoritas, aut exemplum, quo confirmari hæc falsa opinio possit.

V. Georgius Pachymeres, qui paraphrasim ejus libri conscripsit, existimat, (1) quintum illum ordinem Dionysii esse homines laicos, qui propter vitam communem, quam agunt, eamque multis negotiis distractam, non sunt satis simplices, atque *uniformes;* qua de causa a choro, et ab altari amovebantur. Verum defendi non potest ea opinio, cui contradicit S. Dionysius, cum ait ejusmodi homines exclusos fuisse ab ecclesia. Quod non potest intelligi de laicis, qui ex ea non egrediebantur, sed in locis suis Sacrificio aderant.

VI. Ut recte hic locus intelligatur, in memoriam revocandum id, quod diximus libro antecedente de quatuor gradibus pœnitentiæ publicæ, deque stationibus, atque exercitationibus trium priorum. Qui vocabantur προσκλαίοντες, hoc est *flentes*, manebant extra ecclesias, neque eas ingrediebantur. Secundi, qui dicebantur ἀκροαταὶ, hoc est *auditores*, ingrediebantur ad audiendum verbum Dei æque, ac catechumeni; sed eo audito emittebantur. Quo facto pœnitentes tertii ordinis, qui dicebatur ὑπόπτωσις, hoc est *prostratio corporis,* in media ecclesia manebant, ubi in humum prostratis manus imponebant episcopus et clerus, additis nonnullis precibus; deinde dimittebantur. Observavimus præterea, quamvis hi quatuor gradus tribuerentur pœnitentiæ publicæ, attamen nunc *Pœnitentiam* complecti tres primos, nunc tantum tertium.

VII. S. Dionysius initio capitis, de quo agimus, secundo et tertio ordini hoc nomen imponit; de iis enim solis loquitur, qui voce diaconi ex ecclesia emittebantur, quales erant secundi et tertii ordinis pœnitentes; nam primi, cum non ingrederentur ecclesiam, ea emitti non poterant. Duos ergo illos memoratos ordines initio capitis, ait esse ἐν μετανοίᾳ, *in pœnitentia.* Hi autem duo simul non egrediebantur; verum hic ordo ea in re servabatur. Post lectionem Scripturæ diaconus jubebat catechumenos, deinde eos qui, cum deliquissent, nondum admissi erant ad pœnitentiam, exire, quos Dionysius vocat ἀποστάτας, hoc est transfugas sanctæ vitæ. Tum expellebat a dæmonibus obsessos, ac tandem *auditores.* Quamobrem S. Gregorius thaumaturgus canone 11. quem laudavimus, ait, pœnitentes illos egressos esse cum catechumenis. Hisce egressis, tertius ordo, qui remanserat, procidebat ad pedes episcopi, et absolutis ritibus ab eodem diacono emittebatur.

VIII. Cum Dionysius ejus rei rationem redderet, distinxit duos hosce gradus, hoc est secundum, et tertium; aitque eos, qui ad secundum pertinebant, cum non ita pridem ingressi essent pœnitentiam, habuisse animum etiamnum refertum phantasmatibus, et, ut ita dicam, viscatis imaginibus præteritorum flagitiorum. Ad tertios vero quod attinet, qui magna parte earum sordium mundati erant, quædam tamen vestigia veteris vitæ animo retinebant, quibus fiebat, ut ne prorsus mundi, simplices, atque *uniformes* animo essent ita, ut legalem, et canonicam puritatem, de qua intelligendus Dionysius, nondum essent adsecuti. Potest enim contingere peccatorem ab initio conversionis accipere gratiam tam copiosam, ut multum superaturus sit sanctitatem eorum, qui multos annos in pœnitentia absumpserint; imo etiam eos, qui nunquam eam subierint. Attamen si spectetur conditio externa pœnitentiæ, cui ex legibus Ecclesiæ subjacent, habentur immundi, et indigni qui intersint S. Sacrificio, quamvis reipsa, et apud Deum eo digniores sunt, quam multi, qui nunquam sicut illi deliquerint.

IX. Hæc fortasse est ratio, cur S. Dionysius agens de maculis, propter quas vetantur interesse Sacrificio, addat comparationem macularum, quæ mere legales erant sub vetere Testamento, et quibus animus minime afficiebatur, sed sitæ erant in externa æstimatione legis. Poterat etiam sæpe contingere, ut, cum delicta satis expiata fuissent apud Deum, et ad culpam et ad pœnam quod attinet, primis officiis veræ, ac seriæ pœnitentiæ in primo ejus gradu præstitis; quod supererat difficultatum, et moræ ad impetrandam communionem, in secundo, aut in tertio, esset tantum legale, ac canonicum, non vitiosum quidpiam, ex judicio Dei, qui solus novit arcanas animi cogitationes.

Maximi momenti hæc interpretatio est ad multa intelligenda loca, quæ occurrere possunt, atque hoc modo commode explicari. Verum ejus præstantia clarior fiet, si eam conferas cum Arnaldina, quæ non est dilucidatio S. Dionysii, sed perturbatio sensus, cum ejus qui inest sancti viri verbis, tum etiam ejus qui est Arnaldo cum ceteris hominibus communis.

(1) Οἶμαι δὲ λέγειν τούτους τοὺς μὴ ἱερωσύνῃ διαπρέποντας, οὐ γὰρ καὶ οὗτοι ἔξω που ἵστανται, ἀλλ' ἔξω μόνον τοῦ θυσιαστηρίου ἱστάμενοι ἀπείργονται τῆς ἱερᾶς ἐποψίας.

X. Lector igitur ex hoc loco colligat, quinque hominum genera fuisse communione exclusa. Primum fuit catechumenorum; secundum peccatorum, quibus nondum concessa fuerat facultas subeundæ pœnitentiæ; tertium obsessorum a cacodæmonibus; quartum eorum, qui erant in duobus primis gradibus pœnitentiæ, et præsertim qui dicebantur *auditores*, qui proxime sequebantur catechumenos; quintum fuit eorum, qui erant in tertio gradu pœnitentiæ, qui gradus vocabatur ὑπόπτωσις, et qui pœnitentes ultimi omnium egrediebantur. Hic est commodissimus sensus, et solus verus, ut licebit intelligere, si attentius legantur verba Dionysii, quam fecit Arnaldus, qui præcipiti judicio in maximam hallucinationem delapsus est.

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Librum de frequente Communione plenum esse jactantia, et indecoris dictis. Tribuere eum Carthusiano, et auctori anonymo, quæ minime senserunt. Infirma conjectura Arnaldi de communione per decem dies, ab ascensione Domini nostri.

I. Quam est intoleranda arrogantia, ac superbia! Non possum aperire opus de frequente Communione, quin mihi singulis paginis occurrant indicia superbiæ, et oratio hominis affectui indulgentis. An decet directorem animorum, patremque spiritualem, et virum usque adeo Theologiæ mysticæ peritum, ut alios docere aggrediatur, tam iracundum esse, nec discipulos alloqui nisi minace stylo, probrisque ac conviciis, quibus imperitia eis objicitur, referto? At certe nos mansuete docere debueras divina ista arcana, eximiasque cognitiones, quas a Deo accepisti. Quare ergo es usque adeo tristis ac durus? Quid tibi fecit bonus ille Carthusianus, ut de homine loqui non possis, sine conviciis aut irrisione?

II. Annon times, Arnalde, ne ab alio sic ipse habearis? Profecto satis ei erit causæ, cur ita se gerat. Ad me quod attinet, hoc unum quæro, qui te ab errore revocem, si fieri potest, et erroribus tuis demonstratis ad saniorem mentem adducam. Quod si a te impetrare nequeam, aut si tibi ipse ita sis inimicus, ut malis pertinaciter morbo laborare, quam pati tibi auxilium ferri; aliis hæc usui esse poterunt.

Pergam igitur tibi hoc præstare officium, dum ostendam id, quod objicis R. Patri Antonio Molinæ carthusiano, et scriptori anonymo, qui eum exscripsit, carere nempe eos ratione, et judicio, id in te recidere, nec uspiam in toto tuo opere [1] *firmam ullam ratiocinationem* cerni; quod affirmas de duobus illis viris, quos aggressus es.

III. Illis tribuis, quod nunquam cogitaverunt; quæ scripserunt ad suadendam frequentem communionem, iis promiscue invitari omnis generis homines ad communionem, dignorum aut indignorum nulla ratione habita. Hoc vero mera est calumnia, nec unquam is eorum fuit animus, ut sat multis ostendi. Quis te docuit *eos velle perseverantiam in communione antecedere perseverantiam in doctrina apostolorum*, quam putas esse *regularum divinarum observationem*. Hæc non est eorum sententia. Contendunt omnes communicaturos probe paratos accedere debere, et sic omnino affectos esse, ut necesse est, et decet; ita ut quam maximam diligentiam et religionem hanc in rem adhibeant. Attamen hæc præscribunt ea prudentia, quæ tuis deest institutis; quia norunt distinguere id, quod præceptum est, et necessarium, ab eo, quod non exigitur necessario: caventque sibi, ne illaqueent animos doctrina inepta, et quæ ad desperationem eos adigit, dum inaccessum reddit iis S. Sacramentum, novis impedimentis, tyrannicisque exactionibus, quibus ne ipse quidem satisfacere possis.

IV. Sed quam firmæ sint tuæ ratiocinationes videamus. Ut nos doceas magnam postulari præparationem, ut quis sæpe communicet, profers exemplum apostolorum, et aliorum

[1] Part. 1. c. 3.

fidelium numero centum viginti, *qui ab ascensione Jesu Christi expectabant Jerosolimæ adventum Spiritus sancti*, et qui per illud decem dierum intervallum Eucharistiam non celebrarunt, « cum non satis bene affectos se existimarent, ut alerentur pane cœlesti, vellentque expectare plenitudinem Spiritus sancti, ut tremenda mysteria dignius celebrarent. » Hoc autem uno hanc in rem argumento uteris, quod Scriptura hanc rem narrans dicat tantum eos [1] *perseverasse in precibus*, nec quidquam de Eucharistia addat. Quam sæpe absurda sunt tua commenta, quam inania argumenta! Id genus argumenti est locus quidam communis, quem magni faciunt hæretici nostri, et ex quo erroneas suas collectiones plerumque deducunt; dum silentium Scripturæ contendunt esse testimonium contrarium iis, quæ docet Ecclesia, et meram omissionem statuunt perinde esse, ac disertam negationem. Cave eos imiteris, ne eadem ratione cogaris valedicere multis capitibus fidei tuæ, quæ non sunt in Scriptura.

Quando Petrus dicitur ab Herode in carcerem conjectus fuisse, eadem historia sacra hoc unum habet [2] : *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* An velles colligere, ex eo quod nulla mentio fiat Eucharistiæ, diebus illis Paschatis, aut Azymorum, nullum sacrificium in Ecclesia celebratum? Hoc non est credibile. Carthusianus, et scriptor anonymus sibi quidem cavent ne utantur argumentis tam levibus; qualia si in eorum scriptis animadvertisses, pro tua indole, tuoque stylo, castigationum et conviciorum erga eos parcus non fuisses.

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Mira absurditas ratiocinationis Arnaldi, in quam delapsus est, dum vult castigare auctorem scripti anonymi, æstu nimium præcipiti. Quod illustratur variis exemplis.

I. Male affecti sunt, qui quidpiam scribere aggrediuntur, præsertim confutandi causa, cum patiuntur animum suum nimio affectu exardescere. Is affectus homines excæcat, præcipitesque in quævis mittit ita, ut facile in adversariorum tela irruant, eademque delicta committant, quæ aliis exprobrant. Opus de frequente Communione iis scatet exemplis, quorum unum ex insignioribus proferemus.

R. P. Antonius Molina carthusianus [3] protulerat locum Gennadii, nomine S. Augustini, quemadmodum citari solet, in quo dicit : « Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero. » Tum vero Molina, « Sed hoc, *inquit*, intelligendum de consuetudine generali. Cum enim jam degenerasset fervor pietatis, moresque multorum essent depravati; pro his universis, non esse laude dignum censet. At si speciatim rogaretur de his, qui ad virtutem serio incumbunt, haud dubie probaret. »

II. Verissima hæc cum sint, ita sunt ab anonymo contracta : « Quod intelligitur de consuetudine generali, non de peculiari eorum, qui volunt secundum virtutem vitam instituere. » Similiter si peritus medicus diceret, *se potum vini nec probare, nec improbare*, animus ejus sic esset capiendus, ipsum summatim loquendo nec auctorem esse, nec dissuasorem bibendi vini, quandoquidem aliis prodest, aliis nocet; sed si sententiam rogaretur de iis, qui firma valetudine utantur, probaturum esse eum potum. Nemo sanus aliter intellexerit responsum medici; quo sensu, nihil est quod in eo carpatur.

III. Attamen Arnaldus contendit [4] *errorem esse, et absurdum interpretamentum.* Deinde addit, « Quandoquidem anonymus negat hoc esse intelligendum de iis, qui secundum virtutem volunt vitam instituere, oportere intelligi de iis, qui nolunt ad virtutis normam mores suos exigere. Itaque, ex miro hoc in-

[1] Act. 1. 4. — [2] Act. 12. 5.

[3] Tr. 7. c. 4. § 1. — [4] Part. 1. c. 16.

terpretamento, S. Augustinus, aut Gennadius in medio reliquerint, an conducat quotidie communicare iis, qui secundum virtutem non vivunt. » Nunc nega non esse judicium quoddam divinum in tam portentosa cæcitate. Quæ dialectica te docuit, Arnalde, ita ratiocinari? An, ut allato exemplo iterum utar, si negemus responsum medici prolatum intelligi de iis, qui bene valent, nec eos proprie respicere, inde sequetur rem ab eo in medio esse relictam, quod attinet ad ægros? Hæc est vitiligatio sophistæ, sed crassa, et facilis retectu.

IV. Ut autem absurditate tuæ consequentiæ magis percellaris, alterum tibi proponam exemplum. Si quis sophista, qui legisset apud Aristotelem, animal neque ratione præditum, neque destitutum esse; hinc colligeret hominem, qui est animal, neque rationalem esse, neque carere ratione; hoc unum illi reponi posset, Aristotelem locutum de animali in genere, non de animali in specie, qualis est homo. Quod si sophista reponeret, quoniam enuntiatio Aristotelis intelligenda non est de homine, esse intelligendam de bruto, ac proinde philosophum dixisse brutum esse rationale, neque destitutum ratione; annon instar meri sophistæ, aut quasi ratione destitutus ipse esset, se gereret? Utrumvis eligito. Profecto neuter similis est viro probo, qui in rebus tanti momenti solam veritatem quærit.

CAPUT NONUMDECIMUM.

Objectiones Arnaldi ambiguitatibus, aut fraudibus nixæ. Duo esse genera frigoris in pietate, duo item fervoris; alterum rationale, alterum sensile. Duo esse genera gratiæ, et quid vulgo soleat nomine gratiæ intelligi. Auctorem anonymum perperam reprehensum fuisse.

I. Quod modo dixi de captiosa Arnaldi ratiocinatione, me deducit ad alias ejusdem generis, quibus mala fide dicta P. Carthusiani [1], et scriptoris anonymi [2] carpit. Primum quidem monuerunt, « Quodcumque frigus quispiam sentiat, si modo sit sine peccato mortali, debere eum accedere ad Eucharistiam. » Cui propositioni Arnaldus opponit locum Chrysostomi dicentis, « (1) Nos debere accedere cum fervore, et incenso amore, ne pœnas subeamus. » Verum contrarius ei non est. Res est pudenda animorum directori, ignorare duo esse genera frigoris. Alterum quidem malum est, cum sit peccatum, vel effectus peccati, quod præsens est in eo, qui accedit ad communionem. Alterum vero est sine peccato, quamvis aliquando sit pœna præteriti peccati, cui jam Deus ignovit, et quod tamen plectit subductione gratiarum, et sensilis fervoris. Alias non propter ullum peccatum Deus interna desertione mulctat peccatorem, sed ut servorum suorum constantiam, ac fidelitatem probet. Prius necessario communionis dilationem flagitat; non posterius, quod sæpe non est in potestate nostra, potestque communionem comitari sine ulla culpa, imo vero cum nonnulla utilitate, ac merito. Carthusianus, et scriptor anonymus satis superque duo illa frigoris genera distinxerant, nec quidquam omiserant eorum, quæ necessaria erant, ut æquo lectori satisfacerent. Sed quod satis est æquitati ac prudentiæ, id nunquam invidiæ ac malignitati satisfacit.

II. Postea Arnaldus carpit hæc, quæ leguntur in scripto anonymo: *Etiam tum, cum exiguus animo nostro inest fervor, nobis eundum esse ad Altare, sine metu, etc.* Opponit Arnaldus huic sententiæ dictum S. Chrysostomi, qui vetat, ne accedamus ad S. Sacramentum ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε, *temere, et dicis causa*, sed cum sancto metu. Quasi vero hoc pugnaret cum eo, quod est in scripto! Quis est adeo rerum spiritualium imperitus, ut nesciat duo esse genera fervoris, quemadmodum frigoris? Unum est internum, spirituale, et rationale, atque actus ejus virtutis, quæ Religio dicitur;

(1) Homil. 24. in 1. ad Cor. Προσίωμεν μετὰ θερμότητος καὶ πεπυρωμένης ἀγάπης.

[1] Part. 1. c. 17. — [2] Tr. 7. c. 5. § 5.

nec aliud est præter promptum animum, quo ferimur ad exercitia pietatis, et cultum divinum, ut observavit S. Thomas[1]. Secundum est sensile, situmque in gustu quodam partis inferioris animi, quæ delectatur, ac veluti mergitur cœlestibus deliciis, extensione, ac quasi aspersione alterius illius fervoris, qui est in superiore parte animi.

III. Hi duo fervores sæpe sejuncti sunt; et prior quidem præstantior est, nec unquam sine gratia divina, ac sine charitate, non secus ac aliæ virtutes morales, quas theologi vocant infusas; et quæ secundum nonnullos, constituunt eumdem habitum supernaturalem cum charitate, et secundum alios ita ab ea discrepant, ut tamen divelli nequeant. Non eadem est ratio fervoris, quem sensilem vocavi, qui interdum conjunctus est in animo sceleratissimorum hominum, una cum peccato mortali, quando a Deo percelluntur, et sentiunt inusitatas blanditias, si ita loqui licet, Spiritus sancti, quæ resolvuntur in dulcissimam animi commotionem, quam sequuntur lacrymæ. Quod vulgus putat esse unicum, ac verum fervorem religiosum.

IV. Verum is non est verus fervor religiosus, et quo nos incensos vult Chrysostomus in loco memorato, ubi etiam nos vetat *dicis causa* accedere ad Sacramentum. Sic enim vertendum ὡς ἔτυχε, non *temerario* (gallice *témérairement*, quod ut verteremus, finximus adverbium temerario,) ut vertit Arnaldus, quia interpres latinus habet *temere*. Aliud dixeris, si dicas quempiam fecisse aliquid *temerario*; aliud, si dicas græce εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχε, vel latine *temere*. Nam vox *temerarius* (gallice *téméraire*) significat superbum, et audacem; et *temerario* (gal. *témérairement*) aliquid facere, est inconsiderate, audacter ac superbe facere. Sed græcæ voces ὡς ἔτυχε, et latina *temere* significant actionem languidam, ac negligentem, et quæ tantum dicis causa editur; sed cui potest fieri, ut nulla insit arrogantia, nullusve contemptus. Qui autem ad communionem accedunt imparati, delinquunt potius pigritia, et negligentia, quam superbia; nisi per interpretationem rem intelligas, quia omni peccato inesse superbia censetur. Quod obiter dictum esto.

V. Ut redeamus ad religiosum fervorem, satis liquet R. P. Carthusianum, et scriptorem anonymum, quando docent non esse omittendam communionem, quamvis nullus adsit fervor, non loqui de vero illo fervore religioso et rationali, sed tantum de externo et sensili. Idem etiam dicendum de voce *gratia*, de qua in scripto anonymo hæc legimus: « Quo magis destituti sumus gratia, eo audacius accedendum ad Eucharistiam. » Profecto aut valde rudem, aut valde malignum oportet eum esse, qui tam prave hæc verba interpretetur, quam facit Arnaldus; quasi nimirum vellet scriptor, expedire participem fieri Eucharistiæ homini omni plane pietatis, ac religionis sensu destituto. Nimis atrox ea est calumnia, et nimis manifesta; quam et Carthusianus, et scriptor anonymus diserte amoliti sunt a se, cum docuerunt communicaturi purgatum esse oportere animum omni peccato mortali, ope confessionis sacramentalis.

VI. Igitur scriptor minime intellexit gratiam, qua deletur peccatum, sed peculiare auxilium, quod Deus in usu Sacramentorum suppeditat. Præter gratiam *habitualem*, quæ nos sanctificat præsentia Spiritus sancti, indigemus aliis gratiis, quæ vocantur *actuales*, et quæ sunt commotiones quædam intellectus ac voluntatis, sitæ in luminibus ac cogitationibus, quibus vehementer afficimur, et quæ animum incendunt, et paratum omnibus obsequiis erga Deum reddunt. Qui scripserunt de Theologia mystica eas solent vocare *consolationes spirituales*, et sæpe etiam nominant *gratias*, ut auctor libri de Imitatione Jesu Christi[2], qui vulgo tribuitur Gersoni; at creditur esse Thomæ a Kempis.

[1] S. Th. 2. 2. q. 82. art. 1. et 2.

[2] Lib. 3. cap. 54. et seq.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De dispositione necessaria ad communionem, et de eo, quod judicandum de frigore. Doctrina oppugnata ab Arnaldo est catholica. Quod probatur auctoritate magistrorum Theologiæ mysticæ, et primum quidem Joannis Gersonis, tum S. Laurentii Justiniani, Thomæ a Kempis, Thauleri, et Ludovici Blesensis abbatis Lætitiæ.

Dogma est adeo universim receptum ab iis, qui præcepta dedere de vita spirituali, defectum fervoris vel gratiæ, qualem eum proposuimus ad calcem libri præcedentis, non posse merito impedire communionem, ut supervacuum putem ei diutius immorari. Attamen quia Arnaldus hoc caput doctrinæ pertinacius oppugnavit, et maxima pars disputationum ejus ad dissuadendam, infamandamque frequentem communionem, huc tantum recidit; necesse habeo caput unum tribuere dilucidationi veritatis tanti momenti, et luce doctrinæ sanctorum hominum expellere tenebras, quibus eam obscurare novatores conati sunt.

II. Huc faciet primum consensus accuratissimorum theologorum scholasticorum de dispositione, ac præparatione necessaria, ut digne communicemus. Omnes uno consensu statuunt satis esse, si animus sit peccato mortali purgatus, quod sit deletum confessione sacramentali; eumque, qui hoc consequutus est, paruisse præcepto divino Pauli ore prolato, *Probet seipsum homo*, antequam cibo hoc cœlesti vescatur. Quod non dico, quasi optandum non sit, ut non semel professus sum, a fidelibus quam maximam curam, ac perfectionem afferri ad actionem usque adeo sanctam, atque ad Sacramentum tam augustum. At aliud est prorsus necessarium, aliud id, quod decorum est, et ad majorem perfectionem postulatur.

III. Si ex sententia tot gravium doctorum, quales sunt S. Thomas, S. Bonaventura, Alexander Alensis, Durandus, Major, Gerson, Dominicus Soto, et tot aliorum, nullum aliud officium ab homine Christiano, qui communicare vult, necessario exigi potest, nisi ut peccata sua sacramentali confessione expiet; sequitur eum ad Eucharistiam posse accedere, quodcumque frigus in animo sentiat, et quamvis fervor ei desit; si modo tepor, aut frigus non sint cum peccato mortali conjuncta, quod solum communionem impedire debet. Quamobrem minime vituperandi sunt P. Carthusianus, et anonymus scriptor, cum eorum doctrina sententiæ communi, quæ in Ecclesia obtinet, consentanea sit.

IV. Quoniam autem hic agimus de dispositione necessaria, ut quis digne, et cum fructu communicet; atque ex ea occasione delapsi sumus ad refrigerationes, atque imminutiones fervoris spiritualis, quas interdum experiuntur etiam sanctissimi viri, cum ad communionem accedunt; oportet ut post Scholæ doctores, qui semper omnia ad vivum resecant, producam testimonia præstantissimorum Theologiæ mysticæ magistrorum, quæ ad usum magis accedit, et cujus est fines exercitiis religiosis signare. Intelligere licebit ex concentu, qui est inter scholasticos et mysticos theologos, veram esse, quam tuemur, doctrinam, atque ab Arnaldo temere oppugnatam.

Joannes Gerson æque celebris eximia doctrina, ac sanctitate, scientiaque, quæ *experimentalis* dicitur, rerum spiritualium et theoreticarum, nobis reliquit egregia præcepta ad regendos animos religiosos, cum talia eis contingunt. Hanc in rem habet, quod jam alibi protuli [1], de refrigeratione fervoris religiosi, et quod æque plenum est prudentia, ac consolatione piorum animorum. Hoc opponendum tyrannidi isti novæ, quæ male habet, atque angit homines; impositis legibus, quæ non tantum difficulter, sed ne ulla quidem ratione observari possunt.

[1] Lib. 3. c. 3.

V. Idem doctor in libro, quem conscripsit *de præparatione ad Missam*, docet [1], ad eam digne celebrandam satis esse, si quis moraliter certus sit, se in gratia apud Deum esse; quod rescire potest, si in suos mores inquirat ea diligentia, quæ solet adhiberi in re magni momenti. Quo facto, si nullum inveniatur peccatum mortale, nec ulla ejus committendi voluntas, dummodo nulla sit legitima, ac canonica prohibitio, quales sunt excommunicatio aut irregularitas, Sacrificium summa fiducia potest offerre.

Idem docet nec omnem defectum fervoris [2], aut attentionis, nec omne genus licentiæ impedire necessario, quominus Missa digne celebretur; quandoquidem causa perturbationis est sæpe rebellio partis inferioris animi, et tyrannicæ legis, quæ corpus nostrum in vinculis habet, et quæ, cum ab arbitrio nostro non pendeat, sæpe frigora menti creat, et perturbationes, quibus laceratur, agitatur, atque a fervore religioso avocatur.

Deinde docet nos magnus ille vir, quid sit faciendum, nec animum despondendum, aut abjiciendum a nostro proposito, quæcumque in nobis fiat mutatio, modo sit sine peccato mortali. Denique ostendit in omnibus hisce casibus adventitiis nihil tutius fieri posse, quam si sequamur consilium patris spiritualis.

VI. Præterea in sequente Consideratione [3], disputat de frequente celebratione Missæ, contenditque tandem semper satius esse offerre sæpius Deo sacrificium Altaris, quam eo abstinere; quocumque frigore, aut tepore teneamur. « Sed frigidus sum, dicis, aut tepidus. Sæpe suscipit initium celebrationis hominem parum devotum, et frigidum, quem in fine calescentem dimittit, et fervidum. »

Annon ita sentiunt P. Carthusianus, et auctor anonymus, in quibus castigandis majorem acerbitatem adhibet Arnaldus, quam scientiam ac prudentiam? Me pudet, tædetque, cum video, quanta audacia carpantur, quæ non intelliguntur, quasi essent erronea, cum sint manifesto vera, et vulgo recepta adeo, ut a solis imperitis ignorari possint. Si autem sacerdoti ad celebrandam Missam satis sit non esse reum ullius peccati mortalis; facile est judicatu, multo potiori jure eamdem affectionem satis habendam, ad digne communicandum, quia tam dignitas sacerdotalis ordinis, quam præstantia actionis tam eximiæ, ac est Sacrificium, postulant præparationem accuratiorem ac sublimiorem in sacerdote, quam sola mysteriorum participatio in homine laico. « Excellentior quippe gradus, ait S. Laurentius Justinianus [4], perfectiorem exigit præparationem. »

VII. Idem vir sanctus paulo post similia præcipit, ac Gerso : « Nemo autem, *inquit*, servorum Dei ab hoc prorsus se subtrahat Sacramento, quamvis actualis desit devotio; nec quisquam eo privetur. » Deinde : » Propterea non debet a S. Domini convivio repelli indevotus juste vivens, virtuose conversans, humiliter se agnoscens, pure confitens, et reverenter accedens. »

VIII. Liber de Imitatione Jesu Christi, qui vulgo inscribitur Gersonis nomine, et magni fit ab hominibus spiritualibus, continetque veluti mannam ac cupedias religiosi fervoris, ubi [5] agit de præparatione ad Missam, aut ad communionem, primum hoc consilium præbet, ut diligenter excutiatur animus, purgeturque a peccato vera contritione et humili confessione ita, ut nihil supersit, quod eum angat, neque conscientiæ morsus ullus, quod obstet, ne libere altare adeatur. Deinde adhortatur ad humilitatem coram Deo, atque ad confusionem propter minima vitia, quibus laborare solemus; ac tandem postquam nobis certum est emendare mores nostros, cum fiducia ad communionem accedere. Alibi [6] auctor nobis est Thomas a Kempis sæpius confugiendi ad fontem gratiæ et misericordiæ, qui est S. Eucharistia; nobisque aperit dolum inimici, qui cum norit eximios fructus, quos colligimus ex communione, omni arte utitur ad avocandos ab ea homines religiosos, iis injectis scrupulis ac anxietatibus, quibus anguntur, et sufflaminatur eorum fervor. Sed vult hæc omnia morosiora negligi, nec ulla de ratione omitti communionem.

IX. Joannes Thaulerus, quem maximi fecit Ludovicus Blesensis, vir summa religione, doctrina atque auctoritate, quem sæpe laudavit, et singulari apologia defendit, idem sentit, ac alii doctores. Ludovicus Blesensis collegit nonnullas ejus sententias de frequente communione, deque præparatione ad eam necessaria; inter quas hanc habet [7] : « Non quidem inficias eo, bonum esse ad tempus ex profunda humilitate abstinere; sed multo

[1] Consid. 2. — [2] Consid. 3. — [3] Consid. 21. — [4] Lib. de Dis. Mon. conver. c. 19.

[5] Lib. 4. cap. 7. — [6] Ibid. cap. 10. — [7] De Sal. Anim. cap. 16. § 5.

melius fuerit ex amore accedere. » Tum agens de fervore, quo tunc animum incensum esse oportet, « Nec perinde, *inquit*, necessaria hic est magna devotio sensibilis, sed satis fuerit nullius peccati mortalis sibi conscium esse, et Deo velle placere. » Præterea addit : « Non ergo ob id abstinere debetis, quod vitiosos seu defectuosos vos esse conspicitis. Quinimo ob hoc ipsum tanto amplius ad hanc gratiam properandum est. » Postea hæc habet : « Nemo igitur propter minores defectus suos a perceptione venerabilis Eucharistiæ abstineat; sed potius infirmus, et imperfectus quisque, bona voluntate præditus, cum gaudio et amore accedat. »

X. Transcribenda esset ad verbum magna pars librorum venerabilis patris Ludovici Blesensis, si vellem referre, quidquid scripsit de affectionibus animi, quas doctores spirituales vocant *siccitates*, et ostendere eum cum omnibus, qui hisce de rebus egerunt, existimasse, refrigerationibus fervoris religiosi non oportere fideles avocari a S. communione, si modo nullius peccati mortalis sibi conscii sint ; aut, si eo irretiti essent, se subjiciant potestati sacerdotum, purgenturque iis vera atque integra confessione. Nec quisquam invenietur, qui nunc, et ex quo obsoleta est pœnitentia publica, postulet præparationem accuratiorem et perfectiorem, quasi necessariam, ac præceptam.

CAPUT SECUNDUM.

Sententiæ sanctorum aliquot hominum de frequente communione, S. Gertrudis, et S. Caroli Borromæi, ex quibus proferuntur multa eximia loca, quibus probatur frequens communio.

I. Proferemus nunc testimonia sanctorum hominum, qui distinctius egerunt de frequente communione, et definierunt, quæ sit præparatio necessaria ac præcepta. Revocat mihi in memoriam Ludovicus Blesensis, cujus modo memini, eximiam orationem, quam, ut narrat, habuit Deus, audiente S. Gertrude, hac de re. Narrat [1], cum magna illi Dei ancilla oraret pro religiosa monasterii sui, quæ zelo justitiæ commota perterrebat sorores, easque a frequentiore communione revocabat, conspicuum ei factum esse Deum, et hisce verbis conquestum : « Cum deliciæ meæ sint cum filiis hominum, et ego hoc sacramentum ex summa charitate in meam commemorationem fidelibus suscipiendum reliquerim, atque etiam cum illis usque ad consummationem seculi remanere velim, quicumque aliquos a mortali peccato immunes verbis, vel suasionibus ab ejus perceptione retrahat, is quodammodo impedit, et interrumpit delicias meas, quas cum illis habere possem.

II. Addidit præterea malos ejusmodi suasores similes esse pædagogo nimium severo et molesto, qui cum præesset educationi principis pueri, nollet pati pueros æquales eum convenire, et alloqui, quod ejus dignitatem, et divitias minime æquarent, quamvis filius Regis eos amaret, et percuperet cum iis ludere. Hac comparatione describitur nobis consilium novorum directorum, qui usque adeo extollunt affectionem animi necessariam ad communicandum, et fervorem religiosum, ut Sacramentum, etiam sanctissimis quibusque inaccessum reddant. Verum exigua ratio est habenda hominum mediocris eruditionis virtutisque vulgaris, et prudentia prorsus destitutorum. Eos jam oppugnabimus auctoritate sanctissimorum virorum, et fulgentissimorum siderum, quæ in Ecclesia hoc seculo xhortae sint, initio facto a S. Carolo Borromæo.

III. Insignis ille archiepiscopus Mediolanensis, vir incomparabilis, et vere apostolicus, et decus atque ornamentum nostri ævi, absolutissimum exemplar præsulum, et ad quod optandum esset se componere omnes, quibus regimen animorum creditum est, nos docet, quid sentiret de S. communione in actis Conciliorum provinciæ suæ ejus jussu

[1] In Conclavi an. fid. cap. 6. § 1.

congregatorum, et quibus præfuit. Nonnullas ejus constitutiones subjiciam.

Quarta parte Actorum, ubi agitur de administratione Sacramentorum, in capite de S. Eucharistia, hoc præceptum habet : « Ad saluberrimum igitur hujus Sacramenti frequenter sumendi usum, parochus fideles cohortabitur, atque excitabit nascentis Ecclesiæ institutis, ac exemplis, et SS. Patrum omnium consentiente doctrina, ut ex Catechismo Romano discere poterit, et sententia œcumenicæ synodi Tridentinæ, quæ optaret quidem fideles in singulis Missis, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare. Curabit certe, ut præter Paschatis communionem, quæ Ecclesiæ præcepto necessaria est, saltem in præcipuis solemnitatibus, veluti die Natali Domini, Epiphania, Pentecoste, in diebus item festis celebrioribus B. Mariæ virginis communicent. Crebris præterea monitis illud, quod beatissimus Silverius pontifex statuit, in consuetudinem revocare studebit, ut qui sæpius non communicant, in Quadragesima saltem, Dominicis diebus, Corpus Domini sumant, et die item Cœnæ Domini ex antiquo instituto, ac præterea in Adventu itidem præstent. »

IV. Vult etiam hanc aliam induci in parœcias consuetudinem, ut homines communicarent, si quæ necessitas impendat ; ut quando suscepturi sunt longum et periculosum iter, aut aggressuri rem difficilem et magni momenti, quanquam sine vitæ periculo ; quando funestum, et inexpectatum quidpiam contingit, ut mors liberorum, uxoris, vel mariti, jactura bonorum, aliaque adversa, quibus animus noster vehementer afficitur. Similiter cum beneficium quodpiam singulare a Deo accepimus, vult nos Deo gratum animum nostrum testari communione extraordinaria. Denique vult mulieres gravidas, instante partu, firmare se virtute hujus sacramenti ; et postquam pepererint, idem ab iis fieri, ut gratias Deo agant, cum primum pedem inferunt in ecclesiam.

V. In tertio Concilio similiter monet parochos, ut populo frequentem communionem inculcent. Cui monito hæc notatu digna verba subjicit [1] : « Quod si quis concionator, etiam regularis, aliquid contra directe indirecteve dixerit, aut concionatus sit ; episcopus, in cujus urbe diœcesive hoc ille admiserit, ei tanquam scandalum disseminanti Tridentinæ ejusdem synodi auctoritate interdicat prædicatione verbi Dei. »

In quarto Concilio jubet [2], cum multi sunt communicantes, constitui homines, qui dum populus accedit ad mensam, eum subinde hortetur, ut tam sanctam consuetudinem frequentet.

In Institutione concionatorum [3] illis auctor est, ut sæpius inculcent crebram oportere esse communionem, eamque intromittant consuetudinem ; ut si populus singulis Dominicis non communicet, saltem communicet singulis mensibus, et quidem omnibus Dominicis Quadragesimæ, et Adventus.

Quid potest dici, aut fieri amplius, quo significetur cupiditas rei cujuspiam impetrandæ ? Quænam clariora indicia optare possimus, quibus constaret sanctissimum illum virum magni fecisse frequentem communionem, quam rationem, qua vel importune eum usum ursit, et intromittere conatus est ? Sed expectemus aliquantisper, dum alia proferuntur testimonia, ut ex omnium concursu, ac conjunctione nascatur vis ratiocinationis, qua præstringatur novitas, atque ad silentium adigatur.

CAPUT TERTIUM.

Sententia S. Francisci de Sales episcopi Genevensis de frequente communione.

I. Sancto archiepiscopo succenturiatum dabimus sanctum episcopum, Genevensem nimirum præsulem, qui quamvis nondum colatur in Ecclesia decreto publico ; attamen exi-

[1] Actor. Part. 1. Conc. 3. p. 92.

[2] Ib. p. 136. et seq. — [3] Part. 4. p. 486.

stimatione ac religione communi colitur, quod quotidie a Deo comprobatur multis miraculis. Hæc cum satis esse queant, ut sanctorum numero aliquando adscribatur, satis gravia sunt ut doctrina ejus sancta habeatur, utque admittantur testimonia de frequente communione, quæ ex ejus scriptis excerpemus.

Magnus ille vir sic hac de re in sua Introductione loquitur [1] : « Si mundani, *inquit*, a te petant, cur tam sæpe communices, dicito illis duo hominum genera debere sæpe communicare; perfectos, qui, cum bene affecti sint, male facerent, nisi accederent ad fontem perfectionis ; et imperfectos, ut possint adspirare ad perfectionem : fortes, ne fiant debiles; debiles, ut fiant fortes : ægros, ut curentur; sanos, ne in morbum incidant. Te vero, quippe imperfectam, debilem, ac ægram, indigere frequenti communione cum perfectione tua, tuo robore, et tuo medico. Dicito eos, quibus non sunt multa mundana negotia, debere sæpe communicare, quia commode possunt facere; eos vero, quibus multa sunt ejusmodi negotia, quia communione indigent; eumque, qui multum laborat, oportere etiam cibis solidis vesci, et quidem sæpe. Dicito te accipere S. Sacramentum, ut discas id recte accipere, quia non sat bene fit id, quod non sæpe iteratur. Sæpe communica, Philothea, et quam sæpissime poteris, ex consilio patris tui spiritualis : et, crede mihi, ut lepores hyeme albi fiunt in montibus nostris, quia nihil vident, nec comedunt præter nivem; sic dum adorabis, et comedes pulchritudinem, bonitatem, et puritatem ipsam in hoc divino sacramento, fies tota formosa, bona, et pura. »

II. Non piguit integrum locum exscribere, ut liqueat, quam male Arnaldus sensa magni illius servi Dei interpretatus sit, et quam contra genuinam sententiam. Contendit enim episcopum Genevensem dixisse [2] « ad communionem illam singulis hebdomadibus repetendam, oportere animum bene valere. » Quod falsum est, et evertitur iis, quæ protuli ex eodem loco, quem citavit Arnaldus; ubi vir sanctus hortatus Philotheam singulis hebdomadibus communicare, eam docet, quid sit respondendum iis, qui tam frequenti communione offenduntur : quod est plane contrarium enuntiationi, quam ex eo fallace consequentia elicuit Arnaldus; ex eo quod idem ille sanctus vir cupit communicari cum magna cupiditate, quæ est fames, ac sitis spiritualis, quæ sunt indicia secundæ valetudinis.

III. Sed episcopus Genevensis contraria plane ratiocinatione utitur. Quod vero attinet ad id, quod objicit Arnaldus, respondemus, cupiditatem communicandi, cum ex alto veniat, posse a Deo tribui ægris atque imperfectis, ut fiant, quod non sunt, sani atque perfecti; quod diserte affirmat episcopus Genevensis. Præterea notum est, convalescentes post longum morbum majorem experiri appetentiam, quam qui plena valetudine fruuntur. Quod signum est, naturam conari vires recuperare.

Idem servus Dei in multis epistolis auctor est hominibus omnis generis sæpe communicandi, ne exceptis quidem aulicis [3].

In Admonitione ad parochos et confessarios diœceseos suæ vult illos auctores esse pœnitentibus [4] « confitendi peccata, et frequentissime communicandi. » Credibile autem est homines Genevensis diœceseos non fuisse omnes æque sanctos, ac Christianos primitivæ Ecclesiæ, nec *perfecte conjunctos cum Deo*, nec *plenos mero Dei amore, sine ulla mistura ;* et tamen jubet, ut adducantur ad creberrime communicandum.

CAPUT QUARTUM.

Quæ fuerit sententia R. P. Ludovici Granatensis de frequente communione.

I. Tertium duobus proxime memoratis ex recentioribus scriptoribus addam R. P. Ludovicum Granatensem, celebrem pietate, gratia, ac singulari lumine, quo divinitus collustra-

[1] Part. 2. cap. 21. — [2] Part. 1. cap. 22. [3] Ut in 41. lib. 1. Epist. 5. tom. 2. — [4] Cap. 8. tom. 1.

tus erat ad agendum de rebus spiritualibus. Quod discere est ex magno numero eximiorum librorum, quos iis de rebus edidit, ac certius etiam ex judicio, quod de iis tulit S. Carolus Borromæus, qui eos maximi faciebat, omnibusque eorum lectionem suadebat.

Vir autem ille Dei, atque incomparabilis magister Theologiæ mysticæ multis in scriptis mirum in modum extollit frequentem usum S. communionis, ac præsertim in sermonibus. Ex hisce eo libentius loca nonnulla proferam, quod complectantur doctrinam popularem, ac propterea minus obnoxia sunt cavillationibus Arnaldi, et futili solutioni, quam adhibet ad declinandam vim testimoniorum, quæ promuntur ex scriptis sanctorum virorum, et quibus probatur frequens communio; eos nimirum allocutos eos esse sanctos homines, quales ipsi erant, adeoque prorsus perfectos atque inculpatos. Cui solutioni locus non est, ubi sermo est de Granatensis concionibus ad plebem, cui proponebat dogmata statui ejus consentanea, et eorum conditioni attemperata.

II. Igitur in quodam sermone docet [1], necessitatem communionis colligi posse ex concupiscentia, quæ est morbus noster originalis. Cum vero sit axioma, dum causæ morbi permanent, pergendum esse uti remedio; quoniam semper habemus intus amorem peccati, quod nos ad illud jugiter invitat, et ignem internum; nulla est alia certior ratio ejus extinguendi, quam si confugiamus ad S. Sacramentum, et sæpe id accipiamus, quandoquidem nullum alium in finem institutum fuit, quam ut medicaretur morbo illi, quem ex utero matris attulimus.

Tum invehitur in eos, qui revocant alios a frequenti communione : « Armat, *inquit*, dæmon quorumdam eruditorum linguas, non omnium, sed eorum quorum scientia inflationem magis, quam devotionem et pietatis ardorem parit. »

III. Præterea respondet objectioni, quam profert Arnaldus contra usum frequentis communionis. « Sed ais : Inter eos, qui pie ac religiose ad hoc sacramentum accedunt, multi sunt, qui vel frequentius, quam par erat, accedunt, vel fortassis indigne accedunt, et pereunt. Quanto, quæso, plures erunt, qui, si accederent, non perirent? Horum quidem perexiguus et incertus est numerus; illorum autem pæne infinitus, et manifestus, utpote quos scelerata vita manifestos facit. »

Postea laudat hanc sententiam Ambrosii [2] : « Grave est, quod ad mensam tuam, Domine, mundo corde, et manibus innocentibus non venimus. Sed gravius est, si de peccatis metuentes, sacrificium non reddamus. »

IV. Idem Granatensis in alio sermone [3] profert eximium locum Cassiani, qui locus videtur dictatus de industria, ut opponeretur Arnaldo, quo revocaretur ab errore manifesto, et periculoso, quo præpeditus est ejus animus; solos nimirum perfectos, et qui Deum solum amant, ad S. mysteria accedere oportere. Hæc sunt igitur verba Cassiani [4] : « Nec tamen ex eo debemus nos a Dominica communione suspendere, quia nos cognoscimus peccatores; sed ad eum magis ac magis, propter animæ medicinam, et purificationem spiritus, avide festinandum. Verumtamen ea humilitate mentis ac fide, ut indignos nos perceptione tantæ gratiæ judicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioqui nec anniversaria quidem digne est præsumenda communio; ut quidam faciunt, qui in monasteriis consistentes, ita sacramentorum cœlestium dignitatem, et significationem ac meritum metiuntur, ut æstiment ea nonnisi sanctos atque immaculatos debere præsumere, et non potius ut sanctos, mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profecto majorem arrogantiæ præsumptionem, quam declinare sibi videntur, incurrunt; quia vel tunc, cum ea percipiunt, dignos se ejus perceptione dijudicant. Multo enim justius est, ut cum hac cordis humilitate, qua credimus, et fatemur illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis diebus ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quam ut vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos nos eorum participio credamus.

[1] Conc. 1. de S. Corp. Christi. — [2] Lib. de Sacr. c. 6. — [3] Conc. 3. de eod. Festo. — [4] Coll. 23. cap. 21.

CAPUT QUINTUM.

Animadversiones in antecedentem disputationem, et loca allata. Expedire homines adhortari ad frequentem communionem, non vero eos ab ea avocare. Arnaldum infensum esse sanctis illis viris, et præsertim S. Carolo, vituperareque ejus institutum de frequente communione. Absurditas doctrinæ Arnaldi.

I. Sat multos testes adduximus, quandoquidem ex lege divina duo aut tres satis esse censebantur ad finiendas lites. Ex omnibus autem hisce locis duo colligimus. Prius est, licitum, imo laudabile esse populum adhortari ad frequentem communionem; quandoquidem ita se gessit S. Carolus, atque in mandatis dedit omnibus parochis, ut perpetuo ita se gererent in suis parœciis, utque sæpe agerent hac de re coram omnibus, cujuscumque sortis, ætatis, ac sexus esse possent. Nec ille, aut quisquam alius sanctorum, aut virorum sanæ mentis, unquam concionatus est, aut scripsit generalibus verbis, eos non recte facere, qui crebro communicarent; vel auctor fuit aliis, absterrere a frequenti communione homines concionibus, sermonibus, aut libris.

II. Indicium hoc est manifestum, certumque testimonium, ex quo liquet crebram communionem rariori esse anteferendam. Cujus rei rationem attigimus lib. 3. c. 3. quæ in eo sita est, quod frequens communio consentanea est naturæ rei, atque animo præcipuo Legislatoris. Quemadmodum enim legibus jubentibus cives omnes arma capere, pugnareque in defensionem patriæ, fas et jus est omnes excitari ad id officium patriæ præstandum; nec potest vituperari, qui omnes ad arma vocat, quia omnes ea gerere nequeunt, ut ægri, aut membris mutili, aut qui aliis occupationibus impediuntur, quibus immunes fiunt: sic, quod attinet ad crebram communionem, universim loquendo expedit eam inculcare, prout fecit S. Carolus, et omnes alii SS. doctores, quamvis in multitudine nonnulli sint ea indigni, nec ad eam admittendi. Nimirum singulares casus, et qui sunt extra potissimum finem legis, minime impediunt, quominus monitum de generali parendo legi sit rationi consentaneum.

III. Alterum, quod colligere licet ex allatis auctoritatibus, hoc scilicet est; Arnaldo nullam rationem fuisse reprehendendi Antonii Molinæ, neque auctoris anonymi scripti; omnesque objectiones, quas opponit frequenti communioni, meras esse ludificationes, et argutias sophisticas, sine ratione et pondere. Ut hoc liqueat, animadvertendum, quidquid objicit crebræ communionis defensoribus, et quo eos imprudentiæ atque ignorantiæ convinci posse putat, commune illis esse cum S. Carolo, et omnibus aliis magnis viris, quos produximus quasi testes fide dignos. Itaque calumniæ, ludibria, contumeliæ, convicia, jactantiæ, quorum infinitus est numerus in opere de frequente Communione, sunt totidem elogia, quæ contulit in S. Carolum, in episcopum Genevensem, in R. P. Ludovicum Granatensem, inque innumeros alios sanctos viros, qui similia senserunt, expresseruntque eodem modo, ac P. Carthusianus, ejusque exscriptor. Hæc paulo distinctius explicemus.

IV. Quæ exprobrat Arnaldus auctori scripti anonymi, et quod reponit locis Patrum in eo prolatis ad comprobandam communionis frequentiam, ad duo summa capita redigi possunt. Prius est situm in eo, quod damnet auctorem anonymum, quia nimis generaliter suasit frequentem communionem, quasi omnes ad eam vocaret, cum essent secernendi peccatores a justis. Posterius est interpretatio animi Patrum, scriptis aut dictis probantium eorum religionem, qui sæpe communicabant. Arnaldus contendit hanc eorum fuisse mentem, ut crediderint eximia, ac sublimi virtute animum esse ad communionem parandum; eosque non satis habuisse exigere perfectam puritatem animi, et purgationem a peccato mortali, sed postulasse etiam, ut ne peccato quidem veniali essemus infecti: quod antea ostendimus esse doctrinam Arnaldi, et ad quod tandem recidit. Utrumque autem liquet esse falsissimum, et damnatum testimoniis eorumdem Patrum et theologorum, quæ protulimus.

V. Nunc vero fallacia in majori luce collocata est auctoritatibus S. Caroli, episcopi Genevensis, et Ludovici Granatensis. Primus enim jubet parochos tam ruri quam in urbibus, prædicare hanc doctrinam, eam jugiter repetere, ac firmare omni genere rationum,

testimoniorum, et exemplorum, ut eam populo persuaderent, eumque ad ei obsequendum adducerent. Vult concionatori, qui secus prædicarit, aut consilium dederit, ambone interdici. Constitutiones illæ, monita, ac mandata tam sæpe iterata generalia sunt, ac sine exceptione, aut designatione cujuspiam, ad quem singulari ratione pertinerent, aut discrimine ullo peccatorum, vel justorum. Itaque S. Carolus obnoxius est castigationi Arnaldi, et æque vituperandus, ex ejus judicio, ac auctor scripti anonymi, et carthusianus Molina, quos propterea reprehendit, et indignis modis castigavit.

VI. Quis ergo hinc non intelligit, nimium sibi sumpsisse Arnaldum, cum ausus est carpere propositiones innocuas? An non oportet esse affectu occæcatum eum, qui non animadvertit, injuriam, qua se afficere putabat auctorem anonymum, pertinere ad omnes sanctos, theologos, doctores, et concionatores, quotquot sunt, qui idem scripserunt, ac docuerunt populum æque generalibus locutionibus, et omissis pariter omnibus exceptionibus? Recte dixit Priscus philosophus «(1) hominem iratum id, quod cupit, emere, vel anima sua.» Omitto animam, sed dico omnes mecum intelligere, auctorem operis de frequente Communione prodigum fuisse existimationis, ac famæ suæ, dum eas vult eripere homini, quicum res ei est.

VII. Quod vero attinet ad præparationem illam raram, ac sublimem, quam confirmare conatur Arnaldus judicio antiquitatis, liquet ex iisdem testimoniis S. Caroli antea prolatis, merum esse figmentum. Si enim pergat dicere, non esse patiendum crebro communicare eos, *qui non sunt omnino conjuncti cum Deo, et plane inculpati*, qui creaturarum amore, ipsoque peccato veniali plane vacui non sunt; oportet ut existimet, omnes, qui vivebant in Mediolanensi diœcesi, omnes oppidanos, omnes rusticos, quotquot erant mendici ad portas urbium, et milites in præsidiis, ac in exercitibus, fuisse sanctissimos homines, eximia virtute præditos; in exstasin contemplationis, et conjunctionis cum Deo raptos, similesque Christianis primitivæ Ecclesiæ; aut sanctum archiepiscopum fuisse id quod dicere nolo propter reverentiam, qua eum prosequor, sed quod eos esse censet Arnaldus, qui indiscriminatim fideles ad crebram participationem tremendorum mysteriorum vocant.

VIII. Annon vides, Arnalde, omnes illos eximios viros nullam aliam ad communicandum exigere dispositionem, quasi necessariam, quam, ut careamus peccato mortali, utque id eluerimus sacramento Pœnitentiæ? Auctores sunt, quæcumque sint *siccitates*, aut *indevotiones*, sic enim loquitur S. Laurentius Justinianus, distractiones animi, cupiditates creaturarum, vitia, ac peccata venialia, sæpe communicandi; si modo absit peccatum mortale, quod solum indignum communione reddit. Annon audivisti graves illos theologos, quos laudavi, dicentes, peccatis venialibus non impediri effectum Sacramenti, eosque non indigne communicare, qui etiamnum iis inquinati sunt? Prætereaque eum, qui præter necessariam illam præparationem, quæ solum peccatum mortale excludit, conaretur consequi majorem perfectionem, quæ ipsa peccata venialia delet, rectius facturum, si frequentius communicet, quam si nimio timore abstineat a Sacramento. Quod non dico, quasi auctores esse debeamus nullius alius adhibendæ præparationis ad communicandum, præter eam, quæ plane necessaria est; quamvis communicaturus sit levi quopiam peccato inquinatus, vel cum animus ejus est in varias curas distractus, reverentiæque et fervoris omnis vacuus. Sed hic agimus tantum de eo, quod est plane necessarium, ut excludamus novum istud præparationis genus, quod novi pœnitentiarii intromittere conantur, quasi lege præceptum. Hoc unum oppugno, atque improbo.

IX. Paucis ut omnia complectar, quidquid R. P. Molina, et auctor anonymus post eum dixerunt de crebra communione, præparationeque ad eam necessaria, dictum ac scriptum fuit iisdem locutionibus adhibitis a nube illa theologorum, doctorum, magistrorum vitæ spiritualis, directorum, quos laudavi, et quorum verba protuli. Igitur subit mirari, theologum tantæ lectionis, et tanti studii, nunquam quidquam ea de re inaudivisse, aut eam non animadvertisse in scriptoribus, qui de ea egerunt; qui nec sunt rari, nec ignoti, sed vulgo triti, quemadmodum etiam loca, quæ protuli, plerisque sunt nota. Attamen hic theologus adeo perculsus fuit, et præstrictus luminibus vulgaribus, ut vera dogmata, eaque nemini ignota crediderit esse paradoxas et absurdas opiniones.

(1) Plato Cor. Θυμῷ μάχεσθαι χαλεπόν· ὃ γὰρ ἂν θέλῃ ψυχῆς ὠνεῖται.

nibus, et verbis Arnaldi, quæ ad duas propositiones referuntur : quarum prior quidem est, neminem posse excludi communione, nisi propter peccatum mortale; posterior vero, ex sententia sanctorum et Ecclesiæ, arcendos esse a mysteriis eos, qui nondum absolutam perfectionem consecuti sunt. Hæc duo sunt Arnaldi axiomata, ut antea ostendimus.

V. Prius ex eo probatur, quod sine dubio existimet [1], « Excommunicare, excludere communione, amovere a S. Altari, separare a pane cœlesti, unum idemque esse. » Idem autem contendit [2], « Excommunicationem fuisse pœnam, quæ solebat imponi omnibus laicis, qui cupiebant peccatum mortale expiare. » Id autem solum genus peccati obnoxium fuisse excommunicationi, probat ipse Augustini aliquot locis [3], ubi distinguit peccata venialia, quæ expiantur eleemosynis, precibus, aliisque operibus sanctis, a mortalibus, propter quæ delinquentes digni sunt qui excommunicentur [4].

VI. Alteram propositionem pariter defendit[5], ubi profert testimonia veterum Patrum, qui existimarunt *expellendos esse ab altari* non tantum peccatores, qui pœnitentiam egerunt, sed omnes etiam, qui nondum sunt penitus conjuncti cum Deo solo, et per omnia inculpati. Quam sententiam tribuit S. Dionysio, S. Basilio, S. Joanni Chrysostomo, et nonnullis aliis; qui, ut eos interpretatur, postulant dispositionem quasi necessariam ad communionem, quæ vix in omnium sanctissimis reperiri queat [6]. Volunt communicaturos esse *aquilas*, hoc est, « animos sublimes, atque elatos, quibus nihil est commune cum terra, qui ad inferiora non propendent, nec reptant in amore creaturarum, sed qui jugiter versus alta feruntur. » Ratio autem, propter quam hæc omnia loca, aliaque similia adversariis objicit, satis ostendit eum credere totidem esse præcepta, quibus teneamur. Etenim iis utitur [7] ad ostendendum, auctorem scripti anonymum vehementer errasse in eo, quod aperuerit aditum communionis iis, quos ab ea exclusos volebant veteres Patres, et quos ne in ecclesiam quidem admittebant. Quis non videt ei argumento nullam esse vim, si hæc Patrum instituta haberentur tantum instar consiliorum, quibus nemo teneri statueretur?

VII. Annon immerito Arnaldus vituperaret anonymum, quod admiserit ad communionem imperfectos, non vero solos perfectos et innocentes, pro institutis Patrum, nisi existimasset Patres ab ea exclusos velle imperfectos? Quis auderet castigare eos, qui matrimonium contrahunt, quia veteres Patres auctores sunt Christianis ab eo abstinendi? Oportet ergo Arnaldum credere, testimonia illa Patrum, quibus tanta describitur puritas, et sanctitas ferme portentosa in iis, qui digne accedunt ad Altare, totidem esse sacrosanctas leges, quas nefas sit perfringi.

VIII. Præterea Arnaldus, initio operis sui, existimat se iis Patrum testimoniis docere nos, quænam fuerit traditio, quænam prisca doctrina, et quinam usus Ecclesiæ. Quæ accepta ab apostolis etiamnum observare debet. « Verisimile non est, *inquit* [8], ut recte judicas, fas esse hominibus infirmis et cæcis, quales nos sumus, quærere in animis nostris institutionem, quam a nobis alii petunt; eosque docere aliam doctrinam, aliasque pietatis leges, præter eas, quas Ecclesia accepit a Patribus, de manu in manum, et per singula secula, quemadmodum primi eorum eas acceperunt ab apostolis, apostoli a Spiritu sancto, Spiritus sanctus a Filio, et Filius a Patre. » Sic pergit per totum caput, significatque, « Traditionem divinam oportere esse normam fidei nostræ, et exemplar morum nostrorum, nec esse recedendum a doctrina Patrum; » ita ut, quemadmodum fides nostra non debet dici *fides temporum, et non Evangeliorum;* sic nec mores nostri dicantur *mores temporum, et non Evangeliorum.* Denique nullum alium finem sibi proponit in toto primo capite, imo nec in tota præfatione, aut potius in toto opere, nisi ut quam maxime extollat traditionem, et doctrinam Patrum, constituatque quasi exemplar, quod semper nobis ob oculos esse oportet, ut ad id universa Ecclesiæ administrandæ ratio componatur, utque ad vetus illud πρωτότυπον omnes hodiernæ consuetudines exigantur.

IX. Hinc fit ut perpetuo inculcet antiquitatem, traditionem, et doctrinam Patrum, utque eos usque adeo laudet. Quod facit eo animo, ut ostendat se pluris facere, et satius esse observare, quod Ecclesia primitiva observavit, quam quod hodie communi usu totius Christianismi receptum est. Hoc aperte docet duo-

[1] Par. 1. c. 16. — [2] Par. 2. c. 5. — [3] Ep. 89. ap. Arnald. p. 2. c. 5. — [4] Augustin. et Arn. ibid. et p. 269. et Aug. de fid. et Oper. cap. 26. *Sed nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint*, etc. Vide et Ep. 108. ap. Arn. p. 271.

[5] Arnald. p. 1. c. 4. — [6] Arn. ex Chrysost. p. 1. c. 18. — [7] Arnald. ibidem. — [8] Pag. 2.

bus postremis capitibus secundæ partis, in quorum priore, hoc est 47. habet hæc egregia scilicet verba, rationem hodiernam pœnitentiæ, quæ in Ecclesia obtinet, « esse frequentissimam, quia favet impœnitentiæ communi plerorumque; cum plerique velint quidem peccata sua confiteri, sed nolint subire pœnitentiam. » « Sed, *inquit*, non est præstantissima, neque tutissima, neque conjunctissima cum una ex potissimis Ecclesiæ notis, quæ est antiquitas, et doctrinæ successio, quia non est intromissa, nisi indulgentia et συγκατάθάσει Ecclesiæ; altera vero est usus primitivus, usus apostolorum, usus omnium Patrum, usus universæ Ecclesiæ per duodecim secula. »

X. Deinde capite sequente probat, «Nos posse sine temeritate non semper sequi mores frequentissimos, et receptissimos, ut sequamur alium morem ejusdem Ecclesiæ, quem Scriptura, Pontifices, Concilia et Patres nos docent sanctiorem esse, quamvis hoc nostro tempore minus receptum.» Hac eadem de causa contendit in Præfatione, consuetudinem hodiernam totius Christianismi, et comprobatam auctoritate concilii Tridentini, qua confessio sacramentalis satis esse censetur ad digne communicandum, esse *licentiam, prolapsionem, corruptionemque morum, quæ irrepsit in disciplinam Ecclesiæ paulatim degenerantis.* Unde consequens est, ut Arnaldus existimarit rationem priscæ pœnitentiæ, et præparationis ad communionem, quam intromittere nititur loco ejus, quæ ubique observatur, non tantum esse consilii, et majoris perfectionis, sed etiam animos ejus lege teneri; quippe quæ comprobata est traditione, doctrina apostolorum, Patrum, Pontificum, et Conciliorum, nec unquam abrogata, sed potius subinde confirmata, vel diserte, vel tacite, etiam ab ipso concilio œcumenico Tridentino, qui septem indicationibus innuit se libentissime eam instauraturum fuisse, si ausum fuisset rem aggredi. Igitur quoniam antiquæ illæ leges, quæ imposuerunt pœnitentiam publicam omnibus peccatis mortalibus, etiamnum vigent, iis adhuc tenemur; cumque id, quod Patres scripserunt de singulari quadam, ac præstantissima dispositione ad communicandum, sit tantum descriptio usus Ecclesiæ primitivæ, et traditionis; non est consilium, sed lex, et præceptum, cui necessario parendum est.

CAPUT NONUM.

Hanc esse sententiam Arnaldi, liquere ex ejus ratiocinatione super loco S. Justini martyris.

I. Confirmatur judicium nostrum de sententia Arnaldi ex eo, quod scribit de loco S. Justini martyris, qui laudatus fuerat in scripto anonymo; et ad quem ita respondet Arnaldus, ut dubitare amplius non possimus, an ea sit ejus, quam dixi, sententia; utque interpretetur loca Patrum, quæ singularem puritatem exigunt a communicantibus, quasi essent leges, quibus teneremur.

« Justinus martyr, inquit scriptor anonymus [1], prodidit, tempore suo fideles tam ruri, quam in urbibus, coivisse in ecclesias, ubi dabatur eis communio, quæ ad absentes etiam mittebatur. » Arnaldus vero eum castigat, quod non addiderit, quæ eodem in loco habet S. Justinus; « Nemini alii Eucharistiæ participem esse licere, nisi credenti vera esse, quæ a nobis docentur, et abluto lavacro in remissionem peccatorum, et in regenerationem, et sic viventi, ut Christus tradidit. » Quæ verba sunt, ut ait, tanti ponderis, ut si probe considerarentur, « paucis licitum foret communicare, si arcerentur ab altari, ex sententia S. Justini, et secundum Ecclesiæ animum quem tantum indicat hoc in loco, quicumque nolunt vivere ex legibus evangelicis, » hoc est, qui non stant *promissis solemnibus baptismi*, nec *perfectionem habent vitæ Christianæ*, ut paulo antea loquitur.

II. Hæc ratiocinatio Arnaldi, et causa re-

[1] Apol. 2. et Arnal. p. 1. c. 23.

sani, præter justos? Qui sunt ægri, nisi peccatores? Prælerea, qui deberent communicare, verbis antea allatis, nos docuit.

II. Nihil potest esse magis contrarium doctrinæ tuæ, quam doctrina summi illius viri. Instituta et facta tua plane adversantur institutis, ac factis ejus. Non vis eos, qui sæpe in peccatum delabuntur, sæpe accedere ad remedium, contra consilium Ambrosii a nobis capite antecedente allatum. Vis eos, qui sæpe cupiunt communicare, esse immunes non solum a peccatis mortalibus, sed etiam a venialibus; nec contentus eo gradu virtutis, ac sanctitatis, ab iis postulas puritatem angelicam. Vis eos nullo amore creaturarum, nullo affectu terrestrium rerum teneri. Terres debiles atque imperfectos, terres ægros, dum iis interdicis participatio divini Sacramenti; et opponis ingentem turmam Patrum, et Doctorum, quos inducis dicentes quod cupis, hoc est nihil sani.

III. Attamen audes producere, quasi novitati tuæ faventem, episcopum Genevensem, qui, ut bonum ac fidelem servum decuit, vocat, et vi adducit ad convivium mutilos, claudos, pauperes, cæcos, debiles, pro disertis heri mandatis[1]. Qui verò sunt illi, nisi peccatores, imperfecti, debiles, et ægri spirituales; quos tantum aberat ut sanctus ille vir convivio expelleret, sicut tu facis, ut contra invitaret, locumque iis ad mensam dari curaret? Non miror te errare, nec usque adeo ægre fero te istum tuum errorem scriptis spargere, et instituta Ecclesiæ summa imprudentia oppugnare, quam te audere ad partes tuas trahere incomparabiles illos viros, sanctum Carolum, et beatum Franciscum de Sales, ut ceteros prætermittam; quasi idem fecissent, ac docuissent, quod tu, qui tibi magis contrarii sunt, quam lux est tenebris, et veritas mendacio. Eorum libri manibus omnium teruntur; ac pauca illa loca, quæ ex iis produximus, satis ostendunt malam fidem, qua uteris ad stabiliendam doctrinam tuam, etiam cum detrimento existimationis illorum Dei virorum.

IV. Nec hic proferas[2] nescio quæ alia loca ex eorum scriptis, in quibus videntur præscribere accuratiorem dispositionem ad participationem SS. mysteriorum. Hæc non possunt purgare rationem, qua te geris; quia semper testati sunt, se dogmatibus atque institutis consentire cum concilio Tridentino, quod, ut ipse fateris, minime instituit novam istam rationem pœnitentiæ, et præparationis iis qui ad Eucharistiam accedunt. Si enim Concilium id ausum non est, non fecit; nec sancti illi viri, qui professi sunt se sequi instituta Concilii, absque ulla additione, ac imminutione, rem tantam aggressi sunt; nec de pœnitentia hodierna usquam scripserunt, quod tibi sæpe exprobravimus, illam esse *licentiam*, *prolapsionem*, *corruptionemque morum*, etc.

V. An dixerunt, aut cogitarunt « commoti sa charitate, quæ utilitates suas non quærit, horrenda cæcitate, usque adeo remissam esse disciplinam Apostolorum et Jesu Christi, ut videantur homines voluisse etiam ipsa ejus vestigia delere? » Quia Ecclesia, et Concilium remiserunt antiquum rigorem pœnitentiæ publicæ, cujus te profiteris *conari usum revocare, simulque excitare apud nos zelum primorum Christianorum.*

Sunt hæc tua verba, et aberrationes ingenii tui, de quibus volo te ipsum judicare, an deceant Christianum, presbyterum, et doctorem catholicum. Profecto neque S. Carolus, neque episcopus Genevensis ita unquam dormitarunt. Posterior illico rejeciset quasi tentationem ejusmodi cogitationem, si in animum ejus incidisset; quemadmodum fecit tentationem cacodæmonis, qui in morbo conabatur ei injicere dubitationem de veritate S. Sacramenti.

VI. Sæpius te monui magnum esse discrimen inter id, quod præcepto imponitur, et id, quod consilio suadetur; et monita patrum spiritualium erga eos, quos ad majorem perfectionem ducunt, quam quæ vulgo obtinet, esse directiones, non vero mandata; adhortationes, non violentas exactiones. Huc debent referri omnes regulæ, quas episcopus Genevensis præscribit Philotheæ suæ de communione, in *Introductione ad vitam devotam.* Non sunt leges, quæ nequeant sine delicto violari. Ac proinde nullum hinc consectarium deducere potes ad defendenda tua instituta, quorum alia prorsus est ratio. Sunt imperiosa, et audacia; cogunt, atque in servitute habent eos, qui iis parent; falsa persuasione, quam hominibus injiciunt, quicumque aliter se gerunt, eos in errore et peccato versari, ac proinde esse in periculo damnationis.

VII. Verum, Arnalde, non tantum ratio tua pœnitentiæ suspecta est; nec vocatur *stratagema diaboli*, quod usque adeo quereris, sola

[1] Luc. 14. 13.

[2] Part. 1. cap. 22.

dilatio communionis, quam imponis tuis pœnitentibus. Sed animus, et consilium tuum suspecta sunt, ac tua instituta noxia reddunt. Ita enim te geris ex contemptu Ecclesiæ, quam damnas *erroris*, *abusus*, *ac depravationis*, ut sæpe dixi.

CAPUT OCTAVUM.

Arnaldum, quamvis dissimulet, et secum ipse pugnet, contendere eximiam dispositionem, quam Patres communionis causa postulabant, non solum esse consilii, et decori, sed etiam præcepti, quo tenentur Christiani. Animum illi esse carpere consuetudinem receptam, et comprobatam ab Ecclesia; quem in finem laudat sæpe traditiones et Patres.

I. *Omnis, qui male agit,* inquit Veritas [1], *odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Eadem est ratio pravæ doctrinæ. Sese occultat, nec nisi dimidiata in lucem publicam prodit, nec quidquam usque adeo timet, quam ne in clara luce deprehendatur. Hinc fit, ut scriptor libri de frequente Communione tam ægre dicat quod sentit, et intra animum abdita aperiat. Nunquam clare atque aperte proloquitur, sed semper ambigue, et dissimulanter. Nunc ita loquitur, mox alio modo. Hic negat se velle vituperare usum receptum Ecclesiæ, quod attinet ad pœnitentiam, aut sibi animum esse quemquam cogere, ut sese subjiciat suis institutis. Alibi ostendit ea non posse negligi sine licentia, animosque lectorum religione irretire conatur. Verum, omni abjecta dissimulatione, aperte dicamus quod sentimus. [2] *Væ duplici corde,* iisque qui aliud cogitant, aliud dicunt. Vide, quomodo mentem meam, Arnalde, sim explicaturus, et me imitare.

II. Aio dispositionem, quæ satis sit ad digne communicandum, iis qui Deum mortali peccato offenderunt, sitam esse in confessione peccatorum coram sacerdote, et in absolutione ab eo concessa, quo auctore licet ad communionem accedere. Contendo necessarium non esse, ut post confessionem peccati mortalis, differatur communio per multos dies, aut etiam menses; eo quod necesse sit aliquandiu pœnitentiam agere, et imitari, quoad ejus fieri potest, pœnitentiam publicam Ecclesiæ primitivæ. Affirmo nec pœnitentiam publicam antiquæ Ecclesiæ, nec meram dilationem absolutionis vel communionis, quam illi substitui vult Arnaldus, necessariam esse adeo, ut eo præcepto quisquam teneatur. Quod si quis sponte sua velit aliquandiu a Sacramento separari, ubi nec mandatum Ecclesiæ, nec ullius potestatis ecclesiasticæ eum communicare adigunt: potest id ab eo fieri cum laude, nec sine merito, ex consilio directoris; dummodo ne censeat omnes eadem lege teneri, quam violare nequeant, sine licentia, quæ cum bonis moribus consistere nequit.

III. Hoc de ea re dicendum habui. Idem tu dicito, et lis nostra dirempta erit. Verum non vis, et quidquid dicas, contraria tibi sunt tua axiomata; ex quibus liquet te velle adigere homines, ni peccare velint, ad observandum tuum institutum, nec distinguere id quod præcipitur quasi necessarium, ab eo quod est consilii, et perfectionis. Qua in re imitaris Catharos vel Novatianos, qui, ut prodidit S. Epiphanius [3], volebant promiscue omnes ad eumdem virtutis gradum vocare, nulla distinctione adhibita inter firmos, et debiles, inter vulgus Christianorum, et homines singularis virtutis. Quod illius sectæ auctor hauserat a pristino suo dogmate Stoico, a quo ad Christianismum transierat.

IV. Disputationibus, ratiocinationibusque Arnaldi, conjunctis cum omnibus consectariis, quæ deducit ex testimoniis quæ profert, nulla vis inest, nisi statuamus quasi indubitatum, omnes spirituales institutiones SS. Patrum, quas scriptis mandarunt in usum eorum, qui ad perfectiorem vitam aspirant, esse totidem leges, quibus tenemur, et quæ necessario observandæ sunt, nisi divina gratia excidere velimus. Quod demonstravimus ex disputatio-

[1] Joan. 3. 20. — [2] Ecclesiastic. 14.

[3] Hær. 59. § 5.

CAPUT SEXTUM.

Locus Ambrosii de frequente Communione male intellectus ab Arnaldo. Repugnantia ejus manifesta.

I. Error semper error est, in quamcumque partem a recta via deflectamus, eosdemque parit effectus, hoc est cæcitatem, et temeritatem in judicando; sive error limites excedat, seu intra mediocritatem pudenda remissione consistat. Attamen ii effectus magis animadvertuntur, ubi rationis limites exceduntur; quia in ejusmodi erroribus vehementiores sunt affectus, quibus animi turbantur, putantque se videre, quod nusquam est, nec quod sibi obversatur cernunt. Hujus naturæ est Arnaldi hac in re delictum. Ad extrema decurrit, et nimia severitate, eversis institutis et administratione Ecclesiæ, graviter in prudentiam peccat, obtunditque sibi oculorum aciem, dum propius æquo objecta intuetur. Nonnulla indicia proferemus, ex quibus liquebit illum eo morbo laborare.

II. Auctor anonymus, post P. Carthusianum, ad comprobandam frequentem communionem, utitur S. Ambrosio, qui ejus frequentandæ auctor est, adhibetque eam in rem verba institutionis divini Sacramenti; quæ nos docent, quotiescumque id celebramus, nos celebrare memoriam perpessionum Domini, et nuntiare remissionem peccatorum. Unde ita ratiocinatur Ambrosius [1]: « Debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Quia semper pecco, debeo semper habere medicinam. » Sunt hæc aurea verba, simulque ignea ad absumenda fœnum et paleam, quæ novatores vellent miscere ædificio doctrinæ ecclesiasticæ, quod nititur inconcusso Christi fundamento. Ubi sunt ergo perfectio inusitata, puritas supra humanitatem posita, conjunctio perfecta cum Deo, virtus eximia, et omnis illa præparatio, quam novus director exigit quasi necessariam ab omnibus communicaturis?

III. Sanctus episcopus auctor est iis, qui semper peccant, semper accedendi ad panem hunc vitæ. Contra opus de frequente Communione ab eo repellit eos, qui vel peccato veniali Deum offenderunt; nec hosce tantum, sed etiam eos, qui nullum peccatum admiserunt, nisi æquent sanctitatem apostolorum. Verum, quod omnium est absurdissimum, vult omnes ecclesia ejici. Legantur prima capita primæ partis quinti hujusce Evangelii, et liquebit, ad confutandum scriptum quod ex communi doctrina ad crebram communionem fideles hortabatur, et proferebat hanc in rem dicta SS. Patrum, Arnaldum uti eorumdem auctoritate, ad convincendum adversarium erroris, et ignorantiæ in eo, quod non vidit sanctos illos viros postulasse dispositionem illam inusitatam, de qua dixi, ab iis, quibus auctores erant sæpius communicandi; alios vero, qui ea carebant, exclusisse non modo participatione Sacramenti, sed etiam ingressu ecclesiæ.

IV. Peto igitur iterum ab Arnaldo, quid velit colligere ex locis veterum Patrum S. Dionysii, S. Basilii, et S. Chrysostomi, aliorumque, quos opponit scripto anonymi, ut ostendat accedendum esse ad communionem cum præparatione multo sublimiore, quam videtur? Dicat num præparatio, quam exigit S. Dionysius, sit præcepta et necessaria, anve is, qui sæpe sine ea præparatione communicat, peccet, atque indigne ad communionem accedat? Non ausit dicere peccatum hoc esse, ne damnet maximam partem fidelium, possim addere et universam Ecclesiam, si ex ejus dogmatibus loqui velim, quemadmodum jam ostendi. Præterea portentosa esset amentia ejus, qui diceret eum, qui communicat, nec tamen prorsus immunis est omnis peccati venialis, et amoris creaturarum, esse in statu damnationis; quia indigne communicat, et subjacet sententiæ Apostoli damnantis indigne communicantes.

V. Itaque fatebitur nobiscum Arnaldus, loca illa, quæ videntur præscribere tam eximiam præparationem, minime complecti præcepta divina aut ecclesiastica; sed proponere tantum consilia, et exemplaria quam absolutissima, ut ad ea accedere, quoad licebit, nitamur. Sic cum proponitur tironi tabula præstantissimi pictoris, quam imitetur, ideo non cogitur æquare eximium illud ἀρχέτυπον, pœnas daturus, si vel penicilli ductus desit; sed tantum jubetur sese ad id componere, ut

[1] L. 4. de Sacr. c. 6.

quam accuratissime poterit imitetur. Eadem est ratio præparationis ad communionem. Ecclesia subinde definivit, quid exigeretur necessitate præcepti : prætereaque proposuit semper quod est consilii, et majoris perfectionis, ut nitamur id superare, quod necessario a nobis exigitur; nec tamen damnat eos, qui non possunt, aut nolunt consilia ejus exsequi.

VI. Hæc adhibenda est in regimine animorum prudentia, quæ deest novæ reformationis universo instituto : ex quo nullum statuitur discrimen inter consilium, et præceptum ; et si qua sententia sanctorum occurrit, quæ postulet singularem sanctitatem, continuo arripitur ad confirmandam novam doctrinam, et oppugnandam consuetudinem receptam auctoritate Ecclesiæ, quasi *licentiam, prolapsionem, depravationemque morum, et quæ communi plerorumque impœnitentiæ favet.* Si enim necessitatem præcepti distinguas a consiliis, quæ suppeditant sancti iis, qui se parare volunt ad communionem ; nulla est ratio, cur Arnaldus iis utatur contra scriptorem anonymum, aut cur eum sententiis illis damnet quasi erroris reum : quandoquidem non sunt ea edicta, aut sententiæ judicum, sed consilia ad decorum spectantia, quibus nemo tenetur. Hoc sæpe testificatus sum de opere Arnaldi, quod meram ac perpetuam calumniam esse prædicavi. Dixi eum imponere scriptori anonymo crimen, cujus nequaquam reus est; et quidquid auctoritatum, ac testimoniorum contra eum profertur, præter rem esse, cum Arnaldus cogat sanctos testimonium dicere pro mendacio, idque dicentes inducat, de quo nunquam cogitarunt.

VII. Ne abeamus a loco S. Ambrosii, de quo hic nobis sermo est, quam vera sint quæ dixi intelligere licebit ex insigni Arnaldi repugnantia, cum ita interpretetur verba S. Ambrosii, ut ea oppugnet. Contendit S. Ambrosium [1] « in eo libro non alloqui, nisi innocentes et neophytos, qui egressi ex aquis baptismi, induti innocentia et puritate, aut, ut melius loquamur, Jesu Christo ipso, deinde impleti plenitudine Spiritus sancti per Confirmationem, quam sanctissime erant dispositi, ad celebrandam Eucharistiam. » Quomodo vero hæc consentiunt cum verbis S. Ambrosii, qui dicit, *quia semper peccat, debere se semper habere medicinam?* Qui semper peccat estne innocens? Estne *quam sanctissime dispositus ad celebrandam Eucharistiam?* Mira hæc est ratio interpretandi SS. Patres. Attamen Arnaldus insultat auctori anonymo, quod ei tam mirifici interpretamenti in mentem non venerit. « Vir, *inquit,* judicio præditus observasset, libros Ambrosii, de Sacramentis, scriptos fuisse in usum neophytorum. » Profecto aliis penuriam judicii immerito objicit, qui ita peccavit in rectam rationem, ut Ambrosium oppugnarit, dum eum interpretari conatur. Illi jure oggesseris vetus proverbium : Ἄλλους ἰᾶται αὐτὸς ἕλκεσι βρύων, *Alios curat ipse scatens ulceribus.*

CAPUT SEPTIMUM.

Frustra Arnaldum uti auctoritate S. Caroli, et episcopi Genevensis ad confirmandum consilium suum. Cur nonnullis præscripserint dispositiones perfectiores ad communicandum. Eos semper Ecclesiam reverenter habuisse.

I. Perperam, quod repetere sæpe cogor, abuteris, Arnalde, auctoritate sanctorum ad evertendum usum frequentis communionis, stabiliendumque novum tuum institutum. Tam longe abes a doctrina, quam a spiritu episcopi Genevensis. Sentiebat ille una cum Ecclesia, nec quidquam aliud docebat, præter vulgo receptum fidelium usum. Audivimus antea ejus verba de re [2], de qua nunc disceptamus; atque ab eo didicimus, frequentem communionem esse utilem, non tantum sanis, sed etiam ægris. Quinam vero vocentur ab eo

[1] Part. 2. cap. 13.

[2] Introd. Part. 2. c. 21.

prehendendi anonymi hac enuntiatione debet niti : nos obstrictos esse *promissione solemni* data in baptismo, sectari *perfectionem vitæ Christianæ*, quæ ejusmodi est, *ut paucis licitum foret communicare, si arcerentur ab altari*, etc. quæ modo recitavimus.

Si autem scire velimus, quæ sit ea *perfectio Christiana*, ex sententia Arnaldi, docet hoc capitibus antecedentibus, ut 4. et 6. ubi profert verba S. Dionysii, eumque dicentem inducit primitivam Ecclesiam exclusisse non modo ab altari, sed et ab ingressu ecclesiæ, præter pœnitentes, « eos, qui non erant penitus conjuncti cum Deo solo, nec plane perfecti, ac inculpati. »

III. Idem ostendit capite 8. testimonio S. Basilii, qui negat eos debere ad communionem admitti, « qui non vivunt, prout promiserunt in baptismo ; » hoc est, ut postea mentem suam explicat, « qui non ostendunt se quidem esse mortuos peccato et mundo in se ipsis, vivere vero Deo in Christo Jesu Domino nostro. » Itaque sanctus ille vir satis non habet communicantem *immunem esse omnis pollutionis carnis, et spiritus ;* hoc est, *post admissum peccatum mortale* purgatum hominem fuisse *mera confessione*, nisi præterea consecutus sit eminentissimam sanctitatem.

Cum ergo SS. Basilius et Dionysius, ac alii Patres, qui usque adeo extollunt præparationem ad communionem, sint tantum interpretes traditionis et usus Ecclesiæ primitivæ, quem Pontifices, et Concilia confirmarunt, et qui nunquam abrogatus est, adeoque æque viget, ac antea ; consequentia plane est necessaria, omnes qui volunt participes Eucharistiæ fieri, seu sæpe, seu raro, oportere eam perfectionem assecutos esse, quam sæpe ex Arnaldo descripsimus.

IV. Præterea inde sequitur, ex sententia S. Justini arcendos esse ab Altari omnes, quicumque non vivunt ex legibus evangelicis, quales eos descripsit Arnaldus locis laudatis. Unde perspicuum est Arnaldum miscere consilia cum præceptis.

Error est manifestus, nec excusandus, credentis, magnos illos viros alia imposuisse fidelibus officia, præter ea quæ Ecclesia constituit legibus et canonibus. Nulla unquam fuit in Ecclesia Dei præparatio sufficiens, ac necessaria ad participationem sacrorum mysteriorum, præter eam, quam Apostolus scriptam reliquit, ubi adhortatur Christianos [1], *ut probent se ipsos.* Quod perinde est, ac expiare omnia peccata mortalia, rationibus constitutis jure divino, et ecclesiastico ; et revera statuere apud animum suum, observare præcepta Dei, et Ecclesiæ. Nulla alia re necessario opus est, ut digne communicemus ; reliqua omnia pertinent ad consilium, quod debet a necessario præcepto distingui.

V. Si attenderes, Arnalde, verba S. Justini sine præjudicio ac pertinacia, nihil aliud in iis reperies, præter id, quod dixi de præparatione necessaria. Castigas auctorem anonymum, ut vidimus, quod non protulerit locum integrum S. Justini. Mira vero laboras carpendi libidine, nec attendis an merito carpas, an secus, ut hoc in loco. Quid opus erat diserte exprimere conditionem, quam habet S. Justinus, cum eam omnes sani cerebri homines satis intelligant, quamvis prætermittatur ? Quis ignorat nunquam datam communionem, nisi iis, qui baptizati fuerant, et in numerum Christianorum admissi ? Quoties tu ipse verba faciens de participatione panis illius vivifici, mentionem baptismi prætermisisti ? Præterea liquet, sacramenti Eucharistiæ participes non esse factos, qui Deum graviter offenderant, antequam pœnitentia expiati fuissent. Aliud nihil habet Justinus, nec quidquam dicit de sublimi illa, ac rara perfectione, quam ab iis postulas, qui ad Eucharistiam accedunt.

VI. « (1) Nemini alii, *inquit*, Eucharistiæ participem esse licet, nisi credenti vera esse, quæ a nobis docentur, et abluto lavacro quod est in remissionem peccatorum et in regenerationem, et sic viventi ut Christus tradidit. » Hisce verbis, sanctus martyr nullam postulat præparationem, præter baptismum, aut regenerationem, et vitam immunem gravioris peccati ; non perfectionem apostolicam, aut angelicam, ut nulla auctoritate nixus putas. Loquor autem de præparatione necessaria, et de lege imposita, non de ea, quam unusquisque pro sua pietate, sponte ac libere sectari potest. Duo genera mandatorum reliquit Christus ; quorum unum est consiliorum, alterum præceptorum. Consilia sunt liberæ observationis, nec quisquam iis parere

(1) JUST. in Apol. 2. Ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἔξεστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρόν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν.

[1] 1. Cor. 11. 28.

necesse habet; sed præcepta non possunt negligi, aut violari sine delicto. De hisce intelligendus Justinus, nisi velis a catholico sensu aberrare; quem, ut aperte loquar, sequi reipsa non videris, cum ratiocinationibus tuis ostendas te confundere consilia, et præcepta, ut antecedente capite ostendi.

VII. Itaque ut impleantur conditiones, quas Justinus præscribit communicaturis, non opus est eos esse inculpatos, atque omnis creaturarum amoris expertes, neque conjunctos esse cum Deo, instar Seraphinorum aut apostolorum. Satis est, si quis in statu gratiæ sit, seu immunis criminis, aut expiatus ex instituto Ecclesiæ. Quæcumque superaddis, libera sunt. Ita res intelligenda est, ut dixi, si manere vis in sententia communi totius Ecclesiæ catholicæ; cujus candor, et simplicitas consistere non possunt cum omnibus subterfugiis, et ambiguitatibus, quibus sensa tua, et verba involvis, dum idem dicere ac negare, et ne intelligaris metuere videris.

CAPUT DECIMUM.

Duo esse genera mandatorum evangelicorum, alia præcepti, alia consilii. Quod probatur nonnullis Patrum testimoniis. Hæc misceri ab Arnaldo. Regula ad ea secernenda. Quantæ absurditates nascantur ex eorum confusione.

I. Tandem oportet mihi assentiaris in hoc fidei capite, quod luce sua dissipare potest omnes tenebras, ac nebulas, quas nova ista tua, Arnalde, doctrina animis hominum offundit. Scito ergo esse duo genera mandatorum evangelicorum; et altera quidem necessario esse observanda, nisi quis in conscientiam, ac Deum velit delinquere. Altera vero nihil jubere, sed consilia præbere, quibus significant, quid sit præstantius et majoris meriti, si modo fiat quod a nemine exigitur. Hæc est communis doctrina filiorum Ecclesiæ catholicæ, a qua soli hæretici abierunt, et quam Scriptura, Traditio, Concilia, Pontifices, SS. Patres et Doctores comprobarunt multo disertius, quam novum tuum institutum; quod est mera imitatio, et falsa species veteris disciplinæ, quam fingis te sequi.

II. Dogmatis non dubia veritate permotus, potuissem supersedere ab eo confirmando auctoritate SS. Patrum, qui id crediderunt, atque in operibus suis hanc suam sententiam testati sunt. Sed quia caput hoc magni est momenti, et ad id, quasi ad scopulum, impingit maxima pars novæ hujus doctrinæ, aliquot loca proferam maxime ad rem nostram facientia. S. Ambrosius clare describit in lib. de Vidnis discrimen consilii, et legis: « En tibi distantia præcepti, atque consilii, si illum recorderis, cui in Evangelio ante præscribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falsum testimonium dicat; præceptum enim ibi est, ubi est pœna peccati. At vero cum se præcepta legis memorasset implesse, consilium eidem datur, ut vendat omnia, et sequatur Dominum; hæc enim non præcepto imperantur, sed pro consilio deferuntur. Duplex namque forma mandati est; una præceptiva, altera voluntaria. Unde et Dominus in alia dicit, *Non occides*, ubi præcepit; in alia, *Si vis perfectus esse, vende omnia tua*. Ergo hic liber est a præcepto, cui defertur arbitrium. »

III. S. Augustinus ferme idem habet, et utitur eodem exemplo contra Pelagianos; quos non male refert Arnaldus in eo, quod non distinguit consilium a præcepto. Hæretici enim illi existimabant [1], « divitem manentem in divitiis suis regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit. » S. vero Augustinus eos confutat eodem loco Scripturæ, quo utitur S. Ambrosius, et verbis Domini, quibus adolescentem divitem compellavit : « Verumtamen, *inquit*, Magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinguit. Ibi enim dixit, *Si vis venire ad vitam, serva mandata;* hic autem, *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia*

[1] Ep. 89.

num omnium,aut potius ludificationum,et calumniarum, quibus Arnaldus eam infamare, atque in contemptum adducere conatur.

Prima dilucidatio, quæ existit ex antecedente doctrina, pertinet ad definitionem decretoriam concilii Tridentini; cujus auctoritate confutavimus novum institutum Pœnitentiarii nostri, qui hic se gerit quasi summam potestatem obtineret, et instar Apostoli aut Papæ canones et decreta condit pro imperio; cum nullis mandatis, nullave auctoritate præditus sit, sed nitatur tantum nescio quo jurejurando, quod præstitit, quasi propter hoc promissum nactus sit amplissimam potestatem mutandi, atque invertendi omnia, regendæque pro arbitrio Ecclesiæ.

II. Oportet ergo eum scire, cum doctores catholici affirmant a concilio Tridentino nullam aliam requiri præparationem, quasi necessariam aut sufficientem communicaturis, nisi ut omnia mortalia peccata sacramentaliter confiteantur; iis tamen animum non esse excludere hinc omnes dispositiones religionis ac reverentiæ, quasi sola confessio eos immunes redderet omnium eorum, quæ sunt afferenda ad actionem tam solemnem, et tam sanctam. Calumniaretur viros magnos, quisquis eis tribueret tam manifestum errorem.

Hoc unum volunt, nullam esse aliam præparationem *cæremonialem*, vel *externam* necessariam, ut digne accedamus ad mysteria, præter eam, quæ sita est in sacramento Pœnitentiæ. Quod vero attinet ad internam dispositionem, aliaque, quæ communia sunt omnibus actionibus virtutis illius, quæ religio dicitur, et quæ propter rei excellentiam communioni præsertim debent adesse; de ea minime locuti sunt, statuentes notum esse omnibus fidelibus, hoc sacramentum, præter externam pœnitentiam doloremque ex delictis conceptum, quem in pœnitentia testantur peccatores, dignum esse quod celebretur animo reverente, ejus cupido, ac grato erga Deum.

III. Hæc docetur vulgo populus, hæc accipiunt pueri, in catechismis secundum disciplinam, atque usum communem; nec propterea indigemus nova reformatione, ac dilatione communionis, imo et absolutionis sacramentalis, hoc est cæremonia, quam dudum obsoletam esse fatentur, qui eam intromissam cupiunt. Ut oppugnemus hanc novitatem, dicimus confessionem esse præparationem, quæ necessario postulatur, ut digne communicare possimus secundum concilium Tridentinum. Itaque quemadmodum dixi superiore capite, Catholicos disceptantes cum Arianis explicuisse loca Scripturæ, in quibus *Pater* dicitur esse *solus verus Deus* ita, ut contenderent, ea locutione excludi tantum commentitios ethnicorum deos, non vero Filium, et Spiritum sanctum, de quibus iis in locis sermo non est; sic hodie nos gerimus, ut Arnaldus imitatur Arianos sophisticis fallaciis, similibus iis, quibus illi olim Ecclesiam oppugnabant.

IV. Idem etiam dicimus de loco Pauli, cujus verum sensum nobis aperuit Concilium; cum nempe Apostolus jubet, Christianos *probare seipsos*, antequam communicent, intellexisse eum, hanc *probationem necessariam* esse confessionem sacramentalem, cum non loquatur nisi de præparatione cæremoniali et externa; quæ ob sacramentum Pœnitentiæ, quod generali cæremoniæ nomine continetur, comites habet actiones internas fidei, spei, reverentiæ, doloris ob admissa peccata; et quia est officium virtutis, quæ religio dicitur, easdem iterum comites secum trahit, aut alias etiam sublimiores pro uniuscujusque captu.

Hoc dato responso, evanescunt futiles, atque inanes objectiones, quibus oppugnas veram interpretationem decreti Concilii, cum omnibus tuis *indicationibus*, quas ei tribuis, dum divinationes, ac commenta tua præfers doctrinæ communi, et ab omnibus Christianis receptæ.

V. Sed omittendus non est alius canon ejusdem Concilii [1], quo totum istud cœptum tuum funditus evertitur: *Si quis dixerit*, inquit, *receptos, et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libidine omitti, aut in novos alios, per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

Considera, quæso, quid facias, et quo spectet novum istud tuum institutum; eritque cur timeas, ne ad te pertineat ejusmodi censura, qui vis mutare consuetudinem *receptam, et approbatam* ab Ecclesia in administratione sacramenti Pœnitentiæ, aliamque intromittere, quæ est plane nova, cum nusquam, nec in ullo seculo unquam usitata fuerit, ut ostendimus. Quod si olim usitata fuisset, ut fingis, tamen esset nova hodiernæ Ecclesiæ, quandoquidem a quingentis annis, ut ipse fateris obsoleta est, et plane ignoratur ab iis, quibus impositam velles.

[1] Sess. 7. can. 13. de Sacr. in genere.

CAPUT TERTIUM.

Explicatio animi Concilii de dispositione necessaria ad communionem, propugnata ab erudito theologo Facultatis Parisiensis. Attamen, propter solam hanc dispositionem, non oportere frequentius ad communionem accedere. Levium peccatorum, imperfectionumque, in nonnullis, deteriora esse consectaria, quam peccata mortalia.

I. Quod secundo loco observandum est, pertinet ad interpretationem ejus, quod statuunt theologi de dispositione necessaria ad communionem ex mente concilii Tridentini, quod eam intra confessionem sacramentalem coercuit. Quod sic est intelligendum : si res absolute spectetur, eum, qui omnia sua mortalia peccata confessus est, posse accedere ad S. Mensam sine ullo peccato mortali, et sine metu damnationis, quam pronuntiat Apostolus in eos, qui indigne communicant. Sic Dominicus Soto, qui adfuit concilio Tridentino, ejus mentem interpretatus est, ut antea diximus.

Hisce de rebus consentiunt omnes doctores catholici. Tu vero, Arnalde, audi, quid de ea re dicat doctissimus theologus Sorbonicus, qui non ita pridem obiit, postquam diu Theologiam in celeberrima atque illustrissima schola professus fuisset.

II. Ysambertus piæ memoriæ, agens de necessaria dispositione ad capiendos fructus communionis, multa habet doctrinæ tuæ prorsus contraria. Primum propositæ quæstioni respondet hisce verbis[1] : « Habitualis gratia seu sanctificans sufficit homini baptizato, ut per susceptionem Eucharistiæ consequatur augmentum gratiæ, ita ut, ad consequendum hunc effectum, non sit opus actuali devotione, vel attentione. »

Deinde, quasi prævidisset quod objecturus erat Arnaldus, hanc ipse objectionem sibi proponit : videri Paulum contrarium docuisse, cum dixit, *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat.* Præterea vult communicantem *dijudicare* corpus Domini nostri. Utrumque autem complectitur actionem propriam communicanti. Igitur, præter gratiam habitualem, aliquid postulatur ab eo, qui Eucharistiam accipit. Cui objectioni sic respondet Ysambertus : « Respondeo ex Tridentino sess. 13. c. 1. illud tantum intelligi de sacramentali confessione peccati mortalis præmittenda sumptioni Eucharistiæ. »

[1] Tr. 2. in 3. Part. Disp. 2. ad q. 79. ar. 1.

III. Præterea addit, peccato veniali, quod comitatur Sacramenti participationem, non impediri augmentum gratiæ, quod prius est Sacramenti effectus, quamvis minuat fervorem communicantis, suavitatemque cibi cœlestis. Quæ consentanea sunt iis, quæ antea ex Thoma produximus, fulciuntque universam doctrinam, quam exposuimus, de præparatione necessaria ad celebrandum Sacramentum. Hinc jam intelliget Arnaldus nos non sine ratione dixisse, solam dispositionem, plane necessariam ad digne communicandum, esse confessionem sacramentalem ex mente S. Pauli, prout eam pro sua auctoritate interpretata est synodus Tridentina.

IV. Sed ut pergam id dicere, quod cœperam, aio tamen non ideo sequi, satius esse sæpe communicare ea sola dispositione, quæ omnium infima et imperfectissima est, instructum. Itaque omnibus expensis, in utramque partem defendi potest quæstio ; utrum expediat admittere ad frequentem communionem eos, qui ad Sacramentum inchoatam tantum eam præparationem afferunt. Constat quidem ex doctrina vulgo recepta, eum, qui satis haberet ita esse dispositum, posse communicare quotiescumque vellet sine peccato mortali. Attamen propter peculiares hujus actionis circumstantias, certum est hoc non satius futurum esse, eumque offendendi Dei peccato mortali periculum aditurum.

V. Sunt actiones, quæ in se spectatæ utiles sunt, sed quæ propter circumstantias fiunt noxiæ, et a quibus satius est abstinere. Exempli causa, jejunare, humi cubare, noctem transigere orantem, austera vivendi ratione corpus suum macerare, actiones sunt, quibus non exiguum inest meritum, virtutisque heroicæ. Attamen sæpe contingit eas vehementer nocere, etiam augmento spirituali virtutis; cum propter contumaciam atque occultam superbiam, quam generant, aluntque in quibusdam ingeniis, quæ fiunt elatiora et arrogantia, spernuntque eos, qui vitam molliorem agunt; tum etiam quia prostrata valetudine

rari non possunt, quia sunt necessario conjunctæ cum ipsa actionis natura, sicut ratio et prudentia nos docent.

V. Magni momenti est hæc observatio, eaque semper usi sunt Catholici contra hæreticos, fraudesque eorum retexerunt, et coercuerunt. Sic cum olim Ariani veram divinitatem Filii oppugnarent, proferrentque verba Domini nostri Patrem alloquentis [1], *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum;* unde colligebant, ex voce *solum*, Filium excludi vera ac summa Deitate : reponebant Patres, intelligendam esse exclusionem, pro re quæ ageretur, et quæ eo tantum hoc in loco spectabat, ut distingueretur Deus Pater a commentitiis gentilium diis, adeoque minime excludi verum, ac naturalem Dei Filium.

VI. Sic et hæretici hujus ævi abutuntur locis Scripturæ, quæ videntur nihil præscribere ad salutem consequendam, præter fidem; cujus etiam solius rationem reposcere solebat Dominus, cum singulari quodam beneficio aliquem afficere volebat, charitate et ceteris virtutibus omissis. Solemus vulgo respóndere, orationes ejusmodi intelligendas esse pro natura rei, quæ tunc temporis agebatur. Illi, ad quos pertinent hæc loca, erant tanquam catechumeni, qui paulatim adducebantur ad agnoscendum Messiam, eique credendum. Itaque tunc temporis non instituebantur, nisi in initiis, et fundamentis pietatis, et religionis. Quamobrem male ratiocinantur, qui hinc colligunt, sola fide ad salutem perveniri. Nimirum, Spiritus sanctus in S. litteris sese attemperat rationibus loquendi, quæ apud homines usurpari solent : inter quas hæc est, ut non semper distincte, et nominatim exprimantur quæcumque insunt naturæ rei; sed tantum quod ad rem præsentem facit, reliquis permissis judicio ac prudentiæ hominum.

VII. Sic, ut ad rem nostram redeamus, quando doctores scribunt, confessionem, et sacramentum Pœnitentiæ esse solam præparationem necessariam, et sufficientem, ad digne communicandum, et quando dicunt ita jussisse concilium Tridentinum; oportet has enuntiationes intelligere ex animo loquentium, non vero sententiam eorum depravare tam absurdis interpretamentis, ut statuantur aliud nihil postulare, præter meram confessionem, et floccifacere fervorem, reverentiam, aliasque tam sublimis actionis necessarias circumstantias. Decet nos credere et dicere, eos statuisse, hæc omnia concurrere oportere, quamvis aperte ea non expresserint: quia satis notum est omnibus Christianis cum religionis officiis ad honorem, ac cultum Dei spectantibus, hæc omnia esse necessario conjuncta; et quidem præsertim in hoc officio, quod tantum reliqua omnia superat, quantum Deus omnes creaturas.

VIII. Dicamus ergo ita se habere communionem, ut reliqua omnia, quæ sunt infra Deum, in quibus tria observantur. Primum est id, quod est essentiale rei, et sine quo intelligi non potest, qualia sunt anima et corpus in animali. Præterea sunt proprietates necessariæ ad agendum, atque extrinsecus quidpiam faciendum; vel partes *integrantes*, sine quibus essentia potest esse, ut videmus in iisdem animalibus facultates naturales, et membra, quæ faciunt ad perfectionem totius animalis, et sine quibus imperfectum est, ac mutilum. Denique in iis videmus qualitates accidentales, quibus res perfectior, atque utilior redditur, quamvis non sint necessariæ. Hoc vulgo vocatur *perfectio*, creditur que esse naturæ ornamentum, quod ad essentiam accedit, vel ad id quod rei datur cum primum gignitur. Sic fertur ars perficere naturam, cui addit ornamenta, quibus carere quidem posset, sed quibus formosior, et gratior fit.

IX. Similia invenire licet, prout fert rei natura, in dispositione ad communionem. Sunt duo genera dispositionis necessaria, quamvis non æque; sed est tertium quod abesse potest, et quod, cum adest, rem exornat, eique decus addit. Primum est essentiale, desumendumque est ex Sacramenti effectu. Omne enim Sacramentum est instrumentum, quod in nobis operatur, ac producit gratiam. Itaque quod est necessarium ad effectum Sacramenti, et sine quo agere non potest, id est necessarium præparationi ad accipiendum Sacramentum.

Hæc dispositio sita est in puritate animi, quæ ex illo expellat omne peccatum mortale, si quod admiserimus [2]. Quod fit ope sacramenti Pœnitentiæ, nisi forte desit commoditas confitendi peccata apud sacerdotem, sitque causa gravis minime differendæ communionis. Tum enim oporteret supplere Sacramentum dolore interno, seu perfecta contritione.

X. Debet etiam referri ad hoc præparationis

[1] Joan. 17. 3.

[2] Concil. Trid. Sess. 13. c. 7.

genus, attentio consentanea actioni, hoc est ejusmodi, ut considerate, et attento animo eam edamus. Alioqui non esset actio humana, quemadmodum loquuntur theologi [1]. Quod si sint quædam peccata venialia, quibus fructus omnis Sacramenti intercipiatur, ut crediderunt nonnulli theologi, sunt censenda numero eorum, quæ necessario ab altari excludunt; ac proinde præparatione essentiali, oportet remedium afferri minutis ejuscemodi peccatis. Sed opinio receptissima est, peccato veniali non impediri prorsus effectum Sacramenti, ut jam observavimus: qua in sententia etiam fuit S. Thomas [2].

XI. Altera præparatio, quæ necessaria quidem est, sed non essentialis, sita est in religione ac reverentia, quæ revera adhibeatur, et recto animo, quoad quidem res est in nostra potestate. Intelligo hanc religionem esse rationalem atque in superiore parte animi; non in inferiore, quæ sensilis religio dicitur, et ad quam pertinent jucundæ animi commotiones, quibus fit, ut cum voluptate virtutis actiones edamus, Deumque oremus. Quæ commotiones, cum non sint in nostra potestate, quamvis desint, non possunt communionem impedire. Satis est nos ex animo id facere, quod possumus, adhibereque diligentiam, ac attentionem, quemadmodum fit in re magni momenti.

XII. Sine hac præparatione, vulgo censent theologi maximam partem effectuum Sacramenti non edi. Quod contingit iis, qui communicant animo sponte sua in varias cogitationes distracto, aut qui simile quodpiam delictum admittunt veniale. Hinc fit, ut Sacramentum non obtineat universam suam perfectionem naturalem, ut ita loquar, quod attinet ad effectum, qui ei proprius est, et ejus institutioni consentaneus. Quare dixi, id præparationis genus non prorsus esse necessarium, quemadmodum primum; sed tantum quod attinet ad effectum proprium Sacramenti, quo ejus ope fruimur, et qui sine ea nec perfectus est, nec integer.

Novi equidem, fuisse theologos, qui crediderint hoc non esse peccatum, atque ita Majorem censuisse, cujus testimonium profert Dominicus Soto, qui vehementer ad eamdem sententiam inclinat. Ego vero litem hanc meam non facio, nec a me antea dicta ea ita dicta sunt, ut damnem aliam opinionem probabilem, et consentanea sunt sententiæ plerorumque theologorum.

XIII. Tertium, et ultimum genus præparationis est accidentale, et ad decorum pertinet; sine quo tamen effectus Sacramenti percipi possunt, at non ea copia, eaque profusione gratiarum, et divitiarum spiritualium, quæ in eos effunduntur, qui religiosius se præparârunt. Hæc ultima præparatio non tantum excludit essentiales omnes obices, aut alios minores, qualia sunt peccata venialia; sed emendat etiam omnes imperfectiones animi et corporis, quoad ejus fieri potest, adhibitis fidelis directoris consiliis. Nulli limites, ut alibi dixi, huic generi præparationis statui possunt, non secus ac gratiæ pietatique Christianæ, quæ perpetuum capiunt augmentum, cui fines imponi nequeunt. Trium harum præparationum prima est plane necessaria, ut participes simus effectus Sacramenti; secunda partim duntaxat; tertia utilis, ac decens, sed minime necessaria.

CAPUT SECUNDUM.

Declaratio doctrinæ concilii Tridentini de præparatione ad communionem. Qua ratione Sacramentum Pœnitentiæ vel confessio sit sola præparatio necessaria ad communionem. Explicatio loci Pauli hac de re.

I. Vera ac solida dogmata, quæ superiore capite explicuimus, nobis suppeditant commodissimam rationem explicandæ doctrinæ communis, de præparatione necessaria ad communionem, infirmandarumque objectio-

[1] Cajetan. in 3. Part. S. Thomæ q. 79 art. 7. Pet. Soto Lect. 9. de Sacram. in gen. et Lect. 8. de Conf.

[2] 3. Part. quæst. 79. art. 8.

quæ habes, etc. Cur ergo negamus divites, quamvis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata servaverint?

Alibi vero [1], « Multa sunt, *inquit*, facienda non jubente lege, sed libera charitate; et ea sunt in nostris officiis gratiora, quæ, cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. »

IV. Præterea idem S. Augustinus, postquam dixit discrimen esse inter consilium et præceptum, rem explicat hisce verbis [2]: « Consilium qui libenter audierit, et fecerit, majorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleverit, nisi pœnitentia subvenerit, evadere pœnam non poterit. »

Huc referri debent locutiones Patrum græcorum, qui verba facientes de consiliis, ut de virginitate servanda, vel de omnium bonorum suorum erogatione, solent dicere, (1) ejusmodi opera esse ὑπὲρ τὴν ἐντολήν, *supra præceptum*, ὑπὲρ τὴν φύσιν, *supra naturam*, nec se iis obnoxios esse.

V. Expendat nunc Arnaldus loca veterum Patrum, propter quæ existimavit communicaturos debere pervenisse ad summum perfectionis apicem; videatque, an sint concepta significantioribus et ἐμφατικωτέροις verbis, ad exprimendum præceptum, cujus observatione teneamur, quam sunt Domini nostri consilium dantis verba. Comperiet multum inter ea esse discrimen; et verbis Evangelii, quæ complectuntur tantum consilia sublimioris perfectionis, majorem esse speciem præcepti, quam iis, quibus utuntur Patres ad significandam dispositionem, qua par est nos ad mysteria sacra accedere.

VI. Nam, ut observat S. Augustinus epistola 89. Dominus verba faciens de divitiarum desertione, videtur pronuntiasse sententiam damnationis in divites, cum dicit [3], *facilius introiturum camelum per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum*. Cum hortatur ad deferenda omnia bona, aut ad renuntiandum consanguineis, et omnibus, quæ in hac vita sperari possunt, credere possemus legem hanc esse, nisi prudentia et auctoritas Ecclesiæ, quæ est interpres sponsi sui secerneret præcepta a consiliis.

VII. Hæc eadem regula potiori jure applicanda est locis illis Patrum, ut ex judicio Ecclesiæ et Conciliorum animum nostrum componamus, nec tam verba quam rem ipsam attendamus, cum loquuntur de præparatione ad communionem. Alioqui continget, præter absurda consilia, quæ hinc sequentur, et turbas, quibus universa Ecclesia miscebitur, ut defendenda suscipiantur dogmata, quæ redolent hæresim et impietatem, quale esset negare discrimen, quod interest inter consilium et præceptum; quæ sententia est Calvinianorum, et fuit olim Novatianorum, et Pelagianorum, quemadmodum antea dixi.

VIII. Hac ratione faveremus injustitiæ, ac violentiæ tyrannicæ Juliani apostatæ; quem narrant [4], cum pateretur, gentiles omnis generis contumelias, atque injurias dictorum et factorum inferre Christianis, quando hi querelas ad eum deferebant, illos irrisos demisisse, nec voluisse audire, aut jus de eorum querelis dicere: dictitantem eos hæc, et multo plura æquo animo ferre oportere, quandoquidem hoc præceptum a Jesu Christo acceperant, accepto colapho in una gena, nullam quærendam esse ultionem, sed potius alteram genam ad secundum accipiendum obvertendam; eumque cui eripietur pallium, exuere oportere tunicam, iisque dare, qui illud abstulissent. Ad hæc extrema nos deducit doctrina sparsa per opus de frequente Communione, et quæ ex eo colligitur æque recte, et æque verisimiliter, ac ratiocinatur Arnaldus ex auctoritate Patrum, ad fideles avocandos ab usu frequenti sacramenti Altaris.

Hoc ergo responso poterit generaliter satisfieri magnæ parti argumentorum, quibus in suo opere utitur Arnaldus, et quæ defendit testimoniis Patrum, ad terrendos hominum animos, et a communione retrahendos. Imprudenter nimirum abutitur Veritatis oraculis, ut confirmet mendacium, utque fidem faciat doctrinæ, cujus tam periculosa sunt consectaria.

(1) Basil. de Virg. pag. 777. Τὸ ὑπὲρ τὴν ἐντολὴν καὶ ὑπὲρ τὴν φύσιν ἀφ' ἑαυτῆς κατορθούσης, etc. ἡ δὲ παρθενία ὑπερβᾶσα τὴν φύσιν, ἀδούλωτος νόμῳ ἐστί. Chrys. in 1. Cor. 9. 18. et Homil. 8. T. V. Ed. Savilianæ.

[1] Lib. 1. de Adult. Conjug. cap. 14. — [2] Serm. 61. de Temp.

[3] Matt. 19. 24. — [4] Gregor. Nazianz. in Stel. cont. Julian. Theod. etc.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Tria esse genera præparationis ad Cœnam, quorum duo sunt necessaria, non tertium. Quanam in re sita sint, et quid a nobis postulent.

I. Memini me plus semel in animum lectoris revocasse caput quoddam doctrinæ, quod est maximi momenti, ut probe intelligantur et status quæstionis, et rationes, quibus ego et Arnaldus utimur. Cum vero obiter tantum de re locutus fuerim, existimo, nunc paulo pluribus de ea esse agendum. Ex sequentibus intelliget lector, quam necessaria sit.

Hoc ergo potissimum in hac controversia, ubi agimus de digna præparatione ad communionem, cogitandum est; nimirum, hic agi de præparatione necessaria, sine qua Deus offenditur, et gratia ejus excidimus, nedum ut ea recte utamur.

II. Quod non est ita intelligendum, quasi aliud nihil posceremus ab iis, qui accedunt ad tam augustum Sacramentum, quod a Patribus græcis et præsertim a S. Joanne Chrysostomo dicitur φρικτὴ καὶ ἀπόῤῥητος τελετὴ, *mysterium tremendum, et arcanum :* aut quasi cujusvis generis Christianos promiscue vocemus ad communionem, quotiescumque iis visum fuerit, et quomodocumque vitam instituant; si modo post admissa peccata mortalia, quantacumque sint, et quamvis consuetudine in ea ferantur, pœnitentia ducantur, eaque coram sacerdote confiteantur.

Rem non ita intelligo, nec volo solam confessionem esse præparationem necessariam, quasi, peracta pœnitentia sacramentali, nulla alia re opus sit, et liceat sine reverentia, et attentione ad altare accedere, quemadmodum cum mensæ adsidemus cibum sumpturi, aut cum negotium quoddam domesticum curaturi simus.

III. Accipere corpus, et sanguinem Christi actus est virtutis, quæ religio vocatur : quem proinde comitari, necesse est, affectionem animi, quæ convenit ei officio, cultuique, quem Numini exhibemus, et quæ complectitur attentionem, reverentiam, fervorem, gestum corporis compositum, aliaque, quibus hæc actio insignior fit. Ne ergo hinc occasio sumatur calumniandi tot magnos viros, sanctosque, et graves doctores, qui scripserunt, præparationem necessariam, et sufficientem ad digne communicandum esse puritatem conscientiæ; qua nullius criminis nobis conscii sumus, aut id confessi sumus, absolutionemque ejus accepimus in sacramento Pœnitentiæ. Non sine stultitia, aut etiam nequitia, dicerentur ii, qui sic loquuntur, admittere omnes ad communionem, nulla ratione habita circumstantiarum a me memoratarum, et sine ulla pietate ac reverentia, quasi esset vulgare, ac profanum negotium.

IV. Hic ratiocinandi modus inhumanus est, et captiosus, facitque, ut in societate ferri nequeant, qui eo utuntur. Solent homines uti vocibus *exclusivis,* et quæ videntur *absolutæ*, ac sine exceptione, nec tamen ejusmodi sunt; sed semper intelliguntur cum aliqua exceptione nonnullarum circumstantiarum, vel accidentium, quæ in usu communi solent concurrere, secundum prudentiæ normam.

Sic cum dux promittit militi ingens præmium, si modo primus in murum urbis obsessæ conscenderit, eique vexillum suum imposuerit, si miles, qui hoc executus esset, convinceretur pacti cum hoste iniri, et manifestæ proditionis, dux necesse non haberet stare promissis, quamvis videretur absolute locutus, et vocula illa *modo* designasset unum illud officium, quo miles defunctus esset. Sed leges sermonis humani, sensusque communis, quomodocumque mentem nostram exprimamus, semper complectuntur tacitas quasdam leges, ac conditiones, quæ a rebus sepa-

corporis id reddunt ineptum exercitiis virtutis, quo fit, ut postea delicatius sit alendum, et pudenda remissione tractandum, a qua sensim homines in voluptatem, atque in lugendam ruinam delabuntur.

VI. Similiter imprudenter se gererent nonnulli, nec modum servarent, si nimium frequenter communicarent, cum eum ex communione non capiunt fructum, quem deberent, quia nimis negligenter sese ad eam comparant. Tametsi enim statuamus, ab iis mortale nullum peccatum committi, quia dispositione necessaria sunt instructi; tamen irrepunt multa minus recta, per negligentiam, quæ quamvis peccata non sint ne venialia quidem, quod difficile est, paulatim ad ea deducunt, animumque ita indurant, ut delicta non amplius sentiat, atque ad peccata mortalia non ægre prolabatur. Quibus rebus factum est, ut nonnulli vitæ spiritualis magistri dixerint, satius esse nonnullis delabi in peccata mortalia, quam in venialia, si ratio habeatur consectariorum potius, quam conditionis præsentis; quia lapsus magni, atque inexpectati, qui animum gravi concussione de statu dejiciunt, faciunt ut sese colligat, suntque ei instar aculei aut calcaris, quibus generosus equus, qui cespitavit, illico excitatur, vehementiusque et animosius curriculum suum absolvit.

VII. Contra, longa duratione levium vitiorum, vel peccatorum, quæ initio vix animadvertuntur, refrigescit animi religio, minuitur gratia, cujus lumina postea rarius micant, et minus vivida sunt. Igitur delabuntur homines ex imperfectione minore in paulo majorem, deinde in peccatum veniale, et postea in mortale, gradatimque in suam perniciem ruunt, ac in profundissimam abyssum devolvuntur. Hoc eximie animadvertit S. Gregorius Nazianzenus, cujus sunt hæc verba : « (1) Quod particulatim, et furtim subit, initio quidem exiguam habet noxam, sed tandem ad summam nequitiam pervenit. »

VIII. Huc referenda sunt multa loca veterum [1], qui agentes de peccato veniali, et ostendentes, quam noceat animis, id comparant aquæ, quæ guttatim navem subiens, eam tandem implet, ac submergit. Peccatum quidem veniale, quamvis multiplicetur, non fit mortale, nec gratia spoliat: sed dum minuit fervorem, nosque destituit auxiliis gratiæ actualis, quam Deus nobis subtrahit in pœnam nostræ ignaviæ, et infidelitatis, nos eo tandem adducit, ut desint nobis vires, atque animus resistendi acrioribus ac importunioribus tentationibus hostis; quo pacto tandem prosternimur, atque ab eo vincimur.

Hac una ratione, ex sententia theologorum, potest vitari ea calamitas, si nos subjiciamus regimini fidelis directoris, sique ei per omnia obsequamur, ita ut communicemus tot vicibus intra annum, mensem, hebdomadam, quot illi videbitur, nec quidquam præter ejus sententiam aggrediamur. Hoc demum modo minime fallemur, atque inter extrema vitiosa mediam viam tenebimus.

CAPUT QUARTUM.

Duo errores oppositi de præparatione ad communionem; quorum alter nimium remittit, alter rigore nimio peccat. Falsum rumorem sparsum esse, doctrinam, quam tuetur Arnaldus, eamdem esse, quam propugnavit Hernandus Salazar.

I. Variæ illæ præparationes ad sanctam communionem, de quibus in capite superiore, dignæ sunt, quæ attente considerentur. Re enim non satis intellecta, multi a recta via aberrarunt, et ad extrema vitiosa deflexerunt. Alii, qui nimiam rationem habuerunt doctrinæ communis, de qua antea egi, remissiores æquo fuerunt, reddideruntque usum sacramenti hujus nimis facilem quibusvis;

(1) Orat. 31. Τὸ γὰρ κατὰ μέρος ὑφελκόμενον καὶ κλεπτόμενον ἀνεπαίσθητον μὲν τὴν πρὸς τὸ παρὸν ἔχει τὴν βλάβην, εἰς τὸ κεφάλαιον δὲ τῆς κακίας ἅπαντᾷ.

[1] S. Aug. Hom. 42. c. 9. Greg. Pap. Past. 3. c. 34. Cæs. Homil. 32.

quibus fas esse voluerunt communicare, quotiescumque vellent, imo et quotidie, quamvis vita eorum non esset admodum castigata, modo ne animum ullo peccato mortali inquinatum haberent.

II. P. Hernandus Salazar e Societate Jesu meminit quorumdam, quibus ea doctrina arridebat, auctoresque erant ejus ad usum revocandæ. Contra hosce scripsit librum, cui titulum fecit *De usu frequente sanctæ communionis*, ubi sic loquitur, prout verba ejus hispanica latine translata sonant: « Quidam, *inquit*, novis doctrinis magnam licentiam fecerunt fidelibus, quibus persuaserunt in hoc negotio eos esse sui juris, judicesque conscientiarum suarum; et sine cujuspiam consilio, quotiescumque ipsis videtur, communicare posse, frequentius aut rarius. Aliam etiam hac de re doctrinam eis tradiderunt, ut eis persuaderent, sinè consilio, et consensu confessariorum et patrum spiritualium, cum nullius peccati mortalis sibi conscii sunt, posse eos quotidie communicare, etc. »

III. Alterum extremum falsæ doctrinæ est eorum, qui nimiam rationem habentes eorum, quæ dixerunt veteres Patres, de præstantia divini hujus sacramenti; quasi postulet puritatem animi, et sanctitatem ei consentaneam ita[1], ut neque innocentia S. Joannis Baptistæ, neque puritas Seraphinorum satis perfecta sit ut eam attingat, et tanto beneficio digna sit: ejusmodi dicta nimium urserunt, quasi complecterentur præcepta necessario observanda.

Sic rem etiam intellexit Arnaldus, atque ad suam opinionem traxit omnia illa loca S. Dionysii, S. Basilii, S. Chrysostomi, S. Bonaventuræ, aliorumque sanctorum, et theologorum; ex quorum auctoritate, et usu Ecclesiæ primitivæ arcendi essent non tantum ab altari, sed etiam ab ingressu Ecclesiæ, omnes qui sancti non essent, sancti, inquam, et quidem maximi qui unquam in Ecclesia fuerint.

IV. Huic fundamento inædificat universam suam doctrinam, ac propterea contendit consuetudinem receptam ab universa Ecclesia esse *licentiam, corruptionemque, quæ favet impœnitentiæ communi;* quam proinde emendari necesse est ita, ut loco remissioris disciplinæ, restituatur antiqua ratio differendæ absolutionis et communionis in tempus sat longum post absolutionem sacramentalem.

Hæ duæ opiniones contrariæ æque pugnant cum veritate, et æque damnantur cum disertis sententiis omnium theologorum catholicorum, tum etiam totius Ecclesiæ communi usu confirmato a concilio Tridentino, ut ostendimus in superiore disputatione, rationibus et indubitatis testimoniis comprobata.

V. Quoniam autem animadverti multos, qui secundæ opinioni favent, spargere per vulgus, hanc ipsam opinionem defensam fuisse a R. P. Hernando Salazare, cujus memini initio capitis, in libro de Usu frequente sanctæ communionis; quod posset ei pondus addere ita, ut certe probabilis videretur, nec tam mala, quam eam describimus, cum nemine oppugnante aliquando defensa fuisset; necesse habeo rem dilucidare, et ostendere rumorem esse falsissimum, cum id, quod scripsit Salazar, tam sit remotum a nova doctrina, novoque instituto, quam est consentaneum sententiæ Ecclesiæ, responsisque theologorum catholicorum. Quamobrem comparabo doctrinam Salazaris cum doctrina Arnaldi, atque ingens discrimen earum ostendam; cum prior admitti queat, posterior vero nulla ratione, quippe falsa, et contraria auctoritati Ecclesiæ, atque ex qua nascuntur consectaria noxia reipublicæ.

[1] Thom. a Kemp. l. 4. de Imitat. cap. 5.

CAPUT QUINTUM.

Summa doctrinæ P. Hernandi Salazaris de frequente communione. Eum universim probare usum frequentem communionis. Ex ejus sententia puritatem quidem animi, qui sibi peccati mortalis conscius non est, esse solam dispositionem necessariam ad communionem ; attamen ad quotidianam communionem opus esse majore præparatione. Denique eum nolle eam in longum tempus differri, et communionem singularum hebdomadum omnibus optimam censere.

I. Animus P. Salazari non fuit, ut ipse profitetur ab initio operis [1], revocare fideles ab usu frequentis communionis, sed contra eos ad illam adducere; docereque, qua ratione quam optime possint sese ad eam parare, ut colligant fructus, qui ex re tam eximia sperari possunt, et a tam arcta conjunctione cum auctore et fonte omnium gratiarum.

Ante omnia [2] probat frequentem usum S. Sacramenti, si res universe spectetur, contenditque opinionem, quæ homines ab eo absterret, esse *vituperandam*, *scandalosam*, *et temerariam*. Quod probat testimoniis SS. Patrum, quorum pleraque prolata sunt a P. Molina, et auctore anonymo, ad comprobationem doctrinæ, quam Salazar meliorem esse ac saniorem censuit. Hæc eadem loca explicare, vimque eorum subterfugere conatur Arnaldus, ut postea dicemus.

II. Cum in Hispania exorti essent, qui docerent quod dixi capite superiore, nimirum promiscue quosvis admittendos esse ad frequentem, imo et quotidianam communionem, modo ne sibi peccati mortalis conscii essent; quasi præparatio, quam necessariam esse definivit Concilium, ad communicandum sine delicto mortali, complecteretur quidquid pertinet ad decorum, quod postulat tam mirandum, et tam adorandum Sacramentum ; ideo Salazar tria distinguit genera præparationis, quæ proposuimus cap. 1. hujus libri, et de quibus non repetemus quæ a nobis dicta sunt.

III. Postea P. Salazar de singulis seorsim agit, et quasi fundamentum totius ædificii ponit hanc enuntiationem [3] : « Solam puritatem conscientiæ, et statum gratiæ esse unicam dispositionem necessariam ad communicandum. » Quam enuntiationem diligenter contra Arnaldum defendimus.

Præterea addit [4], eam quidem puritatem sse dispositionem solam necessariam, ut Sacramentum effectum suum edat, quæ est gratia sacramentalis ; alias vero esse tantum « circumstantias accidentales, quæ tamen natura sua debentur actui communionis. » Quod vero attinet ad id, quod objiciebatur, multos sanctos nullam videri præscribere præparationem, præter eam quæ peccatum mortale excludit, addit ille ideo tamen eos non existimasse, in ea communicantes consistere oportere; sed reliqua sat nota statuisse, quippe communi sensu et ratione facile intelligenda.

Hac ratione sese expedit omnibus objectionibus eorum, qui in contrariis partibus stabant. Sed et animum concilii Tridentini nominatim aperit [5], a quo vult etiam intellectas alias dispositiones internas, quales sunt reverentia, et attentio. At semper statuit confessionem sacramentalem, et puritatem animi esse solam præparationem plane necessariam, quemadmodum antea ostendi.

IV. Nec prætermittendum est, quod idem habet scriptor : quamvis ea sit sola prorsus necessaria dispositio, attamen non sequi, eum, cui ea imperfecta præparatio satis est, debere adduci ad sæpe communicandum ; aut, ut possimus dicere, « Satius esse, et magis salutare accipere S. Sacramentum, quam eo abstinere; nulla alia opus esse dispositione præter puritatem conscientiæ, et opinionem, qua quispiam censetur esse in gratia Dei. » Quam propositionem judicat *temerariam*, *contrariam rationi*, *conciliis*, *et sanctis*. Cujus rei rationem capite antea laudato reddidimus.

Tandem contendit eos, quibus inest prima duntaxat dispositio, non debere frequenter communicare, quoniam necessario incidunt in multa peccata, saltem venialia ; nisi cogantur ita se gerere præcepto quopiam, aut alia incumbente necessitate.

V. Universa ejus disputatio ad duo capita referri potest; quorum prius est de dilatione communionis, posterius de tempore, quo ad eam est accedendum.

[1] Cap. 1. fol. 4. — [2] Cap. 2. — [3] Cap. 7. § 26. — [4] Fol. 47. — [5] Ibid. fol. 50.

Ad prius quod attinet, statuit [1] quasi indubitatum dogma, longam non debere esse dilationem; quæ si longa esset, noceret rectæ dispositioni. Itaque consentit communionem in paucos dies differri. Quod summo judicio, et validis rationibus probat toto capite 11.

VI. Ad alterum quod spectat, quod complectitur statum quæstionis, postquam probe examinavit omnia intervalla, quæ interponuntur communionibus, expenditque eorum effectus; tandem ex dictis colligit [2], communionem, quæ singulis hebdomadibus celebratur, esse omnium optimam, et suadendam *omnibus, etiam minime omnium perfectis.* « Cum omnes dico, *inquit*, intelligo homines cujuscumque sortis; iis duntaxat exceptis, qui perpetuo impediuntur communicare, seu jure seu facto; quod scilicet sint iis rebus occupati, quas relinquere nolunt, vel quod habitualibus sint inquinati peccatis, nec putentur ullo propterea dolore tangi, aut ad meliorem frugem velle redire. Uno verbo rem ut exprimam, cum dico omnes, intelligo eos, qui in gratia Dei manent, fugiuntque, quoad ejus fieri potest, occasiones omnes Dei mortali peccato offendendi. Quod si infirmitate in id delabantur, nulla neque consuetudo, neque occasio impedire potest, quominus id expient, seque justificent per Pœnitentiam sub finem hebdomadis, quamvis ceteroqui valde sint imperfecti.

CAPUT SEXTUM.

Comparatio doctrinæ Arnaldi cum doctrina P. Salazaris de frequente communione, ex qua comparatione liquet, quantopere differant. Arnaldus miscet consilium cum præcepto. P. Salazari non probari diuturnam dilationem communionis, eumque auctorem esse imperfectis, ut singulis hebdomadibus communicent.

I. Veniamus nunc ad doctrinam Arnaldi, eamque conferamus cum doctrina P. Salazaris; intelligemusque illico, eos magis distare, quam lucem a tenebris. Dogmata P. Salazaris sunt perspicua, solida, sine confusione, sine novitatis mistura, fundamentis Christianæ fidei nixa, consentanea decretis Conciliorum et usui Ecclesiæ, ac consensu theologorum comprobata. Hoc quoque veritatis indicio gaudet, quod sit pacifica, aptaque dirimendis omnibus controversiis, quibus divelluntur animi circa frequentiam communionis. Denique prædita est dotibus veræ sapientiæ, quæ desursum venit, et quas sic describit Jacobus [3]: *Primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.*

II. Consideret Arnaldus, an hæc suæ doctrinæ insint, anve opus *de frequente Communione* sapiat spiritum pacis, et concordiæ. Nihil ei magis contrarium. Ne una quidem vox mitis in eo occurrit, cum singulæ paginæ convitiis contumeliisque atrocibus redundent. Felle, et amarore omnia scatent. Perpetuæ sunt exprobrationes ignorantiæ, imprudentiæ, erroris, hæreseos; nec animadvertit Arnaldus, hæc omnia indigna Christiano theologo, et sacerdote, recidere partim in S. Carolum, partim in catechismum concilii Tridentini, partim in R. P. Antonium Molinam carthusianum, partim in P. Salazarem; ex quibus collectum est scriptum anonymum, nihil auctore de suo conferente, præter ipsam locorum collectionem. Sed ut descendam ad magis particularia, conferamque dogmata Arnaldi cum dogmatibus Salazaris, contendo, ea plane contraria esse, et quæ illis ædificantur, hisce dirui.

III. Primum, cum P. Salazar universe probet frequentem usum communionis, defendatque, et contrariam sententiam vituperet ex auctoritate tertiæ synodi Mediolanensis, cui S. Carolus præfuit; Arnaldus ex doctrina sua eum damnat, negatque Sacramentum esse vulgaris usus, et ab eo absterret Christianos.

[1] Cap. 11. § 2. — [2] Ib. c. 12. § 2. [3] Ep. 3. 17.

Nec fucum nobis facere aggrediatur fictis excusationibus, quibus negat sibi animum non esse a participatione hujus convivii cœlestis fideles amovere. Dicat quidquid ei videbitur, reipsa dissuadet frequentem Communionem, et ab ea revocat omnes Christianos, dum reddit inaccessam. Quid demum est revocare a re quapiam facienda, nisi aggredi persuadere eam fieri non posse? Si cui mox Romam profecturo ostenderem sine dubio eum in eo itinere periturum, annon hominem absterrerem?

IV. Quid vero aliud facit Arnaldus, cum scribit [1] ex Ecclesiæ doctrina, quam docuit universa antiquitas, quam Patres scriptis suis propagarunt, quam confirmarunt canones ecclesiastici, quam comprobarunt concilia, quam traditio conservavit, quæ nunquam fuit abrogata, non oportere ad altare accedere, imo ne ad ecclesiam quidem ipsam eos, qui non sunt prorsus perfecti, atque inculpati, et qui Deum non amant amore puro atque impermisto.

P. Salazar utitur exemplo primorum Christianorum, quod commemorat S. Lucas [2]; ut ostendat frequentem communionem esse laudabilem. Arnaldus vero id argumentum irridet [3], respondetque « non potuisse afferri clarius argumentum ad probandam opinionem contrariam; » quia apostoli quotidianam communionem instituerunt inter fideles, sed a Spiritu santo afflatos, etc.

V. Multum abest ut consentiat cum P. Salazare, qui contemnit, et infirmat ejus rationes, probatque eum non potuisse colligere ex historia Actorum communionem quotidianam in Ecclesia nascente. Itaque quandoquidem P. Salazar, et anonymus scriptor proferunt duntaxat hunc locum ad ostendendum, si universe loquamur, frequentem communionem laudandam esse; Arnaldus vero contra contendit, tam testimonium Lucæ, quam ipsam enuntiationem, ad quam confirmandam profertur, pertinere ad solos innocentes, et perfectos; sine dubio putat non esse laudandam universe frequentem communionem: quam enuntiationem rejicit Salazar, quasi *vituperandam, et scandalosam*, post S. Carolum, cujus judicium affert.

VI. Igitur Arnaldus damnatur a S. Carolo, ab episcopo Genevense, a Lud. Granatense, et tot aliis sanctis, quos produximus; plectendusque est, ex illorum sententia, quasi *sator scandali*, ut loquitur S. Carolus, et dignus cui interdicatur suggestu, si sit concionator. Eadem institui potest antithesis inter alia loca vel argumenta, quibus Salazar thesim generalem tuetur; et quæ Arnaldus ferre nequit, ac propter quæ tam inhumane invehitur in auctorem anonymum; ut satis ostendat se nondum esse capacem communionis, cum non sit *plane perfectus*, nec ardeat amore Dei *puro, atque impermisto*, qui utilitatum suarum nullam habet rationem, immunisque est vehementiorum affectuum, et solutus omnibus vinculis, quibus etiamnum creaturis adhæremus.

VII. Præterea P. Salazar [4] prudenter distinguit tria genera præparationis ad communionem, de quibus cap. 1. diximus; quorum Arnaldus nullam mentionem facit, cum omnia misceat, redigatque ad unam formulam, qua iniquiorem nemo possit excogitare. Contendit enim ex sententia totius antiquitatis, oportere sublimem perfectionem attigisse communicaturum paulo frequentius: quam perfectionem describi putat loco S. Dionysii, quem explicuimus lib 3. c. 15. et 16.

VIII. Nec quisquam putet Arnaldum nobis proponere tam eximiam affectionem animi, quasi exemplar omnibus numeris absolutum, ut conemur ad id accedere quam proxime poterimus, sed non ut id necessario æquemus. Christus quidem nos adhortatur, ut simus perfecti, quemadmodum Pater ejus est perfectus, aut etiam ipse; quod tamen non ita intelligendum, quasi necesse esset a nobis perfectionem illam æquari, quod fieri nequit. Verum Arnaldus loquitur de sanctissima illa animi affectione, quasi necessaria, et præcepto nobis, ex sententia Ecclesiæ et apostorum, imposita.

Clarius meridiana luce hoc colligere est ex tota ejus disputatione, operisque consilio, et ratiocinatione, qua id tuetur. Vult enim hoc suo libro, novoque instituto medicinam facere corruptioni, quæ irrepsit in administrationem Ecclesiæ, et quam corriget instauratione priscarum legum, quæ nunquam abrogatæ sunt. Itaque quod profert ex traditione, et antiquis Patribus, debet esse præceptum, idque observatu ad salutem necessarium; quod primo, et secundo libro demonstravimus.

IX. Præterea diserta ejus verba, locutionesque, quibus exprimit mentem suam, et in præfatione, et in reliquo libro, quis sit ani-

[1] Part. 1. c. 4. et 6. — [2] Act. 2.

[3] Part. 1. c. 3. — [4] Cap. 5.

mus ejus manifesto declarant. En locum eam in rem apertum [1] : « Quæcumque consuetudo obtinuerit in Ecclesia accedendi sæpe ad Eucharistiam, nunquam potestatem fecit accedendi sine DISPOSITIONIBUS NECESSARIIS ad adoranda mysteria. »

Postulantur ergo hic *dispositiones necessariæ* ad communionem, ac proinde veræ ; non proponuntur exemplaria perfectionis, quæ facilius miremur, quam imitemur. Superest nunc ut sciamus, quænam sint *dispositiones* illæ necessariæ, quas a nobis exigit Arnaldus. Paulo post, sic mentem suam aperit : « Cum non quæramus , an expediat sæpe communicare, sed quasnam oporteat esse dispositiones communicantium ; satis est te amandari ad S. Dionysium, ut ab eo cognoscas, quæ fuerit hac de re sententia apostolorum, eorumque discipulorum.

X. Igitur amandamur ad S. Dionysium, ut ab eo discamus, quæ sit *dispositio necessaria*, ut digne communicemus ; necessaria, inquam, et quam sine peccato mortali negligere non possumus ; cum pœnæ, quas Dionysius testatur in Ecclesia constitutas fuisse in eos, qui ita non erant affecti, nonnisi peccato mortali imponerentur. Ejusmodi erat excommunicatio, prohibitioque ab altari, et ab ecclesia. Hinc manifesto liquet ex doctrina Arnaldi peccatum esse æterna damnatione dignum vel semel communicare sine maxima perfectione. Hanc enim dispositionem postulat Dionysius, ut putat Arnaldus , ab iis qui cupiunt admitti in ecclesiam, et ad communionem ; qua perfectione qui carebant, non sine ignominia ab utraque arcebantur.

XI. Quæ cum ita sint, quis posthac poterit communicare, aut ingredi ecclesias ? Potestne esse in hac vita quisquam usque adeo perfectus, ut *nullum* habeat *phantasma*, *neque imaginem ullam peccati ;* ut sit *prorsus conjunctus cum Deo solo* , ac *plane inculpatus ?* Ejusmodi homo non est homo, sed angelus, aut potius Deus. *Non est homo qui non peccet*, ut docet Scriptura [2]. Verum hic homo immunis est omnis peccati, tam venialis, quam mortalis. Itaque nemo unquam communicavit, excepta beata Virgine , cui fuerit dispositio necessaria huic actioni, et qui non deliquerit in re necessaria ad salutem , adeoque qui non fuerit dignus qui excommunicaretur, ac expelleretur ex ecclesia. Quod dictum sit pace S. Pauli, et aliorum apostolorum, qui communicarunt. Eos minime excipit Arnaldus, sed involvit in sententia generali, quam pronuntiat in omnes, qui ad altare sine illa dispositione necessaria accedunt.

XII. S. Augustinus, et post eum S. Prosper tulerunt hoc judicium de justitia humana [3] : « Justitia nostra, *inquiunt*, quamvis vera sit, propter verum boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius remissione peccatorum constet, quam perfectione virtutum. » Hanc justitiam non poscit Arnaldus, sed multo excellentiorem, et multo sublimiorem virtutem, ut jam aliquoties vidimus [4].

Absurda hæc, ac ridicula commenta aliunde orta non sunt, nisi ex eo, quod Arnaldus non distinguit id, quod necesse habemus facere, ab eo, quod ejusmodi non est, miscetque consilium cum præcepto. Non ita se gessit P. Salazar, qui probe secrevit id, quod faciendum est, ab eo, quod optandum esset ; id quod lege impositum est, ab eo, quod ab arbitrio uniuscujusque pendet.

XIII. Quod vero hic est maximi momenti, et quo perspicuum fit utriusque doctrinæ discrimen, in eo situm est, quod P. Salazar nolit tam diu differri communionem, ostendatque maxima mala, quæ ex ea dilatione nascuntur. Idem tamen non censet admittendos omnes promiscue ad communionem quotidianam ; sed tantum homines virtutis ac sanctitatis rarioris, et qui vulgus multum superent : non quod judicet, si in ra id, quod prorsus est necessarium, nos coerceamus, ulla re opus esse, præter puritatem animi omni peccato mortali purgati ; sed propter rationes a nobis cap. 1. allatas, et propter periculum, quod subest communioni, ad quam homines accedunt sine diligentiore præparatione, quam ea, quæ plane necessaria est, prout eo capite observavimus.

XIV. Ut cumulum addamus omnibus argumentis, quæ duximus ex collatione operum Salazaris, et Arnaldi, in animum revocandum est, priorem tandem censere optimum communicandi usum, quod attinet ad tempus communionibus interponendum, esse, si semel singulis hebdomadibus communicemus. Quin etiam addit, hæc communicandi intervalla apta esse omnibus, cujuscumque ætatis sexus ac sortis sint, quamvis interdum in peccatum, etiam grave ac mortale delabantur.

[1] Part. 1. cap. 5. — [2] 3. Reg. 8. 46.

[3] Aug. 19. de C. D. c. 27. — [4] Adi lib. 3. cap. 15. et 16.

At dogma Arnaldi huic est e diametro oppositum, institutumque quod sequi se profitetur, et quod in suo opere docet, aliis nititur fundamentis. Contendit necesse esse, ut omnes, qui commiserunt peccatum mortale, quodcumque sit, etiam arcanum, arceantur a communione per aliquot menses, differaturque interea absolutio. Quod vult haberi legem generalem, quam confirmare nititur auctoritate Ecclesiæ, et veterum canonum; quasi Christiani necesse haberent subire pœnitentiam illam publicam, quam Arnaldus pro arbitrio constituit.

XV. Quis igitur nunc non videt ex comparatione utriusque operis, doctrinam Arnaldi plane differre a P. Salazaris doctrina, eosque vehementer errasse, qui eamdem esse dictitarunt? Hoc unum eos fefellit, quod P. Salazar existimet [1], sæpe expedire ut confessarii pœnitentibus imponant abstinentiam a communione in aliquod tempus. Quod affirmat etiam Arnaldus; verum hoc discrimine, quod Salazar nolit hanc esse generalem legem omnium peccatorum mortalium, et præceptum quod necessario sit observandum ita, ut nisi Ecclesia eam confirmet constitutione universali, jaceat ipsa in *licentia ac corruptione morum*, [2] *faveat impœnitentiæ communi plerorumque*, [3] *postquam horrenda cæcitate usque adeo remissum est de disciplina apostolorum, et Jesu Christi.* Quibus verbis Arnaldus invehitur in regimen Ecclesiæ, usumque pœnitentiæ, ac præparationis ad communionem, receptum per universam Ecclesiam.

XVI. Sæpius dixi, iterumque hoc in loco repeto, id, quod est potissimum obnoxium censuræ in doctrina novorum reformatorum, in eo esse situm, quod velint intromittere dilationem absolutionis sacramentalis, et communionis, quasi institutum necessarium; quo neglecto, Ecclesia vitio, et peccato laborat, quod ipsa comprobat, quod Concilia, Pontifices maximi, et episcopi confirmant, retinetque universus Christianismus in usu vulgari duorum illorum Sacramentorum.

Directores tamen, et confessarii aliquando hoc utuntur remedio, quod etiam Ecclesia interdum præscribit; cum jubet negari absolutionem, et communionem nonnulliis peccatoribus, nisi certis conditionibus, quæ constitutionibus et canonibus definitæ sunt.

XII. Verum hoc impositum est nonnullis gravioribus sceleribus, et obnoxiis censuris canonicis, non vero quibusvis peccatis mortalibus, atque in longum tempus. Præterea tunc temporis Ecclesia ipsa loquitur; Concilia, Pontifices, vel episcopi leges imponunt, singuli pro amplitudine potestatis ac jurisdictionis. At non est privatorum, docere potestates ecclesiasticas, quid ad earum officium pertineat; et, nisi pareant, in eas invehi, et conferre culpam pravæ licentiæ, ac prolapsionis morum. Usurpant illi potestatem summam Ecclesiæ, dum revocant in usum, quod est obsoletum consuetudine contraria, constitutionibusque Conciliorum generalium, et Pontificum Maximorum; dumque novas leges condunt sine auctoritate legitima.

CAPUT SEPTIMUM.

Dolus auctoris operis de frequente Communione, qui novæ suæ reformationi prætexit consuetudinem priscam pœnitentiæ publicæ. Hoc esse captiosum argumentum; auctoremque a se ipso dissentire.

Alium etiam deprehendere licet, in opere de frequente Communione, dolum, quo multi ob speciem quamdam externam decipiuntur plausibiliorem; sed quæ reipsa est mera umbra, atque inanis species. Arnaldus nimirum, ut novum suum institutum commendabilius reddat, atque instaurandum suadeat, colligit multa exempla, ac testimonia veterum patrum, quibus describitur consuetudo priscæ Ecclesiæ; ex qua consuetudine, qui graviter in Deum deliquerant, abstinebant per certum tempus a communione, donec

[1] Cap. 14. § 1.

[2] Arnald. part. 2. cap. 47. — [3] In præf.

defuncti essent pœnitentia sibi imposita, et accepissent absolutionem sacramentalem.

II. Hinc deducit argumentum, quod mirifice videtur confirmare ejus consilium de sequendo, quatenus licet, exemplari Ecclesiæ primitivæ. Hæc autem ratiocinatio conjuncta cum testimoniis Patrum occupat magnam partem operis, hoc est secundam ex tribus, quibus constat.

Verum collectioni illi auctoritatum, et rationum hanc opponimus responsionem generalem, qua inanes atque irritæ fiunt. Contendo ergo id quod, ni fallor, dixi, et quod expedit in memoriam revocari, consequentiam, quam deducit ex illis testimoniis, esse fallacem; quia, mutatis consuetudinibus, non sequitur, leges, quibus tenebantur Christiani temporibus Ecclesiæ primitivæ, etiamnum hodie vigere.

III. Patres, qui egerunt de præparatione necessaria ad S. communionem, locuti sunt pro usu temporis illius, et consuetudine, quam leges et canones instituerant. Tum fuit præceptum Ecclesiæ, ex quo necesse erat reos delictorum Constitutionibus notatorum certum tempus absumere in pœnitentia publica, antequam absolverentur, admitterenturque ad communionem. Itaque Patres agentes de hoc officio, ostendebant pœnitentibus, quam necesse haberent eo defungi, et observare leges, quæ tunc vigebant. Hoc autem hodie amplius non fit, postquam canones pœnitentiales obsoleverunt, quocumque modo obsoleverint; seu sola consuetudine, tacitoque consensu omnium fidelium paulatim evanuerint; seu concilia, aut singuli episcopi in diœcesibus suis iis derogarint iteratis relaxationibus, quibus tandem aboliti fuerint. Igitur ad eos observandos nunc non possunt adigi Christiani, donec summæ potestati aliter visum fuerit, quemadmodum antea ostendimus.

IV. Canones autem illos non amplius vigere in Ecclesia, non magis opus est probare, quam lucem esse, cum meridies est, nisi nobis res sit cum cæco. Quod ostendimus ipso consensu Arnaldi, qui rem fatetur; quamvis pro more suo secum pugnandi audeat interdum contrarium affirmare, aut potius ita desipiat, ut quid dicat nesciat. Totius enim præfationis hoc unum consilium est, ut excuset cœptum ejus, ostendatque ipsum non sine ratione adversari usui recepto, ut transeat in partes traditionis, et antiqui juris, quod interruptum est.

V. Dicit in præfatione se consilium cepisse « describendæ pœnitentiæ publicæ in suo opere, qualis reperitur in traditione. Hanc esse viam maxime consentaneam canonibus, et regimini Spiritus sancti, confirmatam experientia plurium, quam duodecim seculorum. Hanc esse veram dispositionem ad sacramentum Eucharistiæ. » Addit, « Tametsi non fuit præcepta seculis sequentibus, ut aliis fuerat, tamen semper probatam fuisse. »

Præterea fatetur, in eadem præfatione, usum contrarium ei, quem vellet intromittere, vulgo receptum esse apud omnes Christianos ita, ut si vellet omnes adigere ad pristinam rationem pœnitentiæ, *tota Ecclesia esset renovanda*; quamobrem *non vult negotium aggredi, cum sciat quanta vis sit solius consuetudinis in animos hominum.* Unde colligere licet pœnitentiam publicam, cæremoniasque ad sese parandum ad communionem, quas Arnaldus vult instaurare, desiisse usurpari in Ecclesia, saltem a duodecimo seculo; nec præceptas esse, postquam obsoleverunt.

VI. Alibi Arnaldus inconstantiam atque agitationem animi sui satis prodit, nec se audere aperte proloqui ostendit, ubi videtur velle respondere objectioni, quæ ex usu communi totius Ecclesiæ ducitur contra ejus cœptum. Tunc enim obliquis ac ambiguis locutionibus utitur, quæ ad examen revocatæ absurdæ deprehenduntur.

« Hic usus receptus, *inquit*[1], quem opponis, est usus multorum privatorum in Ecclesia, non vero usus totius Ecclesiæ; aut ut melius loquar, est inter usus Ecclesiæ, (quæ semper in singularibus casibus eum secuta est,) cum nullus ei miscetur abusus; quem plurimum irrepere posse observavit S. Carolus. Sed non est is unicus usus Ecclesiæ. Potest esse hodie frequentissimus, quia FAVET IMPŒNITENTIÆ COMMUNI PLERORUMQUE; cum omnes quidem velint peccata confiteri, sed ferme nemo pœnitentiam subire. Sed non est præstantissimus, neque tutissimus, neque conjunctissimus cum una ex potissimis notis Ecclesiæ, quæ est antiquitas, et successio doctrinæ: cum intromissus sit duntaxat indulgentia, et συγκατάβασει Ecclesiæ; alter vero sit usus primitivus, usus apostolorum, usus omnium Patrum, usus universæ Ecclesiæ per duodecim ferme secula. »

[1] Part. 2. cap. 47.

VII. Capite vero sequenti [1], cum satis intelligeret infirmitatem hujus responsionis, falsumque esse morem, quem emendatum cupit, non esse unicum usum Ecclesiæ, velificationem mutat, et respondet, « Non semper jure accusari posse temeritatis eum, qui non sequitur usum receptum, cum ille usus non nititur constitutionibus Ecclesiæ, sed tantum more privatorum; cumque non deseritur discordiæ studio, eove consilio, ut turbetur unitas corporis Jesu Christi, etc. sed tantum studio sequendi alium ejusdem Ecclesiæ morem, quem Scriptura, Pontifices, Concilia et Patres nos docerent esse sanctiorem, quamvis hoc tempore minus usitatum. »

Hæ duæ responsiones refertæ sunt tot manifestis erroribus ac repugnantiis, ut justi esse possent argumentum voluminis. Rem quam brevissime potero perstringam, cum præsertim quæ hactenus dicta sunt, satis esse queant ad eas confutandas.

CAPUT OCTAVUM.

Repugnantiæ Arnaldi demonstrantur. Sacramento Pœnitentiæ contineri solam præparationem necessariam, quod attinet ad externam et cæremonialem, ut e statu peccati ad communionem transeamus; nec ullam aliam a concilio Tridentino esse præscriptam. Verba Arnaldi non satis considerata, et postea ab ipso retractata, sed dimidia ex parte. Multum tamen errorem in ejus doctrina superesse.

I. Non possum satis mirari Arnaldum famam suam tam parvi facere, nec magis judicia lectorum revereri ita, ut absurdissima quæque in lucem proferre sustineat.

Primum secum ipse pugnat, in eo quod uno in loco fatetur, quod sane sine furore negari nequit, usum vulgarem atque unicum ad sese parandum ad communionem, saltem a quingentis annis, ut affirmat, introductum, esse expiationem peccatorum mortalium per sacramentum Pœnitentiæ; minime tamen exclusis ceteris dispositionibus, quæ natura sua conjunctæ esse debent cum omni actu religionis, de quibus antea diximus. Attamen in alio loco nititur persuadere hunc non esse usum vulgarem totius Ecclesiæ.

II. Quid ergo? Habesne, Arnalde, aliam præparationem externam, aut cæremonialem? De hac enim agimus. Eritne tua ista pœnitentia publica, aut potius umbra, et inane ejus simulacrum, cui id nominis imposuisti? Non potest esse, quandoquidem ais pœnitentiam publicam desiisse duodecimo seculo; tua vero nova pœnitentia ne nota quidem est in maxima Christianismi parte.

Quod attinet ad concilium Tridentinum, quod accuratas constitutiones edidit de usu omnium sacramentorum, et præsertim Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, fateris illud de ea nihil constituisse, quamvis revelatum tibi fuerit, cupivisse eam instaurare. Attamen eam minime restituit, ac proinde nullus alius est usus externus, cujus observatione teneantur fideles, præter confessionem sacramentalem.

III. Ubi nullum est præceptum, nulla etiam est parendi necessitas. Fateris tuam pœnitentiam publicam *præceptam non fuisse seculis sequentibus* post duodecimum; ostendique nec prima, nec maxima parte secundi fuisse institutam.

Si autem præcepta nunc non est, nec quisquam ejus observatione tenetur; cur insimulas fideles, Ecclesiamque universam *licentiæ, prolapsionis, corruptionisque morum*, et *horrendæ cæcitatis*, quia non utuntur tua ratione pœnitentiæ? An permotus *mera charitate, utilitatesque suas non spectante, et agens de usu, qui hodie frequentissimus est*, et qui, quidquid dicas, unicus est in Ecclesia, externæ præparationis nomine impositus, atque a Tridentino concilio confirmatus, scripsisti « esse frequentissimum, quia favet impœnitentiæ communi plerorumque; cum omnes velint quidem confiteri peccata, sed nemo subire pœnitentiam? »

IV. Quæ verba omnium catholicorum lecto-

[1] Part. 2. cap. 48.

rum horrorem excitant, ut et eorum, qui ea audiunt. An Ecclesia decretis suis favet peccato, et quidem peccato impœnitentiæ, quod est omnium deterrimum, præsertim si tam late pateat, quam dicis? Itaque pia illa mater Ecclesia, quamvis ei adsit Spiritus sanctus, qui eam singulari ratione agit ac regit, constitutiones edidit, quæ favent impœnitentiæ, non unius hominis, oppidi, populi, vel regni, sed universe plerorumque; et a quingentis quidem annis rem facit convenientiorem Antichristo, Satanæ inimico Jesu Christi, quam ejus sponsæ. Annon igitur *portæ inferorum*, hoc est infernæ potestates contra eam prævaluerunt, atque eam ad partes suas traxerunt? Quid vero dicemus de Pontificibus maximis, de episcopis, de parochis, et de omnibus, qui pastorali munere funguntur ex instituto Ecclesiæ, nisi conscios esse ejus sceleris, participesque fore ejusdem damnationis, ad quam secum trahunt ceteros omnes, dum *favent* eorum *impœnitentiæ*?

V. An didicisti ab antiquitate, et a traditione, esse calumniis impetendam Ecclesiam, et tam atrocis sceleris insimulandam? Magnum est discrimen, si dicas indulgentiam vel remissionem favere vitiis, ac peccatis, aut si dicas favere eam hominum imbecillitati. Paulus ipse ita alloquitur conjuges [1] : *Nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Tum subjicit : *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Qua in re toleravit imbecillitatem fidelium, sed minime favit adulterio; quod dici sine blasphemia non posset.

Lectori expendendum relinquo, an minus male talia dicantur de Ecclesia universali, quam de Apostolo, aut de sancto viro; qui, si viveret, membrum ejus esse honori duceret. Quod proditur de S. Theresia, quæ moribunda gloriabatur se esse filiam Ecclesiæ.

VI. Quid plura loquar? Non veretur Arnaldus dicere, *se permotum charitate mera, et utilitates suas minime spectante*, scripsisse, cum ageret de indulgentia Ecclesiæ in moderando rigore pœnitentiæ, « Horrenda cæcitate usque adeo remissum esse de disciplina apostolorum, et Jesu Christi, ut videatur opera data esse, ut vel ipsa ejus vestigia delerentur. » Propterea contendit, « Nullas nimis magnas gratias posse rependi iis (in quorum numero est ipse) qui voce, et scriptis conantur revocare ejus usum, et excitare apud nos zelum primævorum Christianorum. » Si hæc vera sunt, Arnaldus superat meritis, sanctitate, et prudentia universam Ecclesiam; cui præstat officium, quod sibi arrogabant olim Scribæ, et Pharisæi, ut essent [2] *duces cæcorum*. Ecclesia olim *horrendum in modum cæcutiit*, et adhuc cæcutit; ideoque indiget duce Arnaldo, aut restitutione visus, quem ei reddat, quo insigni miraculo hominis sanctitas agnoscatur, aut ejus eruditione, qua facem omnibus præferat.

VII. Si quis ex Societate, cujus usque adeo inimicus est, et *cum qua lites sibi quærit*, dixisset, aut scripsisset minimam partem, quæ ex ipso protulimus; quot censuris, et damnationibus ab Arnaldo vexaretur? Quot vicibus repeteret elogia, quibus auctorem anonymum proscindit: quem hæreticorum, blasphemorum et ignarorum numero censet, aliisque ejusmodi conviciis exagitat?

Tam severus non ero, neque, ut loquuntur, *qualificabo* omnes istas enuntiationes, aliasque innumeras, quæ occurrunt in *libro de frequente Communione*. Apud se reputabit Arnaldus, qua nota dignæ sint, reliquasque emendabit, ut conatus est emendare omnium postremam, quam ita correxit in secunda editione : « Potest esse hodie frequentissima omnium, quia ei favet impœnitentia communis plerorumque. »

VIII. Verum hoc est interpolare, ac tegere vitium, non demere, et curare. Primum enim est mendacium mendacio corrigere; nam plane falsum est impœnitentiam favere pœnitentiæ. Remedium Ecclesia ad curandos morbos spirituales, qui sunt peccata, instituit, aut potius a sponso suo accepit, prudenterque adhibuit, prout postulabant tempora. Remedium id est sacramentum Pœnitentiæ, quod omnibus partibus suis contrarium est impœnitentiæ, quam oppugnat, et cum qua consistere nequit. Impœnitentia sita est in contumacia animi, culpam fateri, aut emendare, aut tædio ejus causa affici nolentis. Contritio, et confessio, quæ sunt partes ejus sacramenti, contrarios habent effectus, quibus mollitur contumacia, animumque capacem reddunt motuum charitatis.

Igitur parum emendate loquitur, qui dicit pœnitentiæ favere impœnitentiam; quoniam si una alteri favet, consentire possent, quod

[1] 1. Cor. 7. 5.

[2] Rom. 2. 19.

fieri nequit. Perinde est ac si quis diceret, virtutem favere vitio, aut vitium virtuti, vel conjunctionem intercedere lumini cum tenebris, Beliali cum Christo, contra quam docet Apostolus [1].

IX. Præterea non satis est mutasse propositionem in aliam, quæ et ipsa indiget censura, et emendatione; quia omnes aliæ enuntiationes, quas ex opere Arnaldi hausi, quasi contumeliosas Ecclesiæ, ejusque auctoritati contrarias, semper ei insunt, nec sunt retractatæ. Attamen idem complectuntur, ad ipsam rem quod attinet, ac ea, quæ in secunda editione mutata est. Si enim institutum Ecclesiæ circa pœnitentiam, ususque, quem diserte comprobavit, sit *licentia, prolapsio, corruptioque morum;* si sit *relaxatio, cæcitate intoleranda* intromissa, pessime fecit, cum vitium pro virtute venditarit, atque ea ipsa in re faverit impœnitentiæ, partesque diaboli confirmarit.

Itaque non multum promovit Arnaldus, nec læso Ecclesiæ honori satisfecit tam levi emendatione; nisi ipsam doctrinam funditus evertat, et toti malo medeatur. Quod aliter fieri nequit, nisi generali retractatione conjuncta cum publica satisfactione.

CAPUT NONUM.

De præparatione necessaria ad communionem, sita, ex consensu doctorum, in puritate conscientiæ confessione purgatæ.

I. Vehementer erras, cum affirmas esse hodie necessario nobis impositam aliam præparationem cæremonialem, et externam, præter eam, quam complectitur sacramentum Pœnitentiæ. Multos scriptores insignes sanctitate, et eruditione produxi, qui uno consensu affirmant, ad digne communicandum, et cum fructu, ac augmento gratiæ, satis habendam solam confessionem sacramentalem, ut par est, peractam ab iis, qui in peccatum mortale inciderunt.

Produxi S. Thomam, S. Bonaventuram, Alexandrum Halensem, Majorem, Gersonem, qui ita senserunt ante concilium Tridentinum.

II. Audisti Dominicum Soto, qui interfuit Concilio, similia dicentem. Ysambertus idem te docuit, cum confirmavit ex sententia concilii Tridentini, hanc esse præparationem, quam Paulus proponit in hisce verbis, *Probet autem seipsum homo.* Adde Pelbar. in Ros. tom. 4. Ver. Euchar. § 23. Rayn. de Pisis Pantheol. p. 1. Euchar. cap. 21. et 23. Aret. in 4. dist. q. 1. art. 16. Esth. in 4. dist. 12. § 16. Universitas Parisiensis, et præsertim florentissima Sorbonæ schola ita semper docuit, nec mutavit sententiam. Quidquid objeci isti tuæ, Arnalde, novæ doctrinæ, id ipsum docetur in ea schola, defenditurque disputationibus publicis, et privatis; voce concionatorum prædicatur in ecclesiis, et professorum in prælectionibus.

III. Hoc docuerunt duo magna lumina nobilissimæ istius Facultatis, Gamachius et Duvallius, quos honoris causa, quippe magistros olim meos, nomino. Lege, quæ hac de re scripsit prior, et videbis, quam per omnia consentiat cum doctrina vulgo recepta, quam S. Thomas [2] aliique tradiderunt; eumque permotum auctoritate concilii Tridentini contendere, confessionem sacramentalem esse solam dispositionem necessariam ad communicandum.

Eximii illi viri, quos virtus ac probitas, quas comitabatur rara eruditio, posteris commendarunt, erant *Doctores Sorbonici.* « Periti erant sublimis, et solidæ illius Theologiæ, quæ continetur scriptis Patrum et traditione Ecclesiæ. Norant Theologiam scholasticam, atque hinc transiverant ad intelligentiam traditionis. Scientiam, et dogmata Ecclesiæ hauserant in Patribus, et Conciliis. » Attamen tecum minime senserunt, et aliter se sentire professi sunt.

[1] 2. Cor. 6. 15.

[2] In 3. p. q. 79. c. 2. p. 445.

IV. Ab illis acceperant magistri tui, quod te docuerunt; si modo tirocinium deposuisti in Sorbona, cujus pars non contemnenda, dum viverent, fuerunt.

Unde ergo accepisti novum dogma, quod in opere tuo promulgasti? Confugis ad antiquitatem, ad traditionem, ad priscos canones, ad Ecclesiam primitivam. Illic consiste, et tecum reputa, quid sis responsurus, cum rogaberis, an lege de pœnitentia publica teneamur hodie ut olim Christiani? Negas, cum doces præceptum hoc a quingentis annis obsoletum esse. Quamvis interdum oblique nonnulla commemores, quæ aliter intelligi queant, attamen postremum hoc negare aperte non audes. Si faceres, diserta loca ac decreta Concilii, quæ sæpe protuli, te ad retractationem adigerent; quemadmodum et graves illi scriptores, qui magistrorum tuorum magistri fuere, te erroris damnarent.

V. Gamachius agens de sacramento Pœnitentiæ vult eum, qui imponit satisfactionem, sese attemperare captui, atque indoli pœnitentis, nulla habita ratione Canonum pœnitentialium, quia [1] « antiqui Canones pœnitentiales in desuetudinem abierunt. » Propterea auctor est confessariis interrogandorum pœnitentium, ut sciant, an accepturi sint pœnitentiam, quam iis imponent.

S. Carolus Borromæus idem consilium præbet sacerdoti hisce verbis [2]: « Talem imponat pœnitentiam, qualem ab eo præstari posse judicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anve dubitet pœnitentiam sibi impositam peragere: alioquin eam mutabit, aut minuet. »

VI. Idem diu antea docuerat Joannes Gerson, theologus ejusdem Universitatis Parisiensis, nixus eadem ratione [3]: « Tutius est, *inquit*, cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, et verisimilius adimplebitur, mittere in Purgatorium; quam cum magna non implenda præcipitare in infernum. » Postea hanc tradit regulam: « Nulli invito injungenda est pœnitentia publica pro peccato secreto; secus de publico. »

Cajetanus, in Summa, agens de pœnitentia [4], « Pœnitenti, *inquit*, bene præparato, et robusti animi satisfactio, quam meretur, imponenda est; debiliter autem disposito danda est satisfactio parvula, juxta debilitatem sui animi, ut parvulus ignis foveatur apposita palea, ne suffocetur appositis magnis lignis desuper. »

Eadem sentiunt Navarra [5] æque, ac Soto, et innumeri alii, qui omnes censent relinquendam prudentiæ, atque arbitrio confessarii rationem et mensuram satisfactionis, prout erit convenientissima pœnitenti; ita ut nullo veterum canonum jam obsoletorum adstringantur.

Hoc quoque constituit Wormaciense concilium sub Adriano II. coactum, cap. 25. quod invenire licet etiam in Decreto Gratiani [6], et in supplemento Summæ D. Thomæ [7].

CAPUT DECIMUM.

Contraria consuetudine obsoletam esse pœnitentiam publicam. Eximium dictum S. Pauli de consuetudine. Locus insignis Joan. Fischeri Roffensis episcopi, de consuetudine per universam Ecclesiam recepta, quo damnatur novum Arnaldi institutum.

I. Constat ergo perspicuis argumentis, consuetudinem, quæ nunc per universam Ecclesiam obtinet, contrariam esse usui, quem intromissum vellet Arnaldus; et quamvis ei concederemus, quod tamen falsissimum est, rationem pœnitentiæ, et præparationis ad communionem, quam probat fuisse observatam in Ecclesia primitiva, atque ipso primo seculo, eam nunc obsoletam esse: quoniam usus contrarius et præscriptio quingentorum

[1] In 3. par. c. 23. de satisf. p. 620. — [2] In Sacram. Amb. in instr. Pœnit. Act. P. 4. pag. 523. — [3] In Reg. Mor. — [4] Verbo Satisfactio.

[5] Cap. Mensuram, p. 6. Dist. 1. de Pœnitentia. Adde Conc. Lingon. An. 1404. Syn. Rem. sub Phil. Vales. Syn. Trec. — [6] Dist. 1. c. 86. Mensuram. — [7] Q. 18. art. 4.

minimum annorum, prout fatetur Arnaldus, prævaluit contra eam legem, qua antea Christiani tenebantur.

II. Cum hoc sit adeo perspicuum, ut carere eum oporteat sensu communi, qui non intelligat ; quid aliud superest, nisi ut novis reformatoribus, inolitam tam longi temporis consuetudinem mutari cupientibus, os occludamus hoc loco Apostoli [1], *Si quis autem videtur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei ?*

Frustra Arnaldus dictitabit veritatem esse præferendam consuetudini, quemadmodum contendebant olim, contenduntque etiamnum hodie hæretici. Repetat, quam diu volet, quæ habet de traditione, Patribus, et antiquitate ; nos, missis aliis rationibus, constanter ei oggeremus responsum Apostoli, amandabimusque eum a nobis, ut suam sibi pœnitentiam servet prolatis hisce verbis : *Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Hoc uno responso omnes ejus repellentur objectiones.

III. Prætermitto nunc auctoritatem Concilii, quod definivit, quæ sit præparatio necessaria ad communionem, vetatque, addita excommunicationis pœna, improbari usum vulgo in Ecclesia receptum in Sacramentorum administratione, aut quidquam in eo innovari, vel alium constitui. Sat multis antea hac de re egi, atque ex iis quæ disputavi colligere licet, quo loco habendæ sunt hæ novæ propositiones, quæ aperte id statuunt, quod Concilium vetat, et damnat. Nunc sola utamur consuetudine, cujus sat magna est auctoritas, ut veterem legem abroget, liberetque fideles a jugo pœnitentiæ publicæ.

Verum existimarem me veritati, quam contra novam doctrinam Arnaldi tueor, eripere firmum fulcrum, simulque egregium ornamentum, quod potest trahere ex auctoritate viri insignis meriti, cujus eruditio splendet in scriptis quæ edidit, et sanctitas pervenit ad summum apicem, propter nobilissimi martyrii colophonem ei impositum.

VI. Intelligo celeberrimum episcopum Roffensem Joannem Fischerum, qui martyrium passus est in Anglia, initio schismatis, sub Henrico VIII. Is in doctissimo opere, quod opposuit Luthero, ut defenderet illum eumdem regem, a quo securi postea percussus est, suppeditat nobis eximium testimonium de pondere consuetudinum per universum Christianismum receptarum, quamvis nullum eam in rem exstaret Ecclesiæ præceptum.

Hoc habetur, ubi agit de communione sub utraque specie, deque usu hodierno, qui tandem prælatus est ei, qui olim vulgo obtinuerat, et diutissime viguerat in Ecclesia. Caput hoc theologicum jam attigi, quod ad rem nostram egregie facit, estque manifestum præjudicium contra doctrinam Arnaldi ; qui utitur iisdem argumentis ad probandum revocandam esse veterem pœnitentiam publicam, quibus Hussitæ, deinde Lutherani, et Calviniani usi sunt ad probandum Sacramentum sub utraque specie concedendum esse laicis. Quapropter idem responsum, quo Doctores catholici confutarunt hæreticos, adhibendum et contra Arnaldum, qui eorum ratiocinationes imitatur.

V. Venerabilis hic præsul et martyr inter argumenta, quæ profert ad defendendam rationem communicandi, quæ nunc in usu est apud plebem catholicam, vehementer urget consuetudinem consensu tacito clericorum, et laicorum primum intromissam [2] : « Apud eum populum, *inquit*, hæc consuetudo nata est, qui Spiritu sancto regitur. Nemini enim dubium est Ecclesiam a Spiritu S. regi, nisi quis forte Christi non crediderit Evangelio. Nam in eo promissus est Spiritus ipse sanctus, Spiritus, inquam, veritatis, ut in Ecclesia maneat in perpetuum, et ut eam doceat, et ducat in omnem veritatem. » Ad firmandam eam ratiocinationem continuo subjicit : « Nona conditio, quæ et plurimum conducit ; nimirum, quod ea consuetudo talem rem concernit, ex qua non minima pendet salus animarum. » Unde colligendum, a Domino, ea in re, Ecclesiam singulari lumine fuisse collustratam, ut et ejus pastores, ut intelligeret, et statueret, quod optimum factu fuit.

VI. Eadem est ratio rei, de qua nunc agimus. Cum pœnitentia sit usque adeo salutaris via, imo necessaria Christianis ad consequendam animarum salutem ; fieri nequit, ut ea in re Ecclesiæ defuerit auxilium, et afflatus Spiritus sancti, ut decerneret id quod conveniebat. Eorum opinio est digna severa castigatione, qui dicunt, Ecclesiam non tantum tolerasse, sed etiam confirmasse in re tanti momenti usum, qui sit *licentia, prolapsioque, et corruptio morum ;* suisque institutis, quæ adhuc vigent, *favere impœnitentiæ communi*

[1] 1. Cor. 11. 16.

[2] Lib. con. capt. Babyl. Luth. cap. 3. col. 134.

plerorumque; quique affirmant Ecclesiam collapsam esse « in tam horrendam cæcitatem, remissione disciplinæ apostolorum, et Jesu Christi, ut videatur opera esse data, ut ipsa jus delerentur vestigia. »

His elogiis Arnaldus ornat consuetudinem communem totius Christianismi in usu pœnitentiæ, et dispositione ad accedendum ad Sacramentum. Sunt plane contraria sententiæ magni illius præsulis angli, qui tanti facit consuetudinem, afflatumque singularem Spiritus sancti, qui non tantum agit universam Ecclesiam, sed etiam singula membra corporis ejus, quæ ad consensum adducit, dum ea illustrat cognitionibus, et donat affectionibus animi, quibus intelligunt, ac sequuntur consilia summi Principii, cujus voluntate sunt, et moventur.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Potissimum fulcrum consilii Arnaldi eversum esse. Male ab eo probari, quod suscepit probandum; et aperte pugnantia dici.

I. Dum probavimus usum pœnitentiæ publicæ dudum obsolevisse, nec nos ea lege amplius teneri; evertimus potissimum fundamentum reformationis Arnaldi. Sola enim rei antiquitate nititur, argumentumque maxime omnium universale, et firmissimum, ut putat, quo usus sit in opere de frequente Communione, petitum est ex traditione, canonibus, et auctoritate Ecclesiæ primitivæ. Hinc colligit omnes peccati mortalis reos oportere aliquandiu subesse pœnitentiæ publicæ, antequam reconcilientur Ecclesiæ absolutione, et admissione ad participationem sacrorum mysteriorum; ut sequantur vetus institutum, ex quo omnia lethalia delicta expiari debebant longa dilatione duorum illorum Sacramentorum.

II. Sed quamvis constaret disciplinam Ecclesiæ primitivæ usque adeo severam fuisse, ut nullum peccatum mortale exciperet, ne arcanum quidem, et quod in sola cogitatione situm esset; nihil hoc prodesset ad purgandum consilium imponendi denuo jugi pœnitentiæ publicæ, quod consuetudo, et auctoritas Ecclesiæ cervicibus fidelium amovit.

Itaque incassum laborat Arnaldus colligendis tot testimoniis Patrum, totque canonibus, ex quibus liquet delinquentes fuisse exclusos communione fidelium, Ecclesiæ, et participatione S. Sacramenti. Inania omnia hæc sunt, nec quidquam ad rem faciunt.

III. Oportebat eum ostendisse, nos etiamnum hodie lege pœnitentiæ veteris teneri, differendamque necessario esse communionem una cum absolutione [1], minimum per quinque, aut sex menses post peccatum mortale; aut denique officium esse Ecclesiæ universalis, ut subeat leges, quas Arnaldus ei vult imponere, ut vitet prolapsionem morum, et *horrendam cæcitatem*, in quam incidit *remissione veteris disciplinæ*, *cujus vel ipsa vestigia deleta sunt.*

Hæc non potuit persuadere Arnaldus ulla ratione aut argumento, cui inesset ulla species sensus communis; quamvis omnia conatus sit, ut rem perficeret, pro modulo ejus ingenii: quod hac in re parum felix fuit, sed vagatum est per ratiocinationes sophisticas, et paralogismos, qui nihil probant eorum, quæ probanda erant.

IV. Quamvis autem satis superque præstiterim id, quod aggressus eram, demonstrare nimirum, novum hoc consilium inane esse, nec ulla rationis specie niti; attamen non gravabor dilucidationes nonnullas addere de prisco usu pœnitentiæ publicæ, quod attinet ad ejus objectum, hoc est peccata, quæ obnoxia erant ejusmodi satisfactioni, quæ spectantibus et consciis omnibus fiebat. Quod eo libentius faciam, quia Arnaldus multis hac de re egit, putatque se eam non infeliciter pertractasse.

Attamen in ea graviter lapsus est, nec exiguum errorem admisit, cum scripserit [2], « Ex sententia Patrum omnis generis peccata mortalia debere pœnitentia aliquandiu expiari, antequam communicemus; vel, omnis generis peccata mortalia digna esse excommunicatione, prout docent Patres, hoc est exclusione ab Eucharistia. » Ex hac enuntiatione colligit peccata, etiam arcana, non posse aliter expiari, quam pœnitentia publica, et diuturna dilatione communionis.

V. Qua in re occurrit ante omnia error, quem possem vocare *cæcitatem horrendam, et ignorantiam portentosam* [3], si vellem uti, Ar-

[1] Arn. Par. 2. c. 18.

[2] Part. 2. c. 4. — [3] Part. 2. c. 3.

nalde, tuis loquutionibus, et imitari humanitatem, qua uteris erga auctorem scripti. Innuis enim allata propositione, nos etiamnum hodie teneri lege pœnitentiæ publicæ, non secus ac Christianos Ecclesiæ primitivæ; quem errorem antea confutavimus.

VI. Oportebat te dicere, ne tecum pugnares, ex sententia Patrum Christianos illius ævi debuisse, propter omnia peccata mortalia subire pœnitentiam publicam, quamvis hodie ea lege amplius non teneantur. Verum ea inconstantia, pugnantesque invicem sententiæ frequentes occurrunt in opere tuo, viderisque data opera ita te gerere, ut tradas doctrinam novam, et suspectam, una cum doctrina sana, et vulgo probata; ut si priore quis offendatur, ad posteriorem continuo confugias, qua te tegas, vitesque censuram, ostendendo te aliter sentire.

Verum missas faciamus istas repugnantias, consideremusque doctrinam, quam multis exposuit in secunda operis parte, et quæ est fundamentum novi instituti, aut potius ejus forma, et anima, a qua vitam trahit.

VII. Igitur conabimur ostendere eum falso affirmare, omnis generis peccata mortalia obnoxia pœnitentiæ publicæ fuisse. Quia vero potissimum nititur auctoritate S. Augustini, qui est unus trium Patrum, quorum ætate complectitur Ecclesiam primitivam, a quo ad S. Eligium, et alios recentiores descendit; ejus vestigia sequemur, et scriptoribus eorumdem temporum errorem ejus confutabimus. Qua in re eum ordinem observabimus, ut primum id constituamus, quod maxime probabile videtur; quo probato, evanescet mendacium haud secus, ac tenebræ luce fulgente.

CAPUT SECUNDUM.

Fuisse duo genera peccatorum mortalium, quorum alterum obnoxium fuit pœnitentiæ publicæ, alterum non item. Quod probatur ex S. Augustino et S. Eligio.

I. Res, quam tractare aggressi sumus, postulat ante omnia dilucidationem duorum capitum; sine qua non possumus progredi ad dirimendam quæstionem propositam. Primum enim ostendendum, quot genera peccatorum statuerint veteres, deinde quot genera pœnitentiæ habuerint.

Ad prius quod attinet, paucis verbis rem complectitur, cum contendat eos statuisse tantum duo genera peccatorum venialia et mortalia; quorum priora expiabantur precibus et bonis operibus, cum non essent satisfactioni publicæ obnoxia; cetera vero, quæcumque tandem essent, eam necessario subibant.

Ego vero contra existimo, hominem hallucinatum esse, ac tria fuisse peccatorum genera, cum præter venialia veteres dispescerent mortalia in duo genera. Prius fuit minus gravium, quibus imposita non erat satisfactio publica; posterius atrociorum, quæ Canones pœnitentia publica expiari volebant. Itaque falsum est, omne peccatum mortale hac pœnitentia expiatum.

II. Ut lis hæc dirimatur, non opus ratiocinationibus, sed testimoniis; agimus enim de consuetudine, quæ non potest probari, nisi testimonio eorum, qui iis quibus vigebat seculis vivebant. Potissimus testis, aut potius arbiter erit Augustinus, quandoquidem id inter disceptantes convenit. Contendo igitur contra Arnaldum, aut contra eos qui illum docuerunt quod scripsit, S. Augustinum censuisse, esse duo genera peccatorum mortalium, ut liquet ex disertis ejus locis, quorum duo præsertim proferam.

Prior est desumptus ex homilia, in qua agit de pœnitentia, tribusque ejus rationibus. Cum vero venit ad tertiam, quæ imposita erat peccatis mortalibus, subdividit hoc peccatorum genus, ostenditque, altera ejusmodi non esse, ut obnoxia essent pœnitentiæ publicæ; altera vero, quæ sunt scandalosa, hanc satisfactionem debere læsæ societati.

III. Hortatus eum, qui post baptismum in peccatum mortale delapsus est, ut semet ipse probe examinet, « Postremo, *inquit*, ab ipsa

mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini ; ut qui separari a regno cœlorum timet, per ultimam sententiam summi Judicis, per ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis panis interim separetur. » Quo facto, vult eum adire præsules : « Et cum ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illis in Ecclesia claves ministrantur, et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati, devotus, et supplex id tamen agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non tantum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo et aliorum, atque hoc expedire in utilitatem Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam, non recuset, non resistat, non lethiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. »

Ex hoc Augustini loco manifesto liquet, omnia peccata mortalia non fuisse pœnitentiæ publicæ obnoxia, sed tantum scandalosa ; remque relatam fuisse ad judicium episcopi.

IV. Alter locus sanctissimi Doctoris non minus est disertus. Extat in *Enchiridio*, seu manuali libello ad Laurentium [1]. Postquam enim distinxit duo delictorum genera, quorum unum vocat *peccatum*, alterum *crimen*, et quorum prius invenitur etiam in sanctorum hominum vita, non posterius; pergit sic de posteriori agere, cujus duas distinguit species hisce verbis [2] : « Sed neque de ipsis criminibus, quamlibet magnis, remittendis in Ecclesia, Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit, a Christi etiam corpore separetur; non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum, et humiliatum Deus non spernit. Verum, quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque enim in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur, *gemitus meus a te non est absconditus ;* recte constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. Extra eam enim non remittuntur. »

V. Quid aliud ex hisce Augustini verbis colligere possumus, nisi omne *crimen* (si hoc nomen sumatur pro peccato mortali) non fuisse obnoxium pœnitentiæ publicæ, sed quædam tantum atrociora ? Alioqui dixisset simpliciter, et sine exceptione, omnes, qui quodvis crimen commisissent, debuisse separari a corpore Jesu Christi. Quod non fecit, imo vero criminum discrimen esse ostendit hisce verbis, *Ubi tale commissum est, ut is, qui commisit, a Christi etiam corpore separetur.* Unde liquet fuisse crimina, quæ talia non erant, ut eorum reus dignus esset exclusione ab Eucharistia.

Annon is ridiculus esset, qui verba faciens de peccato mortali diceret, *Si tale sit peccatum mortale, ut qui id commisit, in eo statu moriens, æternum damnetur;* quasi omne peccatum mortale non sit ei pœnæ obnoxium. Non minus absurda est oratio S. Augustini si, ut vult Arnaldus, quodvis mortale peccatum pœnitentia publica esset expiandum. Verum vituperandus non est scriptor ipse, sed pravæ ejus interpretationis auctor.

VI. S. Eligius similiter distinguit duo genera peccatorum mortalium : quorum in alia, quæ erant publica, et scandalosa, exemplum pœnitentiæ publicæ statuebatur : alia vero minora, et frequentiora expiabantur arcana pœnitentia. Hæc habet in homilia 13. ubi postquam pœnitentiæ publicæ subjectos ad virtutem hortatus est, sic auditores alloquitur [3] : « Fratres, post exhortationem, quam habuimus ad pœnitentes, mecum admoneo, ut unusquisque nostrum redeat ad conscientiæ suæ secreta, et interroget seipsum, etc. Videat summopere, ut sacramenta corporis et sanguinis Domini digne recipere queat, quatenus sibi potius salutem, quam damnationem acquirat. »

Hæc verba ostendunt, fuisse peccata mortalia, quæ impediebant, ne quis digne communicaret, et propter quæ timenda erat damnatio ; quæ tamen satisfactione publica non expiabantur. Hæc enim imposita non erat nisi atrocioribus sceleribus, ut idem vir sanctus in sequentibus ostendit : « Non abhorreamus ergo, *inquit*, pœnitentes illos propter magnitudinem scelorum suorum. » Carere intellectu eum oportet, qui hinc non colligat, a pœnitentibus, de quibus agit S. Eligius, commissa fuisse nefaria scelera, non quævis peccata mortalia. Quod magis liquebit ex capite sequente, in quo de rationibus pœnitentiæ agemus.

[1] Cap. 64. T. 3. aut 6. in Edit. Bened.

[2] Ibid. c. 65. — [3] Hom. 13. T. 2. Bib. PP.

CAPUT TERTIUM.

De tribus generibus pœnitentiæ, ubi auctoritate Augustini ostenduntur quævis peccata mortalia non fuisse subjecta satisfactioni publicæ, neque excommunicationi, ut credidit Arnaldus.

I. Quemadmodum duo sunt genera peccatorum mortalium ; sic erant duo genera remediorum, quibus curarentur, eaque petita a pœnitentia. Præter pœnitentiam publicam qua expiabantur peccata publica, et scandalosa, ut loquar de iis quæ necessario, non vero de iis quæ sponte fiebant, Ecclesia habuit alteram tempore S. Augustini, et quæ aliquandiu postea viguit, quæ non suscipiebatur publice.

Ut rem altius repetamus, nos docet Augustinus in homilia capite superiore laudata, tria genera pœnitentiæ fuisse in Ecclesia usitata [1]. Primum suscipiebatur a catechumenis ante baptismum, de qua etiam agit Tertullianus in libro de Pœnitentia. Secundum [2] erat peccatorum leviorum post baptismum admissorum, quæ non necessario obnoxia erant potestati clavium ; sed expiabantur precibus, et bonis operibus, ut multis locis docet Augustinus. Tertium [3] erat peccatorum mortalium admissorum a fidelibus. Hoc vero, ex sententia Arnaldi, semper erat publicum, quodcumque delictum fuisset, sive publicum, et scandalosum, sive arcanum, et solius cogitationis ; quandoquidem nullo excepto credit omne peccatum mortale expiatum fuisse excommunicatione, et satisfactione publica.

II. Verum, ut loquar, sicut jam cœpi, de tempore S. Augustini, deque eo quod id sequutum est, error est manifestus, et qui arguitur loco ejusdem sancti doctoris in homilia jam memorata. Qua in re mira est cæcitas Arnaldi, qui judicium de hoc negotio ex S. Augustino ferri voluit, nec tamen animadvertit, S. Augustinum contraria prorsus affirmare, docereque, omnia peccata mortalia pœnitentiæ publicæ obnoxia non fuisse.

Quid potest disertius esse verbis magni illius doctoris superiori capite memoratis ? S. Augustinus in illa homilia 50. loquitur tantum de pœnitentia peccatis mortalibus imposita. Vult primum unumquemque se judicare, et subtrahere a participatione corporis, et sanguinis Christi. Deinde vult pœnitentem convenire antistitem, et postquam ei peccata confessus fuerit, sequi ejus mandata de satisfactione, et castigatione delictorum. Addit, si antistiti peccatum videatur non tantum grave, sed etiam vehementer scandalosum, pœnitentiam esse agendam in notitia multorum, aut etiam totius plebis.

III. Ex tota hac oratione sequitur omnia peccata mortalia non fuisse obnoxia pœnitentiæ publicæ, sed tantum publica, et scandalosa. Quin etiam, si verba S. Augustini attente expendamus, comperiemus, non omnia, quæ hujus generis erant, damnata fuisse ad pœnitentiam publicam coram universa plebe ; et quædam minus scandalosa coram multis quidem, sed non coram omnibus expiata fuisse.

Alter locus S. Augustini non minus clare ostendit non fuisse unum genus pœnitentiæ, ut nec erat unum criminum genus. Nonnulla nimirum erant peccata mortalia ejusmodi, ut digna non essent canonica separatione a corpore Christi, qua ad satisfactionem publicam rei adigerentur. Quod satis superiore capite explicuimus.

IV. Præterea idem S. Augustinus eadem homilia nos docet, suo tempore neminem fuisse communione exclusum, nec proinde adactum ad pœnitentiam publicam, nisi propter crimina, quæ non tantum graviora erant, sed etiam publica, et ita nota, ut oporteret eorum homines accusari, et convinci, nisi sponte sua ea faterentur. Adito caput 4. ejus homiliæ, ubi postquam S. Augustinus rationem reddidit, cur multi magni peccatores admitterentur ad participationem Eucharistiæ, sine pœnitentia publica, dixitque eos non potuisse legitime convinci, sic loquitur : « Nos vero a communione quemquam prohibere non possumus, (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis,) nisi sponte confessum, aut in aliquo sive seculari, sive ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum. »

Postea probat auctoritate Apostoli, neminem

[1] Cap. 2. Hom. 50.

[2] Ib. c. 3. — [3] Ib. c. 4.

arceri debere a communione Ecclesiæ sine judicio publico, ita ut delinquentes sint convicti, deficientibusque evidentibus argumentis, sint tolerandi. Hanc in rem profert exemplum evangelicum paleæ, et grani; paleamque interpretatur malos, aut reprobos, qui in consummatione rerum omnium separabuntur a bonis, atque in ignem infernum conjicientur; nedum ut interpretetur paleam imperfectos, granum vero perfectos, ut fecit Arnaldus [1]. Denique tota disputatio capitis 4. ejus homiliæ non patitur nos aliter de re judicare, quam fecimus.

V. Est et alius locus S. Augustini, quo idem confirmatur. Extat in homilia 16. in verba Domini nostri secundum S. Matthæum, ubi docet, quomodo corrigendus sit frater, et qui privatim sit monendus is, cujus delicta non sunt publica. Deinde hæc habet [2]: « Novit enim nescio quem homicidam episcopus, et alius illum nemo novit. Ego volo illum publice corripere, at tu quæris inscribere. Prorsus nec probo, nec negligo; corripio in secreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam. » Pergit hac de re ratiocinari, proponitque exemplum adulteri occulti, cujus delictum proditur ab ipsius uxore episcopo, qui tamen eum palam non castigat, sed clam : « Nos non prodimus palam, *inquit*, sed secreto arguimus. » Hinc intelligere licet, quemadmodum castigatio clam fiebat, ne peccatum occultum revelaretur : sic pœnitentiam privatim peractam fuisse, ne arcanum proderetur.

VI. Sed ut omnis eximatur dubitatio de sententia incomparabilis Doctoris, proferam eximium ejus locum, in quo manifesto distinguit tria genera peccatorum : unum scilicet venialium, et duo mortalium. In libro de Fide et operibus, postquam negavit ullum esse sine peccato, ostendit, de quo peccatorum genere intelligenda sit hæc generalis sententia [3] : « Nisi essent, *inquit*, quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus : *Congregatis vobis, et meo spiritu, tradere ejusmodi hominem Satanæ, ad interitum carnis, etc.* Item nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui proprie pœnitentes vocantur; sed quibusdam correptionum medicamentis : non diceret ipse Dominus : *Corripe eum inter te, et ipsum solum, et si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Postremo, nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in Oratione, ut dicamus : *Domine, dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* »

Annon illic sunt tria peccatorum genera? Eorum venialia sunt tertia, simplicia mortalia sunt secunda, gravissima omnium sunt prima, quæ excommunicatione expiantur. Est ergo falsum, quod affirmat Arnaldus, omne peccatum mortale, cujuscumque generis fuerit, ex S. Augustini sententia, excommunicatione fuisse expiatum, cum liqueat gravissima tantum ei fuisse obnoxia.

CAPUT QUARTUM.

Idem probatur aliis locis S. Leonis, S. Eligii, et Conciliorum gallicanorum.

I. S. Leo papa, ejus nominis primus, in epistola 92. quam scribit ad Rusticum episcopum Narbonensem, manifesto testatur, præter pœnitentiam publicam, fuisse aliam vulgarem, et privatam, quæ imponebatur peccatis mortalibus, non ita gravibus. Cum enim responderet quæstioni, quam ei proposuerat ille episcopus, qui essent tractandi illi, qui, cum diu vixissent apud ethnicos, redibant ad Christianos, et petebant communionem; ita statuit [4] : « Si convivio solo gentilium, et escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis,

[1] Vide sup. lib. 3. cap. 14. § 8. — [2] Serm. 16. de verb. Dom. sec. Matt. c. 8.

[3] Cap. 26. Tom. 4. Ed. Lovan. ac Tom. 6. Ed. Bened. — [4] Ep. 92. Inq. 19.

et manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoravere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt; ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti. » Eu pœnitentiam peculiarem peccatis mortalibus, ut intelligere est ex *impositione manuum*, quæ non fiebat, nisi peccatorum mortalium causa. Deinde pœnitentiam publicam describit sequentibus verbis.

II. S. Eligius sermone 15. non minus sententiam nostram confirmat, præterquam quod nominatim loquitur de præparatione ad communionem, quæ est potissimum caput disceptationis nostræ. Hortatur ergo primum fideles, ut recte sese præparent ad accipiendum Sacramentum; deinde eos monet, ut eam in rem utantur pœnitentia, quam Dominus propterea in Ecclesia instituit. Tum explicat rationem qua peragebatur pœnitentia, ostenditque fuisse privatam unam, alteram vero publicam.

Priorem hisce verbis describit[1]: « Quicumque ergo vestrum quadragenarum dierum observationibus pœnitentiam, et confessionis suæ debitum se exercuisse recolit, agat Domino gratias; et quidquid templum Dei violando in se destruxerit, non desperet, sed cito de malo iniquitatis suæ consurgat. »

III. Facile est conjectu sanctum virum loqui de pœnitentia, qua post mortalia peccata sese disponebant ad communionem, quoniam ea sola peccata possunt destruere templum Dei. At eam non fuisse publicam, sequentia manifesto ostendunt : « Similiter, *inquit*, quod dico, omnibus vobis dico, clericis, laicis, sanctimonialibus, ut quisquis se recolit invidiæ, aut detractionis, odii quoque, et fornicationis, sive incestus, vel perjurii, ceterorumve vitiorum contagione adtactum, saltem hodie, per divinæ salutis medicamentum, in quantum prævalet, se purificare procuret. »

Non potest ad pœnitentiam publicam auditores suos promiscue hortari; quia clerici, qui inter eos erant, immunes ejus habebantur. Itaque intelligit satisfactionem privatam, et arcanam, quam delinquentes propter arcana peccata, quamvis maxima, subibant; nisi si quis velit explicare hæc loca de peccatis mortalibus, cogitatione duntaxat admissis, et quæ non erant obnoxia pœnitentiæ publicæ.

IV. Postea idem vir sanctus orationem convertit ad eos, qui publicam pœnitentiam agebant, et, « Quia ergo, *inquit*, majora crimina admittentibus majora admittenda sunt remedia, convertam me ad vos, quos Ecclesia ex more pœnitentes vocat. »

In homilia vero 16. diserte dicit pœnitentiam publicam fuisse criminibus publicis impositam : « Duos, *inquit*, præterea, fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam agere coegit pœnitentiam. »

V. Præterea concilium Vasionense 1. can. 8. statuit, si quis deliquisset, conscio tantum episcopo, ita ut legitime convinci non posset, eum non esse arcendum a communione, sed privatim monendum. « Illo, *inquit*, quandiu probari nihil potest, in communione omnium, præterquam ejus, qui eum reum judicat, permanente. » Id Concilium convenit an. 442.

Sic concilium Arelatense 6. convocatum A. D. 813. decernit, *ut qui publico* crimine convicti sunt, rei publice judicentur, et publicam pœnitentiam agant secundum canones.

Concilium Cabilonense 2. eodem anno coactum, restituens usum veterem pœnitentiæ publicæ secundum antiquos canones, dignissimum est, quod hic audiatur, quia describit usum primitivum, de quo certamus. Sic ergo habet, can. 25. « Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum constitutionem in plerisque locis ab usu recessit, et neque excommunicandi, neque reconciliandi, antiqui moris ordo servatur; ut a Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publice peccat, publica mulctetur pœnitentia, et secundum ordinem canonum, pro merito suo excommunicetur, et reconcilietur. »

VI. Hic episcopi instaurari usum pœnitentiæ publicæ, qualis olim obtinuerat in Ecclesia, aliud nihil poscunt, nisi ut ii, qui publicum delictum admiserunt, publicam pœnitentiam agant. Itaque moris non erat veteris Ecclesiæ excommunicare propter quævis peccata mortalia, sed propter ea duntaxat, quæ palam innotuerant. Alioquin Patres illi a se ipsi dissensissent in eo, quod aggressi restituere pœnitentiam, ad exemplar antiquorum canonum, rem non perfecissent, cum satis haberent ei subjicere sola peccata publica.

Concilium Rhemense 2. quod congregatum fuit eodem anno Domini nostri 813. præripit nobis omnem occasionem dubitandi, an fuerit duplex pœnitentia, una publica, altera privata. Vult enim Canon 13. « Ut discretio ser-

[1] Tom. 2. Bibl. P. col. 121.

vanda sit inter pœnitentes, qui publice, et qui absconse pœnitere debent. » Falsum est ergo pœnitentiam illam publicam erga omnis generis peccata mortalia usitatam fuisse in Ecclesia usque ad duodecimum seculum, ut existimavit Arnaldus.

CAPUT QUINTUM.

Aliud argumentum, ex quo liquet fuisse pœnitentiam non tantum publicam, sed etiam arcanam : ex eo ductum, quod clerici essent immunes pœnitentiæ publicæ, qui tamen, si gravius delinquerent, pœnitentiæ subjiciebantur, quam proinde privatam esse oportebat. Pœnitentes proprie dictos fuisse eos, qui pœnitentiam publicam subibant.

I. Habemus et aliud argumentum, quo confirmatur arcana pœnitentia peccatorum mortalium, quo cuivis non plane judicio destituto satisfieri queat. Petitur autem ex consuetudine quadam veteris Ecclesiæ, cujus antea memini, et quæ pertinebat ad clericos. Hisce enim nulla erat pœnitentia publica, sicut probavimus testimoniis Patrum, quibus possumus nunc adjicere locum Origenis, qui in lib. 3. contra Celsum Epicureum, scribit (1) eos, qui post baptismum in grave peccatum delapsi erant, non potuisse amplius ecclesiasticum munus ullum consequi.

II. Attamen constat, clericos post admissum peccatum satisfecisse, eamque satisfactionem dictam *Pœnitentiam*, et *sæpe* etiam *pœnitentiam arcanam*, vel *privatam*. Prius nos docet canon 4. concilii Arausionensis 4. qui sancit, « Pœnitentiam desiderantibus etiam clericis non esse negandam. » S. Bachiarius in epistola ad Januarium [1], eum arguit, quod diceret levitas, hoc est, diaconos, non pœnitentia juvari : « Sed dicis fortasse, levita est iste, qui cecidit, nec ei remedii potest medicina conferri. Erras, mi frater, etc. »

Præterea Sozomenus [2] narrat ambos Apollinares, patrem, et filium, quorum prior erat presbyter, posterior anagnostes, cum fuissent excommunicati a Theodoro Laodiceæ episcopo, pœnitentiam egisse cum lacrymis ac jejuniis, deinde reconciliatos Ecclesiæ.

Nec desunt Concilia [3], quæ definiunt pœnitentiam episcopis imponendam, aliisque sacrorum ministris, qui in Deum deliquissent.

III. Cum autem pœnitentia illa non esset publica, cujus immunes erant clerici, eam oportuit esse arcanam. Hoc nos diserte docet S. Leo in epistola 92. ubi hæc habet [4] : « Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut in diaconi gradu fuerint constituti, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, etc. Unde ejusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa. »

Ante eum concilium Carthaginense 5. vetuerat [5], « ne si quando presbyteri, vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removere, eis manus, tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur. »

Concilium Matisconense 1. damnat [6] clericos, qui vestes seculares induissent, et vestiti fuissent parum decenter, aut qui arma tulissent, ad carcerem triginta dierum, in quo pane et aqua alantur.

Narbonense [7] jubet eos relegari in monasterium per annum integrum, ibique pœnitentiam agere, si in superiores potestates ecclesiasticas insurrexerint, dictisque aut factis eas male habuerint. Idem [8] iis imponit biennium pœnitentiæ, si furtum admiserint.

IV. Omitto innumera alia Conciliorum decreta, quæ propter varia peccata pœnitentiam clericis imponunt, de quibus alibi agam. Nunc hoc unum probare aggressus sum, fuisse aliam pœnitentiam præter publicam, erga peccata mortalia; quoniam clerici, qui

(1) Pag. 147. Εἰς οὐδεμίαν ἀρχὴν καὶ προστασίαν τῆς [illegible] ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταλέγοντες τοὺς φθάσαντας μετὰ τὸ [illegible] τῷ Λόγῳ [illegible].

[1] Bibl. PP. T. 5. col. 123. — [2] Sozom. Lib. 6. c. 25. — [3] Emer. c. 7. Tolet. 1. c. 8. et 9. — [4] Inquis. 2. — [5] Can. 11. — [6] Can. 5. — [7] Can. 5. et 6. — [8] Can. 8.

sæpe pœnitentiæ suberant, eam non agebant palam.

Erat pœnitentia seu satisfactio arcana, ad quam admittebantur etiam laici, ad expianda vulgaria peccata mortalia, quæ nec publica erant, nec scandalosa; ut perspicue ostendimus testimoniis manifestis, et præsertim S. Eligii.

Concilia, et SS. Patres, dum agunt de pœnitentia, et pœnitentibus, aliquando distinguunt hæc duo genera, cum docent vere ac proprie dictos pœnitentes fuisse eos, qui pœnitentiam coram omnibus agebant. In hosce enim cadebant omnes pœnæ, et censuræ constitutæ Canonibus pœnitentialibus; qualis fuit irregularitas, et infamia canonica: non in eos, qui clam pœnitentiam agebant.

V. Sic concilium Toletanum 1. can. 2. postquam vetuit in clericatum admitti eos, qui antea pœnitentiam subiissent, sequentibus verbis ostendit, quos intelligat. « Eum vero, inquiunt Patres, pœnitentem dicimus, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altari. » Ex quibus verbis colligimus contra novos Pœnitentiarios, omne peccatum mortale non fuisse obnoxium pœnitentiæ publicæ, sed tantum atrociora.

Augustinus pariter Epistola 108. « Agunt, *inquit*, etiam homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, et postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi, qui proprie pœnitentes appellantur. » In libro de Fide et operibus cap. 26. quod citavimus, similiter *Pœnitentium* nomen ad hosce solos refert.

CAPUT SEXTUM.

Tempore S. Augustini omnia peccata mortalia expiata non fuisse pœnitentia publica. Argumenta Arnaldi explicata, et repulsa; et primum quidem id, quod deducit ex duobus generibus, et nominibus peccatorum mortalium, et venialium. Nomen mortalis peccati varie sumi. Quænam sint peccata mortalia, de quibus agit S. Pacianus.

I. Perspicue, nisi fallor, ostendi tempore Augustini, hoc est, primitivæ Ecclesiæ, ex Arnaldi sententia, et seculis sequentibus, quibus pœnitentia publica in Ecclesia observata est, non fuisse eam impositam omnibus peccatis mortalibus, sed tantum gravioribus, et quibus inerant hæ duæ circumstantiæ, ut essent et publica, et scandalosa; aliorum vero peccatorum causa fuisse satisfactionem privatam, et arcanam, post confessionem editam apud episcopum, aut apud presbyterum ejus vicarium.

Quod non eo dico, quasi non licuisset fidelibus pœnitentiam publicam agere propter arcana peccata: quod colligere licet ex S. Basilio can. 61. eorum, quos misit ad Amphilochium, et S. Ambrosio lib. 1. de Pœnitentia, cap. 16 Sed sponte sua eam subibant pœnitentiam, ut et alii, qui nullo admisso peccato, præ humilitate, utque corpus suum macerarent, numero pœnitentium publicorum adscribi cupiebant. At hinc nullum duci potest consectarium, neque res hæc haberi instar canonicæ constitutionis, ut putat Arnaldus; qui contendit omne peccatum mortale, sine exceptione ulla, pœnitentiam publicam subiisse.

II. Argumenta autem, quæ profert ad confirmandum illud paradoxum, non tantum non sunt conferenda cum iis, quibus opinionem contrariam probavimus; sed sunt levia, ac solutu facilia, si adhibeatur vel minima attentio conjuncta cum mediocri cognitione antiquitatis, lectione SS. Patrum et Conciliorum comparata.

Profert primo loco [1] discrimen peccatorum ab antiquis Patribus constitutum, et varia nomina iis imposita; cum nonnulla vocent *magna peccata*, *graviora*, *mortalia*, *lethalia*, *mortifera*, *damnabilia*, ac præsertim *crimina*, *etc.* alia vero *venialia*, *leviora*, *minuta*, *parva*, *quotidiana*, *delicta justorum*, *quorum*

[1] Par. 2. c. 4.

fraudibus nullus immunis est, et quæ meliorum operum compensatione curantur.

Hæc cum ita sint, inde colligit, a veteribus duo tantum genera peccati esse constituta, mortale, et veniale. Deinde, quia Patres, cum docent qui satisfacere possumus pro utroque illo genere peccati, censent mortalia quidem expianda esse pœnitentia publica, venialia vero precibus, aliisque bonis operibus; putat peccatum nullum mortale immune fuisse hujus pœnitentiæ.

III. Cui objectioni respondemus primum, parum interesse scire, quo nomine vocentur peccata, anve ea, ob quæ homines gratia Dei excidunt, dicantur *peccata mortalia*, vel *crimina;* modo Patres aliis locutionibus doceant, cum omnia peccata mortalia non sunt paria, illa easdem pœnas non dedisse: adeo ut nonnullorum sat gravis pœna haberetur pœnitentia vulgaris, et arcana, aliis vero imponeretur pœnitentia publica, quia non modo erant vulgaribus majora, sed etiam publica, et scandalosa. Hanc enim rationem afferunt SS. Patres, et Concilia, ut antecedentibus capitibus ostendimus auctoritate S. Augustini, et aliorum, qui aperte commemorant duas illas circumstantias peccati mortalis, ob quas subjiciebatur pœnitentiæ publicæ.

Sic S. Augustinus [1] ait esse crimina gravia, et propter quæ tamen non est desperandum; sed pœnitentiam eorum agendam, eamque publicam, si sint publica, sique ita antistiti, seu sacerdoti videatur.

IV. Præterea respondemus, quemadmodum nomina, *peccati*, et *peccatoris* significant interdum universe omne delictorum genus, eorumque a quibus admittuntur; interdum peccata insigniora, majoresque peccatores; cum Scriptura vocet idololatriam [2] *peccatum Jeroboami*, et nomine peccatoris intelligat hominem, cujus vita est scandalosa, et infamis insigni quopiam delicto, ut cum Judæi Dominum nostrum vocabant *peccatorem:* sic etiam veteres Patres nomina *criminis*, et *peccati mortalis* nunc quidem imponere quibusvis delictis, quibus vita spiritualis gratiæ extinguitur, nunc vero enormibus delictis, atque inusitatis. Cujus rei aliquot subjiciam exempla.

V. S. Pacianus Barcinonensis episcopus in *Parænesi* ad pœnitentes, distinguit crimina a peccatis. Cum enim ei agendum esset de pœnitentia, quam Novatiani negabant esse in potestate Ecclesiæ; circa nonnulla peccata, de quibus posthac agemus, hæc habet [3]: « Primum igitur, ut diximus, de modo peccantium retractemus sedulo requirentes, quæ sint peccata, quæ crimina; ne quis existimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscreta pœnitendi lege constringere. »

Postea dicit sub veteri Testamento distincta non fuisse peccata magna aut parva, sed omnem Mosaicæ legis transgressionem summo rigore pœnas dedisse: sub lege vero gratiæ graviora delicta a levioribus esse distincta; Deumque priora redegisse ad exiguum numerum, nimirum trium, quæ memorant apostoli Act. 15. in epistola synodi Jerosolymitanæ, et quæ sunt idololatria, homicidium, et fornicatio. « Ista sunt, *inquit*, capitalia, fratres, ista mortalia. »

VI. Tum mentem suam explicaturus addit, vocari ea peccata mortalia, quia Joannes 1. ep. c. 5. scribit esse homines, qui peccant *ad mortem*, hoc est, peccata mortalia admittunt: pro quibus Deum orari vetat, quia voce *mortalia* intelligit scelera inusitata, digna exclusione a corpore Ecclesiæ, ac excommunicatione, quæ est mors canonica; propter quam, qui ei suberant, excludebantur precibus, et meritis Ecclesiæ, ut antea ostendimus.

Hæc oratio Paciani ostendit verum id esse, quod antea observari de nomine *peccati mortalis*, sumpto interdum pro graviori scelere, quod creat non tantum mortem spiritualem, quod ei commune est cum ceteris peccatis mortalibus, sed etiam mortem canonicam. Sic docent jurisconsulti, præter mortem naturalem esse aliam, quam vocant civilem, quale est exilium perpetuum. Vide L. 29. §. *Et quid tantum, D. de liber. et post.* et *L.* 4. §. *Si deportatus D. de bon. libert.*

VII. Itaque sanctus ille vir restringit appellationem peccati mortalis ad tria illa, propter quæ paulo ante Tertulliani ætatem delinquentes ecclesia, et communione in perpetuum ejiciebantur; quod usitatum non erat primo seculo, ut antea observavimus. Unde sequitur reliqua peccata, quæ vere mortalia dicuntur, non esse ejus generis, de quo locutus est Pacianus.

Itaque possumus statuere duo esse genera peccatorum mortalium, pro variis rebus, de

[1] Enchir. c. 65. — [2] 3. Reg. 16. 19.

[3] Tom. 3. Bib. PP. col. 70.

quibus sermo erit. Si enim loquamur de gratia, quam peccatum in animo nostro extinguit; omne peccatum, cujus est is effectus, vulgo *mortale* vocatur. Sed si spectemus alterum illum effectum, qui situs est in exclusione a communione, et a participatione meritorum, et precum Ecclesiæ; omnia ea peccata non sunt dicenda mortalia, sed quædam tantum, quæ ab Ecclesia ad mortem canonicam damnata sunt.

CAPUT SEPTIMUM.

Amplior declaratio loci Paciani, capite superiore prolati; quo videtur omnis spes veniæ præcidi iis, qui certis criminibus capita sua obstrinxerint. Quod ut melius intelligatur, hæresis Montanistarum, et Novatianorum explicatur. Duo genera peccatorum secundum Tertullianum, quorum alia sunt mortalia, alia secus. Quare priora mortalia dicantur.

I. Locus Paciani allatus, cum sit eximius, prætereaque obscurus, et difficilis, dignus est, qui a nobis attentius consideretur, ut ex eo lucem aliquam rei, de qua agimus, fœneremur.

Prima fronte mirum videtur eum omnem præcidere spem remissionis ac reconciliationis iis, qui affines fuerint unius trium illorum criminum, idololatriæ, homicidii, aut fornicationis: postquam enim usus est distinctione a me superiori capite allata, ait eos, qui rei sunt *capitalium*, vel mortalium peccatorum, paucos esse numero; nec remedium ullum iis superesse, quemadmodum levioribus, quæ possunt bonis operibus, virtutibusque contrariis expiari.

II. Deinde [1] sibi hanc proponit quæstionem, *quid ergo, moriendum est?* Hoc est, nullumne est remedium iis, qui in ejusmodi peccata delapsi sunt? Cui quæstioni sic respondet, quasi nulla spes superesset: « Hæc, *inquit*, quicumque post fidem fecerit, Dei faciem non videbit. Desperavere tantorum criminum rei. Quid vobis ego feci? Numquid non fuit in potestate, ne fieret? Nullusne admonuit? Nemo prædixit? Tacuit Ecclesia? Nihil Evangelia dixerunt? Nihil apostoli comminati sunt? Nihil rogavit sacerdos? Quid quæritis sera solatia? Tunc decuit, cum licebat. » Hæc verba ceteraque, quæ subjicit, sunt plena desperationis erga eos, qui conscii erant trium illorum peccatorum mortalium. Quod difficile est creditu. Si enim hæc esset ejus sententia, faveret hæresi Novatianorum, a qua quam longissime abfuit, quam oppugnavit, et acriter confutavit tribus epistolis, quas ad Sympronianum dedit.

III. Ut hæc melius intelligantur, eademque opera magis illustretur potissimum nostrum argumentum, tenendum est, Novatianum conditorem sectæ de ejus nomine cognominatæ (qui vocatur a S. Ambrosio *Novatus*, errore qui ei communis est cum nonnullis Græcis) cum Stoicus esset, convenienter sectæ suæ, quæ omnia peccata paria esse volebat, nullum patiebatur recipi ad communionem, qui peccatum quodvis admisisset; negabatque rem esse in potestate Ecclesiæ, sed a solius Dei arbitratu pendere contendebat.

Verum successores ejus, et asseclæ remiserunt deinde aliquid de illo nimio rigore, distinxeruntque peccata mortalia in leviora, et atrociora; et posteriora sola nunquam remittenda esse dictitabant. Quod illis exprobrat Ambrosius loco laudato, hisce verbis: « Sed aiunt, se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatus, qui nemini pœnitentiam dandam putavit; ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret, ne ligando sperari a se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda a vobis putetis, et quæ sine remedio esse arbitremini. »

IV. Montanistæ ante Novatianos usi fuerant distinctione peccatorum *remissibilium* et *irremissibilium*, ut loquar cum Tertulliano; qui

[1] Paræn. ad Pœn. T. 3. Bib. PP. col. 71.

cum infeliciter in eam hæresim delapsus esset, multis ea de re agit in libro de Pudicitia. Confirmat autem eam distinctionem loco Joannis 1. ep. c. 5. ubi dicuntur nonnulla peccata esse ad mortem.

Ea distinctione peccatorum conatur in concordiam revocare loca Joannis, quæ pugnare videntur [1]; ut cum negat quemquam posse dicere *se esse sine peccato*, 1. ep. 1. 8. alibique hortatur Christianos, ne peccent; *Omnis enim*, inquit, *qui natus est ex Deo, non peccat;* cap. 5. 18. Quæ Tertullianus recte dici observat, « quod sint quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes sumus objecti. » Inter quæ delicta recenset, non tantum venialia, sed etiam mortalia nonnulla peccata: « Cui enim, *inquit*, non accidit, aut irasci inique et ultra solis occasum, aut et manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia aut necessitate mentiri? In negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur? etc. » Paulo post subjicit: « Sunt autem et contraria istis, et graviora, et exitiosa, quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia utique, et mœchia, et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei. » De hisce intelligit Tertullianus Joannem, cum natum ex Deo negat peccare; quod facit ad id, quod antea dixi, voce *crimen* interdum scelus atrocius significari.

V. Itaque ex Tertulliani sententia, quæ consentanea est hæresi Montani, nonnullis peccatis ex gravioribus nunquam venia concedenda erat, nec Ecclesiæ eorum remittendorum potestas erat. Ideo vocabantur *mortalia*, quia qui ea admiserat, necessario moriebatur *morte canonica*, vel *ecclesiastica;* alia vero non tam atrocia, quamvis essent ex eorum numero, quæ nunc mortalia a nobis vocari solent, quia nobis eripiunt vitam gratiæ, poterant veniam consequi, et qui iis inquinati erant, redibant ad communionem per viam pœnitentiæ.

Idem Tertullianus explicat clarius discrimen duorum illorum generum peccati cap. 21. ubi hæc habet [2]: « Quis enim dimittit delicta, nisi solus Deus? et utique mortalia, quæ in ipsum fuerint admissa, et in templum ejus? Nam tibi, quæ in te reatum habent, etiam septuagies septies juberis indulgere in persona Petri. » Templum Dei est corpus humanum, quod polluit, exempli causa, adulterium, aut fornicatio. At homines debent ignoscere peccatis aliorum erga se, prout Dominus jussit Petrum ignoscere ei, qui ipsum læsisset innumeris vicibus.

Hinc intelligimus summam hæreseos Cataphrygum, vel Montanistarum, quam secuti sunt Novatiani, ut prodidit S. Ambrosius, cum quo consentit S. Augustinus lib. 1. hom. 27. c. 3.

VI. Postremo idem Tertullianus cap. 11. nos docet eam severitatem erga crimina nonnulla, quorum rei in perpetuum expellebantur ex ecclesia, et communione ita, ut relinquerentur soli misericordiæ divinæ; et pœnas aliorum peccatorum, quæ pendebant a potestate clavium, intromissas demum fuisse post mortem Christi.

Verum ostendimus lib. 1. c. 6. falsam hanc esse opinionem, et per totum seculum primum, et maximam partem secundi eam severitatem ignotam fuisse, omniaque peccata fuisse remissibilia. Præterea probavimus, severam illam disciplinam institutam fuisse paulo ante tempora Tertulliani, ut testatur papa Innocentius I. in ep. 3. eamque cœpisse remitti ætate ipsius Tertulliani; et præsertim circa ætatem Cypriani, cum hæresis Novatianorum cœpit innotescere.

VII. Dum autem usa est Ecclesia ea distinctione peccatorum, quorum alia quidem erant irremissibilia, alia vero pœnitentia expiabantur, constat, ea, quæ vulgo *ad mortem*, vel *mortalia* dicebantur, non fuisse complexa omnia, quæ eo nomine a nobis vocantur, sed tantum ea, ad quæ respexerat S. Joannes in loco laudato e. 1. epist. canonica; qui fons est antiquæ distinctionis peccati *mortalis*, ac non *mortalis*, aut *venialis*, eo sensu quem dixi, ita ut spectetur potestas Ecclesiæ a Christo concessæ ligandi, et solvendi, absolvendi aut retinendi peccati. Quam potestatem coercuit, aut exseruit, pro sua prudentia, et prout tempora postularunt, ut recte observavit Innocentius I. in memorata epistola.

Quin et diligenter animadvertendum Tertullianum ipsum cap. 22. de Pudicitia, fateri, Ecclesiam posse remittere peccata, quæ ipse judicavit ac vocavit irremissibilia; quamvis eam potestatem tribuat soli Ecclesiæ Montanistarum, quæ sola novum Paracletum, et recentiores prophetas habebat. Qua in re scriptor ille delirat, ostenditque magnam

[1] De Pudic. c. 19.

[2] De Pudic. c. 21.

judicii ac ingenii imbecillitatem, ut solet in omnibus disputationibus, in quibus fidem catholicam oppugnat.

VIII. Nunc, ut ad locum Paciani revertamur, observandum, quamvis Ecclesia a tempore S. Cypriani plane remisisset priscam severitatem, sustulissetque discrimen peccatorum remissibilium, et irremissibilium ita, ut quodvis peccatum absque exceptione remitteretur interveniente pœnitentia; attamen gravissime punita ea delicta, quæ antea irremissibilia fuerant. Neque is rigor ubique par erat in singulis Ecclesiis, sed major, aut minor, pro varietate gentium, ac ingeniorum, aut pro necessitate temporum. Quam in rem etiam non parum faciebat indoles eorum, qui Ecclesias regebant, hoc est, presbyterorum, et episcoporum; quorum alii austeriores ac procliviores ad severitatem natura fuere, alii vero mitiores ac clementiores.

IX. Hinc ortæ varietates, quæ occurrunt in singularum Ecclesiarum canonibus, et constitutionibus; quarum nonnullæ sunt duriores ac rigidiores ad conservationem disciplinæ, aliæ vero mitiores et clementiores erga peccatores. Canones Eliberitani concilii in Hispania insignes sunt severitate, quæ videtur esse nimia. Constituunt enim severissimas pœnas multis peccatis, et præsertim quidem tribus criminibus, de quibus superioribus capitibus egimus. Jubent enim eos, qui commiserint idololatriam, homicidium, aut peccata carnis, [1] arceri a communione, et [2] ab ecclesia per totam vitam, imo vero [3] moribundos sine remedio deseri.

X. Quod attinet ad alias Synodos, quamvis rigori modum imposuerint in eo, quod voluerint communionem, absolutionemque moribundis negari, quodcumque peccatum admisissent; attamen, ad cetera quod attinet, æque inexorabiles fuerunt nonnullis criminibus, ac præsertim tribus illis, quorum sæpe meminimus, et quorum reos nonnisi moribundos reconciliari voluerunt.

Possem hic proferre multos canones, hujusce veritatis testes; sed eruditi, et quicumque operam dant cognitioni harum antiquitatum, plus satis invenient. Speciminis causa, vide Ancyr. can. 23, Basil. ad Amphilochium 73, concil. Arelatensis 1. can. 14, Toletani 1. can. 18.et 19. Valentini can. 3, Ilerdensis can. 1, Remensis can. 9, Siricii ep. 1. can. 5. et 6. et 16, Toletani can. 3.

XI. Summus ille rigor, cui suberant sontes memoratorum criminum, diuturnitas pœnitentiæ, austeraque ac difficilia ejus officia, præter ignominiam concoquendam, sine ulla spe finis ullius, nisi qui vitæ ipsius futurus esset; omnia hæc, inquam, faciebant ut vulgo ejusmodi homines haberentur desperati ac conclamati; ferme quemadmodum cum antiquioribus temporibus etiam moribundi a communione excluderentur. Non multum discriminis inter duas hasce conditiones, ex sententia quidem plebis, interesse videbatur.

Quamvis vero non semper, neque ubique tam severa obtineret consuetudo, ut fructus pœnitentiæ ad mortem differretur, attamen satisfactio difficillima, et multorum annorum ab iis postulabatur, adeo ut ferme intoleranda esset.

XII. Quamobrem cum Pacianus agit de ejusmodi delinquentibus, videtur eos habere pro conclamatis, atque, ut ita loquar, ecclesiastice mortuis. Solent enim dici civiliter mortui quicumque in perpetuum aut in longum tempus exciderunt jure civitatis, atque exilio e societate sunt ejecti. Similiter quisquis scelerum causa exclusus erat in totam vitam, aut in maximam ejus partem, ex communione fidelium, habebatur mortuus morte ecclesiastica, quatenus non amplius se gerebat quasi Ecclesiæ filium, nec fruebatur ullo jure fidelium; quamvis instante morte, aut diu post delictum communioni restitueretur.

XIII. Ad hanc sententi m nos deducit oratio Paciani, si eam propius contemplemur; quandoquidem postquam invectus est in eos, qui eorum scelerum pœnitentiam agebant, negavitque ullam iis esse remissionem, et dixit nimis sero eos de re cogitasse; tamen eos solatur, atque hæc habet: « Accipite remedium, si desperare cœpistis, si miseros vos agnoscitis, si timetis; » nimirum, pœnitentiam.

Is est, meo judicio, verus ac commodissimus sensus, qui possit tribui verbis Paciani; quæ mihi semper visa sunt intellectu difficillima, quanquam magno nobis usui sint ad constituendam naturam peccatorum, quæ singulari ratione a veteribus *mortalia* dicta sunt, non ut hodie solemus, sed eo modo, quem antea dixi.

[1] Can. 15 et 23. — [2] Can. 6. et 63.

[3] Can. 7. 8. 12. 18.

CAPUT OCTAVUM.

Absurditas sententiæ Arnaldi. Quid sit crimen. A Gabriele Albaspinæo Aurelianensi episcopo damnatam sententiam Arnaldi, atque agnita duo genera pœnitentiæ peccatis mortalibus impositæ. Locus Tertulliani male intellectus ab eodem Arnaldo, et explicatus. Quid sit exomologesis.

I. Arnaldus, postquam elegit novæ disciplinæ Ecclesiæ primitivæ exemplar eam, quæ vigebat temporibus SS. Basilii, Ambrosii, et Augustini, satis habebit, nos probasse, illo ævo pœnitentiam publicam impositam fuisse solis peccatis publicis, et scandalosis: non omni generi peccatorum mortalium, etiam arcanorum, et cogitatione sola admissorum. Quod longe absurdissimum est, si existimemus omnes, qui confitebantur peccata mortalia sola mente admissa, necesse habuisse eorum pœnitentiam publicam agere, ut contendit Arnaldus.

Ei, præter jam dicta, opponemus sententiam Pauli Orosii in Apologetico, ubi distinguit *peccatum* a *crimine* hisce verbis : « Peccatum enim cogitatio concipit, crimen vero nonnisi actus ostendit. » Igitur, cum putet Arnaldus pœnitentiam publicam fuisse duntaxat criminibus impositam ; non poterat trahi ad peccata in cogitationibus sita, ac proinde omnia peccata mortalia non complectebatur.

II. Idem hoc institutum Arnaldi, quo exemplar pœnitentiæ publicæ desumi voluit duntaxat ex fine quarti seculi, atque initio quinti, evertit universum ejus consilium, et quod affirmat confutat. Eo enim ævo, et sequentibus seculis, erant duo genera pœnitentiæ, unius publicæ, alterius arcanæ. Quod quamvis satis evicerimus antecedentibus capitibus, nunc confirmabimus testimonio ipsius Arnaldi, qui [1] utitur auctoritate Gabrielis Albaspinæi episcopi Aurelianensis, τοῦ μακαρίτου, ad defendendam opinionem suam, sola pœnitentia publica peccata omnia mortalia cum publica, tum arcana, et occulta expiata fuisse.

Certum est autem, Albaspinæum scripsisse [2], quamvis tempore Tertulliani una duntaxat esset pœnitentia omnibus peccatis, attamen quarto seculo, et sequentibus duas fuisse institutas. Itaque immerito Arnaldus vult restituere pœnitentiam publicam omnibus peccatis mortalibus, si, florente Ecclesia primitiva, ad quam se cupit componere, erat pœnitentia arcana peccatis arcanis.

III. Quod vero attinet ad tempus Tertulliani, Arnaldus nullum habet argumentum, quo probet omnia peccata, etiam arcana, fuisse pœnitentiæ publicæ obnoxia ; rationesque, quas profert, infirmissimæ sunt.

Una earum rationum [3], inde est desumpta, quod Tertullianus [4] invehatur in eos, qui, postquam in Deum deliquerant, ægre tamen adducebantur ad pœnitentiam palam agendam : « Velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medicorum vitant, et ita cum erubescentia sua pereunt. » Paulo post subjicit : « Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus. Adeone existimatio hominum, et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam ignosci ? » Hisce verbis adductus est Arnaldus ad credendum, a Tertulliano « proponi pœnitentiam, de qua agit, quasi remedium necessarium omnibus peccatis mortalibus, etiam iis, quæ sunt occulta. »

IV. At ea collectio nimis contorta est, Arnalde, ratiocinatioque nimis prava, quam ut credere possimus te animo attento hæc scribere. Vide, quæso, quot rationibus argumentum tuum irritum facturi simus.

Primum, colligere non potes ex hoc Tertulliani loco, omne peccatum mortale sine exceptione pœnitentia publica expiandum fuisse. Quod tamen tibi probandum, nisi velis frustra tempus terere, et fidem lectori datam fallere. Peccata arcana, quæ sola mente admittuntur, possunt recte hic excepta intelligi, quamvis locum intelligeremus prout vis, concederemusque peccatorum arcanorum pœnitentiam publicam actam fuisse. Neque enim dicit Tertullianus sic expiata fuisse

[1] Par. 2. cap. 3. — [2] Lib. 2. Observ. 6. p. 2. in fine. [3] Part. 2. cap. 3. — [4] De Pœnit. c. 10.

omnia omnino ejus generis peccata. Satis ergo erit, ut verum dixisse videatur, si tibi concedamus nonnulla peccata arcana satisfactioni publicæ fuisse obnoxia. Respondebimus ea sola ex peccatis arcanis, quæ prodita fuerunt, has tulisse pœnas; non quæ in animo manserunt, nec unquam exsecutioni mandata fuerunt.

Imo vero ne hoc quidem tibi concedetur, omnia peccata arcana, quanquam executioni mandata, obnoxia fuisse illi pœnitentiæ; sed tantum graviora, eaque quibus canones certam pœnam constituerunt.

V. Præterea non ignoras evidentiæ delicti, quam canonici juris doctores *notorietatem* vocant, plures fuisse gradus; delictaque paucioribus, aut pluribus esse nota : nonnulla etiam omnibus plane innotuisse; qualia sunt ea, de quibus concilium Carthaginense 3. can. 32. quo jubentur ii, quorum notissima sunt delicta, reconciliari impositione manuum in frequentissimo Ecclesiæ loco. Itaque Tertullianus posset intelligi de peccatis mortalibus, quæ debebant satisfactionem publicam Ecclesiæ, et quæ, cum innotuissent aliquot hominibus, ac proinde non prorsus essent arcana, eatenus tamen arcana habebantur, quod maximæ parti Ecclesiæ ignota essent.

Igitur id, quod cupis, ex Tertulliani loco non colliges; nimirum, omnia peccata mortalia, publica, arcana, ne exceptis quidem iis, quæ animo admittebantur, veniam ope solius pœnitentiæ publicæ esse consecuta.

VI. Sed vera sententia Tertulliani, quam minime intellexisti, alia complectitur, nec quidquam prodest ad confirmandum tuum institutum, fulciendamque pœnitentiam istam, quam jactas ignaris, quasi in Ecclesia primitiva receptam.

Eo in loco agit Tertullianus de satisfactione publica, quam *exomologesin* vocat, hoc est *confessionem*, quæ non tantum sita erat in verbis, sed præsertim in actionibus, et officiis pœnitentiæ externis, ut secundo libro ostendimus. Talia erant, prodire in publicum indutum cilicio, et veste pœnitentis, advolvi pedibus omnium ad introitum ecclesiæ; aliaque exercitia humilitatis, et macerationis, quæ eam disciplinam necessario comitabantur.

Hæc erat ratio ignominiæ, quæ multos ab ea avertebat, quippe qui abhorrebant a sui publicatione, ut loquitur Tertullianus, cujus sunt hæc verba [1] : « Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis. »

VII. Igitur in hac publica humilitate sita erat *publicatio* peccati, quamvis arcanum non esset, sed multis notum; quæ non est ita intelligenda, quasi mera patefactio rei antea ignotæ, sed quasi rei notæ professio publica. Quamobrem vocabatur, ut dixi, *exomologesis*, vel *confessio*. Quemadmodum enim confessio, quæ ore fiebat, erat patefactio cogitationis, vel delicti quod commissum fuerat, ut uni homini innotesceret; sic luctuosæ illæ pœnitentium actiones, quibus oculi spectatorum sacro horrore plectebantur, erant testimonia conspicua, quibus peccatum antea non omnibus notum innotescebat omnibus.

VIII. Quemadmodum autem metus, aut pudor linguam sæpe vinciunt, impediuntque, ne fateatur delictum quod negare non potest, quippe omnibus notum; sic æque difficile, aut difficilius etiam erat rebus ipsis delictum fateri, hoc est exercitiis pœnitentiæ, quamvis omnibus certo innotuisse non ignoraretur.

Idem quotidie animadvertere licet in curatione morborum corporeorum, quibus laborantes permulti non sustinent ostendere medicis vulnera, atque ulcera arcana, quamvis norint ea illis esse notissima. Itaque male citatur locus Tertulliani ad probandum etiam arcanis delictis pœnitentiam publicam impositam fuisse.

Ceteræ rationes, quas coacervat Arnaldus, ut extorqueat a Tertulliano, unam fuisse omnibus peccatis mortalibus pœnitentiam, tam infirmæ sunt, ut frustra tempus terat, qui eas confutare aggrediatur.

[1] De Pœnit. c. 10.

CAPUT NONUM.

Locus Origenis perperam ab Arnaldo intellectus. Ab Origene duo genera peccatorum mortalium constitui. Summa absurditas, quæ ex opinione Arnaldi sequitur.

I. Vitium est, quo sæpe laborant semidocti, ut temeraria ferant judicia, et veri speciem cum veritate ipsa misceant, quod aut judicio, aut necessaria animi attentione sint destituti. Arnaldus sæpe eo modo peccat, et quemadmodum antea ostendimus hallucinatum eum esse in interpretatione loci Tertulliani, demonstrabimus eum errasse in explicatione verborum Origenis [1], quæ profert super distinctione peccati mortalis, et venialis.

Origenes homilia 15. in Leviticum allegorice pro more suo explicans id, quod præcipit Deus populo suo Levit. 25. 29. ut si quis vendidisset domum, ei annus concederetur, intra quem posset, si ita videretur, mutare consilium, redditoque pretio redire in pristinam possessionem; præcepto sensum moralem tribuit, idque aptat ædificio spirituali, quod excitamus in animo nostro, et quod peccato mortali diruitur, ac deletur.

II. Sic autem comparationem suam exprimit [2]: « Sed quoniam accidere solet, ut etiam qui bene ædificaverit, et domum sibi cœlestem bene agendo, et bene vivendo, ac recte credendo construxerit, incurrat alicujus peccati debitum, et hanc crudelissimo fœneratori venumdare cogatur, ac labores suos transfundere in alium, etc. » ideo lex ante anni finem jus redeundi concessit; quod fit pœnitentia, quam comitantur lacrymæ, et bona opera, quibus recuperamus prædium, quod alienaveramus.

Paulo post ita pergit : « Istas ergo domos, si forte alicui, sicut supra exposuimus, lapsus acciderit, semper est recuperandi facultas. Ut verbi gratia dicamus, si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ muro ecclesiastici et apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hoc est vendidisse domum, quæ in agro est. »

III. Ex hisce verbis colligere possemus omne peccatum mortale non esse crimen, quoniam illa distinguuntur ab Origene, qui sic pergit : « Hæc ergo venditio, hujusmodi culpa semper reparari potest; nec aliquando tibi interdicitur, de commissis hujusmodi pœnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus semel tantum vel raro pœnitentiæ conceditur locus; illa vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, et sine intermissione redimuntur. » Quod Arnaldus negat, duoque contra affirmat. Prius quidem est Origenis locum, cum sit corruptus, emendandum esse, et pro *culpa mortalis*, legendum *culpa moralis;* alterum vero, *peccata* illa *communia*, quæ Origenes confert cum *criminibus mortalibus*, esse peccata venialia, cum *criminum* nomen complectatur omnia mortalia.

Sed ne loquar de critica emendatione vocum, de qua nihil affirmare licet, donec prodierit græcus contextus; contendo in natura duorum illorum generum peccatorum vehementer hallucinari Arnaldum, nec attendere orationem Origenis, quæ ei plane contraria est.

IV. Peccata enim, quæ ab Origene dicuntur *communia,* et in quæ sæpe incurrimus, ea sunt, quæ effinguntur domo vendita, et redimenda, si modo velit et possit venditor. Peccata enim, et debita cogunt hominem vendere domum suam creditori inhumano, et cujus sævitia aliter se expedire non potest, nisi lacrymis, et molestiis pœnitentiæ. Verba Origenis liquido ostendunt esse peccata mortalia, quæ *communia* vocat, hoc est, frequentiora in vita communi, et apud populum, ut ea distinguat ab aliis peccatis, quæ graviora cum sint, publicaque, et scandalosa, satisfactione publica debent expiari.

V. Hanc autem fuisse mentem Origenis, liquet ex collatione, quam eo in loco instituit inter duo hæreditatum genera, et duo genera peccati. Cum lex Levit. 25. 29. distinguat domos, quæ erant in urbibus munitis, ab iis, quæ erant in vicis pagisque apertis, vult redimi priores posse intra annum; quo tempore nisi redimantur, eas in perpetuum remanere ei qui eas emisset, ita ut venditor in eas anno

[1] Arn. p. 2. cap. 4.

[2] Pag. 109. B.

Jubilæo redire minime posset. Verum quod attinet ad eas, quæ ruri erant, locisque apertis, jus redemptionis remanere vult, et anno quidem quinquagesimo, qui Jubilæus erat, in eas veteres possessores redire.

Origenes hæc aptans memoratis peccatis, existimat, alienatione domuum, quæ sunt ruri, significari frequentiora peccata; quæ pœnitentia possunt redimi, quoties videtur, et facilius remittuntur. At peccata atrociora, quæ ab eo vocantur *graviora crimina*, non tam facile remissionem impetrant. Quemadmodum vero domus urbium, cum quibus illa confert, per unum duntaxat annum licebat redimere; sic crimina, quorum remedium, et veluti redemptionis pretium erat pœnitentia publica, ad hanc non admittebantur, nisi semel aut raro.

VI. Hæc cum ita sint, contendo *communibus peccatis* designari non tantum peccata venialia, ut existimat Arnaldus; sed et ea ex mortalibus, quæ frequentius admittuntur, et facilius excusari possunt. Quod confirmatur duobus argumentis. Prius est, quod Origenes tribuat eumdem effectum hisce peccatis; nempe jacturam hæreditatis, et domus, quam condideramus in cœlo, vel in terra viventium; quamvis, pro gravitate delictorum facilior, aut difficilior sit redemptio. Nec sane quisquam dixerit veniali peccato amitti hæreditatem cœlestem. Itaque necesse est alienationem domuum rusticarum respondere peccato mortali æque, ac alienationem ædium urbanarum.

VII. Alterum argumentum est, quod si *peccata communia* interpretemur tantum venialia, *graviora* vero *crimina* mortalia ex sententia Arnaldi; hinc sequetur, pro quolibet peccato mortali sive publico, sive arcano, imo vero solo animo et sola cupiditate admisso, delinquentes semel duntaxat per totam vitam ad pœnitentiam admissos fuisse. Itaque si quis unum delictum mortale admisisset, qualis fuisset *delectatio*, quam theologi vocant *morosam*, aut cupiditas vindicæ, ne loquar de malis actionibus; postquam satisfactione publica defunctus fuisset, et communioni restitutus, si postea relaberetur in eadem peccata, fuisset sine remedio, atque in perpetuum ab altari, et ab ecclesia exulasset.

VIII. Hoc consectarium longe absurdissimum deducitur cum ex certissima consuetudine Ecclesiæ primitivæ, tum ex doctrina Arnaldi. Consuetudo ea in re sita erat, quod pœnitentia publica semel duntaxat imponeretur, ut antea ostendi[1], auctoritate papæ Siricii ep. 1. cap. 5. et S. Augustini ep. 54. quibus adsentiuntur S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 10, Tertullianus lib. de Pœnitentia, Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum pag. 166. ed. Sylburgii, et alii multi.

Adde nunc hisce duo capita magni momenti in doctrina Arnaldi: quorum prius quidem est[2], omne peccatum mortale expiatum fuisse excommunicatione, aut resectione a communione: alterum vero[3], unum fuisse remedium omnibus peccatis mortalibus, et unum modum necessarium exercendæ potestatis ligandi, et solvendi, vel clavium; nimirum, pœnitentiam publicam.

IX. Ex omnibus hisce enuntiationibus manifesto colligitur, quod modo dixi, ex sententia Arnaldi, hanc fuisse consuetudinem primitivæ Ecclesiæ, si quis semel fassus esset peccatum mortale, propterea que pœnitentiam, quam publicam esse oportebat, subiisset, et postea admisisset idem peccatum, aliudve quodvis mortale, eum excommunicatum fuisse, exclusumque ecclesia per reliquam vitam, omni spe veniæ, et reconciliationis præcisa. Nam, ut demonstravimus, nunquam iterabatur pœnitentia publica, cuicumque tandem peccato mortali imposita fuisset. Igitur cum Ecclesia nullam aliam pœnitentiam haberet, quæ peccato mortali medicinam faceret; consequens est, omnem peccatorem, qui iterum incidebat in delictum mortale, exclusum in perpetuum fuisse usu Sacramentorum, Missa, ecclesia, et communione fidelium.

X. Hic est usus, quem reformatores nostrates intromittere cupiunt, atque Arnaldus instaurare nititur in opere de frequente Communione, universa Ecclesia ad eum revocata. Sed, cum hoc consilium nitatur falsissimis dogmatibus, ne quid deterius dicam; totum hoc cœptum ridiculum est, desinitque in absurda, ac insana commenta. Ostendimus enim omne peccatum mortale non fuisse obnoxium pœnitentiæ publicæ; et plerisque ejusmodi delictis, quæ nec publica, nec scandalosa erant, fuisse aliam pœnitentiam arcanam, quam agnovit Gab. Albaspinæus Aurelianensis episcopus ὁ μακαρίτης saltem seculo quarto; quod mihi satis est ad novam hanc doctrinam falsitatis arguendam.

[1] Lib. 2. c. 2. § 9.

[2] Arn. p. 2. cap. 5. — [3] Ib. c. 3. et 7.

CAPUT DECIMUM.

Locus S. Cæsarii male intellectus ab Arnaldo. Alterum argumentum, quo Arnaldus nititur probare omne peccatum mortale satisfactionem publicam Ecclesiæ debuisse. Duo genera communionis, et excommunicationis. Ecclesiam varia instituta secutam in reconciliatione delinquentium. Exemplum memorabile reconciliationis hæreticorum, eorumque, qui in peccatum carnis delapsi erant.

I. Non tantum constat, Arnalde, te vehementer errasse, cum credidisti cuivis peccato mortali, seu gravi seu leviori, seu arcano seu publico, impositam fuisse ex constitutione Ecclesiæ pœnitentiam publicam; sed etiam probationes tuas esse omnes falsas, nec ulla verisimilitudine tinctas. Hoc ostendi hactenus lectoribus, qui non plane cæcutient, aut contumaces erunt: pergamque iis oculos aperire circa argumenta potissima, quibus eam in rem uteris; ita ut nulla iis superfutura sit causa dubitandi, utrum opinio tua sit rectæ rationis perturbatio, an vero in Ecclesia sit inversio morum, et disciplinæ, quod tu scribere non dubitasti.

II. Profers [1] locum S. Cæsarii Arelatensis episcopi, qui tibi nullo modo favet. Sanctus ille vir scribit alia peccata esse levia, alia *capitalia*. Statuamus *capitalia* ab eo vocari omnia mortalia; non docet tamen omnia expianda fuisse pœnitentia publica, sed tantum scandalosa. Postquam enim dixit [2] peccata capitalia expiari oportere pœnitentia duriore, quam levia, atque addi lacrymas, rugitus, gemitus, jejunia, eleemosynas, voluntariamque remotionem a communione Ecclesiæ, subdit: « In luctu, et tristitia multo tempore remanentes, et pœnitentiam etiam publice agentes; quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat. » Hæc ultima verba, *quia*, etc. quæ videris data opera omisisse, damnant errorem tuum, in eo quod signant causam, propter quam pœnitentia publica in Ecclesia usitata erat; nimirum scandalum, quo sublato, usus ac necessitas hujus ritus cessabat. Itaque particula *etiam*, quam non satis expendisti, innuit omnia peccata mortalia non solvisse tributum illud pœnitentiæ publicæ; sed tantum ea, quæ creaverant scandalum, aut everterant quod restaurandum fuit bono exemplo: quod Scriptura solet simpliciter ædificationem vocare.

III. Aliud argumentum, vel potius alius error Arnaldi hic est [3]: « Quævis peccata mortalia mereri excommunicationem, ut loquuntur Patres, hoc est, abscissionem a communione. » Cujus propositionis possunt esse duo sensus, quorum alter plane est falsus; alter verus, sed ad rem nostram nihil facit. Hinc autem patefit infirmitas novæ hujusce doctrinæ, quæ nulla valida ratione nititur, sed defenditur duntaxat ambiguitatibus, et fallacibus consectariis; quæ primo intuitu possunt decipere, sed attentius spectata, ridicula videntur.

IV. Vox *Excommunicatio* significat proprie abscissionem a *communione*. Communio autem significat universe quodvis genus mutuæ communionis, quæ interest fidelibus, præsertim Christianæ societatis jure; quo refertur participatio Sacramentorum, precum, et meritorum. Quod complectitur caput illud fidei nostræ, quod est in Symbolo, ubi profitemur nos credere *communionem sanctorum*, quo nomine olim omnes designabantur Christiani.

Alias vocis *communio* arctior est significatio, eaque significatur tantum participatio Eucharistiæ, ut ex S. Dionysio antea observavimus. Pro duobus illis generibus communionis sunt etiam duæ excommunicationes: una generalis, qua homo fit indignus, cum quo fideles quidquam habeant commune, et quæ eo potest progredi, ut ei eripiat non tantum participationem bonorum, et officiorum spiritualium, sed etiam civilium, et humanorum; quod contingit, cum quispiam nominatim excommunicatur sententia *anathematis*, adhibitis tamen conditionibus et exceptionibus canonicis. Altera vero excommunicatio est singularis, et mera separatio ab usu Eucharistiæ.

V. Præterea notandum, cum omnis excommunicatio sit pœna, pœna autem nitatur sanctione legis; quia sunt duo genera legum,

[1] Part. 2. cap. 4. — [2] Hom. 8.

[3] Part. 2. cap. 5.

quarum unæ sunt divinæ, alteræ humanæ, ideo esse excommunicationem unam, quæ est juris divini, alteram quæ est juris canonici, et ecclesiastici.

Non agam nunc de excommunicatione generali, quæ ad rem nostram non pertinet, sed tantum de singulari, quæ est separatio ab Eucharistia, estque aut juris divini aut juris canonici. Impedimentum, ex lege divina, est tantum peccatum mortale in baptizato [1] : *Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit.* Indignitas autem sita est in delicto mortali, quod purgari debet, antequam ad communionem accedamus; non tantum pœnitentia interna, sed etiam confessione sacramentali, cum potest commode fieri, secundum doctrinam concilii Tridentini, antea allatam et explicatam.

VI. Quapropter S. Augustinus [2], multique alii Patres de pœnitentia agentes, et ratione sese disponendi ad communionem, meminerunt excommunicationis, vel separationis a sacramento Altaris, deinde reconciliationis; contenduntque eum, qui lethaliter peccavit, debere contra seipsum ferre sententiam, et abstinere a communione. Quod commune est omnibus peccatis mortalibus, quia quicumque in ea incidit, non debet eo in statu communicare, quamvis nullo canone aut præcepto Ecclesiæ vetaretur accedere ad Eucharistiam; res enim est divini præcepti, atque immutabilis juris.

VII. Ecclesia deinde variis præceptionibus moderata est, et circumscripsit executionem divini illius præcepti, ut facit in multis aliis divinæ legis mandatis, quorum usum moderari solet; quippe quæ administrat sapienter dona, et thesauros sponsi sui, prudenterque ejus mentem interpretatur.

Itaque ei visum est, primis Christianismi seculis, arcere a communione aliquandiu eos, qui admiserant peccata mortalia, pro gravitate delictorum; et præterea eis imponere satisfactionem publicam in peccatis publicis, et scandalosis. Præcipiebat ergo duo genera pœnitentiæ, hoc est, præter publicam, alteram arcanam propter peccata ignota, ut in hoc ipso libro ostendimus.

VI I. Nec putandum est eam semper eodem modo se gessisse in omnis generis peccatis tam publicis, quam occultis; seu eam semper imposuisse dilationem Eucharistiæ omnibus peccatis mortalibus, et satisfactionem quidem publicam publicis. Sæpe enim admisit peccatores ad bonam frugem reduces, ad participationem mysteriorum, sine dilatione, et pœnitentia publica, quamvis multis criminibus publicis essent inquinati.

Cujus rei exemplum habemus rarum, ac insigne, apud S. Joannem Climacum [3], qui florebat circa quintum aut sextum seculum. Narrat se aliquando interrogatum a sancto viro, quodnam esset omnium maximum peccatum post homicidium, et abnegationem fidei. Cui quæstioni cum respondisset, hæresim sibi videri maximum, reposuit senex : « (1) quare ergo Ecclesia catholica excipiens hæreticos cum vero hæresis suæ anathematismo, eos dignatur participatione mysteriorum; fornicatorem vero fatentem, et desinentem peccare, in tempus eum ab intemeratis mysteriis separare, ab apostolicis permittitur canonibus ? »

Quod autem sanctus ille vir habet de reconciliatione hæreticorum, id multis exemplis confirmatur in historia ecclesiastica, et in libro Prati spiritualis [4], ex quo discimus multos hæreticos ad Ecclesiam venientes, in eam fuisse admissos, et ad communionem facile receptos, cum prius, ut est credibile, arcana pœnitentia reconciliati fuissent, præter abjurationem errorum, et fidei catholicæ professionem.

(1) CLIM. ibid. Καὶ πῶς, φησὶν, αἱρετικοὺς Ἐκκλησία μὲν καθολικὴ δεχομένη σὺν τῷ γνησίῳ τῆς οἰκείας αἱρεσεως ἀναθεματισμῷ τῆς τῶν μυστηρίων αὐτοὺς ἀξιοῖ μεταλήψεως· τὸν δὲ πεπορνευκότα ἐξομολογούμενον, καὶ τῆς ἁμαρτίας παυόμενον εἰσδεχομένη, ἐπὶ χρόνους αὐτὸν τῶν ἀχράντων μυστηρίων ἀφορίζειν παρὰ τῶν ἀποστολικῶν ἐπιτρέπεται κανόνων ;

[1] 1. Cor. 11. 29. — [2] Lib. 50. Homil. Hom. 50. et Lib. de Fide et Gratia cap. 19. et 26.

[3] Gr. 15. p. 225. — [4] Cap. 39. et 40.

CAPUT UNDECIMUM.

Quodvis peccatum excommunicationis pœnam non dedisse, ut credidit Arnaldus. Pœnitentiam publicam, quam idem restituere conatur, non fuisse observatam per duodecim secula. Loca Fulberti, et Ivonis Carnotensis explicata contra sententiam Arnaldi, cujus profertur oratio suspecta erroris.

I. Ex iis, quæ superiore capite dicta sunt, colligere licet, quid sit respondendum iis, quæ nobis objicit Arnaldus super excommunicatione, quam in antiqua Ecclesia omnibus peccatis mortalibus impositam fuisse contendit.

Cum enim scribit omne *peccatum mortale commeruisse excommunicationem, ut loquuntur Patres*, si loquitur de eo, quod meretur jure divino, vera profert eo sensu, quem diximus; scilicet eum, qui commisit peccatum mortale, qualecumque sit, non posse prius ad sacram mensam accedere, quam pœnitentiam egerit, animumque purgaverit. Quod vero attinet ad intervallum temporis, quo abstinendum est a communione, lex divina id minime præscripsit, sed reliquit potestati Ecclesiæ, quæ id, ut visum est, definivit. Aliud nihil si contendit Arnaldus, non multum consilium suum promoverit, quod non nititur jure divino, sed constitutionibus canonicis Ecclesiæ primitivæ; quamvis interdum, cum non satis attendit quod dicit, modum nullum servet, velitque nobis persuadere consuetudinem, quam tuetur, esse traditionem apostolicam, imo vero divinam, quatenus ex Scriptura colligitur.

II. Cum autem hoc sit manifesto falsum, et periculosæ consequentiæ, cogetur redire ad usum, et ad decreta Ecclesiæ, quæ eam pœnitentiam, et dilationem communionis constituerit. Sed omnino negamus Ecclesiam hanc imposuisse pœnam omnibus peccatis mortalibus, cum nonnisi de certis criminibus eæ latæ sint sententiæ, quæ fideles arcebant a communione definito tempore pœnitentiæ. Rem tanta evidentia probavimus superioribus capitibus, *ut si quis vel tantillum velit præjudicia deponere, et oculos aperire veritati, non possim credere eum non fore plane convictum.* Oportet enim, ut tuis verbis utar, Arnalde, sed verius, quandoquidem polliceris te præstiturum quod non potes; nimirum te nos adacturum testimoniis Patrum ad fatendum, quævis peccata mortalia ei censuræ canonicæ obnoxia fuisse.

Atqui falleris, erroremque istum tuum confutavimus disertis Patrum locis, et quibus nihil est quod objicias. Imo vero, quamvis constaret Ecclesiam olim ejusmodi constitutiones sanxisse, nihil hoc cœpta tua juvaret; quia canonum illorum observatio interrupta est, et nunc quidem plane obsolevit.

III. Non possum satis mirari, te tam sæpe in opere tuo repetiisse publicam illam satisfactionem pro omnibus peccatis mortalibus, quam vis instaurare in Ecclesia, per duodecim secula fuisse observatam, et a quingentis duntaxat annis obsolescere cœpisse. Quod adeo falsum est, ut fronte ac eruditione carere eum oporteat, qui talia defendere ausit. Quis unquam audivit, per undecim, aut duodecim secula a Christo nato, morem obtinuisse in Ecclesia, ut quisquis habuisset nudam cupiditatem furandi, aut admittendi ejusmodi alius peccati, publice satisfecerit, pro ea prava cogitatione, expulsus ex ecclesia ita, ut cilicio ac veste pœnitentis indutus ad ejus valvas se steterit, ceteraque pœnitentiæ exercitia subierit? Est intoleranda absurditas, et somnium novorum horumce evangelistarum. Universa iis adversatur antiquitas, locaque Patrum et Conciliorum antea a nobis prolata fidem omnem iis derogant; præter rationem, sapientiamque divinam, et humanam, quæ talia vel proponi non patitur.

IV. Sola ergo crimina publica, et scandalosa, ut docent Augustinus, et alii Patres, subjacebant pœnitentiæ publicæ. Imo vero ne omnia quidem ejusmodi peccata eas pœnas luebant: cum ostenderimus superiore capite, maximum crimen hæreseos iis obnoxium non fuisse. Loca ab Arnaldo prolata ex duobus episcopis Carnotensibus, Fulberto et Ivone, minime probant omne peccatum mortale tam severam damnationem subiisse, etiam undecimo seculo, quo florebant. Fulbertus recenset criminum genera, propter quæ delinquentes

excludebantur a communione; unde sequitur, omnia peccata, propter quæ satisfactio publica fiebat, ad illa capita fuisse ex ejus sententia referenda. Quod tamen ita intelligendum non est, quasi quocumque modo quis incidisset in ea peccata, eum oporteret tam gravem mulctam solvere : quod statuit Arnaldus pro suis axiomatibus, aut potius paradoxis, quæ pugnare inter se deprehenduntur, cum diligenter conferuntur cum locis veterum, quibus ea niti putat; quod videbimus in loco Fulberti.

V. Sanctus ille episcopus in sermone ad populum Carnotensem ita loquitur : « Si permansissemus in illa munditia, quæ nobis per baptismum data est, vere felices essemus; sed non permansimus. Cecidimus enim per nostram culpam, non solum in peccata, sed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur; qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, falsa testimonia, superbia, invidia, avaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua. » Ex hisce verbis colligit Arnaldus, tempore Fulberti, qui florebat initio undecimi seculi, seclusos delinquentes ab ecclesia propter omnia peccata mortalia.

Verum minime est verisimile consuetudinem tam barbaram, et tam parum consentaneam rationi receptam fuisse in Ecclesia. Quis credat eum, qui peccasset superbia, aut invidia, intra solum animum, nullo prolato verbo, nullaque edita actione quæ occultum venenum redoleret, coactum fuisse prodere animi cogitationes tam severa satisfactione? Quid dicemus de iracundia? Quot sunt apud plebem immunes ejusmodi vitiorum? Oportuisset ergo maximam partem fidelium egredi ecclesia.

VI. Præterea, cum Fulbertus in recensione peccatorum non memoret simpliciter ebrietatem, sed *ebrietatem assiduam*, satis ostendit quamvis ebrietatem, quæ tamen peccatum est mortale, non pertinere ad id genus criminum, quæ plectebantur excommunicatione, sed tantum sæpius iteratam. Sic etiam locutus est Cæsarius Arelatensis episcopus [1], ex quo catalogum illum peccatorum mutuum accepit Fulbertus.

Quin etiam idem Cæsarius [2] memorat inter levia delicta, quæ *capitalibus* criminibus opponit, quædam peccata, quæ revera videntur esse mortalia, ut *pejerare*, *maledicere*, *detrahere*, *non servare jejunia Ecclesiæ*, propter quæ negat pœnitentiam publicam fuisse.

Redeamus ad locum Fulberti, quem Arnaldus non satis expendit. Ejus hunc sensum esse contendo : omnia crimina, quorum rei excludebantur a communione, ad quodpiam illorum referenda; quæ si simpliciter mortalia essent, qualia sunt interna, vel si non erant publica aut scandalosa, solita et arcana pœnitentia expiabantur; sed si omnibus essent scandalo, satisfactione publica plectebantur.

VII. Quod attinet ad alterum episcopum Carnotensem Ivonem, quem laudat Arnaldus, hoc unum habet [3] : « Hinc est, *inquit*, quod Ecclesia sua crimina confitentes a Sacramentorum communione suspendit, et in cinere, et cilicio positos ab introitu ecclesiarum statuto tempore excludit. » Non dicit ita se gessisse Ecclesiam erga quævis crimina, seu peccata mortalia. Itaque hæc verba possunt, et debent intelligi, prout antea interpretati sumus S. Augustini et aliorum Patrum verba, de nonnullis sceleribus, non de quibusvis peccatis mortalibus.

Satis hoc erat consilio Ivonis, et argumento ejus epistolæ, in qua satisfacit quæstioni, quæ ei proposita fuerat : qui consentiret administratio Ecclesiæ cum sententia Prophetæ dicentis, statim ac delinquens ostenderit dolorem quempiam ob admissum peccatum, ac gemuerit, Deum ei remissurum. Respondet ita loqui Prophetam, quia Deus, qui penetrat intima animorum, statim videt, an pœnitentia sit vera; at judicem ecclesiasticum, qui videt tantum externa, nec scire potest an voluntas sit mutata, et hominis emendatio integra, debere expectare fructus pœnitentiæ, ex quibus eam veram esse intelligat. Cum autem quæstio referri queat ad quædam duntaxat peccata obnoxia pœnitentiæ publicæ; similiter responsum intra illa coerceri potest. Quo locus hic fit Arnaldo inutilis.

VIII. Argumentum ejus epistolæ Ivonis revocat mihi in memoriam aliam rationem, propter quam Arnaldus censet non expedire, ut peccatores tam facile veniam, et reconciliationem Ecclesiæ impetrent post admissum peccatum mortale; sed potius ut diu pœnitentiæ subjaceant, pro novo ejus instituto.

Ait ergo [4], « Multum abesse, ut Patres credant gratiam amitti, et recuperari tam facile, ac hodie nonnulli putant; remque esse vulgarem apud Christianos, ut hodie quidem

[1] Hom. 8. — [2] Homil. 12. — [3] Ep. 130. — [4] Par. 2. cap. 4.

idem sit filius Dei, cras vero filius diaboli; redire paulo post ad Christum, tum prima data occasione eum in animo suo suffocare; vivere, mori; reviviscere, iterum mori; nunc sanctum hominem esse, nunc cacodæmonem; modo dignum æterna fruitione Dei, modo æterna damnatione; idque perpetuis vicibus, et per totam vitam. »

Ex hisce verbis Arnaldi, possemus colligere, ex ejus sententia, peccatorem, qui gratia excidit, non posse tam cito restitui, sed tantum aliquanto post. Quasi non esset in potestate hominis; cui adsunt auxilium, et gratia Dei, nec indigenti unquam desunt; se ad Deum convertere statim ac vult : et quasi eodem momento, quo gratiæ cooperatus efficaciter vult, non transeat e statu peccati in statum justitiæ.

IX. Nullum est intervallum inter conversionem peccatoris, et miserationem Dei, cum quo quisque sine mora in gratiam redire potest. Nec frequentes lapsus cuiquam occludunt januam divinæ misericordiæ, ne consequatur veniam, ad culpam quod attinet, quotiescumque serio eam cupit. Hæc S. Joannes Chrysostomus nos docet aureis verbis, et eloquentia pene divina : « (1) Neque enim, *inquit*, quemadmodum fit in sensilibus rebus, sic etiam hic contingit. Illic enim non licet ei, qui a divitiis illis in ultimam paupertatem decidit, illico emergere. Hic vero propter bonitatem in homines, si modo velimus damnare ea, quæ jam fecimus, et eo usque sistere negligentiam nostram, continuo possumus ad priores divitias reverti. »

X. Ex hisce, ac similibus verbis, inimici sanctissimi viri occasionem arripuerunt ejus calumniis lacerandi in conciliabulo, quod contra eum habuerunt, et cui præfuit Theophilus episcopus Alexandrinus cum aliquot Chrysostomo infensis, qui hominem exauctorare volebant.

Illic inter alia criminationum capita objectum ei est, quod objicit Arnaldus receptæ in Ecclesia consuetudini; « (2) Quod securitatem præberet peccantibus docens : si iterum peccaveris, iterum pœnitentiam agito, et quoties peccaveris, venito ad me, et ego te curabo. » Præstat loqui cum S. Joanne Chrysostomo, quam dicta adversariorum ejus imitari, quemadmodum facit Arnaldus; qui sine dubio vim gratiæ, ut et sacramenti Pœnitentiæ nimis depressit.

CAPUT DUODECIMUM.

Examen nonnullarum enuntiationum operis de frequente Communione, et primum quidem ejus, quod dicit Arnaldus, populum Judæum nihil commeruisse a Deo observatione legis. Fons ejus erroris.

I. Expendamus et nonnullas alias enuntiationes libri de frequente Communione, quæ dignæ sunt attentiori examine; quo peracto, disceptationi huic finem imponemus.

Occurrit mihi una in Præfatione [1], quæ enuntiatio offendit animos, et evertitur a Scriptura sacra. Affirmat « olim populum Judæum accurata observatione legis, et magno numero officiorum Religionis, nihil apud Deum meritum esse; quia sine ejus spiritu ea faciebat, et ignorato vero fine, propter quem fieri debebant. » Quando nominamus *populum Judæum*, complectimur totam Synagogam, vel Ecclesiam, cui vetus lex data fuerat, non

(1) Hom. 6. in Gen. p. 32. ed. græc. Savil. Οὐδὲ γὰρ καθάπερ ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν γίνεται πραγμάτων, οὕτω καὶ ἐνταῦθα συμβαίνει. Ἐκει μὲν γὰρ οὐκ ἔνι τὸν ἀπὸ τοῦ πλούτου ἐκείνου εἰς τὴν ἐσχάτην πενίαν κατενεχθέντα εὐθέως ἀνενεγκεῖν· ἐνταῦθα δὲ διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν, ἐὰν βουλώμεθα μόνον καταγνῶναι τῶν ἤδη εἰργασμένων ἡμῖν, καὶ μέχρι τούτου στῆσαι τὰ τῆς ῥαθυμίας, δυνάμεθα ταχέως ἐπὶ τὴν προτέραν εὐπορίαν ἐπανελθεῖν.

(2) Ap. Phot. cod. 57. pag. 27. Ἕβδομον ὅτι ἄδειαν παρέχει τοῖς ἁμαρτάνουσι διδάσκων, ἐὰν πάλιν ἁμάρτῃς, πάλιν μετανόησον· καὶ ἑσάκις ἂν ἁμαρτάνῃς, ἐλθὲ πρὸς με, καὶ ἐγώ σε θεραπεύσω.

[1] Præf. aa.

vero ejus partem ; Ecclesiam autem judaicam usque adeo fuisse collapsam, nec quemquam quidquam meritum esse apud Deum, quamvis accurate observaret legem, quisquis dixerit, id affirmarit quod nequaquam defendi potest. Contrarium plane docet Scriptura sacra, cum exemplis, quæ profert innumerorum virorum sanctitate insignium, et qui tunc temporis gratia apud Deum floruerunt ; tum etiam laudibus, quas in eos congerit, virtute eorum laudata, memoratisque beneficiis, quibus Deus eos una cum posteris meritorum causa cumulavit.

II. Moyses, Aaron, Phinees, Samuel, David, Ezechias, Josias, Elias, Elisæus, omnes prophetæ, et Machabæi, suis temporibus, pars fuere *populi Judæi*, et observatione legis insignes. Quis vero sustineat dicere sanctorum illorum virorum *nullum meritum fuisse apud Deum ?*

Quid fiet omnibus illis magnificis pollicitationibus, quas Deus faciebat populo suo, si observaret legem, si pareret suis præceptis ? An nihil meritus est David magno illo zelo, studioque observandæ legis ? Legis, inquam, quam unice amabat, et quæ argumentum præbebat jucundissimis ejus meditationibus ; quæ somnum ei eripiebant, noctuque et interdiu animum ejus distinebant, ut testatur in divinis suis canticis, et præsertim Psalmo 118 [1]. Ubi inter alias causas, quibus adducebatur ad meditandum de ea lege, spem præmii sibi maximum esse stimulum profitetur.

III. Tempus frustra tereret, abutereturque otio suo, quisquis probare aggrederetur rem perspicuam, aut oppugnare rationibus, atque auctoritate, errorem usque adeo manifestum.

Si diceres magnam partem ejus populi sæpe Deo ingratam fuisse, imitareris sermones Apostoli. Paulus diserte hoc habet 1. Cor. 10. 4. sæpiusque Christus hoc Judæis exprobravit, ut Joan. 7. 19. et primus omnium martyrum Act. 7. 51. Verum hoc non obstitit, quominus eo ipso tempore, quo erat corruptissima Synagoga, magni fierent servi Dei, et qui, cum legis ejus essent observantissimi, non erant apud eum sine merito. Testes sunt septem millia hominum [2], qui erant in regno Israelis, et qui sub rege omnium corruptissimo, cum maxime vigeret idololatria, sub impio Achabo, et scelerata ejus uxore Jezabela, non flexerunt genu coram Bahale ; ne violarent legem, quæ idololatriam vetuerat, graves pœnas sontibus minata.

IV. An septem illa millia hominum nihil meruere apud Deum tam accurata observatione legis ? Mathatias, pater Machabæorum, an nihil meritus est, cum actus eodem spiritu, quo impellebatur ad observationem legis, insigne illud facinus edidit, quo omnibus posteris commendatus est ? Quando moribundus ita filios suos adhortabatur [3] : *Nunc ergo, filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis ; et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum.* Quando proferebat facinus Phinees, eorum progenitoris, quo maximum sacerdotium sibi, et suis meritus erat ; quid sibi volebat tot adhortationibus ? An cupiebat ea ab iis geri, quæ inutilia erant, et sine merito apud Deum ?

Quid dicemus de incomparabili illo Eleazare, septem fratribus, et sancta eorum matre, qui omnes tulerunt insigne martyrium sub rege Antiocho, ne eamdem legem perfringerent ? Non capio qui possis dicere, et hosce, et tot alios, qui usque adeo laudantur in Scriptura, propter accuratam observationem legis, apud Deum nihil commeruisse.

V. Graviter ergo titubasti, cum inconsiderate protulisti enuntiationem adeo falsam, et scandalosam, cum debuisses dicere, olim multos fuisse in populo Judæo, qui cum præ se ferrent, ac jactarent observationem legis, nihil tamen apud Deum merebantur ; non quod studium legis vituperandum esset, ac Deo ingratum, sed quia in levibus ac cæremonialibus hærentes, potissima legis præcepta negligebant, quæ spectabant *justitiam, misericordiam, ac fidem*, quod iis exprobrat Dominus in Evangelio [4].

VI. Sed videtur falsæ illius enuntiationis libri de frequente Communione origo altius repetenda ita, ut quod mali complectitur, id trahat ex principio occulto, et quod omnes non penetrant. Est nempe doctrina magni illius viri, quem usque adeo extollit Arnaldus, « propter singularem ejus virtutem, et inusitatam eruditionem, et cujus animus plenus erat scientia Scripturæ, et theologicæ traditionis, hoc est Conciliorum, et Patrum. »

Vir tamen ille incomparabilis non satis habuit renovasse in suis libris doctrinam Lutheri, et Calvini, quam pro Augustiniana venditavit ; sed et defendit errorem detestandum, qui redolet, aut potius multum superat

[1] Vid. v. 114. — [2] 1. Reg. 19. 18. Rom. 11. 4.

[3] 1. Mac. 2. 50. — [4] Matt. 23. 23.

hæresim Manichæorum, de lege antiqua, et Ecclesia judaica. Docet enim [1], Synagogam, consideratam quatenus synagogam, fuisse tantum multitudinem ac cœtum hominum carnalium, quorum animus occupabatur solo amore commodorum terræ, et carnis, qua sola de causa Deum colebant. Ait, bonos sub vetere Testamento observasse Decalogum, quasi carnales homines, aut potius eum a se observari frustra credidisse; cum reipsa animi eorum cupiditate bonorum temporalium accensi aliud nihil cogitarent, neque ullo alio incitamento commoverentur, ac proinde essent in statu peccati mortalis.

VII. Idem putat legem datam non fuisse ei populo, ut salutem adsequi posset; sed tantum ad eum coercendum, ne incensus cupiditate commodorum temporalium ad cacodæmonem confugeret, quasi ad eorum dominum; verum ut ea potius a liberalitate veri Dei expectaret, qui eis dedit legem, cui magnifica promissa addidit de industria, ut foveret in illis eam concupiscentiam, aleretque cupiditates carnales.

Idem ille scriptor, cum didicisset a Luthero, et Calvino, nullam esse gratiam sufficientem, negat Judæos, cum iis lex Mosaica ferretur, gratiam ullam accepisse, cujus ope eam observarent.

Sunt et alia arcana illius sectæ, quæ sentit callide occultantis; quæ arcana longam orationem poscerent, sed de iis alias agemus. Ex ejus principiis deduxit Arnaldus hanc suam enuntiationem, *populo Judæo nullum meritum fuisse apud Deum accurata observatione legis.*

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Arnaldus sine ratione carpit scriptum anonymi, eademque opera P. Salazarem. Quid sentiat de gratia sufficiente.

I. Eadem illa doctrina, quæ resecat omnia auxilia sufficientia gratiæ Dei, effluvium nescio quod emisit in aliam ratiocinationem operis de frequente Communione. Locus is est, ubi immerito carpit scriptorem anonymum, qui laudans consuetudinem communicandi Dominicis, et Festis, habet ad usum illum faciliorem reddendum, « Nullam esse conditionem, in qua eligi non possit tempus necessarium, diebus illis, ut sese ei rei disponat. »

Hæc ita capit Arnaldus, quasi proferrentur rationis instar, qua res ipsa probaretur. Quamobrem graviter invehitur in scriptorem anonymum, eumque in Pharisæorum, pro solita sua humanitate, numerum refert, « Quod rem externam sumat pro norma actionis hominis Christiani longe maximi momenti. »

II. At verisimilene est eum scriptorem ita ratiocinatum esse, ut dicitur hoc in loco; et voluisse persuadere esse communicandum duntaxat, quia suppetit tempus ei rei opportunum? Ea ratio non profertur ad ostendendum, communicandum quocumque tempore videatur; sed si statueris communicare, deliberesque de tempore commodissimo, recte faciet, qui tibi auctor erit eligendi diem Dominicam, quia tempus est commodissimum ad sese parandum.

Desumptum hoc est ex P. Salazare, unde colligere est, quantum absit, ut cum eo consentiat Arnaldus in eo, quod pertinet ad frequentem usum communionis; quoniam operam dat, ut eum quavis data occasione oppugnet.

III. Utque intelligamus, quam valida sit objectio Arnaldi contra anonymum, tenendum est perinde esse, ac si quis, qui decrevisset ire Constantinopolim, deliberaret de via, qua illuc iret, terrane an mari iter facturus esset; ego vero illi auctor essem itineris per mare confiendi, quod brevius esset, et minus periculosum. Quo audito, Arnaldus me castigaret, diceretque me absurde ratiocinari, qui suadeam eundum esse Constantinopolim, quia iter breve est, nec magnum est periculum. Ut vero id, quod dixissem, pertineret ad executionem consilii, non ad consilium ipsum,

[1] Tom. 3. lib. 3. cap. 6.

quod aliis rationibus esset suadendum; sic quod dixit anonymus, eo non spectat, ut suadeat communicandum esse, sed certum tempus esse eligendum, postquam communicare decreveris.

IV. Arnaldus hic quidpiam addit, ex quo intelligere est, quid sentiat de gratia, prout jam dixi superiore capite; nec eum putare a Deo nobis semper suppeditari gratias sufficientes, quarum ope sanctas actiones edere possimus. Sic enim loquitur : « Unde tibi constat Spiritum sanctum ad manum fore horis tibi commodis ; et postquam homo mundanus totam hebdomadem exegerit, ut satisfaceret voluptatibus, ambitioni, etc. Deum obstrictum esse dare ei singulis Dominicis gratias necessarias, ut ne indigne ad altare accedat? »

Tu vero, qui vis, postquam peccatum mortale quispiam confessus est, eum suspensum hærere per aliquot menses sine absolutione, et communione, ut melius ad hanc paratus sit ; unde nosti eum auxilia necessaria accepturum post quinque aut sex menses ad digne communicandum ? Scisne, ad gratiam quod attinet, nihil ei defuturum ? sine dubio nescis, adeoque tua objectio in te recidit, atque os tibi occludit.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Mira enuntiatio libri de frequente Communione : Nullum honorem communione Deo exhiberi.

I. Inter paradoxa, propositionesque castigatione dignas, quæ occurrunt in opere de frequente Communione, existimo hanc esse ex præcipuis. Auctor anonymus scripti dixerat, « Jesu Christo exhiberi magnum honorem, et voluptatem frequenti communione. » Hæc vero ferre nequit Arnaldus [1], verbisque hisce respondet : « Si, ex omnium sententia, injuria afficerentur terræ reges, ab iis qui illis dicerent magnum honorem eos referre ex eo, quod quicumque eis parent, sæpe cum illis mensæ adsiderent ; an reverenter loqueris de Rege cœli, qui dicis ei exhiberi magnum honorem, quod miseræ creaturæ sæpe ad ejus mensam veniant, ut corpus ejus comedant ? »

II. Fateor me primo intuitu hisce verbis perculsum fuisse, vixque potuisse credere oculis meis, cum ea in libro Arnaldi legerem. Quid enim hinc sequitur, nisi creaturam nullum honorem posse Deo exhibere, nec amplius in rerum natura esse virtutem, quæ Religio dicitur ? Etenim eo proprie spectat hæc virtus, ut honorem Deo exhibeamus variis pietatis officiis, qualia sunt oratio, sacrificium, participatio mysteriorum, usus Sacramentorum, aliaque id genus. Auctor anonymus recte hoc animadverterat, post P. Molinam carthusianum, dixeratque, « Communionem esse actum latriæ, et adorationis divinæ longe præstantissimum, qui ab homine Christiano edi queat. In ea esse multos actus fidei, spei, charitatis, et humilitatis. » Estne quidquam verius ? Qui ergo ausis hæc negare ? Profecto negare nequeas, nisi judices neque ab hominibus, neque ab angelis posse Deo honorem exhiberi ; quod est aperte contrarium S. Scripturæ.

III. Deus affirmat Psal. 49. 23. *Sacrificio laudis se honorificari*, hortaturque servos suos, hisce verbis ℣. 15. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me.* Sacerdotem maximum Heli sic objurgat 1. Reg. 2. 29. *Magis honorasti filios tuos, quam me.* Salomon vero Proverb. 3. 9. *Honora*, inquit, *Dominum de tua substantia.* Sic et Ecclesiasticus, cap. 7. 13. *Honora Deum ex tota anima tua ;* et Malach. 1. 6. *Filius honorat patrem, et servus Dominum suum ; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus ?* Paulus denique Rom. 15. 9. hortatur Gentes, *ut honorent Deum.*

Quæ cum ita sint, contendis tamen eos male loqui, qui dicunt, *Deo exhiberi magnum honorem* in communione. Hoc si verum sit, nullo honore eum afficient preces, neque alia bona opera ; cum eidem rationi locus sit

[1] Part. 3. cap. 11.

in omnibus pietatis et religionis exercitiis, ut antea dixi.

IV. Quod vero attinet ad id, quod addiderat auctor anonymus, *in communione esse multos actus fidei*, etc. objicit Arnaldus « Cacodæmonem excitare pias cogitationes in mundanis, quæ tamen iis minime prosunt, et eo ipso sæpe ab eo impelli malos ad sanctam communionem, ut in ea sacrilegia admittant. » Quod paradoxum æque insolens ac prius, et quo non minus offenduntur Christianorum aures, quæ non sustinent dici a cacodæmone excitari in nobis actus fidei, spei, et charitatis.

Sed quare tam sinistrum judicium fers de hominibus non malis, qui quamvis perfectionem non sint consecuti, ad eam tamen adspirant, exercitiisque pietatis contendunt, et præsertim quidem frequente communione; prout acceperunt a tot sanctis viris, et doctissimis theologis, quorum responsa protulimus ?

Hæc in præsentia observanda mihi visa sunt in libro de frequente Communione ; hæc potissimum idonea existimavi ad revocanda recta ingenia ad saniorem doctrinam, quamvis illecebris novæ illius doctrinæ occupata, si modo rem paulo diligentius expendant. Spero etiam Arnaldum ex hisce disputationibus nostris brevi intellecturum, immerito sibi usque adeo laudatum esse novum institutum, quasi idem ac pœnitentiam publicam veterum ; quam levi duntaxat similitudine refert, sed cui contrarios effectus edit, dum simul intolerandis incommodis laborat, quibus eam infamari, ac suspectam fieri necesse est.

LIBER SEPTIMUS.

PROŒMIUM.

I. Auctor operis de frequente Communione prava sua dogmata tanta arte in lucem edidit, ut difficulter ita convincatur, ut elabi non possit, ambagibusque ac subterfugiis verisimilibus non evadere. Similis est Proteo illi Homerico, qui formas innumeras induebat, elabebaturque manibus eorum, qui a se illum teneri putabant.

Præterea scandalosas suas enuntiationes ita profert, ut simul ac semel, in eodem loco operis sui, eas non edat, sed hac illac dextre spargat, ne si vicinæ essent, facilius earum nexus intelligeretur.

II. Adde huic fraudi aliam æque subtilem, et quam majori consilio ac successu adhibet apud minus callidos. Veneno nimirum erroris subinde miscet doctrinam contrariam, et catholicam, profiteturque, se a doctrina vulgo recepta nequaquam velle discedere, neque oppugnare aut damnare Ecclesiæ instituta.

Illa fictione, specieque externa fucum sibi fieri passi sunt, nec animadverterunt, quid occultet factiosa hæc novitas specie arctioris sanctitatis; putaruntque cum pollicitis, quæ minime ficta videntur, rem ipsam consensuram.

III. Conati sumus hactenus lectores ab errore revocare, atque iis aperire nequitiam, et ignorantiam, quæ eodem gradu procedunt in hoc cœpto. Nec hoc satis habuimus, sed etiam varia specimina edidimus spectantia cum ad rationem pœnitentiæ in primitiva Ecclesia, tum ad alia ad rem nostram pertinentia. Quibus rebus factum est, ut pluribus de illis ageremus, quo lectorem doctiorem dimitteremus, ac præsertim quidem eos qui otio non abundant, brevi atque accurata recognitione quæstionis, de qua disceptamus.

IV. Sed quia sæpe contingit, prolixitatem orationis, quamvis minime inutilem, obruere attentionem lectoris, et impedire, quominus colligat in unum omnes enuntiationes, quæ necessariæ sunt collectioni eliciendæ, qua judicium de tota re feratur; quia non sunt conjunctæ inter se, miscendæque sunt probationes uniuscujusque; visum mihi est contrahere totam nostram disceptationem, confutationemque operis de frequente Communione, ut accuratior, ac ordinatior fieret. Quamobrem eam revocavi ad certas enuntiationes, quæ complectuntur summatim doctrinam novorum Pœnitentiariorum, et repugnantiarum quas complectitur.

V. Duo nos commoda hac ratione consecuturos existimavimus. Unum est, lectores eo modo breviori tempore, et distinctius intelligere, quam falsa sit ac parum idonea nova hæc reformatio. Alterum vero, hominem Proteo mutabiliorem, arctius constrictum, coactum iri clare respondere omnibus quæ ab eo quærentur, omisso omni fuco ac subterfugio. Nec poterit duntaxat breviter attingere, quæ ei objiciuntur, quasi de iis aliquid inaudivisset, ut simpliciores existiment objectiones omnes ab eo vere fuisse solutas.

VI. Expectamus ab eo veram responsionem eo magis, quo minus videtur hoc posse detrectare, cum vehementer urgeatur argumentis, atque auctoritate religiosissimi ac doctissimi præsulis, episcopi Vauriensis, qui dignatus est adoriri cum ipsum, tum ejus magistrum, discipulumque castigare pro ejus errore ac temeritate, eximio opere, quod *refertum est sublimi illa, et solida Theologia, quam complectuntur scripta Patrum et traditio Ecclesiæ;* quarum cognitionem ambo in operibus suis exoptant, et sibi solis vindicant.

VII. Fortasse reverentia tanti viri adiget Arnaldum ad reddendam rationem omnium illorum capitum, quorum causa insimulantur ejus libri, vero ac serio responso; nisi malit prorsus dicta sua retractare, secutus exemplum multorum magnorum virorum ex anti-

quitate, et præsertim hominem incomparabilem S. Augustinum : non vero dimidia ex parte ac ficte, quemadmodum fecit Pelagius in cœtu Diospolitano, quem imitatus est Arnaldus in epistola ad Reginam, et in longa ac tædiosa præfatione libri *de Traditione*, aliisque, quæ ad sui defensionem scripsit.

Hæc animo versare eum oporteret, et quam primum poterit medicinam facere scandalo, quod creavit, et infamiæ, qua existimationem suam commaculavit edito exitiali opere ; quod tam offendit Catholicos, quam satisfecit eorum adversariis, incredibili gaudio omnibus, qui defecerunt ab Ecclesia Romana, creato. Eos enim mirum in modum eo officio sibi devinxit, atque ab iis omnibus plausus, et gratulationes mutuas retulit.

VIII. Hoc unum ei oculos aperire potest, utque ad se redeat efficere, si qua cura existimationis, salutisve suæ tangitur, sique ei superest lumen aliquod cœleste, quo animus ejus illustretur, ut intelligat funestum exitum, in quem totum ejus consilium desinere necesse est. Si enim scelus est vel unum minimum membrorum corporis mystici Christi offendere ita, ut æternis suppliciis dignum sit ; quid fiet ei, qui totum corpus scandalo perturbat?

Salubre hoc consilium charitas Christiana per me suggerit directoribus, imprudenti zelo exardescentibus ; oratque eos, ut id boni consulant, pareantque admonitioni, quam magnus Galliæ Rex, et qui primus imperatorio titulo coronam regum nostrorum decoravit, mittebat ad homines nimium faciles, et incensos simili cupiditate famæ sibi, opinionibus novis et contrariis fidei quietique Ecclesiæ, comparandæ.

IX. Ea admonitio extat in epistola, quam scribit ad Francofordiense concilium [1], quam claudit memorabilibus verbis, quibus et ego hocce proœmium claudam : « Hanc fidem vos charissimi fratres, firmiter tenere in commune deprecamur. Et si aliter antea in quolibet verbo sensistis, corrigite vosmetipsos, et ad unitatem sanctæ Dei Ecclesiæ pura fide festinate, et contentiones nominum, novitatesque vocum devitate ; quia, juxta Apostolum, non est hæreticus, nisi ex contentione. Vos igitur, quia pauci estis, unde putatis vos aliquid verius invenire potuisse, quam quod sancta universalis toto orbe diffusa tenet Ecclesia? Sub tegmine alarum illius requiescite, ne vos avida diaboli rapacitas, si foris inveniat, nefando gutture devoret. Redite ad pium matris Ecclesiæ gremium. »

CAPUT PRIMUM.

Prima propositio. *Arnaldus agnoscit duo genera pœnitentiæ, et dispositionis ad communicandum : alterum, quod olim usitatum in Ecclesia, nunc obsolevit : alterum, quod nunc ei successit, vulgoque est apud fideles receptum.* Quam propositionem Arnaldinam esse sequentia demonstrant.

I. Non opus est multis verbis, ut ostendamus hanc propositionem Arnaldi esse, cum emineat in opere de frequente Communione, sitque unicum ejus argumentum. Agit in eo de prisca ratione pœnitentiæ, qualis describitur a SS. Patribus, canonibus, et Conciliis ; quam differre ait ab ea, quæ hodie usitata est. In Præfatione, postquam approbavit, quod habet scriptum anonymum [2] : « Optimam regulam, quam servare debemus, ne fallamur in quæstione de frequente communione, esse si consideremus, quid sit consentaneum antiquitati, traditionibus SS. Patrum, et antiquis consuetudinibus Ecclesiæ. » De qua sic loquitur Arnaldus [3] : « Hæc regula hoc opus eo facilius mihi fecit, quod dirimat illico quæstionem, quæ videbatur maximum negotium facessere posse lectoribus : nimirum quamvis ratio pœnitentiæ, quæ nunc est fidelibus usitata, differat a ratione, quæ olim in Ecclesia adhibebatur, non posse tamen damnari quasi temerariam ; sed contra reverendam esse

[1] Carolus M. in Ep. ad Elipandum et ceteros Episcopos Hispaniæ T. 2. Concil. Galliæ p. 190.

[2] Pag. 6. — [3] Ibid. p. 7.

quasi sanctam eam, quæ confirmata est ab universa antiquitate, consuetudine plurium quam duodecim seculorum, doctrina omnium Patrum, et canonibus omnium Conciliorum, quæ aliquid de pœnitentia constituerunt. »

II. Hic locus observatu dignissimus est, complectiturque præcipuum argumentum totius operis, cujus consilium pendet ex quæstione, quæ pertinet ad duo genera pœnitentiæ. Præterea docet veterem pœnitentiam differre ab hodierna. Tertio, illam non amplius usitatam esse, sed olim fuisse; posteriorem vero usitatam nunc esse fidelibus. Denique, quæ sit natura, et ratio pœnitentiæ veteris, qualis nempe a Patribus descripta est. Sed in eadem Præfatione, aliquot paginis inferius, coercet pœnitentiam, quam suæ exemplar esse vult, intra instituta, quæ vigebant temporibus SS. Basilii, Ambrosii, et Augustini.

III. Quod attinet vero ad rationem pœnitentiæ veteris, auctor operis de frequente Communione, quod sibi Arnaldus tribuit, eam explicat secunda parte, nosque copiosius prosecuti sumus primo, et secundo libro [1]. Unde constat eam pœnitentiam, proprie loquendo, sitam fuisse in humilibus quibusdam actionibus, in rigidis satisfactionibus jejuniorum, et ciliciorum, et aliis austeritatibus, in abjectionibus sui ignominiosis, quæ palam fiebant, cum pœnitentes nunc ad introitum ecclesiarum consisterent, advolverenturque ad pedes intrantium; nunc essent intra ecclesiam, in parte quæ *navis* dicebatur, illicque alia humilitatis officia obirent, pro variis gradibus pœnitentiæ, quos in opere nostro exposuimus.

Verum Arnaldus remittit omnes illas molestias, nec quidquam retinet ex antiqua pœnitentia, præter dilationem communionis, et absolutionis sacramentalis; quam putat in Ecclesia primitiva usurpatam fuisse erga omnis generis peccata tam publica, quam arcana, non secus ac pœnitentiam publicam, ut postea dicemus.

IV. Quod attinet ad alteram illam pœnitentiam, quæ successit antiquæ, et publicæ, et quæ vulgo recepta est, caret illis austeritatibus, et dilationibus absolutionis, et communionis, ex lege et constitutione Ecclesiæ; sed postquam pœnitens confessus est peccata cum dispositione necessaria, conceditur illi absolutio ita, ut libere ad S. mensam accedere possit; nisi extraordinariis occasionibus differatur absolutio. Arnaldus agnoscit hanc rationem pœnitentiæ [2], quasi vulgo receptam, vultque eam emendare : qua de causa edidit opus de frequente Communione.

CAPUT SECUNDUM.

Secunda propositio. *Arnaldum docere restituendam esse veterem pœnitentiam, substituendamque quæ nunc vulgo recepta est in Ecclesia.* Quam propositionem ejus esse ostendunt sequentia.

I. Aperte hoc profitetur in Præfatione, et per totum opus, cujus hic unus est finis « ut usus sacramentorum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ exigatur ad sententiam SS. Patrum, et Conciliorum, etc. » Qua de re, ut executioni posset mandari, consilia dare voluit, ut fert libri titulus. Liquet Arnaldum contendere, usum vulgo receptum eorum Sacramentorum differre ab eo, quem SS. Patres, et Concilia confirmarunt : quod docet in loco allato, in probatione primæ propositionis. Vide et p. 101. præfationis, ubi verba de Ecclesia primitiva alibi jam allata.

II. Præterea in Admonitione præfixa secundæ editioni, p. 40. habet locum illum sæpe antea prolatum de remissione pœnitentiæ, qua deleta sunt, ut ait, *ipsa vestigia* veteris disciplinæ. Nec post verba usque adeo perspicua, ulla ratio est dubitandi de animo auctoris, qui sese in omnibus operis partibus prodit.

[1] Lib. 1. c. 6. et lib. 2. c. 9. et 13.

[2] Præf. p. 7. et Part. 2. cap. 47. et 48.

CAPUT TERTIUM.

Tertia propositio. *Pœnitentia vetus, de qua agit opus de frequente Communione, ut restituatur, ea est, quæ dicitur pœnitentia publica, quia palam fiebat ex certis institutis, et gradibus canonicis.* Quam propositionem esse Arnaldi sequentia demonstrant.

I. Magni momenti est caput hoc, ad dilucidationem nostræ disceptationis; nec difficile est probare ita sentire Arnaldum, si consideretur ratio, qua consilium suum expressit. Hoc enim sibi animi esse profitetur, ut proponat nobis pœnitentiam antiquam, qualis invenitur [1] « in traditione Jesu Christi, et apostolorum, in antiquitate, in doctrina omnium Patrum, et in canonibus Conciliorum omnium, quæ aliquid de pœnitentia statuerunt. » Genus autem pœnitentiæ, quod iis luminibus collustrato cernere licet, est tantum pœnitentia publica, ex sententia Arnaldi, quæ palam fiebat, adhibitis ritibus sæpe a nobis memoratis, [2] præsertim tempore Ecclesiæ primitivæ, quam Arnaldus coercuit intra annum 370. et annum 430.

II. Pœnitentiam, cujus mentio fit in veterum monumentis, publicam esse, sola lectio ostendit [3]. Canones pœnitentiales conciliorum Nicæni, et Ancyrani, SS. Basilii, et Gregorii Nysseni, et ante hosce S. Gregorii Neocæsariensis, et aliorum *Patrum græcorum*, ut fatetur Arnaldus, diserte agunt de pœnitentia publica, ejusque gradibus. Idem dicere licet de omnibus antiquis scriptoribus latinis, qui tradiderunt regulas pœnitentiæ laicorum; quales scriptores sunt Tertullianus, et Cyprianus, et multi alii, qui, cum agunt de pœnitentia imposita criminibus, hoc est, ut putat Arnaldus, omnis generis peccatis mortalibus, intelligunt duntaxat pœnitentiam publicam. « Liquet, *inquit* [4], ex lectione Tertulliani, ne nunc alios Patres memorem, eum nullam agnoscere pœnitentiam, præter publicam, ad erigendos peccatores lapsos. Quod recte demonstravit episcopus Aurelianensis. » Vide et sequentia. Itaque ante pœnitentiæ remissionem, in traditione, atque institutione primitiva, *quæ est a Christo*, erat omnibus peccatis mortalibus una duntaxat pœnitentia, hoc est publica.

III. Hoc Arnaldus confirmat in sequentibus [5], ubi aggreditur ostendere, veteribus nota fuisse duntaxat duo genera peccatorum, venialia, et mortalia; atque hæc quidem, qualiacumque tandem essent, pœnas dedisse excommunicatione, deinde [6] « humilitate pœnitentiæ sanata, qualis in Ecclesia dabatur iis, qui proprie pœnitentes vocabantur. » Sunt ipsa verba S. Augustini, ex quibus colligit Arnaldus omne peccatum mortale obnoxium fuisse eidem generi pœnitentiæ. Quo posito, necessario concedendum est, pœnitentiam fuisse tantum publicam. « Eum vero, *inquit*, juxta concilium Toletanum 1. c. 2. pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio divino fuerit reconciliatus altari. » Quod S. Augustinus plus semel habet, et quidem ep. 108. homil. 27. ex 50. et hom. 49.

IV. Si expendamus omnia illa loca Patrum, quæ Arnaldus profert ad probandam pœnitentiam, quam intromissam cupit, videbimus omnia eo tendere, ut pœnitentia publica constituatur, sive illam nominent, ut S. Cæsarius [7], sive illam describant [8] ita ut facile agnoscatur.

Itaque manifestissimum est ad solam pœnitentiam publicam, ex sententia Arnaldi, referri omnia testimonia antiquitatis, quæ producuntur in opere de frequente Communione ad instaurandam pœnitentiam publicam; quo etiam faciunt circumstantiæ omnes, quibus describitur.

[1] Præf. p. 6. et 7. P. 2. c. 8. — [2] In Præf. pag. 101. — [3] Part. 2. c. 8. — [4] Part. 2. c. 3. — [5] Cap. 4.

[6] Ibid. c. 5. ex S. August. Libro de fide et Oper. c. 26. — [7] Hom. 8. apud Arn. p. 2. c. 4. — [8] Ibid. c. 5.

CAPUT QUARTUM.

Quarta propositio. *Arnaldus docet pœnitentiam antiquam esse juris divini, necessarii, et immutabilis, cujus mutandi, aut abrogandi nullam potestatem habet Ecclesia.* Quod probatur.

I. Secunda parte operis de frequente Communione, cap. 8, Arnaldus agens de pœnitentia, quam probarat loco S. Leonis papæ : « Loquitur, *inquit*, universe de remedio necessario, ad recuperandam spem vitæ æternæ, postquam regenerationis donum violatum est, etc. Non loquitur de consuetudine, quæ ad regimen externum pertineat, aut de constitutione Ecclesiæ, sed de præcepto Jesu Christi ipsius, ut fatentur omnes Catholici. » Est ergo remedium saluti necessarium, et consuetudo, quæ est juris divini. Quam in rem habet Arnaldus in Præfatione [1], « Hanc dispositionem esse immutabilem secundum theologos, quia necessario refertur ad essentiam Sacramenti, quod est immutabile. »

II. In eadem præfatione [2], postquam dixit « animum concilii Tridentini fuisse restituere disciplinam, et puritatem antiquam in omnibus ; » addit, « idem concilium profiteri, disciplinam, et regulam omnium nostrarum actionum nobis fuisse præscriptam ab antiquis Patribus, omnesque hortatur ad eam executioni mandandam. » Unde colligit se merito restitutam velle antiquam pœnitentiam, atque injuria id consilium a nonnullis, quasi singulare quiddam, reprehendi. Ex quibus intelligere licet eum statuisse restituere pœnitentiam antiquam secundum regulam traditionis, et scriptorum Patrum.

Utque intelligamus, quanti momenti sit ea norma, et quanta reverentia debeatur antiquis canonibus, profert [3] auctoritatem Pii IV. pontificis maximi, » qui præscribens verba, quæ vult dici in professione fidei, hoc caput inter alia posuit : Cetera idem omnia a sacris canonibus, et œcumenicis Conciliis tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor. » Deinde hæc aptat pœnitentiæ suæ, atque, « En, *inquit*, regulam, quam secutus sum in hoc toto opere, regulam traditionis, quam complectuntur Canones, et Concilia, et quæ est norma veritatis catholicæ secundum Patres, et caput fidei secundum hunc Pontificem. »

III. Hæc oratio digna est quæ expendatur, propter maximum momentum restitutionis pœnitentiæ. Hinc enim sequitur esse *caput fidei ;* quod debet in usum revocari ita, ut observetur ea pœnitentiæ ratio.

Religio Christiana complectitur duo genera veritatum ; quarum aliæ sunt *theoreticæ*, quæ illustrant intellectum, et complectuntur capita fidei credenda ; aliæ vero *practicæ*, vel morales, quæ docent quid sit faciendum, et ad quas referuntur consuetudines, ac ritus. Utraque habet, pro norma minime fallace, traditionem, et constitutiones Conciliorum, ut affirmat Arnaldus, qui vult hasce duas veritates æque confirmari regula, quæ illis est communis. Itaque, ut fideles necesse habent indubitanter credere, quod traditio aut Concilia proponunt, quasi articulum fidei ; sic necesse habent facere, quod eadem norma fidei, et Conciliorum præscribit, quasi esset *caput fidei moralis*, ut ita loquar. Hoc promittunt quicumque profitentur fidem catholicam, ex formula Pii IV. prout eam Arnaldus interpretatur.

IV. Hoc est potissimum argumentum, quo idem Arnaldus probat restituendam esse pœnitentiam antiquam ; quandoquidem parendum est traditioni, et canonibus Conciliorum, quæ eam constituerunt, et propter quæ admissa est, ac in usum recepta in primitiva Ecclesia ita, ut ea veritas practica et moralis sit caput fidei. Hinc sequitur probatio propositionis nostræ, ut, quemadmodum cum agitur veritas theoretica, oportet Christianum credere summæ auctoritati, et minime fallaci regulæ, hoc est traditioni, et Concilio, quod ita rem definiit, sine additione ulla aut imminutione ; sic, quod attinet ad consuetudines, et ritus, qualis est pœnitentia, de qua nunc agimus, necessario sit sequenda accuratissime eadem regula traditionis, et Conciliorum, a qua ne latum quidem unguem discedere liceat, nisi velimus hæretici haberi.

V. Arnaldus satis ostendit se in hac esse sententia, cum in eadem præfatione tam in-

[1] Pag. 13. — [2] Pag. 66. et seq.

[3] Pag. 68.

clementer atque inhumane insectetur auctorem anonymum scripti, cui ea restitutio antiquæ pœnitentiæ displicebat; quamobrem eum quasi hæreticum infamat, quando ait, « Eum voluisse facere, quod attinet ad dispositionem ad sacramentum Pœnitentiæ, id, quod hæretici fecerunt in eodem sacramento : et quemadmodum everterunt totam ejus essentiam, et veritatem confirmatam fide, et traditione omnium seculorum, dum eam figuram tantum, et signum esse volunt; ita videri hunc auctorem velle evertere universam ejus veram dispositionem, confirmatam eadem traditione, et ab omnibus Patribus, dum eam convertit in meram umbram, et imaginem ejus, quam SS. Patres postularunt, et in operibus suis comprobarunt. » Quis non videt in hisce verbis ab Arnaldo vocari pœnitentiam hodiernam *umbram, et imaginem* veræ dispositionis ad sacramentum Altaris, quæ est pœnitentia antiqua; qua obsoleta, nulla superest amplius *vera dispositio* ad augustissimum hoc sacramentum ?

VI. Hanc eamdem ob rationem, perpetuo promit, ac prædicat traditionem, negatque [1] « se agnoscere aliam regulam veritatum catholicarum, aut se sequi ratiocinationem, ac consuetudinem hominum in rebus ecclesiasticis; » vult sequi « auctoritatem divinam, cui tota nostra religio innititur. » Ideo ait, esse [2] « veritatem immutabilem traditionis ecclesiasticæ, » de sua pœnitentia; contenditque [3] « esse institutum auctoritatis fallere nesciæ, et nixum doctrina Spiritus sancti, traditione apostolorum, decretis multorum Pontificum, canonibus plurimorum Conciliorum, et consensu generali omnium Patrum. » Similia alibi habet, quæ brevitatis causa omitto. Vide part. 2. c. 1. 16. 18. et 22.

CAPUT QUINTUM.

Digressio, in qua monetur lector de fraude novorum Pœnitentiariorum, qua conantur excusare quod docuerunt, instituta veteris pœnitentiæ fuisse immutabilia; ubi omnia earum subterfugia reteguntur, ac confutantur.

I. Verum oportet ut moneam lectorem de arte, vel potius de fraude novorum nostrorum Pœnitentiariorum, qui, ubi evidentia rationis et sensus communis coguntur fateri, antiqua illa instituta non amplius esse in usu apud fideles; et præterea vident non sine intoleranda insania, posse affirmari, quemadmodum fecerunt, illa ipsa instituta esse *immutabilia ac necessaria*, conantur absurda distinctione, et ridicula ambiguitate ei exprobrationi satisfacere. Aiunt se non negare ritum, seu actionem externam, vel ipsam consuetudinem mutari posse; sed se contendere, *dogmata, et potissima axiomata immutabilia esse*, quia semper verum est, ritus illos fuisse sanctos, et laudabiles, quamvis hodie non observentur. Ita se tuetur Arnaldus in epistola ad Reginam, et in aliis operum suorum locis; atque ita factitarunt nonnulli ejus sectatores in variis nullius pretii libellis, quos ad doctrinam ejus defendendam ediderunt.

II. Sed facile est intellectu subterfugium hoc merum esse, atque ex quo erroneum nascitur consectarium. Nam si vere possunt dicere instituta de antiqua pœnitentia confirmata traditione, Conciliis, et Patribus, quæ affirmat Arnaldus, observata fuisse per *duodecim secula, esse immutabilia, et necessaria*, quia manant ex quibusdam principiis, et axiomatibus, quæ theologi vocant *æternæ veritatis;* si, inquam, immutabilia dicantur, quia sunt honesta, et sancta cum natura sua, tum etiam usu, quem iis tribuit legislator; idem dicendum erit de lege Mosaica, atque erroris erit arguendus S. Paulus, qui docet [4], *translato sacerdotio, necesse esse, ut et legis translatio fiat.* Nemo enim, nisi blasphemus haberi velit, aut Manichæus, vel Marcionita, negave-

[1] Præf. p. 106. — [2] Ib. pag. 110. et p. 1. c. 1. — [3] P. 2. c. 48. — [4] Heb. 7. 12.

rit antiquam legem fuisse sanctissimam, et nixam dogmatibus, atque axiomatibus immutabilibus.

Idem dicetur etiam de Digestis, Codicibus, atque universo jure Romano, cujus leges habebuntur immutabiles, quia earum fons est justitia, ratio, ac lumen naturale, quæ sunt immutabilia.

III. Operæ pretium est hanc ratiocinationem probe a nobis intelligi, ut ea utamur quasi face, quæ nobis præluceat per obscuras ambages ac mæandros, per quos callidi homines elabuntur, et fugiunt eorum oculos, qui ipsorum vestigia sequuntur.

Audiamus, quæ hac de re dixit totius consilii auctor in opere de frequente Communione. Agens de mutatione, quæ in Ecclesia contigit circa usum pœnitentiæ, ait [1] « Ecclesiam posse quidem mutare usus, et ritus externos; sed non magis posse fieri, ut mutet sententiam, quam potest fieri, ut desinat esse columna veritatis. Quis enim non videt, ut hoc fieret, oportere posse illam retractare, quæ docuisset; si vero Ecclesia posset sua dogmata retractare, non tantum errori obnoxiam fore, sed etiam seipsam damnaturam : quo modo desineret esse domus sapientis architecti, et animorum fidelium certum perfugium, cum inniteretur instabili arenæ, non immobili rupi? » Tum addit, « Doctrinam de pœnitentia non esse inventum hominum, sed ab inspiratione Dei; et æque immutabilem ac Spiritum, ex cujus afflatu nata est, et qui nunquam transibit, quamvis cœlum et terra transeant. »

IV. Arnaldus, qui se gerit quasi sponsorem, et vadem dogmatum magistri sui, explicet mihi verum sensum verborum ejus, ostendatque, qui intelligat, Ecclesiam *non mutasse sententiam* de usu pœnitentiæ veteris. Vultne, quamvis usus ejus abolitus sit auctoritate vel indulgentia Ecclesiæ, attamen huic semper probari pietatem, ac doctrinam sanctam, et catholicam, cui antiquum illud institutum innitebatur? Si hoc affirmet, nihil dicit. Idem enim posset aptari institutis legis Mosaicæ, ut modo dicebamus, et præsertim quidem legibus, quæ vetabant certos cibos, ut sanguinem, et carnem suffocatam. Idem affirmari queat de innumeris rebus, quæ olim præceptæ fuerunt in Ecclesia, et quæ postea obsoleverunt, ac antiquatæ sunt ubique. Ejusmodi sunt usus calicis in communione, immersio in baptismo, et ceteri ritus, quos ex pœnitentia publica novi directores resectos voluerunt, ut ostendimus lib. 2. c. 1. et 2. Igitur hinc licebit colligere, omnia illa instituta esse *immutabilia*, nec potuisse Ecclesiam ea antiquare, quia *non potest retractare, quod docuit.*

V. Verum si ita mentem ac orationem magistri explicet, ludibrium omnibus debebit, nec quidquam dicet, quod ad rem faciat. Nunquam animus fuit scriptori anonymo simpliciter vituperare usum pœnitentiæ publicæ, aut etiam quod attinet ad tempus, quo ejus observatione tenebantur fideles. Egit tantum de præsenti tempore, et ex quo desiit observari, ut adversetur errori novorum pœnitentiariorum, qui volebant denuo homines adigere ad eam observandam ex falsis dogmatibus, damnatisque judicio Pontificum, Conciliorumque œcumenicorum, et consensu totius Ecclesiæ catholicæ.

VI. An vero Ecclesia consuetam rationem pœnitentiæ hodiernæ non probavit, sed tantum tolerat quasi licentiam, perfractionemque legis divinæ immutabilis; quia non potest ei morum prolapsioni medicinam facere, intereaque apud animum suum aliter sentit et contraria omnia exoptat? Si hæc est mens tua, veraque sententia verborum magistri tui quare eam occultas? Quidni clare loqueris de re tanti momenti? Ita se gessit Mileterius verus interpres oraculorum vestrorum, sententiarumque mysticarum. Cur ergo negatis vos cum eo sentire? Vestigia vestra premit, et ratiocinatur instar vestri; sed aperte profitetur, quod tædiosa oratione occultas, ac interpolas, ne intelligatur.

VII. Doce nos, Arnalde, semel saltem, quid velis nos judicare de tua doctrina. An censet Ecclesia, necne, nos teneri observatione veteris pœnitentiæ? Si ita est, omnes necesse habemus eam observare, cum ejus voluntas sit lex, ac præceptum, cui nos oportet parere. Sed eadem opera, temetipse damnas prævaricationis, proditæ Dei causæ, violatique jurisjurandi doctoratus tui; quia contrarium affirmas in epistola ad Reginam [2], et in præfatione libri de Traditione [3], in quo contradictis auctori operis de frequente Communione, ut postea dicemus.

Si vero Ecclesiæ animus amplius non sit nos ad ejus observationem adigere, ea lex non est immutabilis, cum sit mutata, et penitus

[1] Part. 1. cap. 18.

[2] Pag. 27. — [3] Pag. 60.

antiquata. Lex non viget, nisi dum ea tenemur, quod ei adnexum est, aut potius necessario conjunctum, facere. Quapropter, judice S. Thoma [1], « Dicitur lex a ligando, quia obligat ad agendum, » ideoque debet habere [2] *vim coactivam*. Unde liquet legem, quæ olim cogebat peccatores subire eam pœnitentiam, cum desiit cogere, desiisse esse, quod erat : quæ maxima est mutatio, quæ in rerum natura contingat.

Itaque immerito negas sententiam Ecclesiæ, de pœnitentia, nunc esse mutatam, quandoquidem, cum ea sententia sit voluntas, si velis loqui, ut hominem sanum et vel modice eruditum decet, non possit etiamnum ita sentire, si nunc contraria omnia velit.

VIII. Si enim dixeris hanc sententiam sejunctam a voluntate obligandi esse merum judicium de utilitate, et præstantia veteris consuetudinis, conjunctum cum cupiditate, qua optat liberos suos sponte eam perfectionem complecti, et sine ulla coactione ; præterquam quod hoc demum est hariolari, et inania somnia pro rebus veris habere ; hoc non satis est ad defendendum, quod dixit magister tuus in præfatione, se per totum opus « secutum esse traditionem, quam complectuntur Canones, et Concilia, quæ est norma veritatis catholicæ, secundum Patres, et caput fidei, secundum Pium IV. » Canones enim illi pœnitentiales non amplius obtinent vim normæ, neque legis loco habentur, postquam desiimus illis teneri. Blasphemia est, si quis affirmet *caput hoc esse fidei*, et contra mentem illius pontificis ; qui eo loco, qui hic respicitur, non loquitur de meris consuetudinibus, et ritibus externis, qualia erant exercitia veteris pœnitentiæ, quæ abrogata sunt ab eadem auctoritate, a qua fuerunt instituta.

IX. Hæc externa exercitia intelligenda sunt, cum dicimus pœnitentiam veterem antiquatam fuisse ; non actiones internæ, et satisfactiones convenientes, et quidquid pertinet ad sacramentum Pœnitentiæ. Hæ enim integræ, atque incolumes sunt in usu recepto, ut antea multis ostendimus, et postea iterum dicemus ; ut liqueat te abuti nomine pœnitentiæ, cum externam et cæremonialem pœnitentiam, quæ pendet ex institutione ecclesiastica, aut ex consuetudine, sumas pro ea, quæ est immutabilis et necessaria ; ritum, pro ipsa actione ; et quod accedit, pro ipsa re.

Sed nimium moramur, in evincendo errore usque adeo manifesto, confutandaque ratiocinatione tam infirma ; qua tamen viri illi adeo periti traditionis, Conciliorum, Patrum, et solidæ Theologiæ, usi sunt, quasi una ex potissimis rationibus, quibus doctrinam suam tuentur. Qua de causa diutius rei immorati sumus. Nunc ad cetera veniamus.

CAPUT SEXTUM.

Quinta propositio. *Arnaldus docet nos non minus hodie teneri prisca ratione pœnitentiæ, quam Ecclesiam primitivam.* Quod probatur sequentibus.

I. Est necessarium consectarium, quod ex antecedente propositione deducitur. Si enim vetus illa ratio pœnitentiæ sit [3] *præcepta a Christo*, si sit *immutabilis*, si *necessario conjuncta sit cum substantia sacramenti Altaris, quæ est immutabilis*, prout scriptum est in libro, cujus Arnaldus se quasi auctorem gerit ; sine dubio pœnitentiæ illius lege perpetuo tenemur, neque solvi possumus, cum Ecclesiæ, ejusque pastoribus nullum jus sit ea in re, ut nec in aliis omnibus quæ sunt juris divini, quidpiam mutandi.

II. Præter hanc consequentiam, quæ manifesta est, rem diserte fatetur Arnaldus multis in locis, ut in Præfatione, ubi postquam dixit, quod protulimus in probatione primæ propositionis, nimirum usum antiquæ pœnitentiæ « confirmatum fuisse doctrina omnium Patrum, et canonibus omnium conciliorum, quæ aliquid de pœnitentia statuerunt, » addit,

[1] 1. 2. q. 90. art. 1. — [2] Ibid. quæst. 96. art. 5. [3] Præf. pag. 13.

« eam nunquam fuisse damnatam, aut rejectam, neque ullo seculo, neque ullo Concilio, neque ullo decreto, etc. » quæ jam alibi protulimus [1].

An quidquam disertius, aut significantius potuit dici ad ostendendum nos etiamnum teneri legibus de pœnitentia, quæ olim præcepta erat; quoniam eæ leges etiamnum vigent, neque abrogatæ sunt, aut antiquatæ ullis decretis, aut consuetudinibus contrariis, quæ quidquam iis derogare possint?

III. Quod attinet ad consuetudinem quæ objici posset, quasi ea antiquata sit pœnitentia, quæ olim præcepta erat, negat Arnaldus hoc satis esse, ut lege illa solvamur. « Ecclesia, *inquit* [2], nos docet nullam aliam agnoscere regulam veritatum catholicarum, præter traditionem ecclesiasticam, etc. nec sequi ratiocinationem, aut consuetudinem hominum, in rebus ecclesiasticis, sed auctoritatem divinam, cui universa nostra Religio innititur ». Verba, quæ simillima sunt capiti 5. Confessionis fidei Calvinistarum Galliæ. Præterea [3] postquam multum prædicavit, ac laudavit traditionem antiquam de pœnitentia, quam sancti Patres confirmarunt, sic in consuetudinem invehitur : « Ne opponamus consuetudinem magistris illis Ecclesiæ, quasi unicam normam pœnitentiæ. » Cui rei aptat illud Augustini ad Psalm. 21. ubi Christum ita loquentem inducit : *Circumdederunt me non pro veritate, sed pro consuetudine latrantes multi.*

IV. Eo etiam spectat, quod Arnaldus conatur nobis persuadere [4], concilium Tridentinum non tantum cupiisse restitui pœnitentiam veterem, varia indicans, quibus posset hoc cœptum ad finem perduci, adeo ut « divinis ejus præceptis satisfacere nequeamus, nisi demus operam, ut, quoad licebit, restituatur pœnitentia antiqua; » sed etiam illam restituisse. Quod sic ostendit : « Hoc cernere est, *inquit*, primo in eo, quod Concilium restituit omnes traditiones apostolicas. » Unde colligit, quandoquidem pœnitentia antiqua est traditio apostolica, hanc re ipsa instauratam fuisse a Concilio. Igitur quanta est auctoritas Concilii ad obligandum, tanta est necessitas imposita fidelibus observandi traditionem de pœnitentia; cum præsertim [5] « hæc doctrina, ut alibi docet, non sit doctrina, quæ manarit ex inventione hominum, sed ex inspiratione Dei, ac proinde æque immutabilis sit ac Spiritus, a quo est inspirata, et qui non transibit, quamvis cœlum et terra transeat. »

V. Eadem de causa, Arnaldus, dum producit plurima testimonia Patrum de necessitate subeundæ pœnitentiæ, antequam impetrentur absolutio, et communio, loquitur de ea necessitate quasi de re præsente; unde liquet, ex ejus sententia necessitatem præcepti etiamnum vigere, nec tempore, aut consuetudine esse antiquatam. Sic capiti 4. secundæ partis hunc titulum præfixit : « Ex sententia Patrum, propter omnia peccata mortalia, debemus aliquandiu manere in pœnitentia, antequam communicemus. » Vide et caput sequens.

VI. Verum hæc levia sunt præ iis, quæ habentur cap. 22. secundæ partis, in quo probare aperte aggreditur, necesse esse hodie, æque ac olim fuit, peccata mortalia expiari satisfactione publica : « Quoniam, *inquit*, idem est Deus, qui offenditur, idem scelus, quod admittitur, et quidem a Christiano, ut olim; rationi consentaneum est, ut idem homo satisfaciat eidem Deo, eodem modo, in eadem Ecclesia, propter idem scelus. Si vulnera corporis curantur hoc tempore, quemadmodum ante mille, ac bis mille annos, necesse est potiori jure in vulneribus animi servari easdem regulas Jesu Christi, quas apostoli, eorumque successores nos docuerunt, quippe immutabiliores rationibus Hippocratis, et proprietatibus naturæ. » Itaque omnes necesse nunc habemus curare morbos nostros spirituales, eodem remedio pœnitentiæ, quod a temporibus Jesu Christi, et apostolorum adhibitum est; quoniam est immutabile ac necessarium, et, ut alibi loquitur [6], unum ex *officiis evangelicis*.

[1] Lib. 1. c. 8. § 5. — [2] Præf. p. 106. — [3] Pag. 136. — [4] Part. 2. c. 21. — [5] Part. 2. c. 18. — [6] Part. 3. c. 16.

CAPUT SEPTIMUM.

Sexta propositio. *Arnaldum censere jure divino atque immutabili oportere, ut peccatores, qui sacramentaliter confessi sunt peccata, arceantur aliquandiu ab absolutione, et a communione; usum vero contrarium esse abusum, qui sit corrigendus.* Quam esse Arnaldi sequentia ostendunt.

I. Quin hæc sit vera Arnaldi sententia, nemo dubitare queat, nisi evertat universam doctrinam operis de frequente Communione, et dogmata, quibus tota innititur, prout hactenus probavimus. Cum pœnitentia antiqua præcepta sit ab ipso Christo, immutabilis, necessario conjuncta cum communione, atque extra potestatem Ecclesiæ, ut docet opus de frequente Communione [1], quemadmodum probavimus; necessario sequitur dilationem absolutionis, et communionis, quæ a vetere pœnitentia, ex sententia Arnaldi, separari non potest, esse plane necessariam, nec Papam aut Ecclesiam universalem posse eam remittere. Itaque atrox delictum admittunt, quicumque rem minime observant; quandoquidem perfringunt priscam traditionem Christi, et apostolorum, quæ est norma unica, et inviolabilis fidei, et omnium dogmatum catholicorum.

II. Arnaldus confirmat hanc propositionem in secunda parte operis sui, et præsertim quidem capite 2. et seqq. ubi ostendit usum ac necessitatem dilationis absolutionis ac communionis, secundum Patres, propter omnia peccata mortalia. Præterea dicit [2], « Concilium Tridentinum diserte profiteri, se, ad pœnitentiam quod attinet, velle tantum sancte conservare consuetudinem Ecclesiæ, ita ut ad dirimendam eam litem nihil supersit, nisi ut investigemus consuetudinem Ecclesiæ. » Similia habet cap. 44. Quandoquidem igitur perpetua consuetudo Ecclesiæ fuit per duodecim secula, ut diu arcerentur ab absolutione, et communione, qui lethale delictum admisissent, ut contendit Arnaldus, ac per totum opus probare nititur [3]; hinc colligendum est, Concilio animum fuisse hoc necessario imponere fidelibus, qui cum ei non pareant, sibi iram Dei contrahunt.

III. « Ecclesia, inquit Arnaldus part. 2. c. 12. per tot secula observavit sanctam hanc consuetudinem, ut non remitteret peccata mortalia, nisi post longam ac seriam pœnitentiam, post satisfactionem consentaneam magnitudini ac generi delictorum, prout jusserunt Papæ. »

Paulo post, « Agnoscamus, *inquit*, utilitatem sanctæ hujusce disciplinæ, confirmatæ a tot Pontificibus, a tot Conciliis, et a tot sanctis viris, et quæ originem suam habet in ordine ipso, qui est in Spiritu Dei; qui vult, secundum leges justitiæ ipsius, peccata contra se commissa conveniente pœnitentia expiari, et secundum leges ipsius sapientiæ eam satisfactionem interponi inter confessionem peccati, et absolutionem sacerdotis. » Si Deus vult inter confessionem sacramentalem, et absolutionem intercedere satisfactionem, eamque non qualemcumque, sed *longam, et seriam, et consentaneam gravitati, generique delictorum;* an quisquam dubitet hodiernam consuetudinem contrariam esse voluntati Dei, deinde etiam licentiam; priorem vero rationem juris esse divini atque immutabilis?

IV. Hoc ipsum aperte docet cap. 13. « Igitur, *inquit*, indubitatum habeatur necesse est, tempore S. Cypriani, pro sententia totius Ecclesiæ (quæ divelli nequit ab Ecclesia hodierna, nisi a solis hæreticis, nec sane potest unquam sine sacrilegio, ac laceratione ejus unitatis) oportuisse delinquentes per plures dies in pœnitentia esse, antequam communicarent. » Si hodierna Ecclesia sejungi nequit a prisca in usu pœnitentiæ *sine sacrilegio, et laceratione unitatis;* etiamnum hodie ea lege æque necessario tenemur, ac unquam ulli Christiani: estque perfractio ejus crimen horrendum.

[1] Propos. 3. et 4. — [2] Part. 2. cap. 2.

[3] Præsertim cap. 8. in Præfat. pag. 16. et seq. et Part. 2. cap. 47.

CAPUT OCTAVUM.

Septima propositio. *Non tantum capite de dilatione absolutionis, et communionis iis, qui peccatum mortale admiserant, quodcumque tandem esset, seu arcanum seu publicum, secundum doctrinam operis de frequente Communione; sed etiam tota lege de pœnitentia publica, quæ vigebat in Ecclesia primitiva, nos etiamnum hodie teneri.* Quam Arnaldi esse sententiam sequentia ostendunt.

I. Hoc paradoxum est explicatio doctrinæ operis de frequente Communione, conjunctum cum superioribus propositionibus. Si enim veteres canones, qui priscam rationem pœnitentiæ instituerunt, sunt juris divini, et immutabilis, ac proinde iis teneantur omnes fideles, quocumque tempore vivant; debent observari pro iis, quæ complectuntur, et quidem accuratissime. Omnes autem illi canones Conciliorum, atque omnia loca Patrum, quæ adhibet Arnaldus ad intromittendam rationem suam pœnitentiæ, et præparationis ad communionem, diserte constituunt pœnitentiam publicam cum ejus gradibus, exercitiisque humilitatis, a nobis antea explicatis lib. 2. cap. 13. Ubi agunt de excommunicatione, non jubent tantum pœnitentem arceri sacramento Altaris, sed etiam ne ingrediatur ecclesiam, absitque S. Missæ sacrificio. Igitur huic rationi pœnitentiæ Ecclesiam subjicere cupit Arnaldus.

II. Quia vero postea conatus est fallacibus subterfugiis, ridiculisque interpretationibus hanc objectionem amoliri, huic rei nobis est nonnihil immorandum, atque ita constringendus, ut cogatur cedere vi veritatis, et fateri, insanum hoc fuisse suum cœptum. Quem in finem utar tantum ejus dogmatibus, verbisque ejus disertis. Agens igitur de pœnitentia prisca, quam conabatur in usum revocare, ut ostendimus in secunda propositione; ut confunderet adversarium, adigeretque eum ad suscipiendam ejus restaurationem, hac potissimum ratione nititur [1]: « Optimam regulam, quæ observari queat, et quam debemus sequi in omnibus fidei dogmatibus, atque in universa ethica Christiana, » hoc est in iis, quæ pertinent ad ritus, qualis est pœnitentia, de qua disceptamus, « esse, si spectemus, quid sit consentaneum antiquitati, traditionibus sanctorum, et priscis consuetudinibus Ecclesiæ. »

III. Hanc regulam auctor scripti anonymi quasi fundamentum totius suæ dissertationis posuerat. Hanc arripuit Arnaldus, extollitque mirum in modum, et quasi basin totius suæ disputationis vult esse. Hac ergo posita, « Hinc, *inquit*, judicavi, nihil aliud mihi esse faciendum ad confutationem hujusce scripti, nisi ut id examinarem regula tam sancta, tamque inviolabili, quam ab initio auctor proponit; nec me ipsum aggredi in hoc opere quidquam docere, mihique duntaxat proponenda esse ea, quæ Patres in suis docuerunt: quamobrem afferendam huc esse fidelitatem discipuli, non eruditionem magistri. » Tandem contendit ad dirimendam quæstionem de ratione pœnitentiæ, rationem duntaxat habendam eorum, quæ dixerunt Patres, Canones, et Concilia, *quæ statuerunt aliquid de pœnitentia.*

IV. Nec existimandum Arnaldum hanc regulam proposuisse eo tantum animo, ut defenderet hanc rationem pœnitentiæ, *ne eam damnemus, aut ut eam quasi sanctissimam revereamur,* non vero ut eam cuiquam observandam imponat. Alio plane spectat, et quamvis dissimulet tegatque consilium suum verbis ambiguis, et captiosis, constat tamen universam ejus disputationem, vimque ratiocinationis eo tendere, ut probet omnes fideles æque hodie ac olim teneri, pœna damnationis proposita, lege antiqua de pœnitentia publica, secundum totam extensionem regulæ, de qua ei cum adversario convenit.

V. Hoc autem posito, oportet id, quod Arnaldus dicit de pœnitentia prisca, « Eam esse præceptam a Jesu Christo, immutabilem, et necessario conjunctam cum substantia sacramenti Altaris, » ei convenire ab ipsa ejus origine, initioque institutionis, ubi conjuncta est cum principio, quod est Jesus Christus, vel ejus apostoli; a quibus nomen trahit constitutionis, vel traditionis divinæ, et apostolicæ. Si enim dixeris ejus *immutabilitatem*, aut *necessariam conjunctionem cum substantia sacramenti Altaris, quæ est immutabilis*, accessisse ad pœnitentiam publicam

[1] Part. 1. cap. 1. et Præf. p. 6.

aliquot post seculis, ante quæ poterat nonnullam mutationem pati, nec erat plane necessaria; manifesto absurda dixeris, et in turpem repugnantiam incideris.

VI. Itaque cogetur Arnaldus fateri, pœnitentiam priscam, ac proinde publicam, ut probavimus in propos. 3. non prius institutam fuisse, quasi constitutionem divinam, vel apostolicam, quam fuit *immutabilis*, ac dispositio necessaria ad Eucharistiam. Unde consequens est, ut nemo ea lege quemquam solvere possit, utque in perpetuum ea teneantur fideles, secundum primam ejus institutionem, et vim, quam obtinuit primis seculis ante relaxationem, qua paulatim mutata est, et imminuta.

Quod si forte contumacior sit Arnaldus, nec velit cedere tam perspicuæ rationi, saltem non poterit negare, id quod dixit de pœnitentia prisca, ejusque circumstantiis, oportere inveniri in institutione, quæ ei obtigit in Ecclesia illa primitiva, quam elegit quasi exemplar pœnitentiæ a se restituendæ, hoc est, temporibus SS. Basilii, Ambrosii, et Augustini.

VII. Itaque necesse habebit concedere, pœnitentiam usitatam illo tempore habuisse quæcumque tribuit priscæ pœnitentiæ. Constat autem ex ejusdem Arnaldi sententia, tunc temporis solam publicam viguisse, quæ imponebatur promiscue omnibus peccatis mortalibus, cum arcanis, tum publicis. Quod *obsolevisse* contendit *duntaxat ab* 800. *circiter annis*, in libro contra Mileterium [1]. In præfatione vero libri de Traditione [2], ostendit, non solum tempore Tertulliani, sed etiam S. Ambrosii, et diu postea, pœnitentiam publicam fuisse remedium commune omnibus peccatis mortalibus. Itaque ex judicio Arnaldi talis pœnitentia est immutabilis, nec a potestate Ecclesiæ pendet, adeoque semper est observanda. Eodem spectat, quod vocat [3] « restitutionem pœnitentiæ publicæ unicum remedium malorum, et peccatorum horrendorum, quæ regnant postremis hisce seculis. » Igitur tam necesse nobis est subire pœnitentiam publicam, quam fugere damnationem æternam, quæ est peccatorum horrendorum certum consectarium.

CAPUT NONUM.

Octava propositio. *Ratio pœnitentiæ, quæ ab aliquot seculis usitata est in Ecclesia, et successit veteri, et publicæ, est abusus, licentia, prolapsioque ac corruptio morum, quæ homines ad damnationem æternam ducit.* Quod probatur.

I. Res aliter se habere nequit, si verum est, quod hactenus probavimus. Cum enim pœnitentia antiqua sit juris divini, ejusque lege etiamnum teneamur; sine scelere, et violatione legum divinarum, et ecclesiasticarum, eam negligere non possumus. Peccatum enim nihil est, præter infractionem legis adhuc vigentis, quales sunt omnes leges divinæ, quibus nemo a quoquam solvi potest.

II. Sed non opus est ratiocinatione, ut colligamus hanc propositionem ex disputatione Arnaldi; legi potest in ejus præfatione, in qua diserte habetur. Ibi primum quis sit animus suus ostendit, et quo spectent operis ipsius editio, ac promulgatio doctrinæ. Affirmat hoc unum sibi propositum esse [4], « ut conetur restituere disciplinam Ecclesiæ, qualis invenitur in scriptis Patrum illorum S. Basilii, S. Ambrosii, et S. Augustini, quæ transmissa est ad secula sequentia, nec unquam ab Ecclesia, ulla contraria constitutione, abrogata. »

III. Postquam ita consilium suum aperuit, posuitque hoc fundamentum : *Traditionem esse solam normam veritatum catholicarum*, præsertim earum, *quæ pertinent ad mores, et disciplinam*, nec ei esse opponendam consuetudinem; ipse hanc sibi objectionem proponit : « Esse ferme schisma facere, et velle destruere Ecclesiam, si crediderimus esse aliquam in

[1] Pag. 15. — [2] Pag. 116. et seq. [3] Part. 3. p. 606. — [4] Pag. 101.

ejus disciplina corruptionem. » Quisquis attendet universam disputationem, quæ antecedit pag. 110. ubi objectionem illam habet, intelliget id, quod ab eo vocatur *corruptio disciplinæ Ecclesiæ*, esse tantum remissionem veteris pœnitentiæ. Quo posito, videamus quid respondeat objectioni, et quid sentiat de ἀναμαρτησία Ecclesiæ.

IV. Distinguit fidem a moribus, tum dicit, « Ecclesiam esse incorruptibilem in fide ; sed corrumpi posse in moribus in plerisque suis membris, et degeneraturam paulatim a prima puritate, prout progredietur versus finem mundi. » Hac distinctione putat se satisfacere objectioni, ostenditque in sequiorem partem trahi non oportere, neque quemquam offendi, si fateatur esse aliquid emendandum ac restituendum in disciplina Ecclesiæ ; quoniam in eam [1] « irrepunt multi abusus, et disciplina Ecclesiastica variis modis collapsa est; » quod diserte habet pag. 58. ejusdem præfationis. Itaque pœnitentiam, et præparationem ad communionem, quæ nunc sunt vulgo receptæ a multis seculis, ut ait, exclusa vetere consuetudine, vocat [2] *licentiam, depravationem, prolapsionemque morum, et abusum;* eodemque loco habet ac nefanda peccata, qualis erat incestus, in quem invehitur Apostolus, pronuntiatque sententiam excommunicationis, 1. Cor. 5. et qualia erant vitia, quibus Patres testantur inquinatam fuisse maximam partem Christianismi.

V. Quam in rem multa habet præfatio, collectis plurimis locis veterum Patrum, qui magnam corruptionem morum in Ecclesia describunt. Quæ Arnaldus aptat meris ritibus, et consuetudinibus, quæ per se indifferentes sunt, nec pertinent ad virtutes, aut vitia, quæ proprie *mores* a nobis dicuntur. Quo pacto simplicitate lectorum abutitur, fraude æque ridicula ac periculosa est ; auctoritatesque Patrum in alienum plane sensum detorquet.

Universa præfatio eo spectat, ut defendat ejus consilium de reformanda pœnitentia nunc recepta, restituendaque primitivæ Ecclesiæ pœnitentia; ita ut placentur ii, qui ægre ferunt carpi consuetudinem ab Ecclesia receptam, et probatam. Ut illis satisfiat, auctor præfationis contendit Ecclesiam erroribus, et vitiis corrumpi posse in disciplina, et moribus, quamvis incorrupta sit in fide. Quod ut probet, colligit [3] loca SS. Patrum, et Doctorum, qui queruntur ob morum corruptionem, hoc est vitia, et peccata, quibus omnes ordines Ecclesiæ exundavere. Sed quid ad rem facit ea collectio de morum depravatione, nisi ex ea colligas rationem receptam pœnitentiæ, et dispositionis ad communionem, quæ nunc apud universum nomen Christianum obtinet, habendam esse eodem loco, ac corruptionem morum, de qua Patres loquuntur?

VI. Annon respicit ad eamdem pœnitentiam, cum dicit eodem loco [4], se merito « describere corruptionem Ecclesiæ, et deplorare misericordia commotum morum et disciplinæ prolapsionem, ut Ecclesia restituatur in pristinum statum, utque evadat, si fieri potest, æque incorrupta in moribus, ac est incorrupta in fide? » Similia habet de eadem pœnitentia parte 2. cap. 47. et in Admonitione p. 40. quæ aliquoties protulimus : et quibus satis significat se non abusus consuetudinis receptæ emendatos doctrina sua cupere, et instauratione quam Ecclesiæ afferre nititur, sed ipsam consuetudinem immutatam velle, quandoquidem nemo dixerit *abusum, et licentiam intromissam fuisse indulgentia, et* συγκαταβάσει *Ecclesiæ ;* quemadmodum intromissa est consuetudo hodierna, quam aboleri cupit, ut ejus loco antiquior illa, et magis canonica substituatur.

[1] Ibid. p. 114. — [2] Pag. 116.

[3] A. p. 112. ad 122. — [4] Pag. 120.

CAPUT DECIMUM.

Nona propositio. *Opus de frequente Communione damnat Ecclesiam erroris, eamque insimulat facinoris æterna damnatione digni. Eadem sententia involvit etiam omnes Christianos, qui nunc vivunt, et qui a quingentis annis in ejus communione vixerunt.* Quod probatur.

I. Hoc consectarium necessario sequitur ex antecedentibus propositionibus. Pœnitentia, ut vult Arnaldus [1], usitata in Ecclesia primitiva, et quæ per duodecim secula obtinuit, est juris divini atque immutabilis ex doctrina ejus operis. Ea lege æque nunc tenentur Christiani [2], ac unquam antea, cum nunquam antiquata fuerit ullo decreto, aut contraria consuetudine [3]. Quod vero attinet ad pœnitentiam hodiernam, licentia mera est, corruptioque ac prolapsio morum, cujus exitus est damnatio æterna [4]. Cum hæc omnia placita doceantur, ac defendantur in libro de frequente Communione, hinc sequitur Ecclesiam, quæ a quingentis annis consuetudinem contrariam recepit ac comprobavit, perfregisse legem divinam, atque potestatis a Deo acceptæ limitibus excessisse, vel potius instituta Domini nostri Jesu Christi irrita fecisse. Similiter omnes Christiani, qui, admisso peccato mortali, id pœnitentia publica minime expiarunt, satis habentes subiisse vulgo receptam pœnitentiam, sunt in statu damnationis, atque extra spem salutis; nisi amplectantur novam hanc directionem, et sese quinti hujus Evangelii legibus subjiciant.

II. Hæc ratiocinatio vera est demonstratio deducta ex ipsis axiomatibus novæ doctrinæ, et libro, quem Arnaldus sibi tribuit. Fatetur pœnitentiam, quæ observabatur tempore primitivæ Ecclesiæ, et quam [5] « aggressus est describere in hoc opere, qualem eam invenimus in traditione Ecclesiæ constitutam, non tantum a Patribus antiquis, sed et nuper a concilio Tridentino, etc. » non esse eam [6], « quæ nunc vulgo recepta est apud fideles, sed eam, quæ olim in Ecclesia obtinebat. » Eam viguisse circiter duodecim secula [7], « et abhinc quingentis annis paulatim esse imminutam » ita, ut nunc [8] *restituenda* sit, et *revocanda*. Præterea fatetur, Ecclesiam [9], « quasi piam matrem, coactam fuisse sese attemperare infirmitati liberorum suorum, dum iis concessit alium usum, qui videtur facilior esse, et minus severus. »

III. Unde colligendum, ex doctrina Arnaldi, ab Ecclesia concessum, et comprobatum « usum contrarium præcepto Jesu Christi, et qui [10] favet impœnitentiæ communi plerorumque. » Præterea, cum leges veteres de pœnitentia sint *immutabiles* ex ejus sententia, ut vidimus, nec consuetudine possint antiquari; sequitur et universam Ecclesiam, et omnes fideles singillatim, a quingentis annis jacuisse in statu damnationis; quia neglexerunt observationem officii immutabilis in re necessaria, qualis est usus duorum sacramentorum Pœnitentiæ atque Eucharistiæ. Quæ est hæresis, et blasphemia, quibus nititur consilium atque universa doctrina operis, cui Arnaldus nomen suum mutuum dedit. Hisce egregie convenit cum axiomate, desumpto ex scriptis auctoris novæ factionis, Ecclesiam hodiernam non esse veram Ecclesiam, *quæ abhinc sexcentis annis cœpit intercidere*. Quam opinionem damnat August. in Donatistis, et sacrilegam vocat [11]: « Hoc sentire, *inquit*, sacrilegium est; et certum est Ecclesiam permanere. » Hisce adde, quæ scripsit Arnaldus contra Mileterium, p. 14. et 15. legesque sententiam damnationis, quam in semet ipse pronuntiavit.

[1] Prop. 3. — [2] Prop. 4. — [3] Prop. 5. — [4] Prop. 6. — [5] Præf. p. 57. — [6] Ib. p. 7. — [7] P. 2. c. 47.

[8] In Adm. p. 40. et Præfat. p. 101. — [9] Part. 2. c. 18. — [10] Part. 2. c. 47. — [11] Ep. 48.

CAPUT UNDECIMUM.

Decima propositio. *Auctorem libri de frequente Communione semetipsum damnare sacrilegi facinoris, dum tyranni more invadit summam potestatem mutandi, atque abrogandi leges divinas, quæ sunt immutabiles, et quibus nemo solvi potest; qua in re se præfert Ecclesiæ.* Quod probatur.

I. Ostendimus ad propositionem tertiam, quartam, et quintam, ex doctrina Arnaldi universam pœnitentiam veterem cum omnibus suis circumstantiis, qualis describitur in scriptis veterum, et præsertim SS. Basilii, Ambrosii, et Augustini, ejusmodi etiamnum esse, ut ejus lege teneamur, cum sit divina, et immutabilis. Omnis ejusmodi ritus neque remitti cuiquam, neque minui potest, cum sit supra creaturæ jus ac potestatem posita ita, ut ejus mutatio aut neglectus, seu publicæ aut privatæ auctoritati debeatur, sit scelus ac sacrilegium.

II. Hæc minime obstiterunt, quominus scriptor operis de frequente Communione sub nomine Arnaldi editi, usus summa potestate et Pontificia ampliore, remitteret quidquid videbatur; omissisque exercitiis pœnitentiæ consecratis traditione, a Patribus, et a Conciliis, solveret nos legibus ab Ecclesia per tot secula observatis. Patitur pœnitentes suos id facere clam, quod alii palam faciebant; per aliquot menses, quod alii per multos annos; præsentes sacrificio Missæ, quod alii ecclesia expulsi, dum celebrarentur mysteria; remittitque omnes illas actiones humilitatis, quas edebant pœnitentes, convenienter traditioni, canonibus, et Patribus, *in sacco, et cinere, in cilicio, in jejuniis, in vigiliis, in omni austeritatum genere.* Denique, ut ostendat, se extraordinaria, et humana majore potestate uti in iis, quæ pertinent ad formam pœnitentiæ, et dispositionem ad communionem [1], « nihil ferme retinet ex partibus externis antiquæ pœnitentiæ, præter separationem a corpore Filii Dei, » quod vocat *justum atque æquum temperamentum.*

[1] Præf. p. 17.— [2] Lib. 2. c. 13.— [3] Sup. ad prop. 13.

III. Ne repetam, quod alibi demonstravi [2], dilationem absolutionis, et communionis non esse proprie pœnitentiam illam publicam, de qua Patres ac Concilia tam multa dixerunt; ac proinde Arnaldum non stetisse promissis, nec restituisse pœnitentiam, cujus phantasma duntaxat, et umbram retinuit: contendo, ex principiis doctrinæ, quam tuetur, et operis, cujus vadem se gerit, reum illum esse horrendi sacrilegii, eo quod adulteravit consuetudinem, quæ non est *politia, aut consuetudo ecclesiastica*, sed [3] *præceptum Jesu Christi immutabile, ac necessarium,* ex quo resecuit potissimam partem. Qua in re sibi adrogavit summam potestatem, quæ nec Ecclesiæ, nec episcopis, nec ipsi Pontifici inest; cum solius Dei sit rem mutare, aut remittere.

IV. Pontifices, et Concilia [4] feriunt horrendo anathemate, et prævaricatorem habent eum, qui audet perfringere Canones, aut permittit eos violari. Quis jam ab Arnaldo id anathema arcebit, qui cum scripserit, canones, qui constituerunt pœnitentiam antiquam, esse juris divini, et immutabilis, attamen profitetur nos iis legibus non amplius teneri [5]?

Annon dignus est, cui exprobretur id, quod Dominus noster exprobrabat institutoribus cæremoniarum, magnis magistris, laudatoribusque pœnitentiæ, et austeritatis: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Matth. 15. 3.

[4] Hadr. PP. Capit. Angil. dat. 80. T. 2. Conc. Gall. pag. 3. *Item generali decreto constituimus ut exsecrandum anathema, et velut prævaricator catholicæ fidei apud Deum reus existat, quicumque Regum vel Potentum deinceps Canonum censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam.* Cap. Aquisgran. eod. Tom. p. 149. Agap. PP. Ep. 2. ad Cæsar. T. 1. Conc. Gall. pag. 240. Tolet. 12. Can. 4. Leo I. Ep. 5. — [5] Præf. p. 16. et 17. Ep. ad Reginam pag. 17.

CAPUT DUODECIMUM.

Undecima propositio. *Potestas, quam exercent sacerdotes in delinquentes, habet hunc potissimum finem, ut imponat pœnam, non vero conferat remissionem peccati, ejusque abolitionem, infusione gratiæ sanctificantis.* Quam Arnaldi esse ostendunt sequentia.

I. Potestas, quam habent sacerdotes, et quam exercent in tribunali conscientiæ, in duabus actionibus sita est, *ligandi* nimirum, vel *solvendi*. Utraque finem habet proximum, et præcipuum, *satisfactionem*, quæ vulgo dicitur *Pœnitentia*, et *separatio ab Eucharistia*, ex doctrina operis de frequente Communione. Quod attinet ad potestatem ligandi, sub finem capitis 29. partis 2. ait, « Constare potissimam partem potestatis ligandi secundum Patres, esse impositionem pœnitentiæ, et separationem ab Eucharistia. »

Capite sequente, pariter dicit de potestate solvendi, « Secundum sententiam concilii Tridentini, et totius antiquitatis, impositionem pœnitentiæ esse finem proximum, quem sibi proponit sacerdos in audiendis confessionibus, ut eam possit imponere convenientem peccatis, quæ audivit. »

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Duodecima propositio. *Potestas sacerdotis remittendi peccata, et absolutio, quam largitur, statuit antecessisse veniam, et abolitionem culpæ, nec in eam agit, sed tantum in pœnam, imposita satisfactione consentanea delicto.* Quam esse Arnaldi sequentia probant.

I. Perpendat lector ea, quæ diximus ad propositionem sextam, judicetque, annon hoc sit consectarium ejus doctrinæ. « Constat, inquit sub finem capitis 13. partis 2. ut sequamur mentem Patrum, et spiritum totius Ecclesiæ, (quæ non potest separari ab Ecclesia hujus temporis, nisi a solis hæreticis, ut affirmat Arnaldus eodem capite,) hominem, qui admisit peccata mortalia, debere primum ea confiteri, deinde seriam eorum pœnitentiam agere, antequam ad Eucharistiam accedat. »

II. Quod cum ita sit, cumque ex traditione divina, et apostolica, ac, prout postulat institutio sacramenti Pœnitentiæ, necesse sit, post confessionem[1] « omnes peccatores sese purgare fructibus pœnitentiæ consentaneæ gravitati delictorum; sese, inquam, purgare satisfactione a sacerdote ipsis imposita, antequam possint reconciliari, hoc est, antequam reconcilientur absolutione sacerdotis; » sequitur necessario eos debere esse in gratia, ac purgatos macula peccati, antequam accipiant absolutionem sacramentalem ex ore sacerdotis. Alioqui *seria* eorum non fuisset pœnitentia, quandoquidem delicto mortali etiamnum essent inquinati. Itaque ex disputatione, et ratiocinatione auctoris libri de frequente Communione, proprius effectus absolutionis sacerdotalis, et sacramenti Pœnitentiæ, non est delere peccatum, nec etiam remittere pœnam, quæ jam remissa esset ob *longam, laboriosam, seriam, et convenientem pœnitentiam*, seu *satisfactionem consentaneam peccatis;* quæ jam purgasset animam, antequam acciperet absolutionem. Itaque omnis fructus sacramenti Pœnitentiæ, et absolutionis est tantum receptio ad usum sacramenti Altaris, conjuncta cum testificatione sacerdotis pronuntiantis, delinquentem satisfecisse, et absolvisse pœnitentiam canonicam.

III. Hanc esse sententiam Arnaldi, clarius ostendent hæc ejus verba ex cap. 11. p. 2.

[1] Part. 2. cap. 8.

« Liquet, *inquit*, ex universa serie doctrinæ Patrum, potissimam rationem, quæ eis fuit differendæ absolutionis delictorum, quæ delinquentes erant confessi, esse, quod quivis, qui gratia excidit, et dignus inferis evasit, primum dare operam debeat, secundum præscriptum sacerdotis, ut flectat iram divinam precibus, lacrymis, omni genere bonorum operum; ut se purget, prout vult S. Leo, satisfactione salutari, et pœnitentia conveniente peccatis, secundum Innocentium pontificem; utque impetret a divina misericordia gratiam veræ, ac firmæ conversionis, antequam potestate Ecclesiæ reconcilietur. » Quod est perinde, ac si diceret prius oportere hominem restitui in gratiam divinam, sanctificari, elui macula peccati, eripique obligationi, quam contraxerat, subeundæ pœnæ æternæ, quam sacramentaliter absolvatur. Qui enim dedit operam, ut flecteret iram divinam omnibus illis officiis, et omni genere bonorum operum, quorum præcipua sunt charitas, amor Dei, contritioque, ac conversio interna; non potest non esse sanctificatus, quia Deus nunquam recusat gratiam suam, neque veniam peccati ei, qui eas serio cupit, et qui facit, quod potest, ad flectendam iram divinam, precibus, et lacrymis, de quibus Ambrosius[1]: « Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur. » Nunquam Deus[2] *cor contritum, et humiliatum despexit.*

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Decimatertia propositio. *Opus de frequente Communione docet sola opera charitatis, a pœnitente edita, eum in gratiam cum Deo restituere, ac justificare; non absolutionem sacramentalem, neque solam contritionem internam, quam non comitatur ipsa observatio præceptorum divinorum.* Quod probatur.

I. Merito S. Gregorius papa[3], « Habent, *inquit*, hoc hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent, minime persuaderent. Sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, et ex malis bona inficiunt, et ex bonis mala, ut recipiantur, abscondunt; sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tingit. » Eadem habet Paulinus episcopus Aquileiensis[4], scribens contra Felicem et Elipandum. At in libro de frequente Communione conspicuum rei exemplar habemus.

Capite nimirum 39. partis 2. agens de dispositione pœnitentium ad communionem, ut reconcilientur per absolutionem sacramentalem, occulte hæresim insinuat, post doctrinam, quæ rejici non potest.

II. Ut retegamus subtilem hanc fallaciam, et quæ facile minus cautos decipere queat, id statuendum est, quod coacti sumus plus semel dicere : Pœnitentiam publicam priscis canonibus constitutam, olim fuisse præcepto impositam peccatis publicis gravioribus; et delinquentes necesse habuisse omnia subire, et observare quidquid erat iis præscriptum, ut Deo, et societati fidelium satisfacerent. Inter leges autem satisfactionis præstandæ hæc erat: eos nimirum, postquam peccatum confessi essent, ad pœnitentiam publicam admissos, prout episcopus censebat, secundum canones Conciliorum, per certum annorum numerum laboriosa exercitia humilitatis præstitisse, donec elapso tempore ad pacem Ecclesiæ admitterentur absolutione episcopali, quæ simul erat sacramentalis, et canonica; seu quæ simul remittebat, delebatque tam maculam, seu culpam, quam pœnam peccati canonibus constitutam. Itaque pœnitens recipiebatur ad usum sacramenti Altaris, postquam acceperat absolutionem dilatam, donec pœnitentiæ curriculum absolvisset. Quamobrem recte a Rabano Mauro definitur Absolutio hisce verbis[5]: *Reconciliatio est, quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur.*

[1] Lib. 10. in Luc. col. 216.— [2] Psal. 50.— [3] Mor. 5. c. 10. [4] T. 4. Bib. PP. col. 315.— [5] Lib. 2. de Ins. Cler. c. 3.

III. Præterea reputandum est reconciliationem pœnitentis fieri aut erga Deum, aut erga Ecclesiam; et quatenus ad Deum refertur, eum non indigere certo ullo temporis intervallo, neque actionibus ullis laboriosis, ac satisfactoriis. Statim enim ac peccator se convertit ad Deum [1], toto animo detestatus peccatum ex Dei amore, decrevitque constanter apud se defungi omnibus, quæ Deo et Ecclesiæ debet, illico veniam accipit, reditque in gratiam, quamvis nihil eorum, quæ utrique debet, sit executus. Satis est, si modo id præstare in posterum statuerit, quod si postea negligeret, non esset integra, neque vera conversio, neque effectum sortiretur propter impedimentum, quod gratiæ objiceret.

IV. « Charitas, inquit Augustinus [2], nihil aliud est, quam bona voluntas. » Quæ voluntas debet complecti quæcumque præcepta sunt, interna animi affectione, quam idem vocare solet [3] *præparationem cordis;* qua homo paratus est exequi præcepta, quotiescumque occasio sese dabit. Hinc factum ut S. Chrysostomus dixerit, « (1) Esse in nostra potestate, momento temporis, mutare universam vitam nostram, atque ex luto fieri aurum. »

Sed ut pœnitens reconciliaretur Ecclesiæ, non satis erat eum consilium cepisse de satisfaciendo, dum vigebant leges de pœnitentia publica. Oportebat bonam illam voluntatem sese prodidisse actionibus externis pœnitentiæ, pro ratione, et tempore definitis a Conciliis, aut præscriptis ab episcopis, ut quis censeretur meruisse gratiam absolutionis, et receptionis in communionem Ecclesiæ.

V. Hisce positis, non erit difficile ostendere scriptorem operis de frequente Communione doctrinam plenam erroris hanc protulisse; solam pœnitentiam internam, quamvis, ut loquitur concilium Tridentinum [4], *perfectam charitate,* non sufficere ad justificandum peccatorem, redeundumque in gratiam cum Deo; sed opera pœnitentiæ externæ esse cum ea conjungenda, ut hoc beneficium a Deo impetretur. Quam in rem possem proferre multa loca operis de frequente Communione, ubi agit de operibus satisfactoriis antiquæ pœnitentiæ, et de necessitate eorum adhibendorum ad impetrandam veniam a Deo. Sed nunc quidem satis habebo proferre, quod animadverti in cap. 39. partis 2. ubi sermo est de pœnitentia eorum, qui relabuntur in eadem peccata post pœnitentiam.

VI. Ibi scriptor, qui nomine Arnaldi utitur, postquam dixit « fictis illis pœnitentiis non reddi animum mundiorem, sed contra fœdiorem; pœnitentiamque, quæ nihil habet præter desideria, et consilia, quæ nulla gignunt opera, nec ullum effectum firmum seriæ resipiscentiæ, esse pœnitentiam hominis damnati, pœnitentiam vanam, et mortuam, pœnitentiam quæ ducit in inferos, et in iis etiamnum obtinet; » sibi objicit celebrem hunc locum Scripturæ, *In quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit;* quam objectionem sic proponit: « Scio equidem, eos, qui nolunt uti dilationibus illis salutaribus, quas S. Carolus vult a sacerdotibus tam frequenter adhiberi, solere afferre hæc verba Ezechielis, etc. »

VII. Ut hæc objectio ad rem faciat, necesse est ut quidpiam opponat, quod consistere nequeat cum iis, quæ antea proposita fuerant. In eo loco, quem Arnaldus putat ex Ezechiele desumptum, agitur duntaxat de reconciliatione interna, quæ fit cum Deo solo, non de externa et canonica, quæ pertinet ad hominum societatem. Itaque oportet id, quod ab Arnaldo dictum est, intelligi etiam de reconciliatione interna Dei, et animi pœnitentis, non de externa, et ecclesiastica; alioquin absurda foret objectio.

VIII. Clarius hoc intelligere licebit ex responsione Arnaldi, quæ duplex est. Prior est, hæc verba, quæ vulgo proferuntur, quasi ex propheta Ezechiele, in Scriptura non extare, qua de re postea agemus. Posterior, « Si quid sit in decimo octavo, et trigesimo tertio capite Ezechielis, quod affine sit hisce verbis, neminem tamen negaturum, nullum inesse posse eis pondus, nisi vero Prophetæ sensu intelligantur. » Prophetam autem in illis capitibus ita loqui, ut satis ostendat, opera debere antecedere fruitionem felicitatis, quam ea verba pollicentur. Decimo enim octavo capite scriptum est [5]: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fe-*

(1) Hom. 1. in Joan. Ἔξεστι γὰρ οὐχὶ ἐν πέντε ἡμέραις, ἀλλὰ καὶ ἐν μιᾷ ῥοπῇ μεταθέσθαι τὸν βίον ἅπαντα. Mox : Ὥστε ἔξεστιν ἄφνω μεταθέσθαι καὶ γενέσθαι χρύσεον ἀντὶ πηλίνου.

[1] Concil. Trident. Sess. 14. cap. 4. — [2] De gratia Christi, c. 23. et in Psal. 36. [3] Epist. 5. — [4] Sess. 14. cap. 4. — [5] Vers. 2.

cerit judicium, et justitiam, vita vivet, et non morietur. Paulo post populum ad conversionem hisce verbis hortatur[1] : *Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Capite vero 33. postquam promisit peccatori, nomine Dei, peccatum ei non nociturum, statim ac se converterit, paulo post explicat, quæ sit illa conversio[2] : « *Si autem dixero impio, Morte morieris ; et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium, et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum : vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccaverit, non imputabuntur ei.*

IX. Ex hisce locis Ezechielis, Arnaldus deducit consectarium, quod confirmat propositionem, quam demonstrare aggressus sum. « Annon, *inquit*, liquet ex hisce verbis, eum prophetam non magis, quam omnes alios, nullam habere veram conversionem, quæ non sit sita in mutatione vitæ inquinatæ, in vitam sanctam ; in desertione vitiorum, complexuque virtutis ? etc. »

Reputet nunc secum lector judicio præditus, qua ratione rejiciat Arnaldus sententiam vulgo receptam, quam falso Ezechieli prophetæ tribuit. Cum autem ea sententia affirmet, ex opinione Patrum, qui ea usi sunt, ut postea dicemus ; statim ac peccator ad Deum toto animo conversus fuerit, et contrita mente resipuerit, eum redire in gratiam cum Deo, atque in statum salutis : sequitur Arnaldum negantem hanc propositionem hoc sensu sumptam, postulantemque mutationem non tantum voluntatis, sed etiam actionum, credidisse solam contritionem non sufficere ad delendam maculam peccati, eumque in statum salutis restituendum, sed opera etiam eam in rem esse necessaria.

X. Sola *vera conversio*, nulla alia, nos potest in viam salutis ducere. Arnaldus autem negat ullam esse *veram conversionem*, aut promissionem ullam salutis, *nisi iis legibus, quas fert Deus* in locis prophetæ Ezechielis, in quibus, si Arnaldo credimus, Deus negat satis sibi esse voluntatem, sed postulat etiam opera extrinsecus producta ; qualia sunt bene facere pauperibus, reddere depositum, restituere ea, quæ male parta sunt, parere Dei mandatis. Itaque bonis operibus reipsa editis promiserit Deus salutem, et gratiam suam alligarit ; non vero soli mutationi voluntatis, perfecta contritione, neque pœnitentiæ, aut absolutioni sacerdotali.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Decimaquarta propositio. *Auctorem operis de frequente Communione vehementer errasse, cum temere negavit hanc sententiam* : Quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit, *nusquam in Scriptura extare, aut secundum Textum hebræum, aut secundum LXX. interpretes.* Quod probatur.

I. Est cur miremur temeritatem, ac præceps ingenium auctoris confidenter negantis, in ulla editione bibliorum extare memorata verba. « Quamvis, *inquit*[3], ea verba a multis recentioribus laudata fuerint, quasi revera essent in Scriptura ; attamen in ea non leguntur, nec qui ea laudant, quemcumque laborem quærendi suscipiant, unquam ea invenient, neque in nostra editione Vulgata, neque in textu hebraico, neque in versione LXX. interpretum, neque in paraphrasi chaldaica, neque in ulla alia versione, aut vetere, aut nova. » Si hic scriptor diligenter evolvisset sacras Scripturas, omnesque versiones, quas memorat, vel etiam veteres Patres, talia affirmare ausus non esset, invenissetque locum, in quo extant.

II. Discat igitur, quod ignorare eum non

[1] Vers. 30. et 31. — [2] Vers. 14. 15. 16.

[3] Part. 2. cap. 39.

oportuit, eum locum non esse Ezechielis, sed Isaiæ, secundum versionem LXX. int. ubi hisce verbis conceptus est, cap. 30. 15. Ὅταν ἀποστραφεὶς στενάξῃς, τότε σωθήσῃ, *cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Procopius habet ἐπιστραφείς. Quorum verborum eadem est sententia, ac si legeremus : *Quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit.* Propheta enim alloquitur peccatorem, docetque eum rationem, qua possit liberari peccato, quæ est mutatio voluntatis ad Deum conversæ, et quæ testatur, quam eum peccati pœniteat, suspiriis ac gemitibus : quemadmodum rem explicat S. Cyrillus [1]. S. Cyprianus profert eum Isaiæ locum, sub finem libri de Lapsis, et epist. 18. Eo etiam utuntur S. Pacianus in epist. 3. contra Novatianos, et S. Hieronymus sub finem commentariorum, quos scripsit in Michæam prophetam, ubi sic eum profert : « Statim ut conversus ingemueris, salvus eris. » S. Fulgentius, libro de fide ad Petrum, habet ; « Si conversus fueris, et ingemueris, salvus eris. » S. Gregorius papa [2] : « Peccator, *inquit*, in quacumque die conversus ingemuerit, salvus erit. » Quemadmodum citatur et a Ruperto [3], et ab auctore libri inscripti, *de conflictu virtutum, et vitiorum* [4], qui subjunctus est 9. tomo operum Augustini. Alii sic eum efferunt : « Quacumque hora peccator ingemuerit, et conversus fuerit, vita vivet ; » ut auctor libri *de vera et falsa Pœnitentia*, tributi S. Augustino. Petrus Damiani [5], et Urbanus IV. [6] legunt etiam, *Quacumque hora.* Sed hæc verba referunt potius ad Ezechielem, quam ad Isaiam, et prius quidem videtur voluisse duo distincta loca proferre, alterum Ezechielis : *Quacumque hora peccator conversus fuerit, vita vivet, et non morietur ;* alterum Isaiæ : *Et cum conversus ingemuerit, tunc salvus erit.*

III. Ut vera dicam, verba prophetæ Ezechielis, quæ sunt cap. 33. 12. eamdem sententiam complectuntur, ac verba Isaiæ, secundum LXX. int. aut quemadmodum ea protulit Arnaldus. Verba Ezechielis sic sonant : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Annon perinde est, ac si dixeris : *Quacumque hora peccator ingemuerit, salvus erit ;* quemadmodum locum exprimit Richardus S. Victoris [7] ? Oportet enim gemitum conjunctum esse cum vera conversione, quæ juncta sunt a LXX, interpretibus, et omnibus scriptoribus, quos laudavi, qui hauserunt hunc locum ex græca translatione. In qua observet lector hanc rationem loquendi, ὅταν ἀποστραφεὶς στενάξῃς, et latine, *cum conversus ingemueris*, idem esse, ac si diceremus : *Statim ac ad te reversus gemes,* vel, *eodem tempore, eodem momento.* Quod Hebræi, et Græci solent sic exprimere, *Quacumque die*, vel *quacumque hora.*

IV. Sic in Genesi Deus alloquitur primum nostrum parentem [8], cum eum vetat edere fructum arboris cognitionis boni et mali : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris ;* hoc est, eris obnoxius morti, corpusque tuum, et ejus temperatio quotidie collabescent : ut locum interpretantur S. Augustinus [9], Prosper [10], etmulti alii. Itaque *dies* illic sumitur pro *momento.* Eadem est ratio vocis *hora.* Sic cum Nabuchodonosor edicit morte plectendum eum, qui statuam non adorabit, ita loquitur : *Eadem hora mittetur* in fornacem, hoc est, illico. Apud Matthæum [11] dicitur servus centurionis curatus fuisse eadem hora, qua Jesus Christus ei, quod petebat, concessit : *Et sanatus est puer in illa hora.* Vide et Matth. 17. 17. et Luc. Act. 16. 18. Prætermitto innumera alia exempla, ex quibus constat, *quocumque die*, vel *quacumque hora*, vel *quocumque momento,* perinde esse. Itaque loci Isaiæ : *In quacumque hora,* vel, *quocumque die conversus ingemuerit peccator, salvus erit*, hic est sensus : statim ac peccator conversus fierit contritione, et pœnitentia, redditurum in gratiam cum Deo, et in statum salutis.

[1] Lib. 3. in Isaiam tom. 2. p. 425. — [2] Lib. 7. Ep. 54. — [3] Lib. 1. in Lev. c. 18. — [4] Cap. 15. — [5] Opus. 16. cap. 1. — [6] In Ps. 50.

[7] De pot. lig. et solv. c. 4. — [8] Cap. 2. 17. — [9] De Gen. ad litt. cap. 10. et 1. de pecc. mer. cap. 16. — [10] 2. de vita Cont. c. 19. — [11] Cap. 8. 13.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Decimaquinta propositio. *Scriptor libri de frequente Communione damnatus est, atque obnoxius censuræ concilii Tridentini, propter capita doctrinæ exposita ad propositionem* 13. Quod probatur.

I. Concilium Tridentinum sessione 14. canone 7. anathema iis denuntiat, qui dixerint *Confessionem olim observatam tantum fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam.* Scriptor autem operis de frequente Communione contendit, « Concilium Tridentinum docere, confessionem peccatorum singillatim finem atque objectum habere impositionem pœnarum, quibus debent expiari. » Est hæc inscriptio capitis 30. partis 2. in quo capite docet, « Concilium ostendens necessitatem confessionis, non tantum omnium peccatorum summatim, sed etiam particulatim, nullam aliam ejus rei proferre rationem ; nisi quod sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercerent, nec æquitatem in pœnis injungendis servare possent. » Deinde hæc addit verba, quæ diserte damnata sunt canone Concilii : « Unde liquet in ea re, ut in ceteris omnibus, Concilium secutum esse sententiam antiquitatis, quæ semper habuit confessionem quasi introitum ad impositionem pœnitentiæ. » Similia docet, capite antecedente, ubi sacerdotes ab eo dicuntur « exercere oportere potestatem clavium ligando æque, ac solvendo. » Addit etiam, « Ligare peccatorem secundum antiquos Patres, esse eum pœnitentium numero adscribere, ei præscribere tempus, et rationem pœnitentiæ, eumque interea arcere a participatione mysteriorum. »

II. Idem est finis, atque objectum potestatis ligandi, ac potestatis solvendi. Itaque si ligare peccatorem sit tantum ei pœnitentiam, vel satisfactionem pro peccatis imponere, et communionem interea negare ; sequitur, solutionem, vel absolutionem, quæ est, ut loquuntur philosophi, *correlatum* prioris, esse tantum declarationem, qua pœnitens pronuntiatur implevisse pœnitentiam, ac satisfecisse Ecclesiæ, ejusque ad communionem receptionem. Itaque universa jurisdictio sacerdotis in peccatorem refertur tantum ad pœnam, ac satisfactionem canonicam ; quam sententiam damnavit Concilium.

Non repetemus hic, quod alibi observavimus [1] de corruptione verborum, et sententiæ Concilii in hoc negotio. Ostendimus Concilium protulisse duas rationes necessitatis confessionis, quas scriptor operis de frequente Communione de industria in unam confudit, quæ nec potissima est.

III. Præterea Concilium oppugnat opinionem Arnaldi, quam propositione 13. exposuimus. Docet enim Concilium [2], « Etsi contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » Arnaldus vero docet sola contritione non justificari hominem, nisi satisfactio accedat, operaque pœnitentiæ imposita a sacerdote, quemadmodum vidimus.

Sic et canone 9. ejusdem sessionis, cum Concilium ei anathema dicat, qui dicet absolutionem sacramentalem esse nudam declarationem, qua sacerdos pronuntiat peccata remitti ; evertitur propositio, et doctrina Arnaldi, qui putat absolutioni præire oportere reconciliationem peccatoris, et remissionem culpæ, ut ad propositionem 13. ostendimus.

[1] Lib. 1. c. 8. § 13.

[2] Sess. 14. c. 4.

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Decimasexta propositio. *Arnaldum incurrisse in censuram editam a Sixto IV. papa contra Petrum Oxomensem, ejusque sectatores, de dilatione absolutionis post confessionem, donec absoluta sit pœnitentia, et satisfactio.* Quod probatur.

I. Is Petrus theologus erat Universitatis Salmanticensis, qui inter alios errores hunc propugnabat [1], « Non peracta pœnitentia, confitentes absolvi non debere, » ut intelligere est ex Sixti IV. Extravagante. Quæ opinio cum multis aliis primum damnata fuit ab Alphonso Carillo, archiepiscopo Toletano in conventu theologorum, quem jussu singulari Pontificis Alcalam convocavit anno 1479. Deinde hanc ejus sententiam confirmavit Sixtus papa, cujus hæc sunt verba : « Pro potioris cautelæ suffragio, omnes, et singulas propositiones prædictas, falsas, S. catholicæ fidei contrarias, erroneas, et scandalosas, et ab evangelica veritate penitus alienas, sanctorum quoque Patrum decretis, et aliis apostolicis constitutionibus contrarias fore, ac manifestam hæresim continere, dicta auctoritate declaramus. » Sic Papa ille *qualificat*, ut more hodierno loquar, hanc propositionem, *Differendam esse absolutionem ad absolutam usque pœnitentiam.*

II. Arnaldus aut potius scriptor libri de frequente Communione, eamdem doctrinam habet, et deteriorem ; cum primum contendat pœnitentiæ antiquæ partem præcipuam esse dilationem absolutionis, donec perfecta esset pœnitentia ; deinde et pœnitentiam, et hanc dilationem esse juris divini, et immutabilis, ut ostendimus ad propositiones 3. 4. 5. 6. et 7. Unde sequitur eam consuetudinem differendæ absolutionis mutari ulla remissione non posse, sacerdotique nullo in casu, ne instante quidem morte, licere absolvere confessum peccata, nisi prius satisfecerit ex rigore veterum canonum, pœnitentiamque peregerit convenientem peccatis. Neque enim homines in jure divino quidquam immutare, aut remittere possunt : quemadmodum nec in casu necessitatis non licet aliter baptizare, quam aqua ; aut consecrare, in S. Missæ sacrificio, aliam materiam, præter panem et vinum. Quod observandum quoque in ceteris omnibus, quæ ad Sacramenta pertinent, suntque in prima institutione a Jesu Christo constituta mandatis immutabilibus, quale pœnitentiam antiquam vult haberi Arnaldus.

III. Quamobrem auctor libri de frequente Communione magis subjacet censuræ papæ Sixti, quam Petrus Oxomensis ; opinioque ejus dignior est, quæ habeatur hæretica, quam sententia theologi hispani. Neque enim hic docebat consuetudinem, quam intromissam cupiebat, esse juris divini, ac Sacramento essentialis. Bulla certe nullam ejus rei mentionem facit, cum Arnaldus ita eam se habere contendat, eaque utatur quasi fundamentali dogmate, quo nititur universa ejus doctrina, et consilium reformandi Ecclesiam.

IV. Sed ne aperte se fautorem hispani illius hæretici profiteretur, excogitavit subterfugium æque falsum, ac ridiculum [2]. Vult enim nobis persuadere Petrum Oxomensem damnatum fuisse duntaxat, quia negabat ulla ratione licere absolutionem concedere, antequam absoluta esset pœnitentia. Quod ipse verum esse non putat, « cum fateatur esse occasiones in quibus, ex institutis SS. Patrum, potest absolvi, atque ad communionem recipi peccator, qui alioqui non subiit prius exercitia pœnitentiæ ; » ut cum instat mortis periculum.

V. Hæc responsio, qua Arnaldus etiam utitur *in defensione veritatis catholicæ contra Mileterium* [3], clare ostendit infirmitatem causæ, quæ ad incitas est redacta, nec potest aliter declinare notam censuræ, qua hæresum numero adscribitur.

Quis eum docuit Petrum Oxomensem existimasse, ne in casu quidem instantis mortis, absolutionem nunquam antecedere debuisse executionem pœnitentiæ ? Certe Bulla hac de re nihil habet, damnatque quasi hæresim propositionem, quæ est fundamentum libri de frequente Communione, ut jam observavimus.

VI. Præterea illa ipsa interpretatio Bullæ, quam Arnaldus sine auctoritate, atque argu-

[1] Bull. Tom. 1. in Const. 17. Sixt. IV. et apud Alphonsum a Castro Libro 4. in vocabulo *Confessio.*

[2] Part. 2. cap. 15. — [3] Pag. 26.

mento protulit, in ipsum convertitur, atque asseclam reddit Petri Oxomensis, ac proinde eidem damnationi obnoxium. Arnaldus enim defendit propositionem eodem sensu, quem ipse hæreticum esse secundum Bullam ostendit ; quandoquidem existimans, dilationem absolutionis sacramentalis post confessionem esse juris divini, atque immutabilis, necesse est fateatur, nunquam cuiquam licere quocumque in casu eam remittere, aut aliter administrare Sacramentum, quam « secundum usum primævum, usum apostolorum, omnium Patrum, universum Ecclesiæ per duodecim propemodum secula, » ut utar ejus verbis [1].

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Decimaseptima propositio. *Auctorem libri de frequente Communione fuisse censura notatum a Facultate theologica Parisiensi; et nonnullas opiniones, quas opus illud complectitur, judicatas hæreticas.* Quod probatur sequentibus.

I. Eruditus calamus me levavit labore, qui mihi suscipiendus fuisset ad hanc propositionem longa oratione dilucidandam. Emissus est enim a viro docto nuper libellus egregius, in quo censura ac damnatio libri Mileterii aptatur operi de frequente Communione, ostenditque auctor, eamdem notam erroris, temeritatis, atque hæreseos, quam Facultas Theologiæ apposuit quibusdam propositionibus haustis ex libro, cui titulus est : *Verus Pacificus*, etc. *scriptus a Theophilo Bracheto Mileterio*, convenire quoque operi de frequente Communione, in quo illæ propositiones leguntur.

II. Ac sane, ut vir ille eruditus, quicumque sit, recte observavit, *Pacificus* est *novum organum doctrinæ libri de frequente Communione*, si huic larva detrahatur. Quod ostendam ea brevitate, quam viri illius opus necessariam fecit ; neve repetitionibus utar, lectorem de uno quoque articulo amandabo ad propositionem, ad quam copiosius allata sunt loca consentanea dogmatibus Pacifici censura notatis.

Primum genus Propositionum censura notatarum.

Primum genus propositionum damnatarum ad rationem priscæ pœnitentiæ pertinet. Pacificus dicebat [2], « Veterem formam pœnitentiæ, quæ non amplius hodie in usu est, fuisse a Christo institutam. » « [3] Eam esse ex traditione apostolica, ac proinde immutabilem. Omnem usum contrarium, quamvis longo tempore invaluerit, esse manifestum abusum, eumque eo graviorem, quo est antiquior; eoque digniorem reformatione, quo magis deploranda sunt ejus mala. » Quæ aliquoties repetit, ut cap. 17.

CENSURA EARUM PROPOSITIONUM A FACULTATE THEOLOGICA.

Hæ propositiones [4], *in quantum damnant disciplinam, et consuetudinem ecclesiasticam, ab omnibus catholicæ communionis Ecclesiis receptam, quantumcumque diuturnam, tanquam abusivam, et institutioni Christi, ac evangelicæ doctrinæ contrariam, temerariæ sunt, Ecclesiæ injuriosæ, et hæreticæ.*

Doctrina operis de frequente Communione similis doctrinæ Pacifici.

Operis de frequente Communione sermo similis est Mileteriano, ut ostendimus ad propositionem octavam. Contendit enim, formam pœnitentiæ nunc in Ecclesia receptam, esse *abusum, corruptionem, prolapsionem morum.* Idem affirmat pœnitentiam veterem, nunc obsoletam, esse traditionis divinæ, et apostolicæ, immutabilem, et pertinentem ad fidem. Vide et quartam nostram propositionem. Itaque censura notatum est æque ac liber Mileterii.

[1] Part. 2. cap. 47. — [2] Cap. 12. [3] Cap. 15. — [4] Pag. 9.

Secunda propositio censura notata.

Pacificus dixit [1], « Esse hæresim, si quis credat ab Ecclesia mutari posse institutiones apostolicas. »

CENSURA.

Hæ propositiones, in quantum negant auctoritatem penes Ecclesiam esse condendi novas leges, et aliud statuendi, quam quod apostoli instituerunt, sive circa ea, quæ ad regimen ecclesiasticum, sive quæ ad cultum divinum, officium, et cæremonias pertinent, temerariæ sunt, Ecclesiæ injuriosæ, et hæreticæ.

Doctrina libri de frequente Communione similis doctrinæ Pacifici.

Vide propositiones 4. et sequentes ad 10. intelligesque damnatam propositionem esse consectarium necessarium doctrinæ novi Pœnitentiarii. Dicit exempli gratia, in Præfatione [2], « Ecclesiam nos docere, nullam aliam agnoscendam esse regulam veritatum catholicarum, præter traditionem apostolicam, etc. nec sequendam ratiocinationem, aut consuetudinem hominum in rebus ecclesiasticis, sed auctoritatem divinam. » Quod dicit respiciens consuetudinem nunc receptam de pœnitentia, confirmatamque consensu universæ Ecclesiæ, et præsertim a concilio Tridentino. Est ergo hæresis, si quis dicat Ecclesiæ potestatem esse mutandi formam pœnitentiæ antiquæ, quæ est juris divini, et immutabilis, ex doctrina libri de frequente Communione non secus, ac ex doctrina Mileterii; ac proinde utrique communis est censura.

Tertia propositio censura notata.

Mileterius dixit [3], « Absolutioni locum esse non posse, nec eam ratam esse, nisi antecesserit pœnitentia. » « [4] Præstatione satisfactionis, et pœnitentiæ injunctæ, pœnitentem fieri idoneum excipiendæ non frustra absolutionis gratiæ. »

CENSURA.

Istæ propositiones quatenus asserunt executionem pœnitentiæ, seu satisfactionis impositæ, necessario, et ex institutione Christi, ac invariabili Sacramenti natura ita prærequiri absolutioni, ut alioquin absolutio non sit valida, nisi ejusmodi satisfactio prius completa fuerit, temerariæ sunt, et hæreticæ, et a Sixto IV. contra Petrum de Osma, illiusque sequaces prædamnatæ, Bulla data anno Domini 1478.

Doctrina libri de frequente Communione similis doctrinæ Pacifici.

Eam explicuimus ad propositiones 6. et 16. quæ sunt antecedentium consectaria. Auctor libri de frequente Communione docet [5] ex institutione Christi, [6] immutabili, et necessaria, « et [7] secundum regulas haustas ex traditione, (quæ [8] traditio est sola norma veritatum catholicarum,) [9] ordinem observandum a sacerdotibus in usu potestatis ligandi et solvendi, quam a Servatore acceperunt, in eo situm esse, ne absolvant peccatores, nisi postquam eos reliquerint in gemitibus, et in lacrymis, et postquam egerint pœnitentiam peccatis consentaneam. »

Manifestum est doctrinam libri de frequente Communione ab Arnaldo adoptati, esse eamdem, ac doctrinam Pacifici, subjectamque proinde esse censuræ Facultatis theologicæ.

Quarta propositio censura notata.

Pacificus contendit [10], « Contritionem perfectam non esse effectum absolutionis, sed dispositionem, quæ antecedit absolutionem. Quæ dispositio perfici non potest, aut contritio perfecta fieri ex attritione, aut contritione imperfecta, nisi satisfactione et exercitio pœnitentiæ. »

CENSURA.

Istæ propositiones, in quantum negant ullum ex attrito evadere posse contritum, nisi per injunctas satisfactionis, et pœnitentiæ actiones, temerariæ sunt, et erroneæ.

Doctrina libri de frequente Communione consentanea damnatæ.

Legantur, quæ diximus ad propositionem 13. et 14. ubi demonstravimus ex doctrina hujus libri, potestatem sacerdotis non exeri, nisi post veniam, et abolitionem peccati, quæ impetrantur operibus satisfactoriis. Idem docet [11], ex traditione divina atque apostolica, *ex mandato* item *Christi*, necesse esse, ut post Confessionem « peccatores sese purgent fru-

[1] Cap. 17. et 18.— [2] Pag. 106.— [3] Cap. 25.— [4] Cap. 28. — [5] Part. 2. cap. 8. — [6] Præf. pag. 13.

[7] Part. 2. cap. 8.— [8] Præf. p. 106.— [9] Part. 2. cap. 8.— [10] Cap. 10. — [11] Part 2. c. 8. et 11.

ctibus satisfactionis consentaneæ gravitati delictorum, antequam consequantur reconciliationem. » Imo vero contendit [1] « miraculum esse, in ordine gratiæ, cum peccator dignus est reconciliatione, absque omnibus illis mori. »

Præterea probavimus ad propositionem 13. consectarium esse doctrinæ auctoris, ut neque absolutio sacramentalis, neque contritio perfecta peccatori gratiam reddat, sed tantum observatio ipsa præceptorum Dei et bona opera.

CAPUT NONUMDECIMUM.

Decimaoctava propositio. *In opere de frequente Communione esse alias propositiones temerarias vel falsas.*

I. Ut rem in pauca contraham, neve diu singulis immorer, aliquot falsas propositiones in hoc unum caput compingam. Prima sapit fermentum sectæ *Illuminatorum*, quibus cum non satisfaciant quæ vulgo fiunt, ac docentur, necesse est confugere ad peculiares inspirationes, afflatumque singularem. Qui fons est multorum errorum, novorumque dogmatum noxiorum integritati fidei, et disciplinæ ecclesiasticæ. Hujus generis sunt potissima dogmata, quibus innititur quasi fundamentis novorum Pœnitentiariorum doctrina. Unum atque alterum exemplum ex præfatione operis petam.

II. Ait [2], « Si quis esset aliqua in re lege solvendus, ut aliquando necesse est, neminem posse tutius lege solvere, quam eos, quibus animus legislatoris est notus. Si oporteat eam attemperare infirmitati hominum, a nemine id posse utilius fieri, quam ab iis, qui norunt rationem, qua Deus homines regit. » Potestatem concedit directoribus, hominibus privatis, sed factioni ipsius addictis, solvendi homines legibus divinis, atque ecclesiasticis de pœnitentia; (eo enim spectat ejus oratio;) quam potestatem negat esse Ecclesiæ universæ, Conciliis generalibus, et Pontificibus maximis, quibus exprobrat licentiam, corruptionem, prolapsionemque morum, quod rigorem veterum canonum remiserint, ut antea ostendimus.

III. Disertiora sunt etiam eam in rem verba, quæ postea leguntur in eadem præfatione [3]: « Deus, *inquit*, qui in Ecclesia unitatem suam magnificat variis modis, nunquam magis eam extollit, quam cum defendit caput doctrinæ, aut restituit partem disciplinæ ecclesiasticæ, eruditione ac virtute unius viri, in quem unum peculiare illud donum confert, quemadmodum ipse est unicus in essentia sua. » Annon hac ratione defendit ingenium morosum, ac factiosum fanaticorum; probatque omnia commenta, quæ recedunt a communi administratione universæ Ecclesiæ? Quæ absurditas cum hac potest comparari, Deum *in hominem unum peculiare donum conferre, quemadmodum ipse est unicus in essentia sua?* Annon est hæc comparatio æque impia ac scandalosa, cum fenestram aperiat omnibus fraudibus inimici, qui induit sæpe personam angeli lucis?

IV. En alterum errorem in eadem præfatione [4]: « Populus, *inquit*, Judæus accurata observatione legis, et ingenti illo numero religiosorum rituum, nihil apud Deum commeruit; quia hæc faciebat sine ejus spiritu, et sine cognitione veri finis, propter quem ea fieri debebant. » Si diceret multos fuisse in eo populo, qui, cum Deum fideliter non colerent, carebant ejus spiritu, nihilque apud eum merebantur, nihil esset quod ea in re carperemus. Verum ita loqui universe de toto populo Judæo, sine exceptione ulla temporum atque hominum, id demum est temere judicare, et quid scribas parum attendere. Præterea *accurata observatio legis* non poterat esse sine gratia, et spiritu Dei. Vide quæ hac de re jam diximus lib. 6. cap. 13.

V. Non minor est error, qui habetur parte 3. c. 11. operis de frequente Communione,

[1] Part. 2. cap. 12. — [2] Præf. pag. 39. — [3] Pag. 81. — [4] Pag. 40.

ubi negatur Deus illa honorari : qua de re jam diximus lib. 6. capite ultimo. Sed quid dicemus de eo, quod imprudenter habet in Præfatione [1], « Sacerdotem complecti eminenter universam Ecclesiam? » Ecclesia est collectio fidelium sub uno capite conspicuo. Papa quidem ejus caput universale, et summum, episcopi vero peculiaria, atque inferiora. At simplices presbyteri neque sunt episcopi, neque Papæ, ac proinde eminenter Ecclesiam singuli non complectuntur. Nimis minuitur dignitas episcoporum, et summi Pastoris, si ad merum sacerdotium demittatur.

VI. Verum alio in loco nimis extollit, et contra jus supremi Vicarii Christi, dignitatem simplicium episcoporum, quibus omnibus papalem confert honorem, et jurisdictionem per totum orbem tribuit. Eadem enim in præfatione ait [2], « Episcopos esse successores apostolorum, etc. et hæredes principatus cœlestis, quem Deus iis in universum orbem largitus est. » Apostoli singuli habebant jurisdictionem in universum terrarum orbem; hoc tamen discrimine, quod potestas Petri esset ordinaria, quemadmodum etiam ejus successorum; aliorum vero extraordinaria una cum eorum vita desitura, quod attinet ad universalem jurisdictionem : ita ut episcopi, qui sunt eorum successores, minime sint hæredes ejus potestatis summæ, atque intra limites diœceseon coerceantur. Igitur emendanda est hæc propositio libri de frequente Communione, et retractanda quasi falsa, et scandalosa.

Aliam etiam animadvertimus, quæ non minus digna est censura, et qua affirmat Arnaldus [3], « Humilitatem, et pudorem internum, quæ pœnitentiam novam comitantur, propter dilationem communionis, magis satisfacere Deo, quam omnis generis bona opera ab eo pudore sejuncta. » Quod contrarium est communi fidei Ecclesiæ, quæ martyrium omnibus bonis operibus præfert. Est igitur paradoxum falsum, et ridiculum, quo præfertur merus pudor actioni perfectissimæ eminentissimæ virtutis, quæ est charitas.

CAPUT VIGESIMUM.

Proœmium in collectionem repugnantiarum operis de frequente Communione.

I. Ex enuntiationibus summa fide expositis, et deductis ex doctrina novorum Pœnitentiariorum, specimen hauriemus repugnantiarum, quibus eorum libri ac sermones scatent. Hinc primum liquebit, quæ sit inconstantia hominum, qui reformationem aggressi sunt, et singulari ratione se gerunt; quam sese ipsi implicent, ac jugulent, audacterque hic proferant, quod alibi negant. Quod est vulgo fatum omnium istorum novorum dogmatum, atque hæresum inventorum. Talia Cœlestinus papa I. Nestorio hæresiarchæ exprobravit in epistola, quam ad eum scripsit [4] : « In his quidem, *inquit*, a nobis investigatus, deprehensus, et tentus es, quod multiloquio labaris, dum vera involvis obscuris, rursus utraque confundens, vel confiteris negata, vel niteris negare confessa. » Hæc est brevis ac vera descriptio operis de frequente Communione, et omnium, quæ anno abhinc edita sunt ab Arnaldo, vel in ejus defensionem. Referta sunt dissimulationibus, fictionibus, et repugnantiis; cum eorum scriptores perperam id faciant, quod legitur apud Prophetam [5], *Evellant quod plantarunt, destruantque, quod ædificarunt.* Quamobrem utuntur locutionibus captiosis, obscuris, et ambiguis, ne se in laqueos inducant; usque adeo verum est, quod dicit S. Augustinus [6] : « Laborant homines loqui mendacium, cum veritatem tota facilitate loquerentur. » Præterea catalogus enuntiationum pugnantium utilis nobis erit ad aperiendas artes, quibus novæ *Directionis* inventores declinant vim argumentorum, cum urgentur, ne fateantur se errasse, coganturque, quod dixerunt, retractare.

II. Verum ante omnia oro lectorem, ut

[1] Pag. 63. — [2] Pag. 132. — [3] Præf. pag. 34.

[4] In Eph. Conc. p. 1. c. 1. — [5] Jer. 1. 10. — [6] In Ps. 139.

meminerit ejus, quod observavimus ad propositionem 3. pœnitentiam veterem, de qua agit opus de frequente Communione, esse pœnitentiam publicam, quam nomine pœnitentiæ veteris semper designat Arnaldus. Quod probe teneat lector oportet, ne decipiatur artibus, ambiguisque locutionibus, quibus utitur Arnaldus nonnullis in locis, ut firmas objectiones eludat.

Maneat ergo certum, ac fixum, pœnitentiam antiquam, quam usque adeo extollit Arnaldus, et quam quærit in traditione, SS. Patribus, canonibus et Conciliis, esse duntaxat pœnitentiam publicam, nec aliam esse posse. Rem ita demonstravimus ad memoratam propositionem, nullum ut supersit dubium. Hisce positis, in hunc locum colligamus repugnantias Arnaldi, non omnes quidem, sed eas tantum, quæ pertinent ad controversiam de pœnitentia publica.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Collectio aliquot repugnantiarum doctrinæ Arnaldi. — I. Propositio Arnaldi. *Ecclesia est immunis erroris in eo, quod pertinet ad mores, non secus ac in eo, quod pertinet ad fidem.*

Manifestum est, sententiam hujusce propositionis, quam esse Arnaldi ostendendum est, hanc esse : Ecclesiam nihil posse jubere, aut confirmare, quod sit contrarium bonis moribus, ac Deum offendat. Primum fatetur Arnaldus [1], « Nos sequi oportere Ecclesiam, quasi normam, omnibus in rebus ; hoc est in dogmatibus fidei, et in universa ethica : » intelligitque voce *ethica,* non tantum quod pertinet ad actiones bonas, aut malas, sed etiam ad ritus, ac consuetudines ; quarum occasione hoc profert axioma, quia scriptor anonymus dixerat, ad dirimendam quæstionem, an frequentius vel rarius expediat communicare, optimam normam esse, si sequamur Ecclesiam. Quod probat Arnaldus, ac proinde existimat Ecclesiam, cum sit norma non tantum fidei, sed etiam rituum, in utroque erroris esse immunem, atque incorruptam. Disertius etiam rem eloquitur in libro de *Traditione Ecclesiæ*, etc. ubi hæc habet [2] : « Qua fide potest quisquam dicere me credere, Ecclesiam posse errare in doctrina morum ; cum non tantum eam immunem omnis erroris agnoscam ; sed quasi fundamentum totius meæ disputationis statuam ἀναμαρτησίαν Ecclesiæ, tam quod attinet ad fidem, quam ad ethicam, legesque pietatis, qualia sunt quæ pertinent ad pœnitentiam, frequentemque communionem ? » Vide prop. 6.

PROPOSITIO CONTRARIA EJUSDEM.

Ecclesia non est immunis erroris in eo, quod pertinet ad mores, quemadmodum in eo, quod pertinet ad fidem.

In præfatione operis de frequente Communione [3], ait Ecclesiam esse « incorruptam in fide, sed paulatim degeneraturam in moribus. » Ubi observandum eum voce *mores* complecti ritus, et consuetudines, qualis est ratio pœnitentiæ, quæ nunc obtinet, quamque Ecclesia concedit, et comprobat; quam consuetudinem contendit esse licentiam, et prolapsionem morum, ut ad propositionem 6. ostendimus.

[1] Part. 1. cap. 1.

[2] In præf. pag. 56. — [3] P. 111.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

II. Propositio Arnaldi. *Pœnitentia antiqua, et publica, qualem eam describunt traditio, canones, et Patres, est juris divini, et immutabilis, ac necessario conjuncta cum sacramento Altaris, quod est immutabile; eaque pœnitentia pertinet ad omnia peccata, et publica et arcana.*

Vide ad propositionem 4. ad quam protuli verba Arnaldi huc facientia, quæ minime repetam. Hanc autem pœnitentiam publicam ex prima sua institutione, et antequam remitteretur, quibusvis peccatis tam arcanis, quam publicis impositam affirmat, conaturque probare in 2. parte operis de frequente Communione cap. 3. et sequentibus ad 10. ut ad propositionem 3. ostendimus.

PROPOSITIO CONTRARIA EJUSDEM.

Pœnitentia antiqua, et publica, qualem eam describunt traditio, canones et Patres, non est juris divini, nec immutabilis, nec necessario conjuncta cum sacramento Altaris.

In epistola ad Reginam [1], ita loquitur: « Professus sum, multum abesse, ut velim omnibus imponere pœnitentiam antiquam, quasi necessariam. » In libro, quem scripsit contra Mileterium, negat [2] « posse dici sine errore, ordinem antiquum pœnitentiæ esse ei essentialem, et omnino necessarium. » Addit, quamvis Jesus Christus eum instituerit, « tamen voluisse, ut omitti posset variis occasionibus, cum ejus observatio foret nimis difficilis, aut graves rationes mutari eum postularent. » Eodem in libro [3], docet, « Non necesse esse, ut pœnitentia sit publica, propter omnia peccata mortalia publica, et arcana. » Sic et in præfatione libri de Traditione dicit, consuetudinem, quæ obtinebat primis seculis Ecclesiæ, subjiciendi pœnitentiæ publicæ alia peccata, præter enormia et publica, postea in desuetudinem abiisse. Igitur est consuetudo immutabilis, et juris divini, quam Ecclesia obsolescere passa est; quod est absurdissimum. Si qua enim consuetudo est immutabilis, et traditionis divinæ, ac apostolicæ, credibile est eam esse, quæ primis seculis obtinuit.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

III. Propositio Arnaldi. *Ecclesia semper exegit observationem pœnitentiæ veteris, et publicæ, nec unquam Christianos ea lege solvit.*

Protulimus aliquoties hanc in rem locum ex præfatione libri de frequente Communione pag. 7. et 8.

PROPOSITIO CONTRARIA EJUSDEM.

Ecclesia non semper exegit observationem pœnitentiæ veteris, et publicæ, sed ea lege aliquando solvit Christianos.

Docuit [4], « Ecclesiam concessisse fidelibus alium usum faciliorem, et minus severum. » Vide et præfationis pag. 7. et 59. Sed præterea in præfatione libri de Traditione negat [5], « Canonibus antiquis de pœnitentia in eo, quod pertinet ad dilationem absolutionis, et suspensionem ab Eucharistia, nos prorsus teneri, ut olim. » Similia habet pag. 102. 103. 104. et 105. Sic et in epistola ad Reginam pag. 17. ait, « Jamdudum Ecclesiam non amplius imponere pœnitentiam publicam peccatoribus,

[1] Pag. 16. — [2] Pag. 32. — [3] Pag. 8.

[4] Part. 2. cap. 18. — [5] Pag. 60.

propter peccata arcana. » In libro vero contra Mileterium, pag. 15. dicit, « Necessitatem satisfactionis publicæ, propter arcana peccata, non tantum obsolevisse consensu omnium fidelium, abhinc 800. annis, aut eo amplius, sed etiam disertis constitutionibus Conciliorum, tam peculiarium, quam ultimi œcumenici. » Igitur falsum est, pœnitentiam veterem nunquam rejectam esse ab Ecclesia (hoc est, pœnitentiam publicam, ubi sermo est de laicis) qualem eam describunt traditio, canones, et Concilia.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

IV. Propositio Arnaldi. *Concilium Tridentinum restituit pœnitentiam veterem, qualis est in traditione, et canonibus antiquis.*

Concilium restituit omnes traditiones apostolicas, ait Arnaldus, ac proinde hanc, quam docet apostolicam esse in præfatione p. 7. 13. et 57. et part. 2. cap. 5. 8. 18. et 21. Vide indicem operis ad litteram P. Sequitur ergo, ut a Concilio restituta sit pœnitentia antiqua, secundum amplitudinem, quam habet in canonibus, et traditione. Addit in Præfatione p. 64. rem dignam observatu in hoc nostro negotio : « Concilium ea actione testatum, quamlibet magnus numerus adversetur, Ecclesiam velle semper eos canones observari; et cum intromittentur consuetudines contrariæ, quamvis a multis defenderentur, et per multos annos obtinuissent, se eas non habere instar usuum, sed instar abusuum. »

Quibus lectis, nihil est quod plura addamus ad ostendendum Arnaldum docuisse propositionem allatam. Subjiciemus tamen, quod habet parte 2. capite. 42. ubi postquam dixit, S. Carolum ex mente Concilii operam dedisse restitutioni antiquæ pœnitentiæ : « Quæ cum ita sint, *inquit*, quis possit dubitare Spiritum sanctum, qui sæpe loquitur in Conciliis, quemadmodum in Scriptura, compendiario sermone, et qui sensus complectitur qui non illico se produnt[1], posse dicere iis, qui credunt, eum aliter locutum esse de necessitate pœnitentiæ, quam antiqua Concilia, quod attinet ad potissimum caput; quis queat, inquam, dubitare posse eum illis dicere, quod Jesus Christus dicebat Judæis, quos dissolutis moribus imitantur : *Qui habet aures audiendi audiat.* Quicumque enim habet gratiam ac donum intelligendorum verborum Concilii, semper ei auscultabit, parebitque, ubi redeundum erit in Dei gratiam per viam pœnitentiæ. »

Is demum intelliget Concilium, qui erit ex factione novorum *Illuminatorum*, eique parebit in observatione *veræ pœnitentiæ*, hoc est, antiquæ. Concilium igitur jussit observari canones veteres de pœnitentia; universusque populus Christianus, qui simplici animo amplectitur rationem receptam sese disponendi ad communionem, cæcus est, similisque Judæis contumacibus, propter remissionem antiquæ pœnitentiæ. Hæc tandem est summa doctrinæ Arnaldi, et sententia, quam occultabat, quamque, non sine singulari Providentia divina, aperuit in hisce verbis temere effusis a scriptore operis de frequente Communione.

PROPOSITIO CONTRARIA EJUSDEM.

Concilium Tridentinum non instauravit pœnitentiam veterem, qualis est in traditione, et Conciliis antiquis.

Arnaldus enim docet[2], « Non potuisse eam imponere talem, qualis est in traditione. » Paulo post dicit, « Episcopos Concilii libentissime quidem restituturos fuisse res in statum perfectiorem; » ac deinde pœnitentiam, « quæ est via maxime consentanea canonibus, et regimini Spiritus sancti, et confirmata experientia plurium, quam duodecim seculorum; » quam tamen negat « præceptam fuisse seculis sequentibus, ut aliis fuerat. » Falsum est ergo Concilia, et Decreta consensisse ad urgendam ejus observationem, cum negligé-

[1] Similia habet in præf. libri de Tradit. pag. 43.

[2] Præf. pag. 57.

batur; ad eam tuendam, cum observabatur; et ad restituendam, cum desiit observari, quod scriptum est in eadem præfatione pag. 7. Si Concilium *non potuit eam imponere, nec jubere;* eam ergo non restituit, qualis ab Arnaldo descripta est [1], *et qualis extat in traditione Ecclesiæ, in Patribus, et Conciliis.* Nam restitutio differre nequit ab impositione, ac præceptione. Itaque falsum etiam est, *a Concilio restitutos omnes traditiones apostolicas*, ac præsertim traditionem de pœnitentia antiqua.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

V. Propositio Arnaldi. *Arnaldus censet, necessario nunc observandam esse priscam pœnitentiam, prout præscribitur a traditione, canonibus, et doctrina Patrum, et pro tota ejus amplitudine.*

Loca ejus attulimus ad propositiones 3. et 4. ex quibus necessarium hoc colligitur consectarium; Arnaldum, nisi velit haberi Antichristus, ac eversor præceptorum, institutorumque immutabilium Jesu Christi ipsius, oportere docere nos omnino teneri legibus, et canonibus de prisca pœnitentia, quibus necesse habemus per omnia parere absque ulla mutatione.

PROPOSITIO CONTRARIA EJUSDEM.

Arnaldus contendit nos non amplius teneri legibus de pœnitentia antiqua, et publica, qualis præscribitur a traditione, canonibus, et SS. Patribus.

Duplici ratione hanc suam mentem aperit plane contrariam alteri illi opinioni, quæ operis ejus fundamentalis est doctrina. Prior est apertis verbis concepta professio : posterior usus ipse ac praxis. In præfatione libri de Traditione, hæc habet [2] : « Non est existimandum, nos, dum describimus sanctas leges pœnitentiæ, a magnis illis viris nobis relictas in libris suis, ad omnium fidelium institutionem, et quas, dum viverent, curarunt observari tanta vigilantia, et studio; nos, inquam, statuisse eas ad accuratam observationem revocare, ut cum vigebant, cogereque Christianos iis parere quemadmodum facit Ecclesia, per tot secula. Nunquam ea fuit mea mens; et professus sum in libro de frequente Communione, me ab eo consilio esse alienum. » Idem testatur in libro contra Mileterium [3]. Quod vero pertinet ad usum ipsum, in descriptione suæ pœnitentiæ, « ex partibus omnibus externis pœnitentiæ, » ad quas respiciunt plerique veteres canones, « [4] retinet ferme solam separationem a corpore Filii Dei: » ceterum suos pœnitentes « solvit innumeris legibus, quæ per tot secula in Ecclesia observata fuerunt. » Sed præsertim illis concedit rem, quam universa antiquitas, canones, Concilia, et SS. Patres severissime vetuerunt, ne pœnitentes adessent mysteriorum celebrationi. Attamen jactat se restituere pœnitentiam veterem, disciplinamque immutabilem, ac necessariam, qualem eam invenit in traditione divina, et apostolica, et exactam ad formam a Conciliis, et a SS. Patribus præscriptam.

[1] Ibid. — [2] Pag. 49. — [3] Pag. 14. et 15.

[4] Præf. pag. 16. et 17.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

VI. Propositio Arnaldi. *Dilatio absolutionis, et communionis, postquam quispiam confessus est peccatum mortale, non tantum est utilis, sed etiam necessaria, et præcepta hoc tempore non minus, ac in Ecclesia primitiva; nec quisquam ejus rei immunis esse debet.*

Hæc dilatio est « pars pœnitentiæ antiquæ, et quidem maximi momenti, ex sententia Patrum, » ut in Præfatione scripsit Arnaldus [1]. Contendit [2] « hanc esse pœnitentiam, quam instituit Scriptura, præceperunt omnia Concilia, prædicarunt omnes Patres, atque in usu revocarunt omnes sancti. » Denique quidquid diximus de necessitate, et immutabilitate legum de pœnitentia prisca, ex sententia Arnaldi, ad propositiones 4. et seqq. ad 10. eo potissimum est referendum. Igitur est lex æterna, qua etiamnum hodie tenemur, ut pœnitentiam agamus aliquandiu, postquam confessi sumus peccata, antequam absolvamur, et admittamur ad participationem sacrorum mysteriorum.

PROPOSITIO CONTRARIA EJUSDEM.

Dilatio absolutionis, et communionis post confessionem peccati cujuspiam mortalis, non est necessaria; neque ea lege tenemur, ut olim.

Diserte hæc profitetur Arnaldus in præfatione libri de Traditione [3]. Verba ejus protulimus ad superiorem propositionem contrariam, et ad tertiam, hic minime repetenda.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

VII. Propositio Arnaldi. *Ut quis digne communicet, non satis est eum esse immunem omnis peccati mortalis, et venialis; sed oportet eum attigisse summum gradum perfectionis, qui sublimior est sanctitate apostolorum, aut quorumvis aliorum sanctorum; nisi velit Deum offendere, atque excommunicationem subire.*

Auctor libri de frequente Communione dicit [4], « Apostolos, postquam accepissent post resurrectionem tot gratias a magistro; postquam accepissent Spiritum sanctum, flatu oris ejus; postquam accepissent mandata de prædicanda ejus doctrina, et potestatem eam confirmandi omnis generis miraculis; se tamen satis bene affectos non judicasse, ut vescerentur pane illo cœlesti, etc. Unde liquet, quo ordine sit sumenda Eucharistia, secundum verum ejus usum. » Itaque non satis est *ad verum usum Eucharistiæ*, ut simus peccati mortalis immunes; sublimiorem perfectionem nos consecutos esse oportet. Idem probavimus ex Arnaldo lib. 3. c. 12. et lib. 4. c. 8. et 14. nec dicta repetemus.

PROPOSITIO CONTRARIA EJUSDEM.

Ut quis digne communicet, non opus est ut tantam perfectionem adsecutus sit; satis est, ut sit expers peccati mortalis. Quo in statu quisquis est, potest communicare, cum consecutus sit affectionem, quam postulant Ambrosius, et alii SS. Patres.

Hæc habet Arnaldus, ad sententiam quod attinet, in præfatione libri *de Traditione Ecclesiæ*. At lectorem oportet hic meminisse eorum, quæ diximus lib. 3. cap. 15. et lib. 4. c. 6. ne sint nobis repetenda. Ex quibus liquet Arnaldum id, quod dixerat, de summa perfectione communicaturorum, retractasse in præfatione libri de Traditione [5]; cum professus

[1] Præf. p. 17. — [2] Ibid. p. 22. — [3] Pag. 49. 50. 51.

[4] Part. 1. cap. 3. — [5] Pag. 206. et seq.

sit, ex locis Ambrosii, aliorumque Patrum, quos laudaverat, fas esse ad Eucharistiam accedere iis, qui ita sunt « innocentes, ut nullo peccato mortali violent puritatem baptismi; quamvis infirmitas, qua etiamnum laborant, eos quotidie in multa levia peccata conjiciat. » Profecto qui sic sunt affecti, « non sunt consecuti sanctissimam affectionem, quæ exoptari possit ad communicandum. » Itaque hæc sententia Arnaldi contraria est ei, quam defendit in libro de frequente Communione. Quod nos confirmat in vulgari opinione, qua plerique credunt ab homine non esse compositum opus de frequente Communione, sed alieno fœtui nomen suum inscriptum; cum non sit verisimile hominem ingenio, et judicio præditum tam manifesto a se ipsum dissentire posse.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

VIII. Propositio Arnaldi. *Usus, qui est hodie frequentissimus in Ecclesia, ex quo absolutio conceditur statim post confessionem, nec subjiciuntur pœnitentiæ publicæ omnia peccata, est manifestus abusus.*

Hoc docet Arnaldus locis a nobis indicatis ad propositionem 8. et alias, quæ tædiosum esset repetere.

PROPOSITIO CONTRARIA EJUSDEM.

Ego vero (inquit Arnaldus in libro contra Mileterium [1]) *agnosco Ecclesiam concessisse hunc usum, ut sese attemperaret infirmitati liberorum suorum. Ei culpa privatorum abusus misceri posset, sed per se non esse abusum existimo.*

Arnaldus in margine ejus libri indicat loca, in quibus contrariam sententiam defendit, nempe, ut pag. 454. libri de frequente Communione, pag. 628. Vide et pag. 57. 60. et 61. præfationis libri de Traditione. Ac sane in eadem, pag. 60. negat « usum receptum pœnitentiæ esse licentiam, aut abusum; » contra quam diserte docuit, in præfatione operis de frequente Communione.

[1] Pag. 41.

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Ubi responsa, et subterfugia Arnaldi summatim considerantur, et ad duo capita referuntur.

I. Compendium novæ doctrinæ Pœnitentiariorum, et catalogus repugnantiarum manifestarum, quas in ea observavi, non tantum proderit ad eam infamandam, ac evertendam, sed etiam ad retegendam infirmitatem responsionum, quas Arnaldus, et alii, qui ex ejus parte stant, multis in libris ediderunt; ubi conantur inanibus excusationibus, et vana rationis specie eludere vim argumentorum, quibus eorum opinionem oppugnavimus. Quamobrem potuissem supersedere a respondendo ad minuta illa opuscula, et acquiescere in epitoma illa, quæ luce sua tenebras omnes discutit, quibus veritatem obscurare nituntur. Attamen ut levem imbecillitatem eorum, qui non satis ingenio pollent, nec satis sunt exercitati ut ex generalibus principiis peculiaria consectaria deducant, potissima capita responsionum, pro opere de frequente Communione, lustrabo, et, quam brevissime fieri poterit, ostendam meras esse ludificationes, ac fallacias, quibus nihil inest firmi, quo possint id opus tueri.

II. Sed antequam singillatim unumquodque caput expendam, operæ pretium erit earum commune vitium observare. Quamobrem statuo omnia responsa illa ad duo summa capita posse referri. Primum est, Arnaldum bonum sibi fuisse animum dictitare, cum aperuit consilium suum de reformanda Ecclesia, et publicam fecit doctrinam, quæ tantas turbas brevi tempore creavit, atque animos hominum adeo offendit. Alterum est, cum ei objiciuntur scandalosæ propositiones ejus libri, quæ oppugnant doctrinam Ecclesiæ, eum respondere se in aliis locis prava illa dogmata confutasse, ac contraria docuisse. Hæc complectuntur speciosissimas quasque responsiones, quibus conantur nonnulli satisfacere objectionibus Catholicorum contra librum, cui præfixum quidem est nomen Arnaldi, sed qui, ut acutissimi censent, crevit in alio *Viridario*.

III. Manifestum autem est utramque hanc purgandi Arnaldi rationem satis idoneam non esse. Non satis enim est, animum esse bonum, si prava sit actio. Multi res novas moliti sunt permoti bono zelo, sed imprudente; ac præferentes bonum animum, majoremque religionem, defecerunt tandem ab Ecclesia, et omnia dissidiis, turpibusque hæresibus miscuerunt.

Alterum excusationis genus commodius non est, ac præterea conjunctum est cum arte solita eorum, qui novam quampiam doctrinam intromittere cupiunt. Hi nunquam aperte proloquuntur, quæ sentiunt, ne intelligatur eorum consilium; sed instar vespertilionum sub vesperam prodeunt, qua maligna lux eos ostendit, deinde etiam occultat. Ideo nunquam plene dicunt quod volunt, ambiguasque ac artificiosas voces adhibent. « Sunt enim, ut recte Gregorius Magnus [1], nonnullæ hæreses, quæ aperte metuunt prædicare quod sentiunt, et apud infirmorum mentes verba sua tanto magis condiunt, quanto quasi amplius reverenter abscondunt. »

IV. Hic idem metus parit in eorum sermone frequentes repugnantias, quas etiam data opera miscent, ut sese tueri queant contra eos, qui eorum doctrinam reprehendere vellent. Non puto ullum inveniri posse hæresiarcham sive veterem, sive recentiorem, qui ea arte usus non sit, et qui erroris convictus non adhibuerit eam defensionem, quod alibi docuisset contraria iis, quæ sibi adscriberentur.

Ne igitur Arnaldus putet sese purgasse cri-

[1] Lib. 23. Mor. c. 17.

minationes omnes, in quas incidit, et offensionem, quam peperit prava doctrina libri, cujus se auctorem profitetur ; quia potest dicere se alibi rectius esse locutum, et a se ipso dissensisse. Ne nos ita stipites censeat, ut nobis satisfieri patiamur ejusmodi subterfugiis, quæ hoc uno nituntur fundamento æque falso, ac ridiculo : Eum non propugnasse falsas opiniones, qui alibi veritatem tuetur. Hæc non est sat idonea responsio ; repugnantiæque manifestæ, quæ per ejus opus sparsæ sunt, et quarum antea catalogum texui, ostendunt inanem hanc esse defensionem, nec eum verum profiteri.

V. Ut clarius intelligatur mala fides patronorum Arnaldi, utque liqueat, dum simulant se respondere, eos rem ipsam nusquam attingere, sed declinare, et alia reponere, unum atque alterum exemplum proferam.

Objicimus Arnaldo eum Christianis imponere pœnitentiam veterem. Congerimus loca ex ejus opere, quæ fidem crimini faciunt, et consectarium hoc necessario complectuntur. Vide quæ diximus ad propositiones 3. 4. et seqq. Quid ad hæc Arnaldus ? « Professus sum, *inquit*[1], ab initio libri, me alienissimum esse a consilio, quod mihi tribuitur, quasi velim omnibus imponere pœnitentiam veterem, ut prorsus necessariam. » At non quæritur hic, Arnalde, quid sis professus ; sed quidnam reipsa scripseris, vel edideris sub tuo nomine, et quid sit unicum operis tui argumentum.

VI. Te incusamus, quod dixeris[2] « a concilio Tridentino instauratas esse omnes traditiones apostolicas ; » quæ sunt ipsa verba, quibus usus es : unde sequitur ab eo restitutam pœnitentiam publicam, quod per totum opus propugnas. Ut hoc crimen a te amoliaris, reponis[3] « te damnasse hoc consilium quasi superbum juxta ac imprudens. » Hoc non est purgare sese, sed suo testimonio errorem suum graviorem reddere.

VII. Argueris[4], nec immerito, quod incusaris Ecclesiam erroris in moribus, hoc est in consuetudinibus, et disciplina. Reponis[5] te alibi illam expertem erroris habere. Recta esset responsio, si a te ipse dissentire non posses. Quis non videt, Calvinum posse eodem modo se tueri, et contendere se minime statuere Deum esse auctorem peccati, quod alibi aliter locutus sit, et contraria ei blasphemiæ dixerit?

VIII. Omnes responsiones, quæ sunt in epistola ad Reginam, in præfatione libri de Traditione, in confutatione Mileterii, et antea editæ fuerunt in *Admonitione* satyrica atque infami, æque sunt infirmæ, nec magis ad rem faciunt.

Idem vitium observare est in Animadversionibus doctoris theologi *Du Bois*, qui *miratur, Arnaldum incusari revocatæ pœnitentiæ publicæ, quamvis contrarium diserte professus sit.* Sed usque adeo inanes sunt ejus animadversiones, tamque destitutæ judicio, ac puerilibus erratis refertæ, ut indignus sit ulla refutatione. Occasione data obiter fortasse eum perstringemus. Nunc potissimum nostrum negotium agemus.

CAPUT SECUNDUM.

Refutatio ejus, quod Arnaldus et ejus asseclæ affirmant, doctrinam operis nostri esse eorum doctrinæ consentaneam. Discrimen in multis demonstratum.

I. Arnaldus, in epistola ad Reginam[6] conatur me ad partes suas trahere, atque addere iis comitem, qui opus ejus probarunt ; quia, ut ait, « fassus sum usum, quem laudat, non tantum esse bonum, sed etiam, pro occasionibus, posse esse necessarium. » Verum annon animadvertit, dum hæc mihi objicit, seipsum inducere in laqueos, et ratione defen-

[1] In Ep. ad Reginam p. 16. — [2] Par. 2. cap. 21. de F. C. — [3] In Ep. ad Reg. p. 23.

[4] Propos. 9. — [5] Præf. lib. de Trad. pag. 56. — [6] Pag. 18. et 19.

sionis, quam mihi suppeditat, ut dixi superiore capite, mihi arma tradi, quibus eum vincam, et pudefaciam? Si enim putat se satis excusasse ea, quæ reprehenduntur in suo libro, quia ostendit se alibi contrarium dixisse; an non majore jure simili erga eum responsione uti queam, cum non tantum multis in locis operis mei contrarium professus sim, sed integrum opus, argumentumque, et singulæ paginæ falsum hoc, et absurdum esse ostendant?

II. Sed non acquiesco in hac responsione, qua sola utitur Arnaldus, et quam nimis infirmam esse ostendi, quam ut eam possit tueri. Nulla volo proferre loca ex opere meo, præter ea, quæ producit, ut eum convincam, adigamque ad fatendum ei calumniæ nullam esse rationis speciem. Expendantur accurate omnia mea verba, et vel unum inveniatur, quod comprobet scandalosam doctrinam operis de frequente Communione.

Hoc tantum professus sum[1], priscum pœnitentiæ institutum, quo aliquandiu post peccatum a communione abstineatur, « posse utile esse, et cum laude observari ab iis, qui sponte ita se gerere volent. » Ac sane potest fieri, ut quispiam « reverentiæ causa abstineat, a communione post admissum magnum peccatum, seu sponte sua, aut ex consilio directorum; » et præterea [2], « ut remotio a communione peccatori imponatur, quasi satisfactio pro delicto. »

III. Hæc sunt verissima, ac sæpe in usum revocantur, sive palam, ex publico Canonum instituto, cum quis delicti causa excommunicatur, aut ad tempus amovetur a S. Sacramento; sive clam, ad confessionis tribunal, de sententia sacerdotis, aut de consilio directoris. Quod minime contrarium est institutis Ecclesiæ, sed tuo consilio, doctrinæque operis tui nequaquam favet, sed valde adversatur. Primum discrimen est in eo situm, quod dilationem communionis infligas omni generi peccatorum mortalium, leviorum vel graviorum, publicorum aut arcanorum, imo solius cogitationis: quod fieri oportere niteris probare in secunda operis tui parte; quod tamen nunquam constituit Ecclesia, quidquid contra loquaris. Secundum discrimen est, quod non differas tantum communionem in pœnam omnium peccatorum mortalium; sed, quod magis mirum est, differas etiam absolutionem, cum velis vulgo pœnitentem post confessionem privari absolutione in tempus sat longum, cujuscumque mortalis peccati reum se confessus fuerit. Quæ disciplina barbara est, ac inhumana, nec aliam originem habet præter ignorationem antiquitatis, traditionis et regiminis Ecclesiæ primitivæ; quæ tamen sibi notissima esse jactat nova hæc factio, ut mirum sit tantam in iis inscitiam ab ea prodi.

IV. Tertio, doctrina tua [3], Arnalde, iis, quæ dixi, adversatur, quia tuam pœnitentiæ reformationem non profers, quasi merum consilium, sed quasi jugum imponis, ac instar legis qua teneamur; ut omnes fatebuntur, qui opus hoc legerint, ac præsertim hanc disputationem.

Quarto, ex tua doctrina dilatio illa absolutionis et communionis est vulgaris usus, solitusque in usu sacramenti Pœnitentiæ erga omnia peccata mortalia, cum in vetere Ecclesia imponeretur tantum peccatis publicis, et atrocibus. Qua in re magnam prodis imprudentiam, quam vir sapiens nunquam probabit, sed potius damnabit, quasi æque periculosam, ac contrariam prisco usui Ecclesiæ. Quamobrem in loco ipso, quem profers in tui defensionem, diserte significavi, quo sensu, et quo adhibito temperamento res posset minime vituperari. Quod hisce verbis expressi [4]: « A nobis prorsus non damnatur nova hæc pœnitentiæ ratio, quia aliquando eos, qui peccata confessi sunt, communione interdicit, etc. »

V. Verba hæc satis ostendunt me nullo modo subscripsisse tuæ doctrinæ, nec favisse tuis consiliis; cum non crediderim dilationem illam absolutionis, et communionis vulgo adhibendam, ut contendis, sed tantum *aliquando*, et erga peccata minime vulgaria. Quod alibi clarius exposui hisce verbis [5]: « Non diffiteor in Ecclesia semper fuisse formam aliquam pœnitentiæ, etiam publicæ, quod attinet ad atrociora scelera; qua ne hodie quidem prorsus caret, ut intelligere est ex excommunicatione propter crimina hæreseos, apostasiæ, aut alia inusitata, atque enormia, quibus certæ pœnæ a canonibus sunt impositæ. »

Præter eos casus, quos jus canonicum indicavit, sunt alii, qui permittuntur prudentiæ confessariorum, qui remedia, prout res postulat, adhibeant, satisfactionemque exigant a pœnitente, antequam eum absolvant, admittantque ad communionem, ut locis memoratis, aliisque hujusce mei operis observavi.

[1] Lib. 3. c. 8. § 3. — [2] Lib. 1. c. 7. § 13.

[3] Vide Prop. 4. et seq. — [4] Lib. 3. c. 1. § 5. — [5] Lib. 1. c. 6. § 14.

VI. Verum hoc, Arnalde, nequaquam te juvat, nec causam tuam reddit meliorem : quia, quamvis dissimules, satis intelligimus te cupere restitui severam illam disciplinam, non tantum in omnibus peccatis mortalibus, sed rigidissime exigendam ita, ut neque sacerdos, neque episcopus, neque Papa, neque universa Ecclesia ejus legibus quemquam possint solvere ; cum censeas eam esse juris immutabilis, traditionisque apostolicæ, ut suo loco ostendimus.

Addo quintum atque ultimum exemplum, ex quo liqueat doctrinam, Arnalde, tuam valde a nostra discrepare observatione, quam habeo eodem capite, quo abuteris. Illic enim post verba, quibus falso tuum a me probari institutum contendis, quemadmodum probavi, dixi [1], « In usu ejus remedii, quamvis omnibus necessarium non esse censeatur, fore periculum, et detrimentum timendum, quæ mature essent expendenda, antequam ad id deveniretur ; præsertim si non communio tantum, sed et absolutio diu differretur. » Verum, « Incommoda, quæ sequi possent, imprudentiæ tantum tribuenda, si res inter volentes transigeretur ; absque nulla impositione legis, et coactionis peccatoribus pœnitentibus. Contra, prout rem adhibes, et pro animo quo eam urges, rationeque qua te geris, consilium tuum errori, et hæresi favere. »

VII. Non poteram clarius loqui, neque apertius ostendere, quid sentiam de tua doctrina, deque tuo pœnitentiario instituto. Negavi me id damnare prorsus, quia absolutione, vel communione interdum interdicit ; sed statuebam, non eam esse frequentissimam rationem pœnitentiæ, neque omnibus communem, verum aliquando tantum adhiberi pro necessitate, et pro confessariorum prudentia sine ulla lege divina vel humana, qua teneamur. Satis hoc fuit ad oppugnandum, atque evertendum consilium tuum de pœnitentia, si coerceretur intra memoratos fines, ne omnino damnaretur. Sed nec ea in re acquievi, sed præterea monui, quamvis necessitatem ab ea divelleres, nec imponendam quasi legem judicares, tamen *fore in ea periculum, et detrimentum timendum*, etc.

Hoccine est subscribere tuis consiliis, et probare librum tuum, atque doctrinam tuam? Absit ut eo unquam deveniam, et faxit Deus, ut nova tua dogmata nullas alias approbationes nanciscantur, quo eorum memoria quam primum extinguatur.

CAPUT TERTIUM.

Repugnantiæ doctrinæ nostræ falso objectæ confutantur.

I. In eadem epistola ad Reginam [2] alia argumentatione colligit Arnaldus a me probatum fuisse consilium suum, eademque opera me incidisse in manifestam repugnantiam ; quoniam cum eum insimulem restitutæ pœnitentiæ publicæ, aliis in locis reum agam dimidiatæ tantum instaurationis, quæ potissima parte pœnitentiæ publicæ, hoc est, ignominia publica careat. Hoc quoque [3] majore quidem loquacitate, sed non majore judicio objicit doctor Theologiæ *Du Bois*, multisque hanc fictam repugnantiam urget. At mirum est Theologiæ doctores tam male ratiocinari, atque in intolerandas absurditates sese conjicere.

II. Scriptor libri de frequente Communione pro suo consilio, suisque theologicis axiomatibus, aggressus erat restituere pœnitentiam antiquam, et publicam secundum totam ejus amplitudinem, quemadmodum antea demonstravi [4]. Sed postquam consilium tanti momenti aperuit, tantum abest, ut id præstet, restituatque Ecclesiæ integram pœnitentiam, ut maximam ejus partem reseruerit, cum eam redigat ad solam dilationem absolutionis et communionis. Quibus rebus factum est, ut

[1] Lib. 3. c. 1. § 6. — [2] Pag. 22. — [3] Pag. 33. — [4] Propos. 3. 4. et seq.

dixerim, eum intromittere *pœnitentiam mutilam, et adulteratam;* destitutam quippe potissima, et quæ erat veluti anima pœnitentiæ primitivæ. An non merito ita collegi, doctores vero illi theologi ratione destituuntur, cum colligunt ex iis, quæ dixi, me probare eorum consilium, et adigere velle ad restaurandam integram veterem pœnitentiam?

III. Absurditas eorum ratiocinationis, vitiumque consequentiæ melius intelligetur hoc exemplo. Legimus Gal. 5. et Act. 15. magnam exortam esse in Ecclesia dissensionem, an observanda esset lex Mosaica una cum lege Christi. Fingamus contumax quodpiam ingenium, quale fuit Cerinthi, aut alium seditiosum professum se velle integrum Judaismum restituere; deinde, ut plures ad se alliceret, pronuntiasse *se solvere homines innumeris* legibus Mosaicis, quæ antea in synagogis observatæ fuissent, *neque ex omnibus ritibus externis quidquam fere retinere,* præter Circumcisionem (ut utar propemodum verbis Arnaldi.) Quo audito Paulus hanc illi objectionem proponeret: eum a se ipsum dissentire, quandoquidem Judaismi instaurationem professus, unam duntaxat ejus partem sumeret, quæ ne propria quidem erat legis Mosaicæ, sed ea antiquior, et apud alios populos usurpata, qui tamen legem observandam minime suscipiebant. Igitur, ut staret promissis, necesse esset, ut præter Circumcisionem revocaret in usum communem omnes alias cæremonias, institutaque legis Mosaicæ, ut sabbatum, sacrificia, etc. Judicet nunc lector an sani sincipitis viri colligere possent ex hac oratione Pauli, eum a se ipso dissentientem favere consilio Cerinthi de restituendo Judaismo. Sic autem ratiocinantur theologi nostri, atque æque absurde collegerunt, me ex eorum partibus stare, et ea quæ ab iis agitantur probare.

IV. Alio præterea argumento utuntur, quo me invitum in factionem suam pertrahant. Aiunt [1] me in Animadversionibus in Epiphanium, quas ante hosce viginti annos edidi, et in alio libello, qui non multo post prodiit, me contendisse, olim pœnitentiam publicam impositam fuisse tam arcanis, quam publicis delictis; quod contrarium est iis, quæ docui hic lib. 6. capp. 6. 7. et seqq. Verum hæc est mera calumnia tam falsa, quam facilis convictu. Nunquam dixi necesse fuisse subire pœnitentiam publicam propter arcana delicta; quanquam fassus sum nonnullos sponte, ac nulla lege coactos eam subiisse. Lege attentius, Arnalde, eadem loca, quæ ex meis libris profers, nec invenies me affirmasse, necessario subeundam fuisse pœnitentiam publicam propter arcana peccata. Hoc tantum dixi, actam eam fuisse pro utrisque, non addita conditione *necessitatis*, aut *spontaneitatis*, quæ distinguebat duplex hoc pœnitentiæ genus. Scilicet, aggressus non eram rem illam eo in loco penitus discutere, quam peculiari dissertationi reservabam, quemadmodum et nunc facio.

V. Sed quamvis credidissem, hujusmodi fuisse primitivæ Ecclesiæ usum, propterea non sequeretur, me tunc temporis errori tuo favisse, et consilium vestrum probasse. Neque enim hæc agitur inter nos hodie quæstio, an in Ecclesia veteri præcepta esset, et necessario observanda pœnitentia publica; sed, an nunc sit eodem modo fidelibus imposita. Varia olim præcepta fuerunt, quibus hodie amplius non tenemur, quia leges ac canones, quibus præscribebantur, obsolevere, ita ut quod olim sine delicto omitti non potuit, nunc a nemine exigatur. Hoc cernere est in pœnitentia antiqua et publica, quam conaris restituere fretus fallacibus ratiocinationibus.

VI. Si enim propius inspiciatur crassum illud opus de frequente Communione, deinde et alia, quæ ad id defendendum eadem de re egerunt; comperient lectores omnia eorum argumenta, quibus pœnitentiæ antiquæ instaurationem suadent, ad unum locum communem posse referri, auctoritatis nimirum Patrum et Conciliorum, qui sunt veluti traditionis depositarii. Hi autem omnes videntur conspirare in exigenda necessario pœnitentia, et dilatione absolutionis, et communionis. Unde novi Pœnitentiarii colligunt instaurandum igitur nobis esse hoc institutum, ut sanctis illis constitutionibus pareamus, exigendamque disciplinam Ecclesiæ hodiernæ ad exemplar veteris; executioni mandatis iis, quæ quasi necessaria in scriptis suis exigit antiquitas.

VII. Hæc est summa omnium illorum disputationum, et argumentatio potissima, ac in tribus partibus operis de frequente Communione creberrima. Hanc scriptor in præfatione collegit, ceterique omnes eum imitati potissimum causæ præsidium in ea collocarunt. Sed manifesto deest sensus communis ei ratiocinationi, quæ, ut dixi, nititur perpetuo paralogismo, qui si in formam redigatur, hic erit,

[1] Arnal. Præf. Lib. de Trad. Du Bois p. 42.

Omnes mores et usus, qui necessario observandi fuerunt in Ecclesia primitiva, sunt nunc instaurandi, ut a fidelibus denuo observentur.

Constat autem in antiqua Ecclesia, pœnitentiam publicam, una cum dilatione absolutionis, et sacramenti Altaris, fuisse præcepto impositam.

Ergo revocanda est in usum, quemadmodum antea fuit.

Infirmitas hujus syllogismi ita propositi manifesta est, docetque nos novos hosce Pœnitentiarios æque malos esse dialecticos, ac imprudens est eorum consilium.

VIII. Est et alia fallacia, aliusque paralogismus in scriptis Arnaldi, ejusque socii doctoris theologi *Du Bois* [1]; quo potissimum fulciunt doctrinam suam, defenduntque consilium suum de reformanda Ecclesia. Colligunt nimirum omnes sententias Patrum præcipientium laboriosa illa pœnitentiæ exercitia; qualia erant jejunia, aspersio cinerum, austeritas victus, χαμευνίαι; vel etiam loca eorumdem hortantium pœnitentes ad seriam emendationem vitæ præteritæ, et constantiam in ea agenda, quam amplexi erant, ita ut amplius non relaberentur. Ex hisce dictis, et similibus consectaria deducunt consiliis suis et restitutioni pœnitentiæ faventia. Quomodo abutuntur ignorantia et simplicitate debiliorum, qui firmitatem, aut infirmitatem consequentiæ non intelligunt, neque nexum ejus cum propositionibus, ex quibus deducta est.

IX. Verum hanc eorum defensionem variis in locis operis nostri satis superque confutavimus, ubi ostendimus eos abuti auctoritatibus illis Patrum, et sibi vindicare conditiones omnes veræ pœnitentiæ cum omnibus austeritatibus, quas perferri a pœnitentibus volebant Patres; quasi propriæ ac peculiares essent novæ isti pœnitentiæ. Fraus hæc est mera, ut liquet ex ejus descriptione, quæ extat in præfatione libri de frequente Communione. Illic enim Arnaldus profitetur se ex ea resecare omnia illa officia laboriosa ac tædiosa, macerationes corporis, et quidquid minus ferendum habuit pœnitentia antiqua; *nec se retinere ex omnibus illis partibus externis quidquam propemodum, præter separationem a corpore Filii Dei.*

X. Ne patiatur igitur lector sibi diutius fucum fieri externa illa specie religionis, et reformationis, et quæsitis illis laudibus, exaggerationeque, quibus passim in suis scriptis austeritatem severæ pœnitentiæ, quam veteres delictis imponebant, extollit.

Omnis ille apparatus cruciatuum et perpessionum in elogiis descriptus, seriæque ac firmæ pœnitentiæ imagines, quæ proposita sunt ab Arnaldo, præsertim in libro *de Traditione Ecclesiæ*, etc. sunt tantum inania simulacra, et mera externa species, quæ illis est ornamento. Pœnitentia eorum est veluti mortua, cum, resecto eo quod erat masculum ac generosum in antiqua pœnitentia, ejus vanum simulacrum effinxerint; quod, cum archetypum suum amplius non referat, amittit nomen primitivæ pœnitentiæ, quo commendabatur. Est morosa pœnitentia, mollis ac languida, institutum plenum ignorantia atque imprudentia, et quod spectat ad dissidia, atque ad Religionis catholicæ eversionem.

Nonnihil immoratus sum primis illis capitibus responsionis Arnaldi, quia maximi momenti res mihi visa est. Cetera levius expediemus, ne nimia fiat hujus operis moles.

CAPUT QUARTUM.

Calumnia Arnaldi, ejusque sociorum confutata, inde petita, quod hortatus sim summas Potestates ad nova dogmata coercenda.

I. Ægre fert Arnaldus [2], tribui Reginæ, « studium conservandi usque adeo sacri depositi, quale est depositum regni Galliæ, et Religionis catholicæ; » atque hæc verba in

[1] De freq. Com. et de Traditione.

[2] In Ep. dedic. Lib. de Tradit. pag. 41.

sequiorem partem capit, quasi deferretur ad Reginam judicium de controversiis, quæ pertinent ad doctrinam fidei. Potestas regia a Deo imposita est populis Christianis, ut in officio contineantur, atque in obsequio, quod debent legibus divinis atque humanis, pro ejus potestatis conditione ac jure. Ejus est auctoritate sua Religionem defendere, ac tueri, atque ad eumdem finem tendere ac potestas ecclesiastica, sed non eadem via.

II. Sic S. Leo papa scribens ad Pulcheriam Augustam sororem Theodosii junioris, quæ erat particeps imperii, Deo gratias agit, quod ita Pulcheriam afflasset, ut vellet curas cum suis conjungere, quas gerebat quasi summus Ecclesiæ Pastor, ad remedium afferendum turbis in Ecclesia creatis a conciliabulo 360. episcoporum Ephesum coacto, cui præfuerat Dioscorus episcopus Alexandrinus: « Quoniam, *inquit* [1], res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam potestatem pertinent, et regia, et sacerdotalis defendat auctoritas. » Sic Stephanus II. in litteris ad Pipinum regem Galliæ patrem Caroli magni [2], « Nulli, *inquit*, alii, nisi tantummodo tuæ amantissimæ excellentiæ, vel dulcissimis filiis, et cunctæ genti Francorum, per Dei præceptionem et beati Petri, sanctam Dei Ecclesiam, et nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum. » Annon hisce verbis respublica ecclesiastica, quasi depositum, in manus regum Galliæ tradita est, ut eam tuerentur ac protegerent, sed non ut de doctrina ipsa judicarent?

III. Potissimus autem usus summæ illius potestatis, et quo sibi reges maxime devinciunt Ecclesiam, est, ut adversentur schismatibus, et hæresibus, utque obviam eant occultis consiliis irrequietorum hominum, qui speciem reformationis præferentes cœptis suis condunt novas sectas, factionesque æque noxias utilitatibus temporalibus, ac utilitatibus regni. Hoc officium postulabant a zelo Reginæ verba epistolæ, quæ initio hujusce capitis adscripsi; et quæ Arnaldus conatus est in deteriorem partem torquere, dum iis absurdum sensum tribuit pro facultate, quam contraxit, prave plerumque utendo scriptoribus, quos citat, cum eos corrumpat cum interpretationibus eorum sententiæ contrariis, tum falsationibus eorum verborum. Sic fecit in loco memorato epistolæ, quem majusculis litteris protulit, *Reginam accepisse, quasi depositum, religionem catholicam æque, ac regnum;* cui de suo inseruit hæc verba *accepisse*, et *æque ac*, quæ non sunt in epistola; eo consilio, ut illis interpretationem suam adderet, falleretque lectorem fraude æque manifesta, ac indecora doctori et directori animarum.

IV. Profecto Arnaldus immerito indignatur hortantibus principes, et summas potestates ad defendendam Ecclesiam, utendumque auctoritate sua ad ei conservandam quietem, et certam pacem. Ipse enim in epistola ad Reginam observat [3], cum officium principum non sit, « ut se misceant functionibus munerum ecclesiasticorum, quæ pertinent ad episcopos, esse, ut sequantur eorum judicia, ac mandata, eaque observari ab aliis curent. » Quod probat multis insignibus exemplis regum, et imperatorum, qui hoc et verbis professi sunt, et re ipsa fecerunt.

Igitur ex ipsius sententia nihil a me justius, atque æquius fieri potuit, quam si hortarer Reginam, ut curaret observari decreta tot episcoporum, coactorum in concilium Tridentinum, sub auctoritate Capitis, et summi Episcopi ac Pastoris Ecclesiæ. Hi episcopi anathema dixerunt defensuris summam doctrinæ, quæ propugnatur in opere de frequente Communione. Ejus dogmata damnarunt, ut vidimus per totum opus, ac præsertim ad propositionem 15. Quamobrem graves nobis sunt rationes urgendi omnibus viis licitis, qualia sunt vota nostra, et preces, executionem decretorum tot episcoporum, iisque reverentiam debitam reddi ita, ut qui eos spernunt, et oppugnant novis, ac perniciosis dogmatibus, in officium cogantur interventu legitimarum potestatum.

V. Quod tum demum quam maxime est cupiendum, cum homines privati, neque dignitate, neque eruditione insignes audent producere, ac comprobare ejusmodi errores, et pertinaciter eos defendere, postquam fuere convicti.

Duorum horumce vitiorum, temeritatis nimirum et contumaciæ, prius cernere jam licuit in scriptore libri de frequente Communione, et in Arnaldo, qui nomen suum ei mutuum, ut ita dicam, dedit, factusque est scandalosæ doctrinæ apostolus, ac patronus. Posterius vero, quod est character, et sigillum hæreseos, non minus est conspicuum in aliis scriptis, quæ idem Arnaldus ad sui de-

[1] Leo PP. Ep. 31.

[2] Ep. 4. T. 2. Conc. Gall. p. 25. — [3] Pag. 38.

fensionem composuit; in quibus tam ægre libri sui erroribus nuntium remittit, ut quamvis specie tenus eos damnet, eodem tempore eos comprobet, ac defendat, et nonnullos etiam satis aperte; quod ostendam insigni exemplo.

CAPUT QUINTUM.

Examen rationis, qua Arnaldus retractavit scandalosam propositionem libri de frequente Communione.

I. Auctor libri de frequente Communione agens de « ratione pœnitentiæ, quæ nunc recepta est apud fideles, et quæ differt ab ea quæ agebatur olim in Ecclesia, » ut loquitur in sua Præfatione [1], dicit [2], « eam, quæ est hodie frequentissima, quia favet impœnitentiæ communi plerorumque; cum omnes velint quidem peccata confiteri, sed fere nemo velit pœnitentiam subire. » Hæc verba redolent hæresim, et blasphemiam; sunt enim contumeliosa Ecclesiæ, eamque ream faciunt ordinis in administratione Sacramentorum, qui favet maximo omnium peccatorum, hoc est impœnitentiæ. Quamobrem cum offendissent omnes Catholicos, nec Arnaldus posset ferre eorum tam justas, tamque consentientes querelas, ea emendavit in secunda editione, in qua curavit edi, ei rationi pœnitentiæ *favere impœnitentiam communem*. Hoc quidem non erat remedium, quo malum prorsus curaretur, sed quo dissimulabatur, peccatumque peccato tegebatur; ut ostendimus lib. 5. cap. 8. ad quod lectorem amandamus, ne idem hic repetere cogamur.

II. Sed quamvis satis hoc haberi non posset, attamen ea emendatione sententiæ plerorumque omnium ratio aliqua habebatur, spesque fiebat correctionis futuræ, ad cetera quod attinet, postquam ea maturius pensitasset. At ea expectatio bonorum omnium irrita fuit, nam φιλαυτία atque animi perturbatio iterum superiores fuerunt, et suffocarunt exiguum illud semen concordiæ, quod cerni incipiebat. In editionibus quippe sequentibus, impiam illam atque absurdam propositionem recudi curavit, *contigitque* ei *illud veri proverbii,* quod memorat Petrus 2. ep. 2. 22.

Nec satis habens ita se gessisse, usque adeo perfricuit frontem, ut ausit dicere se recte esse locutum, nec quidquam mali eis verbis inesse. Quod paradoxum tuetur in præfatione libri de Traditione; vel potius blasphemiam, quæ lectoribus catholicis horrorem incussit, et cum plausu excepta est ab inimicis Ecclesiæ: qui librum de frequente Communione pro confessione habuerunt, idque caput, quasi unum e potissimis notarunt.

III. Frustra autem Arnaldus, ad defendendum magistrum, ait « rem posse esse bonam, quæ faveat malo: ut opinio de creatione animorum valde favet hæresi Pelagianorum de peccato originis. » Ne enim immorer ambiguitati, quæ potest inesse verbo *faveo*, discriminique quod est inter rem necessariam ac minime pendentem a nostro arbitrio, qualis est veritas propositionum, et inter effectum liberum, qui spectat finem libere electum; certe Arnaldus mihi concedet eum qui facit rem malam, eo animo ut malo cuipiam faveat, ut committatur, malam actionem edere, et peccatum quod non potest Deo tribui, nisi quis velit in hæresim, et blasphemiam Calvinistarum incidere. Talem autem esse hanc propositionem liquet ex iis, quæ diximus ad propositiones 4. 5. 6. et seqq. Probavimus enim primum, ex doctrina operis de frequente Communione usum receptum esse infractionem divinæ traditionis, et apostolicæ, legis immutabilis, etc. deinde Ecclesiam eum instituisse eum in finem, ut fideles sequerentur rationem pœnitentiæ, et præparationis ad communionem, quæ est corruptio, atque aperta violatio legis divinæ, hoc est immutabilis, et qua nemo homo alium potest solvere.

[1] Pag. 7.

[2] Part. 2. c. 47.

CAPUT SEXTUM.

De usibus, et consuetudinibus cæremonialibus Ecclesiæ Christianæ, deque captiosa eorum interpretatione ab Arnaldo excogitata.

I. Inter ea, quæ animadvertimus in consilio nostrorum Pœnitentiariorum, quod habetur lib. 1. cap. 3. maximi est momenti, aptissimumque ad detrahendam iis larvam, qua simpliciores fallunt, quibus persuadent a se nihil nisi recta spectari. Qua in re potissimum utuntur auctoritate, atque exemplo Ecclesiæ primitivæ ; ad quam accedere, quam proxime fieri potest, se velle dictitant : quamobrem instaurant consuetudinem ejus in usu pœnitentiæ, et participationis sacrorum mysteriorum. Sed lectorem, qui falli non vult, oportet sibi cavere a fallace hac ac sophistica ratione ; quod faciet, si perpendat ea, quæ capite memorato diximus, neque hoc in loco repetemus.

II. Arnaldus quidem, in præfatione libri de Traditione Ecclesiæ non ausus est aperte distinctionem nostram oppugnare, sed eam obscurius evertere nititur verbis quibusdam ambiguis, et captiosis, ex quibus liquet eam illi minus probari, obiter effusis, ut quando dicit [1], « Non esse habendum pondus ullum sanctorum illorum officiorum pœnitentiæ, quasi meræ πολιτείας, cæremonialiaque, et legalia ; quod esset indignum novi fœderis conditione. »

Verum hæc responsio occultat summam ignorantiam, aut dolum malum. Quis enim auditis vocibus, *cæremoniale* et *legale*, ubi sermo est de sacramento Pœnitentiæ, fingat sibi agi de *cæremoniis* judaicæ legi propriis? Ecclesia Christiana *leges* suas habet, et *cæremonias* non minus, ac Synagoga, quamvis sint valde diversæ. Vocamus consuetudines cæremoniales eas, quæ non pertinent ad essentiam Sacramenti, neque sunt juris, institutionisque divinæ, sed ab Ecclesia constitutæ ; quas cum potuerit constituere, potest etiam mutare, vel abrogare, prout ei videtur : quod sensu communi, exemplisque, et auctoritate SS. Patrum intelligere licet.

III. Ejusmodi est ratio pœnitentiæ antiquæ, et publicæ, omniaque exercitia externa, quibus Ecclesia delinquentes subjiciebat, prout jubent Canones, antequam admitterentur ad communionem. Hæc consuetudo cum diu obtinuisset, paulatim sequentibus seculis in desuetudinem abiit, et a quingentis annis penitus obsolevit, ut ait auctor libri de frequente Communione. Is propterea invehitur in Ecclesiam, eique exprobrat *corruptionem morum*, et *licentiam* conjunctam cum *horrenda cæcitate*, quod aboleverit ea officia pœnitentiæ, quæ ipse vocat ejus [2] *partes externas*, et quæ Arnaldus [3] habet pro *cæremoniis*, et *rebus externis Ecclesiæ* in libro de Traditione ; ubi contradicens dogmatibus suis, et opinionibus magistri, fatetur nos ad earum observationem nulla necessitate adigi.

IV. Ibidem Arnaldus aggreditur satisfacere objectioni propositæ, contra novum consilium de pœnitentia, quod magister ejus concepit in libro de frequente Communione. Videbatur aliquid ei consilio deesse, quia complectitur tantum exiguam partem pœnitentiæ veteris, et publicæ, et quæ, si proprie loquamur, non est pœnitentia publica Ecclesiæ primitivæ, nec quæ comprobatur a Conciliis, et Patribus, et quam memorant omnia antiqua monumenta, quæ supersunt. Respondet Arnaldus [4], « Iniquum esse, se adigi ad rejiciendam universam pœnitentiam antiquam, quia omnes ejus partes amplecti nequeant. » Præterea negat « ab Ecclesia factos ullos canones, ut observarentur, cum id fieri non posset ; » aitque « tandem magnum esse discrimen inter imitationem rei, et ejus ipsius repræsentationem. Si autem non possumus penitus repræsentare vitam primorum pœnitentium, debere tamen nos eam imitari, et quam proxime ad eam accedere. »

V. Plane irritæ sunt hæ excusationes ; et tantum abest, ut purgent vestrum consilium, ut quam sit inane ac temerarium, contra ostendant. Cum enim contendatis veterem hanc disciplinam, et consuetudinem pœnitentiæ publicæ, pro amplitudine, quam eis tribuunt Canones, et scripta SS. Patrum, esse *præceptum Jesu Christi*, *immutabile*, *neces-*

[1] Pag. 95. — [2] Præf. p. 17. — [3] Ep. ad Reg. p. 28. — [4] De Tradit. p. 105.

sarium, et essentiale Sacramento, ut probavimus ad propos. 4. 5. et 6. ex vestris libris; oportet, ut eam integram amplectamini in vestra nova administratione, quam proponitis Ecclesiæ quasi remedium prolapsionis morum. Non licet hominibus quidquam mutare in constitutionibus ejusmodi, neque quidquam ex iis resecare, nisi horrendi sacrilegii rei fieri velint.

VI. Res ipsa per se loquitur, nec ullo argumento alio opus est, Arnalde, præter magistri tui verba, quæ pro tuis venditasti, et pertinaciter defendis. Dicere, quemadmodum facis, *ab Ecclesia nullos factos canones, ut observarentur, cum id fieri posset*, hoc demum est sibimetipsi contradicere, et præterea in Deum, atque in Ecclesiam blasphemare, dum accusantur conditarum legum, quæ observari nequeant. Nam existimas una cum magistro, easdem illas constitutiones de pœnitentia veteri, quas *observari posse* negas, esse juris divini atque immutabilis, et Canonibus nunquam revocandis ab Ecclesia fuisse confirmatas; ut ex tua doctrina ostendimus ad propositiones memoratas. Itaque ex vestra sententia, oportebit Deum, et Ecclesiam ea, quæ observari non poterant, jussisse.

VII. Verum hoc non difficulter fortasse concedes, quia ita sensit *magnus ille vir*, quem magister tuus ad cœlum magnificis laudibus sustulit, cum dixerit « fuisse virum virtutis, et eruditionis inusitatæ, cujus mens plena erat scientia Scripturæ, et theologia traditionis, hoc est, Conciliorum, et Patrum, ac denique inter eruditissimos hujus seculi viros referendum. » Vir ille incomparabilis, inter multas alias sententias erroneas, propter quas est damnatus ejus liber a S. P. N. Urbano VIII. beatæ memoriæ, contendit præcepta Dei servari non posse. Quæ est hæresis damnata a concilio Tridentino, et nascitur ex tua oratione, consectariumque est necessarium tuæ responsionis.

CAPUT SEPTIMUM.

De dispositione, quam Patres postularunt a digne communicaturis, ubi agitur de sensu eximii loci S. Dionysii.

I. Non puto posse animo fingi *cæcitatem magis horrendam*, ut utar verbis Arnaldi, quam ea est, quam licet cernere in iis, quæ animadvertit circa affectionem animi, quam Patres postulant a digne communicaturis in secunda parte præfationis in librum de Traditione. Auctor libri de frequente Communione in prima parte collegit loca Patrum, in quibus præscribunt certam dispositionem, ut liceat accedere ad participationem sacrorum mysteriorum.

Hæc autem loca intellecta eo sensu, quo ab auctore intelliguntur, hoc sacramentum inaccessum reddunt. Cum enim vellet confutare auctorem anonymum, qui ex doctrina vulgo recepta nullam aliam præparationem quasi necessariam postulabat, præter confessionem sacramentalem ab iis, qui peccatum lethale admiserunt; conatus est probare a Patribus postulari multo excellentiorem dispositionem ab iis, qui digne communicare vellent; eoque rem adducit[1], ut colligat ex eorum auctoritatibus, non satis esse, ut careant peccato, sed oportere eis inesse « amorem divinum purum, et impermistum, eosque oportere perfecte conjunctos esse cum Deo solo, et prorsus inculpatos. »

II. Hoc paradoxum, absurdamque ratiocinationem multis confutavimus in hoc nostro opere, et hæc quidem est summa eorum, quæ diximus: Dispositionem ad communicandum, quam Patres iis in locis nobis proponunt, posse duplici modo spectari, aut *absolute*, et in se; aut *relate* ad disciplinam ecclesiasticam. De ceteris adito lib. 3. cap. 16. § 8. ne sint repetenda.

III. Hisce positis, aio dispositionem ad sacramentum Altaris, quam nimis extollere

[1] De Freq. Com. p. 1. c. 4.

videntur pleraque loca ab Arnaldo allata, si intelligatur *relate* ad disciplinam, quæ tunc vigebat, non complecti tantum consilium, sed præceptum necessario observandum; sed si spectetur *absolute*, atque in se, esse tantum decori, atque consilii. Hoc manifesto liquet ex loco S. Dionysii, quo potissimum utitur Arnaldus contra adversarium anonymum. Narrat vir sanctus, expulsos Ecclesia, « qui reliquerant quidem contrariam vitam, sed nondum purgati erant ab ejus imaginibus, habitu, et amore divino impermisto; et post hosce, qui non erant plane uniformes, et, ut secundum legem loquar, prorsus sine macula et vitio. »

IV. Perfectio virtutis ac sanctitatis, quæ hisce verbis describitur, spectata *absolute*, pro affectione interna animi, in qua proprie sita est virtus, nisi prudenter rem interpreteris, est supra modulum naturæ humanæ, excepta sanctissima Dei matre; quandoquidem neminem reperire licet, qui pervenerit ad puritatem usque adeo absolutam, aut potius quam sine miraculo nemo possit consequi. Igitur si affectionem, quam præscribit S. Dionysius, *absolute* intelligamus cum auctore operis de frequente Communione, cumque Arnaldo, non relate, eam coercendo intra limites perfectionis canonicæ; non potest esse præceptum, sed tantum consilium, ut ostendimus lib. 3. c. 15. et lib. 5. c. 6. § 10. Alioqui Deus a nobis exigeret rem, quam præstare non possumus; nec quisquam sanctus, excepta sola B. Virgine, communicasset sine peccato mortali, aut non meruisset, ut ei interdiceretur in perpetuum altari atque ecclesia.

V. Itaque ad aliam interpretationem confugiendum, et ex quinque generibus hominum, quos diaconi ejiciebant ex ecclesia, ante oblationem sancti Sacrificii, referenda sunt duo postrema ad solos pœnitentes secundi, et tertii gradus, quorum illi vocabantur ἀκροαταὶ, hoc est *auditores*, hi ὑποπίπτοντες, hoc est *procidentes*. Quæ interpretatio hac ratione nititur, quod S. Dionysius non loquatur eo cap. 3. Hierarchiæ ecclesiasticæ, unde petitus est locus, de quo agimus, nisi de iis, qui ejiciebantur voce diaconi ex ecclesia: quos dividit in tres ordines, *Catechumenorum*, *Energumenorum*, *et Pœnitentium*. Deinde particulatim explicaturus, quod summatim dixerat, iterum dividit tertium hominum genus in duas classes, quas ejus verbis modo describebamus.

VI. Nemo possit cum ratione dubitare, an duo, quæ memorat, ad pœnitentes pertineant; cum soli post catechumenos, et energumenos ecclesia ejicerentur. Ex quatuor autem gradibus pœnitentium, qui erant in antiqua Ecclesia, primo atque ultimo adscripti non ejiciebantur a diacono; et priores quidem, qui dicebantur προσκλαίοντες, quia in ecclesiam non ingrediebantur; posteriores vero, quia poterant interesse Sacrificio, quanquam ad communionem non admittebantur. Supersunt ergo medii gradus, qui a diacono emittebantur Ecclesia, et quidem distinctis vocibus.

VII. Itaque necessario hinc sequitur, intelligendum locum illum S. Dionysii de duobus illis gradibus pœnitentium; et dispositionem, quam ab iis postulat, esse dispositionem canonicam, atque æstimandam ex gradibus constitutis politia ecclesiastica: non sanctitatem *absolutam;* et qualis est coram Deo, atque in animorum penetralibus. Ecclesia judicat tantum de rebus externis, nec ullum actum jurisdictionis suæ edit, qualis est expulsio ab ecclesia, et a Sacrificio, nisi ob res externas, et quæ sensus percellunt.

VIII. Sed ut lector melius intelligat statum quæstionis, neve adquiescat in levi ejus cognitione, ut multi hodie faciunt, qui de hacce nova doctrina confabulantur, et libere judicant, qui quid agatur ignorant; necesse est, ut probe attendat hunc locum S. Dionysii, qui est potissimum testimonium, quod de hac controversia allatum sit, et præcipuus scopulus, ad quem impegerunt, ac naufragium fecerunt isti reformatores.

Hoc me adduxit ad agendum paulo pluribus de hoc loco, novamque lucem ei fœnerandam; unde intelligere licebit, quam imperiti sint Pœnitentiarii nostri antiquitatis et Patrum, præsertim in iis, quæ ad pœnitentiam pertinent; in quibus tamen eos diligentius versatos esse oportuit, quippe quæ sunt unicum argumentum, a quo statuerant magnificum reformationis cœptum aggredi.

CAPUT OCTAVUM.

Amplior enarratio loci S. Dionysii, et dispositionis ad communionem in ea præscriptæ. Axiomata generalia de fine cujusvis legis.

I. Ut res clarior fiat, aperiaturque mens S. Dionysii, aliorumque Patrum, expendenda sunt prius quædam fundamenta ethicæ, et politicæ tam naturalis vel humanæ, quam Christianæ et supernaturalis. Primum situm est in axiomate vulgari, et ab omnibus recepto, *Finem præcepti non cadere sub præceptum.* Finis enim multo præstantior esse debet re, quæ fit finis consequendi causa; quales sunt actiones lege præceptæ[1]. Legislator sibi in condendis legibus proponit eximium finem, ac bonum commune totius reipublicæ, qui est extra modulum cujusvis privati, qui legi paret, et a quo hoc unum exigitur ut pareat, dum cetera ad eum minime pertinent.

II. Secundum axioma hoc est : Finem vel utilitatem, quam sibi proponit legislator, nulla re finiri ; sed tantum actionem, quam jubet fieri, quasi viam, qua ad finem perveniatur, ad certam mensuram exigendam. Hoc docet Philosophus in Politicis, ubi observat, « (1) Medicinam sibi proponere sanitatem in infinitum, » hoc est, nullos præstituere fines sanitati, quam ægro restituere conatur, qui est finis proximus ejus disciplinæ. « Sic et unaquæque ars finem suum expetit in immensum. Quam maxime enim illum efficere vult. Ea autem, quæ ad finem pertinent, non persequitur infinite. Omnibus enim artibus finis est extremum. »

III. Quod cum ita sit, dicimus finem proximum priscorum illorum institutorum, qui animo eorum, a quibus primum profecta sunt, observabantur, fuisse duplicis generis. Erat unus ultimus, et communis omnibus pœnitentiæ gradibus ; deinde erant singulis peculiares. Addimus geminis illis finibus in animo legislatorum nullos fuisse terminos, neque mensuram ullam. Spectabantur ab illis quasi infinite perfecta exemplaria, hoc est, quibus nullus certus perfectionis modus præstitutus est.

Ut rem aptemus huic nostro negotio, probe recordandum est eorum, quæ animadvertimus lib. 2. cap. 13. *pœnitentium* nomen proprie attributum fuisse iis, qui in tribus primis gradibus versabantur ; sanctum vero Dionysium, de cujus verbis agimus, in descriptione pœnitentium, quos recenset inter excommunicatos quarti ordinis, intelligere tantum pœnitentes secundi, et tertii gradus, propter rationes quas diximus lib. 3. cap. 16.

IV. Illic etiam ostendimus, quod multum conducit ad intelligendum eum locum, S. Dionysium constituere tria genera hominum excommunicatorum, atque expulsorum ecclesia voce diaconi, et quidem aliorum post alios. Erant nimirum, catechumeni, peccatores qui nondum admissi erant ad pœnitentiam publicam, obsessi a cacodæmonibus, pœnitentes secundi gradus, qui dicebantur auditores, ac denique pœnitentes tertii, qui vocabatur ὑπόπτωσις, quia procidebant ad pedes episcopi. Hi sunt quinque ordines excommunicatorum, quorum meminit S. Dionysius, qui antequam sacra fierent, seorsim emittebantur, quemadmodum dixi.

V. Missis duobus primis ordinibus, qui ad rem meam non pertinent, tres posteriores considerabo : de quibus distinctius agens S. Dionysius, rationem reddit, cur S. Missæ non interessent ; quod nimirum destituti etiamnum essent quadam perfectione. Itaque ea perfectio erat finis, ad quem contendebant, exercitiis attributis ei gradui pœnitentiæ, in quo erant, atque ex quo transibant ad sequentem, postquam adepti erant animi affectionem, ad quam contendebant. Sic energumeni non intererant Sacrificio, *quia non pervenerant intenta et perpetua propensione ad immobilitatem, et efficaciam divini habitus.* Hæc perfectio erat finis, ad quem Ecclesia eos deducebat, disciplina gradui energumenorum constituta.

(1) Lib. 1. Polit. cap. 9. Ὅσπερ γὰρ ἡ ἰατρικὴ τοῦ ὑγιαίνειν εἰς ἄπειρον ἐστι, καὶ ἑκάστη τῶν τεχνῶν τοῦ τέλους εἰς ἄπειρον. Ὅτι μάλιστα γὰρ ἐκεῖνο βούλονται ποιεῖν. Τῶν δὲ πρὸς τὸ τέλος οὐκ εἰς ἄπειρον· πέρας γὰρ τὸ τέλος πάσαις.

[1] S. Th. 2. 2. qu. 152 art. 2.

VI. Quartus ordo, quem auctor libri de frequente Communione ait esse pœnitentium, absque ulla significatione gradus ad quem pertinerent, sed qui complectebatur solos pœnitentes secundi, qui dicebantur *Auditores*, quemadmodum ostendimus; is, inquam, ordo hominum habebant hunc finem sibi propositum, ad quem contenderent, ut immunes essent, non tantum peccati, sed etiam ejus *imaginum;* quod efficit *amor divinus impermistus :* ut, cum eo pervenissent, transirent ad quintum, et ultimum ordinem excommunicatorum S. Dionysii, et tertium pœnitentium antiquæ Ecclesiæ.

VII. Finis quinti vel tertii hujus gradus situs erat in affectione sublimiori, quam prior; vocaturque a S. Dionysio non *perfecta conjunctio cum Deo solo*, ut novi isti Pœnitentiarii verba ejus verterunt; sed *uniformitas*, quæ est significatio græcæ vocis ἑνοειδεῖς. Qua uniformitate purgabantur ab *omni macula, et omni vitio*, fiebantque ἀμώμητοι καὶ ἀλώβητοι, quemadmodum victimæ, quæ sub prisca lege Deo offerebantur, prout rem vere interpretati sumus lib. 3. cap. 16.

VIII. Hanc perfectionem oportuit esse maximam, quippe finem communem omnium pœnitentium, quocumque in gradu essent; quia finis proximus fuit pœnitentium tertii gradus, qui sunt quintus ordo excommunicatorum S. Dionysii. Finis enim peculiaris ultimi, et summi gradus debet esse finis communis omnium inferiorum graduum. Itaque possumus dicere ex doctrina S. Dionysii, perfectionem, ad quam tendebant omnes gradus pœnitentium, et præparationem, quæ ab iis postulabatur ut ad communionem admitterentur, sitam fuisse in illa *uniformitate*, quæ sequitur *amorem divinum purum, et impermistum*, quasi affectionem minus perfectam, et quæ erat finis propositus quarto ordini excommunicatorum.

Superest nunc, ut intelligamus, qui intelligenda sit ea perfectio, et quo sensu Ecclesia primitiva eam præscripserit excommunicatis, vel pœnitentibus.

IX. Auctor libri de frequente Communione, Arnaldusque ejus discipulus, cum in explicatione loci S. Dionysii, tum in ejus usu contra scriptorem anonymum, et contra morem in Ecclesia receptum, graviter et multis quidem modis hallucinati sunt, sed potissimum duobus. Primum errarunt in eo, quod crediderunt omnes omnium graduum pœnitentes contineri quarto ordine excommunicatorum, quorum meminit S. Dionysius; verbis enim ejus subjecerunt, *hoc est, Pœnitentes.*

X. Hinc consequens est, ut primus gradus, qui proxime sequitur, non sit amplius pœnitentium, et alios fuisse præter illos excommunicatos, quia non pervenerant ad *conjunctionem perfectam cum Deo*, necdum erant *plane inculpati.* Qui error ejusmodi est, ut vix condonari queat tironi in lectione Patrum, et in traditione. Quamobrem eum alibi oppugnat auctor operis de frequente Communione, ubi dicit, post peractam pœnitentiam, admissos fuisse homines ad participationem mysteriorum, sine ulla mora, nedum ut excommunicati manerent.

XI. Secundo hallucinati sunt novi Pœnitentiarii in eo, quod non distinguant finem præcepti, et scopum quo tendit legislator, ab actione, quam lege imponit. In gradibus pœnitentiæ, et in legibus ea in re ab Ecclesia primitiva latis, duo sunt observanda : finis, quem sibi proposuerunt auctores illius πολιτείας, vel ratio, propter quam eam instituerunt : et officia, quæ executioni reipsa mendari jusserunt. Ad prius quod attinet, ostendimus rationes quas profert S. Dionysius, ut ostendat, cur excommunicati trium postremorum ordinum nondum admitterentur ad communionem, complecti fines peculiares uniuscujusque ordinis; hoc est perfectionem, ad quam legislator eos tendere jubebat, et quam animo prius conceperat.

XII. Cum autem finis legis, qui est etiam legislatoris, nullis limitibus coerceatur, ut ex Aristotele, et S. Thoma ostendimus, quamobrem eum moribus prorsus attingere nemo cogitur : a nemine eorum excommunicatorum reipsa exigebatur puritas ac sanctitas æque perfecta, ac finis ejus ordini propositus; quasi absque ea re fuisset, nunquam ex eo gradu pœnitentiæ in alium sublimiorem fuisset translatus. Hoc in controversiam vocari non potest, nisi ab iis, quibus deest sensus communis.

XIII. Quæ major absurditas fingi potest, quam si a cacodæmone obsessus existimetur non prius egressus ex tertio ordine excommunicatorum, quam *pervenisset intenta ac perpetua propensione ad immobilitatem, et efficaciam divini habitus;* pœnitens vero in quarto ordine excommunicatorum mansisse, donec consecutus esset *habitum, et amorem divinum impermistum, purgatusque esset* ea ratione *imaginibus* anteactæ vitæ; ac denique nullus ex quinto ordine excommunicatorum

evasisse, nisi esset *plane uniformis, et sine macula ac vitio?*

XIV. Præter sublimitatem earum affectionum, si absolute, et quales sunt in animis hominum spectentur, fieri non potest, ut discernantur. Quomodo Ecclesiæ ministri potuissent agnoscere eos, quibus obversabantur *imagines* anteactæ vitæ, ut eos expellerent? Quomodo potuissent secernere eos, quibus cum inesset *impermistus amor divinus*, nondum pervenerant tamen ad perfectam *uniformitatem*, ab iis qui eam erant consecuti; ut his ad communionem admissis, alios expellerent? Hoc judicium, atque hæc secretio pertinent ad Deum solum, qui est *ponderator spirituum*, ut loquitur Scriptura [1].

CAPUT NONUM.

Eximia disputatio S. Thomæ, quæ quæstionem dirimit. Duo genera præparationis, internum, atque externum.

I. Audiamus, quid hac de re habeat S. Thomas in Summa sua [2], et quam facile, ac erudite controversiam dirimat: « Præceptum, *inquit*, legis vim habet coactivam. Illud ergo directe cadit sub præcepto legis, ad quod lex cogit; coactio autem legis est per metum pœnæ, ut dicitur in 10. Ethicorum. Nam illud proprie cadit sub præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur. Ad instituendam autem pœnam aliter se habet lex divina, et aliter lex humana. Non enim pœna legis infligitur, nisi pro illis, de quibus legislator habet judicare, quia ex judicio lex punit. Homo autem, qui est legis lator humanæ, non habet judicare, nisi de exterioribus actibus, quia homines vident ea quæ parent, ut dicitur 1. Reg. 16. Sed solius Dei, qui est lator legis divinæ, est judicare de interioribus motibus voluntatum. »

II. Eximium hoc est monitum, ex quo directores intelligere possunt, tam perfectas dispositiones, quam sunt eæ, quas gradibus pœnitentium proponit S. Dionysius, et quæ ad animorum penetralia pertinent, non fuisse præscriptas ab Ecclesia, aut descriptas a sancto viro, quasi res, quæ solerent executioni mandari, sed tantum quasi fines, ad quos referenda sint exercitia uniuscujusque ordinis, et quasi exemplaria omnibus numeris absoluta, quæ legislator animo conceperat, et ad quæ retulerat universam externam disciplinam pœnitentiæ, ut ad ea contenderent peccatores, et quam proxime possent accederent.

III. Quod attinet ad actiones legibus illis præceptas, et quæ præstandæ erant, aut subeundæ pœnæ; erant officia externa pœnitentiæ et exercitia unicuique gradui imposita: qualia erant in publicum prodire, et stare ad januam ecclesiæ cultu pœnitentis instructum, vestitum esse sacco, et cilicio, jejunare, certo tempore in genua procidere, interesse ecclesiæ ad audiendum verbum divinum, in humum se prosternere coram episcopo, accipere ejus benedictionem, et impositionem manuum, subire ignominiam expulsionis ex ecclesia, spectante universo populo; aliaque laboriosa, et tædiosa exantlare per longum tempus, quod ut plurimum pendebat ex arbitratu episcopi.

IV. Is erat legis effectus, et quod executioni mandari volebat. Ita observabantur canones pœnitentiales, nec aliud quidquam exigebatur a pœnitentibus. Hisce neglectis, dabant pœnas legibus impositas. Quis unquam legit, vel fando audivit, Ecclesiam antiquam cuiquam imposuisse pœnam ecclesiasticam, quia memoriæ etiamnum observantes habebat imagines vitæ flagitiose actæ? An meminit Arnaldus ullius canonis, qui statuerit publicam pœnam in quemquam, quod non adeptus esset *habitum divini amoris impermisti*, vel quia *nondum erat prorsus conjunctus cum Deo, neque plane inculpatus?*

V. Si vel sola ejusmodi cogitatio absurda sit, manifestum est, neque pœnitentes fuisse communione exclusos, quod ea animi affectione carerent, neque leges ecclesiasticas

[1] Prov. 16. 2.

[2] 1. 2. qu. 100. art. 9.

unquam exegisse ejusmodi perfectionem, sed tantum satisfactiones externas, quæ præscriptæ sunt a legislatore quasi subsidia, quorum ope licet ad eam perfectionem tendere. Igitur hic erat finis, ad quem spectabat, et quo referebat suas leges ; sed non opus, neque officium reipsa præstandum, et quo non præstito pœnas exigeret.

VI. S. Thomas loco antea a me laudato, cum sibi proposuisset hanc quæstionem, *utrum modus observandi legem caderet sub præcepto legis*, hoc est, utrum ratio parendi sit æque præcepta, ac res ipsa ; respondet, modum edendi actionem laudabilem, et virtuti consentaneam, ex doctrina Aristotelis, tribus in rebus esse situm. Primo oportet, ut fiat a sciente, alioqui non esset actio moraliter bona aut mala ; quod pertinet æque ad leges humanas, ac divinas. Quamobrem leges, et judices ejus circumstantiæ rationem habent, neque plectunt legi contrarias actiones, aut ei consentaneas præmio afficiunt, quotiescumque ex mera ignorantia profectæ sunt.

VII. Secundo oportet actionem esse voluntariam, atque ex electione manantem. Cujus rei rationem habet quidem lex divina, at non humana. Neque enim legislator plectit quasi homicidam eum, qui duntaxat voluit occidere, nec tamen ulla actione hunc suum animum testatum fecit ; at Deus ab eo pœnas repetit, qui æque voluntatem admittendi peccati damnat, ac ipsum peccatum. « Tertium autem, ut ipsa S. Thomæ verba [1] adhibeam, est, ut firmiter et immobiliter habeat, et operetur ; et quantum ad hoc, modus virtutis non cadit sub præcepto neque legis divinæ, neque legis humanæ. Neque enim ab homine, neque a Deo punitur tanquam præcepti transgressor, qui debitum parentibus honorem impendit, quamvis non habeat habitum pietatis. »

VIII. Ex hac solutione S. Thomæ deducimus argumentum invictum contra Arnaldum pro iis, quæ dixeramus : perfectionem descriptam verbis S. Dionysii, quasi dispositionem ad communionem, nulla necessitate fuisse impositam. Quæ enim postulat ab animo pœnitente, et qui per gradus pœnitentiæ contendit ad Eucharistiæ participationem, non est brevis religionis commotio, aut levis tinctura sanctitatis, sed amor divinus vehemens, et qui altissimas radices in animum egit. Quamobrem, cum is habitus, eaque constantia nulla lege divina aut humana præcipiantur, hinc necessario colligendum, id, quod scriptum est a S. Dionysio de affectionibus illis internis, non esse præceptum, quo teneamur ; adeoque Arnaldum immerito adversari manifestæ veritati, et indignari, eas dispositiones non esse præcepti, sed tantum consilii et decori.

IX. Duo sunt genera præparationis ad digne communicandum, externum, et internum. Internum pendet ex lege divina, quæ nos jubet ideo omni peccato mortali animum purgare ; quæ dispositio sola est plane necessaria in internarum numero. Quod attinet ad peccata levia, et venialia, vide dicta a nobis lib. 5. cap. 1. Præter hanc dispositionem, aliam observavi esse, quæ communis est omnibus Religionis officiis ; et quæ complectitur reverentiam, attentionem, animum recte faciendi, et alias circumstantias, quæ sanctæ illius actionis sunt condimentum, eamque laude digniorem reddunt.

Qua in re probe animadvertendum, necessitatem actionum illarum, et dispositionum internarum esse minoris, aut majoris momenti, prout eas lex severius, aut minus severe a nobis exigit ; eamque demum esse plane necessariam, quæ sine peccato mortali negligi non potest.

X. Eadem est ratio præparationis externæ. Ea est plane necessaria, quæ imposita est diserto mandato, quod non potest sperni, nisi gratia Dei excidat. Sic concilium Tridentinum definivit, dispositionem necessariam ex sententia Ecclesiæ semper fuisse, ut communicaturus, qui delictum mortale admiserat, se purgaret sacramento Pœnitentiæ. In hac enim definitione sunt duæ leges, et totidem officia necessaria, quæ ex iis sequuntur. Lex divina nos jubet purgare animum nostrum macula peccati mortalis ope sacramenti Pœnitentiæ, quando commodum est, et potest adiri sacerdos. Lex humana, et ecclesiastica idem a nobis postulat. Pœnitentia autem est ritus conspicuus, qui operatur in nobis puritatem, infusione gratiæ, quam gignit. Erant et aliæ leges de ritibus externis in Ecclesia primitiva, quibus legibus fideles tenebantur, quales erant canones de pœnitentia publica. Prout ritus illi magis aut minus necessario urgebantur, magis aut minus necesse erat illos præstare.

Quidquid erat præter legem, et permittebatur arbitratui pœnitentium, non erat præcepti, sed consilii et decori.

[1] 1. 2. qu. 100. art. 9.

XI. Locus S. Dionysii duo genera præparationis complectitur, internum, atque externum. Externum cernere licebat in disciplina ecclesiastica, qua erant impositi pœnitentiæ gradus, et satisfactiones publicæ. Internum, quod est necessarium, et quod situm est in actione lege divina præcepta, qua sola potest ejusmodi actio imponi, non fuit diserte expressum a S. Dionysio : qui id quidem statuit, sed tantum explicuit finem, propter quem actiones illæ sensiles institutæ fuerunt in Ecclesia ; ut fideles intelligentes eximium Dei, de ipsis, consilium, et quam cuperet eos perfectos fieri, conarentur in se augere amorem Dei, et imitari quam proxime exemplar illud perfectissimum, quod sibi objiciebatur quasi finis legislatoris in institutione ejus disciplinæ. Externa vero præparatio sola erat effectus legis, et executioni necessario mandanda ; quoniam ejus solius omissio pœnas dabat.

CAPUT DECIMUM.

Idem locus S. Dionysii dilucidatus, confutatione falsarum animadversionum Arnaldi. Errata ejus in interpretatione ejus loci, et in sui ipsius defensione.

I. Eximius ille locus S. Dionysii intellectus eo sensu, quem exposui capitibus antecedentibus, nulla amplius difficultate laborat, nec quidquam habet rationi, ac fidei catholicæ contrarium. Oro lectorem, ut probe attendat interpretationem a me allatam, ideoque relegat studiose, quæ hac de re scripsi antea copiosius lib. 3. cap 15. et 16. et lib. 5. cap. 6. tum ut eadem attentione perlegat, quod habet de hoc loco auctor operis de frequente Communione, et quo animo, quemve in finem eo utatur. Plane persuasum habeo eum judicaturum, verissimum esse, quidquid dixi contra interpretamentum novorum Pœnitentiariorum, idque esse absurdum ac erroneum, conjicere animos in desperationem, et desinere in contemptum ac abrogationem sanctissimorum religionis Christianæ exercitiorum.

II. Ne aggrediatur amplius Arnaldus fucum facere hominibus, dum negat se fideles adigere velle ad tam perfectam animi affectionem ; quidquid enim dicat, eos revera ad eam adigit, eisque proponit puritatem animi, statumque perfectionis eximiæ, et vitam angelicam, quasi præparationem necessariam ad communionem. Auctor libri de frequente Communione [1] nos amandat ad S. Dionysium, ut ab eo discamus *præparationes necessarias adorando mysterio*. Docet nos ergo sanctus ille vir præparationem necessariam loco allato, sed prave intellectam a magistro, ejusque discipulo. Hæc est *sententia apostolorum eorumque discipulorum*, ut habet idem scriptor. Ac proinde si verum est, quod dicit in Præfatione, *traditionem apostolicam esse regulam veritatis, caputque fidei immutabile*, non potest res vitari, nec fas erit ulli accedere ad sanctam Mensam, nisi sit similis Seraphino *amore divino impermisto, et prorsus sine vitio ac macula*, quippe quem purgatum esse oportet, non tantum omni peccato, sed etiam *imaginibus* vitæ non satis castigate actæ.

III. Nolo hic omittere duo insignia errata admissa a duobus Pœnitentiariis in interpretatione loci sancti Dionysii. Primum est magistri, qui male vertit gallice hæc verba græca : Καὶ μετ' αὐτοὺς οἱ μὴ καθάπαξ ἐνοειδεῖς, καὶ νομικῶς εἰπεῖν ἄμωμοι καὶ ἀλώβητοι : *Et enfin ceux qui ne sont pas encore parfaitement unis à Dieu seul; et, pour user des termes de l'Ecriture, ceux qui ne sont pas entièrement parfaits, et entièrement irréprochables ;* hoc est latine, *Et denique eos, qui nondum sunt perfecte conjuncti cum Deo solo ; et, ut utar verbis Scripturæ, qui non sunt prorsus perfecti, atque inculpati.* Jam observavi lib. 3. c. 16. §. 4. vocem ἐνοειδεῖς non significare *perfecte conjunctos cum Deo solo*, sed *uniformes*. Nihil præterea hac de re addam, sed ad cetera transibo. Male in iis vertit νομικῶς εἰπεῖν, tum etiam ἄμωμοι καὶ ἀλώβητοι. Sen-

[1] Part. I. cap.

tentia S. Dionysii hæc est : Pœnitentes tertii ordinis, *si verbis legalibus loquamur, non fuisse sine vitio, et sine macula.* Quibus verbis respicit ad defectum puritatis legalis.

IV. Sub prisca lege variæ erant constitutiones de qualitatibus tam sacerdotum, et Levitarum, qui ministeria templi obibant, quam animalium, quæ mactabantur. Potissimæ erant puritas, et integritas, quibus sine vitio, atque integris membris debebant esse. S. Dionysius complectitur utrumque duobus vocibus, ἄμωμοι, latine *immaculati*, et ἀλώβητοι, *non mutili ;* confertque vitia canonica, quibus Christiani fiebant indigni participatione Mysteriorum, cum vitiis in lege Mosaica notatis. Quare dicit, νομικῶς εἰπεῖν, *ut verbis legis loquar*, vel *ex præcepto legis ;* non vero, ut vertit scriptor operis de frequente Communione, *ut utar verbis Scripturæ.* Nec melius, ut diximus, vertit voces ἄμωμοι et ἀλώβητοι.

V. Verum non sine certo consilio male vertit ; voluit enim animum lectoris a vera loci intelligentia avertere, ejusque ignorantia abuti ad confirmationem erroris. Quo pacto intromittit absurdum suum dogma de dispositione, quam Dionysius et alii Patres præscripserunt communicaturis ; quam usque adeo extollit, ut sine miraculo nemo eam attingere possit. Contra vero si locum intelligamus ex interpretatione, quam protuli, quæ sola vera est et genuina, omnia absurda vitantur, nec discedimus a sensu communi, officiisque veræ pietatis.

VI. Alterum erratum in explicatione loci S. Dionysii, est discipuli, qui in præfatione libri *de Traditione* [1] hoc potissimum oppugnat, quod sibi objectum a nobis statuit : Paulum, quanquam apostolum, adeptum non fuisse dispositionem, quam S. Dionysius postulat a communicaturis. Quod ab eo vocatur *mira blasphemia contra Paulum,* ut revera est; sed quod debet tribui ipsi, et auctori operis de frequente Communione, non mihi, qui ita locutus sum ex eorum hypothesi, atque ex prava illorum interpretatione loci Dionysiani. Cum enim existiment S. Dionysium postulare quasi *necessariam dispositionem* ad Sacramentum, ut communicaturus careat et peccato, et *imaginibus* peccati ; cumque Paulus multum abesset ab illa puritate, ut ipse de se fatetur, ubi affectionem animi sui aperiens queritur carnem pugnare contra spiritum, quod factum non est sine *imaginibus* peccati, *quod in eo habitabat ;* liquet Paulum nondum fuisse adsecutum affectionem illam animi, quam directores nostri ex S. Dionysio confirmare conati sunt. Igitur ex eorum dogmatibus oportebat Paulum ab altari expelli, atque ex ecclesia ejici voce diaconi.

VII. Imo vero quamvis pervenisset ad eam sanctitatem, qua liberatus fuisset ab importunis carnis stimulis, (quæ proprie est ἀπάθεια Stoica, quam referunt reformatores pœnitentiæ,) attamen nondum per eos illi licuisset communicare, aut manere in ecclesia, quia ea puritas quamvis rarissima, nec fortasse sine miraculo gratiæ attingenda, nimis abjecta est, ex eorum sententia, ad communicandum. Est tantum delineatio, ac primum veluti tentamen dispositionis necessariæ ; quæ, ut sit omnibus numeris absoluta, debet ascendere ad sublimiorem gradum, quem sanctus Dionysius postea describit, ex interpretatione directorum illorum, quibus animus est tam plenus [2] *cognitione traditionis, et axiomatum Ecclesiæ, Patrum, et Conciliorum,* quam sensu communi, et prudentia in iis, quæ aggrediuntur.

VIII. Hæc est ergo summa blasphemia, et injuria S. Paulo apostolo, in quam delapsus est Arnaldus, una cum magistro, quia non satis intellexerant sententiam S. Dionysii. Qua de re admonitus, conatus est se purgare solemni suo stylo [3], hoc est loquutionibus obscuræ, ambiguæ, atque incertæ significationis ita, ut sit hariolandum, quid sibi velit. Attamen, quatenus licet ejus mentem assequi, per nebulas orationis confusæ, videtur existimare S. Dionysium loquentem de *imaginibus*, quæ obstant perfectæ dispositioni ad communionem, statuere eas imagines esse voluntarias, et eum, qui iis pascitur, esse reum peccati mortalis. Ostendit se ita sentire, cum ægre fert colligi ex sua doctrina, S. Paulum indignum fuisse communione, qui erat adhuc obnoxius imaginibus ; quandoquidem S. Dionysius excludit eos, qui illis laborant, non tantum Sacramento, sed etiam ecclesia : « Quasi, *inquit*, tentatio externa, et profecta a nequitia cacodæmonis, aut ex motibus concupiscentiæ nequaquam voluntariis, eum conjecisset in numerum illorum pœnitentium, baptismi puritate destitutorum, de quibus loquitur S. Dionysius. » Ubi hoc discrimen statuit inter S. Paulum, et eos, de quibus S. Dionysius, quod *imagines*, quæ Paulo adhære-

[1] Pag. 152. — [2] In Admonit. pag. 40. [3] In Præf. Libri de Tradit.

bant, non essent voluntariæ, nec obstarent, quominus communicaret.

IX. Oportet ergo eum credere pœnitentes illos sancti Dionysii sponte sua adhæsisse *imaginibus* memoratis, quamobrem rei erant peccati mortalis. Sed graviter erravit, et perperam intellexit verba sancti illius viri, cum non animadverterit diserte ab eo dici, homines illos *reliquisse vitam contrariam* virtuti. Itaque *imagines* illæ non poterant impedire, quominus ad sacram Mensam accederent.

CAPUT UNDECIMUM.

Examen loci S. Basilii male ab Arnaldo intellecti.

I. Dixi [1], quod sane verum est, inter maxima errata directorum novæ pœnitentiæ hoc esse, quod minime distinguant id, quod est præcepti, ab eo quod est majoris perfectionis. Is error, qui damnatur auctoritate Scripturæ, Conciliorum, et SS. Patrum, defenditurque a solis hujus ævi hæreticis, fons est omnium absurditatum, quæ occurrunt in opere de frequente Communione, et inanis consilii de instauratione pœnitentiæ, et dispositionis necessariæ communicaturis.

Quare mirum mihi visum est Arnaldum, nulla ratione habita tot admonitionum, nec confutatis rationibus, quibus manifesta falsitas oppugnata est, pertinaciter eam defendere, et velle quidquid sancti viri dixerunt de eximia perfectione Christianismi, in suis scriptis, præceptum esse, non consilium, ac monitum de eo, quod quam maxime decorum est.

II. Animus Arnaldi præjudicio occæcatus excanduit [2] in præfatione libri *de traditione Ecclesiæ* etc. quo factum, ut rem defenderet majore studio contra eos, qui contendunt SS. Doctoribus animum non fuisse adigere necessario homines ad perfectionem sanctitatis, quam in libris suis docuerunt.

Quamobrem nos orat, ut legamus in suis Collectaneis integram orationem S. Basilii. Hunc enim nominatim præ ceteris eligit. Hoc vero Arnaldo gratificemur, videamusque, num S. Basilius ei sit fauturus. Ante omnia lego locum [3], quem ex eo affert de officio Christiani, deque præparatione ad communionem : « Esse acquirendam sanctitatem perfectam timore Dei, et amore Jesu Christi, ita ut careamus macula, et ruga, simusque sancti, et inculpati. »

III. Arnaldus in se descendat, nobisque ex animi sententia dicat, an umquam communicarit, vel celebrarit S. Sacrificium ita affectus. Si ingenue fateatur nondum a se esse factum ; oportet ut, ex sua doctrina, fateatur se semper indigne accepisse, et contrectasse corpus Filii Dei, et ad animæ suæ damnationem, cum perfregerit Dei præceptum in re tanti momenti. Sed si ausit affirmare se ei præcepto plane satisfecisse, est suo ipsius judicio, et eorum omnium, qui ei fidem habebunt, vir incomparabilis virtute, et sanctitate ; primus est, et ultimus omnium sanctorum, qui in terris vixerunt, post Filium Dei, et dignissimam ejus Matrem. Immunitas enim *maculæ, et rugæ* status est Ecclesiæ triumphantis, ad quem aspirare quidem possumus ; sed pervenire, dum vivimus in corpore mortali, et peccato obnoxio, non possumus. Necesse semper habemus contra peccatum implorare auxilium Dei, ut docet S. Augustinus [4]. Attamen hoc est ex doctrina S. Basilii, prout eam interpretatur Arnaldus, officium Christiani, qui ita necesse habet se præparare ad communionem, nisi excommunicari, expellique ab altari, et ab ecclesia malit.

[1] Lib. 4. c. 8. 9. 10.— [2] Pag. 154.— [3] Coll. loc. p. 12.

[4] Ser. 29. de verb. Apost. et apud Bedam in Ep. ad Eph.

CAPUT DUODECIMUM.

Sententia erronea Arnaldi, de dispositione perfectissima, quam Patres communicaturis præscripsisse videntur.

I. Quisquis cupiet videre, ad quæ extrema deveniat animus φιλαυτίᾳ ac pertinacia præpeditus, legat attente, quæ habet Arnaldus in memorata sæpius præfatione, ut ostendat eximiam illam animi affectionem, adeoque supra hominum captum positam, quam S. Dionysius, aliique Patres communicaturis proponunt, esse necessariam, et præcepto impositam. Mirum est, quam aberret, et quam sese impediat cogitationibus implicitis, ac sublimioribus, et quæ secum manifestam repugnantiam trahunt.

Contendit præparationes, quas docent Patres, « esse plane necessarias, aut saltem aliquatenus, ut digne communicemus ; imo vero in gradibus eminentioribus, in quibus non possunt dici plane necessariæ, non posse etiam censeri esse dumtaxat consilii. »

II. Hæc sunt ænigmatica verba. Quis poterit eorum sensum assequi ? Quidquid est honestum, et laudabile in actionibus humanis, quodque est consentaneum rationi, et prudentiæ, est præcepti, vel consilii ; necessarium, vel tantum decorum ; officium necessario præstandum, vel voluntarium. Inter duo hæc actionum genera nihil est medium. Sic judicarunt veteres Patres, et inter alios quidem S. Gregorius Nazianzenus, qui scribens contra Julianum apostatam ait, (1) universas leges Christianismi ad duo referri genera, quorum unum necessitatem imponit, pœnamque exigit a negligentibus ; alterum arbitratui hominum rem relinquit. S. Chrysostomus [1], S. Augustinus [2], aliique omnes S. Doctores uno consensu rem confirmant, quæ a solis hæreticis in controversiam vocatur.

III. Sed penitus introspiciamus rationes Arnaldi, expendamusque argumenta, quibus probat *affectiones internas*, *quas Patres a nobis postulant, ut accedamus ad mensam Jesu Christi*, et quæ complectuntur tantam perfectionem, esse præcepto impositas, non instar consilii allatas : « Ratio ejus rei est, *inquit* [3], quod omnes illæ affectiones internæ nihil sint, præter amorem Dei, vel necessaria ejus consectaria. Sanctus autem Thomas nos docet id, quod ipse didicit ex Augustino, amorem Dei non esse rem, quæ ad consilia pertineat, cum nobis secundum totam suam amplitudinem sit præceptus, et pro tota sua perfectione, ne exclusis quidem gradibus, quos in cœlo tantum assequemur. » Postea affert verba *Angeli Scholæ*, quæ detorquet ita, ut fateatur S. Thomas quod ab ipsius mente fuit alienissimum, et quod non potest defendi nisi evertatur ratio, destruaturque fides, et oppugnentur veritates omnes divinæ et humanæ.

IV. Aperiendus est duntaxat S. Thomas, et legenda quæstio laudata ab Arnaldo, ut intelligamus eum usque adeo ab ejus vero sensu aberrasse, ut vix audita sit par hallucinatio, ex quo homines litteras colere cœperunt. S. Thomas in Summa Theologiæ [4] hanc proponit quæstionem, utrum perfectio contineatur præceptis, vel consiliis. Tum respondet, si in se spectetur, sitam esse in amore Dei, et proximi : at si consideretur *secundario, accidentaliter, et instrumentaliter*, eam referri ad consilia ; quia resecant nonnulla, quæ charitati quidem non sunt contraria, sed impediunt tamen, quominus revera æque facile exerceatur. Charitas autem, quæ pertinet ad Deum et proximum, non continetur præcepto secundum certam mensuram ita, ut quod superat sit tantum consilii. Quod confirmat S. Thomas axiomate Aristotelis antea cap. 8. § 2. allato. Sic medicus, cum vult restituere valetudinem ægro, eam ad certam mensuram non redigit, quasi definire vellet gradum, ad quem eam ei reddere cupit ; sed mensura duntaxat utitur in usu medicamentorum, et diæta, præscripta remediorum et ciborum copia. Vide hac de re Gregorium a Valentia t. 3. disput. 10. q. 2. punct. 1. et disp. 3. q. 19. punct. 1.

V. In ea ratiocinatione S. Thomæ probe attendendum, qua ratione summus ille vir

(1) Orat. 1. in Julian. pag. 94. Τῆς ἡμετέρας νομοθεσίας τὰ μὲν ἀνάγκην ἔχει τοῖς ἐπιταττομένοις, ἃ καὶ μὴ φυλάττουσι κίνδυνος· τὰ δὲ οὐκ ἀνάγκην αἴρεσιν δέ.

[1] Hom. 22. in 1. Cor.— [2] Hom. 61. de tempore.— [3] Ibidem pag. 163. — [4] S. Th. 2. 2. q. 184. art. 3.

dicat amorem Dei et proximi secundum totam suam amplitudinem præcipi : quod docet intelligendum quatenus est finis legis, et omnium præceptorum. Hoc doctissimi quoque S. Thomæ interpretes, et inter alios cardinalis Cajetanus, animadverterunt, docueruntque quidpiam præcepto duobus modis posse contineri. Prior pertinet ad executionem, spectatque omnes actiones, quæ lege jubentur, et quæ propterea necessario sunt edendæ. Posterior respicit finem, ad quem tendit, qui præcepto paret. Hæc commode explicantur exemplo ducis [1], qui milites hortatur, ut fortiter in conflictu pugnent. Manifestum est tam ipsam pugnandi actionem, quam victoriam, contineri imperio, quod hisce verbis conceptum esset : *Vadite, et ita pugnate, ut victoriam referatis.* Hoc tamen est inter eas discrimen, quod miles, nisi pœnas dare velit, fortiter pugnare cogatur; quod vero attinet ad victoriam, is finis sit, quo, quidquid in prælio gerit, tendere oportet.

VI. Eadem est ratio charitatis. Duas habet perfectiones, quarum una ei est essentialis, et cujus usus nobis necessario præceptus est ita, ut eam executioni mandemus. Hæc sita est in exclusione omnium rerum, quæ cum amore Dei consistere non possunt, ut docet S. Thomas [2]. Altera vero sita est in motu animi actuali ac perpetuo versus Deum, absque ulla intermissione, et secundum totam amplitudinem nostrarum virium.

Duarum earum perfectionum prior nobis præcepto imposita est; estque, ut loquuntur theologi, *amor appretiativus*, quo, cum pluris faciamus Deum, quam omnes creaturas, liberamur peccato mortali. Qui amor, cum prorsus necessarius sit ad obtinendam salutem, nobis in hac vita conceditur. Posterior perfectio alteri vitæ reservata est, nec præcipitur, ad executionem quod attinet, quia eam assequi non possumus, dum vivimus in hoc corpore obnoxio peccato, et corruptioni. Sed quia ea charitatis perfectio proponitur quasi finis ultimus, ad quem tendit præceptum, et ad quem debemus eniti; hoc sensu dicimus eam perfectionem præcepto de Deo amando contineri. Hæc nos S. Thomas, aliique post eum theologi docent de perfecta charitate, præceptoque, quo a nobis exigitur. Videamus nunc, qui hisce conveniat cum oratione Arnaldi.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

S. Thomam male intellectum ab Arnaldo, qui pravum consectarium ex eo deduxit. Error Arnaldi credentis summam perfectionem charitatis esse præcepti. Præcepto variis modis pareri, et quomodo lege teneamur.

I. Secunda animadversio Arnaldi in 2. parte præfationis libri de Traditione [3], cui parti hic præfixus est titulus, *De dispositionibus, quas Patres postularunt a digne communicaturis;* hunc habet scopum, quemadmodum antea dicere cœperam, ut respondeat objectioni contra magistrum propositæ. Cum enim scriptor anonymus, quem confutare aggressus est, statuisset *satius esse sæpe communicare,* ex traditione, et auctoritate Patrum, *quam raro;* eo quod communicaturus vereatur, ut satis bene affectus sit, si modo ex usu nunc recepto purgaverit se peccatis mortalibus in sacramento Pœnitentiæ : ejus adversarius hominem cupiens ignorantiæ et impietatis convincere, illi opposuit Patres, et præsertim S. Dionysium, quemadmodum antea non semel vidimus.

II. Hinc liquet anonymi confutatorem credere dispositiones præceptas traditione apostolica, et confirmatas authentico testimonio S. Dionysii, necessario et reipsa præstandas esse ex legis præscripto; non vero præ oculis tantum habendas quasi finem, quo tendamus, et perfectionem alterius vitæ, quam in hisce terris assequi non datur. Alioqui nullum ejus esset argumentum, nec vim ullam obtineret contra propositionem adversarii; quia

[1] S. Tho. 2. 2. q. 44. art. 6.

[2] S. Tho. 2. 2. q. 184. art. 2. Greg. a. Val. ib.— [3] P. 149.

disceptant de præparatione, qua nunc instructos esse oportet eos, qui communicant, et quæ debet reipsa præstari, non in alteram vitam differri, in qua neque Sacramentis, neque ejusmodi dispositioni locus erit.

III. Præterea dispositio illa Dionysiana, quam memorat auctor libri de frequente Communione, ejusmodi est; ut, nisi præstetur, gravissimæ luendæ sint pœnæ, et quas idem scriptor omnium maxime formidandas esse putat. Sitæ illæ sunt in exclusione ab Eucharistia, et ab ecclesia, hoc est in excommunicatione.

An non ergo delirant, qui credunt eamdem rationem esse affectionum internarum, quas SS. Patres necessarias esse volunt digne communicanti, ex sententia Arnaldi, ac charitatis beatorum, quam sperare debemus, sed in hac vita attingere non possumus? Potestne vir ratione utens et sedatæ mentis sibi persuadere S. Dionysium, et ante illum apostolos, eorumque discipulos, ac post eos omnes SS. Patres, et Doctores necessario postulasse ab omnibus communicaturis amorem Dei æque perfectum ac est amor, quo eum prosequuntur angeli, et sancti, qui fruuntur beatitudine æterna; atque ejecisse ecclesia et communione, separasseque a corpore fidelium eos, qui charitate tam perfecta essent destituti?

IV. Hoc tamen ipsum nos docet Arnaldus. Absurdum hoc commentum, et somnium inane debetur homini ingeniosissimo; hi sunt fructus exquisitæ illius meditationis, quam tanta pompa in præfatione sua ostentat; hoc nobis venditat quasi *dogma magni momenti*, et quod ponendum sit instar fundamenti, ad intelligendos SS. Patres necessarii.

Hac ludificatione eruditus director lectores moratur, qui non satis acuti sunt, dum dogma iis proponit, vulgo a SS. Patribus receptum, sed quod non intelligit, et perperam huic negotio aptat, ope ambiguitatis; seu veram eorum sententiam non satis assecutus sit, quod Theologiæ satis strenuam operam non dederit, seu de industria, ut quavis ratione elaberetur, utque in Patres recideret censura opinionis adeo absurdæ, atque imprudentis.

V. Ac sane si probe expendantur locutiones, quibus utitur, et quas superiore capite exscripsi, liquebit eum credidisse, aut voluisse persuadere, *perfectionem charitatis*, *ne exceptis quidem gradibus*, *quos in cœlo tantum possidebimus*, *nobis præceptam esse* ita, ut executio ipsa præcepti necessario a nobis exigatur. Primum enim opponens consilium præcepto, negat *perfectionem charitatis esse consilii*, contenditque *eam nobis esse præceptam*. Quod S. Thomas in loco ab Arnaldo laudato expressit hisce verbis: *Utrum perfectio consistat in præceptis, aut in consiliis.* Quæ verba facile capiunt sensum, quem S. Thomas in articulo ipso expressit; eximiam nempe illam charitatem non esse ipsum præcepti argumentum, sed tantum finem, cum non possit executioni mandari, dum sumus in hisce terris. At verba Arnaldi, bona fide ac sine ambiguitate intellecta, significant *amorem Dei, secundum totam amplitudinem perfectionis suæ*, esse exsecutionem præcepti, quæ a nobis reipsa exigitur.

VI. Sic cum intelligimus actionem quampiam esse consilii, qualis esset venditio omnium suorum bonorum, eorumque distributio in usum pauperum, aut castitatis perpetuæ observatio; intelligimus eos, ad quos pertinet consilium, reipsa vendere sua prædia, aut abstinere a conjugio. Hæc enim est significatio propria horum verborum, *esse rem consilii*, aut *esse rem præcepti*. Æquum est enim, ut vocula *res*, qua hic significatur actio, quæ executioni mandatur, eumdem sensum, quem obtinet, ad consilium quod attinet, obtineat etiam ubi aptatur præcepto. Aliter rem intelligere fallacia est sophistæ.[1] *Qui sophistice loquitur odibilis est.*

VII. Quod habetur postea in præfatione[2], est sequela ejusdem fraudis: « Nihil potest intelligi, *inquit*, ultra id, quod nobis Deus præcipit, cum præcipit se amari; idque præceptum ita complectitur universam perfetionem charitatis, ut non tantum comprehendat ardentissimum amorem, quo sancti in terris arserint, sed etiam consummationem ejusdem ignis divini, in quo felicitas eorum, ac merces sita est. » Hæc oratio recta tendit ad id, quod diximus, ab Arnaldo præcepto amandi Deum claudi, eadem ratione et absque ulla distinctione, universam perfectionem, quæ in eam actionem cadit, in quocumque statu edatur. Quod cum sit absurdum, et ridiculum, aperte etiam rejicitur ab auctoribus, quos citat ad dictorum suorum confirmationem; et præsertim a S. Augustino, qui ita loquitur[3]: « Audiamus ergo quem finem bonorum nobis, Christe, præscribas; nec dubium est, quin is

[1] Ecclesiastici 37. 23 — [2] Pag. 165.

[3] De Mor. Eccl. Cathol. c. 8. Vide et Librum de Spir. et Littera cap. ult.

erit finis, quo nos summo amore tendere jubes. » Contradicit etiam S. Thomas, qui præter locum allatum ex Quæst. 184. idem docet Quæst. 44. unde hæc verba protulit Arnaldus : « Magnum illud præceptum non posse impleri perfecte, nisi in altera vita. »

VIII. Sed erat integer locus sancti Doctoris proferendus, non potissima ejus pars reticenda; quæ multum prodest ad retegendas fallacias et ludificationes sophisticas, quibus conantur nonnulli obscurare, atque impedire vulgarem ac veram Theologiam. S. Thomas, proposita hac quæstione: *An possit impleri in hac vita præceptum amandi Deum*, respondet adhibita distinctione ; præceptum posse impleri *perfecte*, aut *imperfecte*. Impletur quidem *perfecte* ab iis, qui attingunt finem, quem sibi proposuit is, qui legem tulit; *imperfecte* vero ab iis, qui non discedunt ab ordine, quo ad finem pervenire licet; hoc est, cum exsequutioni mandatur actio præcepta ad consequendum finem. Confirmat hoc exemplo a nobis superiore capite allato militis, qui jussu imperatoris pugnat ad reportandam victoriam. Postea addit animum Domini nostri, cum hoc præceptum de amando Deo daret, fuisse conjungere sibi prorsus hominem; quod fit demum in beatitudinis statu, ubi præceptum hoc perfecte implebitur, cum nunc imperfecte tantum impleatur, aliis perfectius parentibus, quam aliis, prout magis accedunt, sed longo tamen intervallo, ad ultimam perfectionem.

IX. Hæc nobis aperiunt viam ad statuendum consilium in præcepto de amando Deo, sine ulla mutatione doctrinæ sanctissimi, et doctissimi theologi. Quod enim docet in Quæstione 184. *perfectionem consistere in præcepto, non in consilio ;* id intelligendum de posteriore perfectione, quam possumus vocare perfectionem *finalem*, ex sancti viri doctrina a nobis antea explicata : quasi diceret, præcepto de amando Deo finem ultimum esse eximium amorem, quo ardent beati; qui non est res *consilii*, quia *consilium* pertinet tantum ad ea, quæ usui sunt ad consequendum finem, sed non ad finem ultimum, ut docet alibi S. Thomas, post S. Joannem Damascenum [1]. At non obstat, quominus in executione præcepti sit res consilii; quemadmodum locus est majori, et minori perfectioni.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Quo sensu perfectio in præcepto sita esse dicatur. Varii modi implendi legem, et quonam teneamur. Qua ratione consilium præcepto interveniat. Arnaldi error. Qua ratione charitas utatur aliis virtutibus.

I. Animadversio summi viri ad quæstionem memoratam eximia est, et utilis ad dubia ex animis nostris evellenda. Postquam ergo proposuit quæstionem, *Utrum perfectio consistat in præceptis, aut in consiliis;* format argumentum, quod secundum est, ad ostendendum, perfectionem sitam non esse in præceptis. Cum enim necessarium sit ad salutem consequendam servare præcepta; si perfectio vitæ Christianæ sita esset in præceptis, sequeretur eam ab omnibus exigi. Quod manifesto falsum est.

Postea colligit, perfectionem sitam esse in præceptis, at non quoad exsequutionem, sed tantum quoad finem, ad quem tendunt, ut antea diximus. Ut vero respondeat objectioni propositæ, dicit, cum id, quod lege vel præcepto continetur possit, impleri variis rationibus licitis, eum non transgredi legem, qui non excellentissima ratione eam impleat; sed satis esse, eam quocumque modo impleri. Perfectio autem charitatis tres rationes implendæ legis complectitur, quarum una summa est, quam non possumus assequi, nisi in cœlo. Altera est trium humillima, quæ sita est in eo, quod nihil amamus plusquam, aut æque ac Deum. Quam rationem implendi præcepti consecuti sumus, cum nullo voluntario nexu peccato mortali adhæremus, et sine qua nemo dici potest præceptum implevisse. Præter has

[1] S. Joan. Damas. Lib. 2. c. 22. S. Th. 1. 2. q. 14. art. 2.

duas rationes gradus est, vel status medius, perfectior aut minus perfectus, prout propior est alteri duorum extremorum.

II. Hoc proposito quasi fundamento, quæstionem dirimit; docetque, ut censeamur implevisse præceptum de amando Deo, infimum trium graduum solum esse necessarium; et duorum alterum quidem sublimiorem alteri vitæ reservari, medium vero non esse necessarium.

Itaque essentia præcepti, *virtusque* ejus *coactiva*, ut loquitur S. Thomas, ad exsequutionem quod attinet, non complectitur nisi infimum perfectionis gradum, qui situs est in exclusione omnis peccati mortalis. Ad primum quidem quod spectat, exsequutio ejus est supra vires nostras, dum sumus in hisce terris; quamobrem non est nobis præcepta. Secundi vero executionem possumus quidem attingere; sed non est prorsus necessaria, verum voluntaria et decori.

III. Igitur ad secundum gradum perfectionis pertinet consilium; cum consilium vocemus id, quod est supra præceptum, ut loquuntur S. Basilius [1], et alii Patres, quos laudavimus lib. 4. c. 10. Cum autem dico esse consilium supra præceptum, rem intelligo de executione, non de fine, ad quem tendit præceptum. Quandoquidem enim, secundum S. Thomam et alios SS. Patres, ac Doctores, nemo obnoxius est pœnæ ob violatam legem de charitate, quia non superavit ultimum amoris gradum; quisquis in executione ulterius contendet, plus faciet, quam lex ab eo necessario exigit. Itaque pervenerit ad consilium, augmento virtutis et meritorum.

IV. Hinc possumus colligere, Arnaldum graviter hallucinatum, quando ex S. Thoma collegit, dispositiones internas ad digne communicandum non posse esse res consilii et decori, sed plane necessarias necessitate præcepti. Si enim actiones charitatis, quibus paremus præcepto de amando Deo, non exigantur necessario a nobis, nisi eo gradu perfectionis, qui est trium infimus; sique quod superest in nostra potestate sit tantum consilii, et decori, quomodo fieri potest, ut ejus amoris consectaria sint plane necessaria, et a nobis exigantur secundum totam perfectionis amplitudinem, sine ulla distinctione consilii, aut præcepti?

V. Non est tamen nobis animus favere remissioni pietatis, aut persuadere bonis, qui sese ad communionem præparant, ut satis habeant solam præparationem necessariam, omissa omni alia cura, atque cogitatione nobiliore. Copiose hanc confutavimus calumniam, suspicionemque temerariam multis capitibus lib. 2. unde lector petet quod sibi satisfaciet, de oppugnatione vulgaris doctrinæ a novis istis Pœnitentiariis.

Charitas virtus est non tantum specialis, sed etiam generalis, quod attinet ad ejus effectum atque objectum, quod a philosophis *architectonicum* dicitur. Illa enim proxime spectat bonum universale et summum, complectiturque eminenter, ut loquuntur iidem philosophi, omnes fines peculiares aliarum virtutum. Hisce vitam ac motum suppeditat, has ad actionem vocat, his utitur, his imperat quasi hera ancillis, aut quasi ἐργοδιώκτης operariis.

Cum autem unaquæque virtus sua officia habeat, suasque leges, quibus reguntur actiones, quæ ad eam pertinent; quando iis charitas utitur, præter incitamentum generale, quod imprimit actibus virtutis consentaneis, vult peculiare accedere, ac generali subjungi, cum omnibus consectariis ac circumstantiis suis. Hinc fit, ut participationem sacrorum mysteriorum, quam communionem vocamus, cum pertineat ad virtutem, quæ religio dicitur, oporteat præter amorem, vel cupiditatem conjunctionis cum Deo, quæ est actus charitatis, adjunctas habere conditiones omnes, omniaque consectaria inferioris virtutis; qualia sunt attentio, reverentia, pius animus, gestus compositus, ut par est, aliaque, quæ postulat virtus, quæ religio dicitur. Quæ si desint, ei actioni deerunt quidem, quæ ad religionem pertinent, at non proxime, ac directe quod proprie ad charitatem pertineat. Sic est intelligendum, quod theologi docent de dispositione ad sacramentum Altaris, quemadmodum libro memorato pluribus ostendimus.

[1] Lib. de Virgin. pag. 773.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Mira calumnia, quam commentus est Arnaldus de loco S. Ambrosii, qui ejus doctrinam evertit.

I. Qui attente legerint libros novorum pœnitentiæ directorum, judicabunt frequentissimum erroris, quo præpediuntur, effectum esse æstum animi, præcipitesque commotiones, quibus perturbatæ eorum phantasiæ objiciuntur spectra, contra quæ pugnant, viresque suas in cassum exhauriunt. Insignia ejus rei exempla subjiciam, pertinentia ad idem argumentum, de quo in superioribus capitibus egimus ; nimirum, ad dispositionem, quam injungunt communicaturis, nomine atque auctoritate SS. Patrum, sed falso ab iis desumpta.

II. Primum spectat locum S. Ambrosii laudatum a scriptore anonymo ad confirmandam communionis frequentiam, ostendendumque, tantam sanctitatem, tamque inusitatam virtutem ad communionem necessario non postulari. S. Ambrosius agens de divino Sacramento [1], « Qui semper pecco, *inquit*, semper debeo habere medicinam. » Ex his verbis collegeram [2], contra auctorem operis de frequente Communione, male hominem interpretatum esse dogmata SS. Patrum, quibus hanc tribuit sententiam, omnes æquitatis limites supergressam, digne communicaturum oportere esse purgatum non tantum peccatis mortalibus, sed etiam venialium immunem; nec satis esse venialibus carere, nisi deletæ sint omnes peccatorum reliquiæ, sitæ in imaginibus delictorum animo obversantibus, et nisi pervenerit ad *amorem Dei purum atque impermistum;* imo vero nisi attigerit gradum sublimiorem ita, ut sit *plane perfectus*, *atque inculpatus*. Quæ doctrina tam falso tribuitur S. Dionysio, aliisque Patribus ab erudito scriptore, quam est plena ignorantia et absurditate.

III. Quid enim minus consistere potest cum eximia illa puritate, quam quotidiana peccata, in quæ lapsi resurgimus, perpetuæque vices pœnitentiæ et delicti? Qui tamen est status, cui S. Ambrosius dicit adhibendum esse remedium quotidianæ communionis. Igitur contra mentem S. Doctoris, novi Pœnitentiarii usum quotidianum Eucharistiæ tanto pretio redimi volunt, et penitus inaccessum faciunt.

Arnaldus peccatum hoc deleturus, in alia turpiora, ac minus ignoscenda delabitur [3]. Primum et potissimum est mendacium et calumnia, quibus mihi tribuit cogitationem, cujus nunquam mihi in mentem venit; et cujus nullum potest ostendere vestigium in longa oratione, quam ex meo opere transcripsit.

IV. Pro certo assumit [4] « me existimare, verba Ambrosii memorata intelligenda esse de peccatis mortalibus, ac proinde me voluisse reddere sanctissimum illum virum reum horrendæ, atque exitialis sententiæ; eos, qui quotidie scelera admittunt, debere quotidie communicare, ideoque debere quotidie communicare, quia quotidie sceleribus se obstringunt. » Deinde in commentitiam hanc opinionem invehitur, exclamat, et inusitato more debacchatur periodis vehementibus, ac patheticis, quæ redolent orationem forensem; quam patronus quispiam in locis communibus paratam, atque occasione data adhibendam habebat.

V. Sed postquam multum incaluit et exaggerationibus suis stylum suum, mollem alioquin et languentem, vehementiorem reddidit; totus ille conatus in risum convertitur, atque ignominiæ est nostro declamatori, aut potius calumniatori. Provoco eum ad probandum, quod de me dixit, defendendamque existimationem suam inquinatam macula longe turpissima directori animorum, et ministro ejus, qui est ipsa veritas. Iterum igitur nego, teque provoco, Arnalde, ad probandum me dixisse, scripsisse, aut cogitasse, eos, qui quotidie lethaliter peccant, propterea quod jugiter ita peccant, debere quotidie Eucharistiæ participes fieri.

Hoc unum ex Ambrosii loco collegi, falsam esse doctrinam, qua inusitata et nusquam in terris invenienda sanctitas exigitur a commu-

[1] Lib. 4. de Sacr. c. 6. — [2] Lib. 4. c. 8. § 2. et seq.

[3] Præf. Lib. de Trad. pag. 200. Vide sup. Lib. 4. c. 6. — [4] Ibid. p. 202.

nicaturis; ex loco S. Dionysii male intellecto, ut sæpe jam dixi.

VI. Sanctus enim Dionysius, ut antea observavi, collocat eum gradum, quem assecutus est animus purgatus imaginibus et phantasmatibus, supra eum, qui peccato purgatus est. Tum ulterius progressus constituit duos alios gradus perfectionis multo sublimiores. Itaque omnibus hisce probe expensis, locoque S. Dionysii sumpto eo sensu, quem illi tribuit auctor de frequente Communione, et quem solum verum censet Arnaldus : sequeretur ab Ecclesia olim excommunicatos omnes, qui nondum pervenerant ad puritatem, sanctitatemque, quæ in solos angelos atque beatos, post hanc vitam, cadunt.

Hanc opinionem oppugnabam in ea disputatione, in qua protuli locum S. Ambrosii, qui negotio, quod agebatur, aptus erat; quamvis nomine quotidiani peccati intelligeretur tantum veniale delictum : quandoquidem præparatio ad communionem, quam directores illi colligunt ex verbis S. Dionysii, debet remota esse ab omni peccato, etiam levi ac minime vitando, prætereaque tribus gradibus altius ascendere, ut necessariam perfectionem consequatur.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Aliæ animadversiones in locum S. Ambrosii. Auctorem libri de frequente Communione errasse, cum dixit S. Ambrosium in libris de Sacramentis nihil habere, nisi quod pertinet ad neophytos; quod ex iisdem libris confutatur.

I. Animo meo occurrunt alia observanda, ad eumdem locum S. Ambrosii, ex quibus intelligere licebit, quam parum docti sint novi Pœnitentiarii, quamque exiguum judicium afferant ad intelligendos explicandosque Patres; quanquam venditant se quasi scientia traditionis, antiquitatis, Conciliorum et Patrum penitus imbutos.

Auctor operis de frequente Communione [1] respondens auctori scripti anonymi de frequente Communione, de loco S. Ambrosii, eum castigat « quasi hominem exigui judicii, qui non animadvertit libros S. Ambrosii de Sacramentis scriptos esse in usum neophytorum, qui egressi aquis baptismi, induti innocentia et puritate, aut potius Jesu Christo ipso, et afflati deinde plenitudine Spiritus sancti in Confirmatione, erant quam sanctissime affecti ad accipiendam Eucharistiam. » Unde hanc collectionem elicit, « Non ex eo opere, in quo Ambrosius innocentes tantum alloquitur, accipi oportere regulas, quas Ecclesia observari vult in recipiendis peccatoribus ad participationem Eucharistiæ. » Quibus verbis subscribit etiam Arnaldus in præfatione libri de Traditione [2].

II. Verum parum firma est hæc responsio, neque recta est ratiocinatio. Potissimum enim argumentum operis de Sacramentis S. Ambrosii potest pertinere ad institutionem neophytorum; nec tamen eo secius non multa miscentur generalia monita, et disputationes ad alia pertinentes. Si firmum esset eorum argumentum, colligendum etiam esset, quidquid est in epistola S. Pauli ad Hebræos, vel Judæos, spectare tantum ad eum populum; nec quidquam esse in epistolis ad Romanos, et ad Galatas, quod alio pertineat, quam ad potissimum earum epistolarum scopum. Negare similiter quispiam posset, in libris S. Augustini contra Manichæos, Donatistas, vel Pelagianos, quidquam esse, quod non eos solos hæreticos respiciat, et unde possit elici generalior ulla collectio. Quod cum sit manifesto absurdum, etiam judicibus viris illis adeo versatis in scientia Patrum; qui possent simile erratum defendere, aut fugere castigationem, quam justam esse ipsi sciunt, cum contrariam regulam constituerint?

III. Non est ergo hominis judicio præditi existimare, quidquid scripsit S. Ambrosius in libris de Sacramentis, id nulli alii usui

[1] Part. 1. cap. 13.

[2] Lib. de Trad. p. 203. Præf.

adhiberi posse, nisi ad instituendos nominatim neophytos, qui egressi aqua baptismi innocui sunt. Si verum hoc esset, pari ratione dicendum esset solos innocuos, et qui nondum puritatem baptismalem violarunt, peccare quotidie, et uti oportere hac clausula orationis Dominicæ, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, cum S. Ambrosius sic eos instituat [1] : « Ideo quotidie dicito, ut quotidie debito tuo indulgentiam petas. » Omitto innumeras objectiones similes, quæ possent proponi ad infirmandam inanem illam responsionem : ut persequar, quæ sunt majoris momenti, et quæ magis aperiunt, quam exiguum judicium, et quam parvam attentionem adhibuerint homines, qui nihil præter traditionem et Patres crepant, ad colligenda eorum loca; auctoresque, quos laudant, obiter tantum ab iis fuisse evolutos.

IV. Profecto si accuratius legissent libros memoratos S. Ambrosii de Sacramentis, aut etiam quintum solum integrum, ex quo collegerunt quod causæ suæ favere putabant, continuo in eo invenissent damnationem suam, et repugnantiam evidentem, in quam delabi poterant, dum præceps judicium de re nondum satis expensa ferebant.

Capite 4. libri 5. S. Ambrosius hortatur ad frequentem communionem eos ipsos, qui nimis raro ad sacram Mensam accedebant, et qui semel tantum quotannis communicabant, more Ecclesiæ orientalis : « Si quotidianus est panis, *inquit*, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. » Hisce verbis non alloquitur homines ex aquis baptismalibus modo egressos, et qui nondum aut sæpe aut raro communicasse dici possunt.

V. Igitur nec proxime sequentia, quibus confirmat quod modo dixerat, de sæpe sumenda Eucharistia, sunt restringenda ad eos, qui nuper baptizati fuerant. « Sic vive, *inquit*, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere, etc. Ergo tu audis, quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, et remissio peccatorum; et panem istum vitæ non quotidianum assumis. Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est cœleste et venerabile Sacramentum. »

VI. Quod si universa oratio illius capitis 4. libri 5. pertinet ad omnes fideles, neque patitur restrictionem, quam commentus est auctor libri de frequente Communione, locus capitis 6. libri 4. allatus a scriptore anonymo, cum sit simillimus, non magis fert idem interpretamentum. Ratiocinatio enim S. Ambrosii et collectio, quam deducit ex verbis apostoli Pauli, eædem sunt utrobique : *Ergo quotiescumque accipis, quid tibi dicit Apostolus?* Quotiescumque accipimus, mortem Domini annuntiamus. « Si mortem annuntiamus, annuntiamus resurrectionem peccatorum. Si quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illam semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. »

VII. Lector facile intelliget ex collatione duorum locorum S. Ambrosii, utriusque eamdem esse sententiam, ac proinde parem esse oportere interpretationem. Igitur cum verba prioris nulla ratione possint ad neophytos referri, nedum ut ad eos solos pertineant : locus ex quarto libro desumptus, de quo orta est controversia, et quem eludere inani distinctione conati sunt Pœnitentiarii, non potest etiam de iis solis intelligi; sed manifesto ei interpretationi repugnat, hominibusque pudorem, atque ignominiam creare debet.

[1] Lib. 6. c. 5. et Lib. 5. c. 4.

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Arnaldum incidisse in errorem, quem nobis falso tribuerat de loco S. Ambrosii. Multa absurda, in quæ delabitur.

I. Si lector miratus est anteriore capite apertam repugnantiam, quam complectitur interpretamentum loci Ambrosiani inventum a nostratibus pœnitentiæ directoribus; magis obstupescet, lecta ea, quam hoc capite exponam, vixque rem credere posset, nisi ipsa eorum verba ei fidem facerent.

Aggredior hic ostendere, auctorem operis de frequente Communione, et post eum Arnaldum eumdem errasse errorem, quem posterior mihi falso tribuit circa locum S. Ambrosii, et propter quem in me invectus est ea vehementia, quam animus iratus, et pathetica eloquentia possunt suppeditare.

II. Objicit, me induxisse S. Ambrosium dicentem, quia jugiter in Deum lethaliter delinquebat, se debuisse jugiter accipere Eucharistiam. Ego vero postquam ostendi meram esse calumniam, neque unquam me cogitasse hoc, vel scripsisse; contendo cum ipsum, tum ejus magistrum, cujus operi nomen suum præfixit, locum Ambrosii sic interpretari, atque esse hoc consectarium necessarium eorum doctrinæ, et libri de frequente Communione, in quo memoratus locus profertur atque explicatur, ut S. Ambrosius de peccato mortali, non de veniali noxa sit locutus.

III. Ut quam hæc sint vera intelligamus, pro explorato assumendum est dogma ethicæ Christianæ, confirmatum consensu omnium SS. Patrum, ac præsertim S. Augustini, et quod nullus theologus negarit; excommunicationem, quam vocant *majorem*, et quæ est exclusio ex communione fidelium, atque introitu ecclesiæ, non fuisse cuivis delicto, sed mortali demum impositam, et quidem atrociori. Hoc docet S. Augustinus de Fide et operibus cap. 26. ut ostendimus lib. 6. c. 3. et seqq. contra auctorem operis de frequente Communione, qui contendit omnis generis mortalia peccata fuisse ei censuræ obnoxia. Nolo contentionem illam renovare; nunc hoc unum accipio, quod mihi sponte concedit [1], excommunicationem solis peccatis mortalibus impositam fuisse. Hoc satis mihi est, ut probem id quod aggressus sum demonstrare.

IV. Res est manifestissima, si consideremus primum, Arnaldum ejusque magistrum nos *amandare ad S. Dionysium, ut discamus circa pœnitentiam sententiam apostolorum, eorumque discipulorum;* secundo, ab iisdem id dogma confirmari auctoritate S. Ambrosii. Unde sequitur, S. Ambrosium locutum convenienter esse dogmati atque usui Ecclesiæ primitivæ, qualem eum descripsit S. Dionysius, ad quem nos amandarunt. Sanctus autem Dionysius [2], prout ab iisdem theologis est intellectus, docet cap. 3. Hierarchiæ ecclesiasticæ, duo fuisse genera hominum liberata a peccato, quæ erant etiamnum excommunicata; hoc est, exclusa participatione sacrorum mysteriorum, et, ne iis interessent, emissa ex ecclesia solemni voce diaconi, juasi profana et indigna societate fidelium.

V. Priores erant, qui, licet essent in statu gratiæ, habebant tamen quasdam reliquias *phantasmatum, et imaginum pristinorum vitiorum;* posteriores vero iis quidem imaginibus erant liberati, attigerantque *amorem Dei purum, atque impermistum*, sed nondum erant *plane conjuncti cum Deo solo, neque plane perfecti, ac prorsus inculpati.* « Hi ergo omnes expellebantur templo Dei, et Sacrificio (inquiunt directores [3], interpretantes locum S. Dionysii) quasi sublimiore, quam ut ei possent interesse. » Atqui certum est eum, qui quotidie peccata venialia admittit, nondum attigisse secundum horum graduum Dionysianorum. Amor enim ejus nondum est purus, nec sine mistura creaturarum.

VI. Quod si forte Arnaldus reponat [4], peccata venialia posse aliquo modo consistere cum amore divino puro; quia qui iis laborat « fecit quod est in potestate sua, ut se iis mundi vinculis eripiat, minutisque offensis, dum eas serio oppugnat: » quo pacto « amor ejus eum gradum consequitur, qui debet omnibus justis inesse; hoc est ita, ut sit va-

[1] Arn. de F. C. Pag. 2. cap. 5. — [2] Ibid. cap. 4. et 6. et Part. 3. cap. 7.

[3] Cap. 6. — [4] Præf. Lib. de Trad. p. 178. et 179.

lidior, ac potentior in animo ceteris omnibus affectionibus? » Quomodo respondet re ipsa Arnaldus, in præfatione libri de Traditione; hoc eum tueri non poterit, quominus in eamdem recidat absurditatem. Qui enim attigerat posteriorem gradum a S. Dionysio descriptum, quamvis esset justus, ut antea dictum, tamen expellebatur communione, excludebaturque ecclesia ante eos, qui in priore gradu erant. Itaque cum excommunicatio esset pœna ecclesiastica in eos decreta, qui mortale peccatum admiserant; hinc colligendum erit delicta venialia eorum, qui in priore erant gradu, fuisse mortalia, cum essent obnoxia censuræ mortalibus duntaxat peccatis impositæ. Quæ absurditas est, et repugnantia minime ferenda.

VII. Hic vero lectoris oculis subjiciam sententiam magnorum horumce Pœnitentiariorum de ordine, quo excommunicati illi jubebantur egredi ecclesia ante celebrationem mysteriorum, pro interpretatione loci Dionysiani ab iis prolata, descripto eorum catalogo ex opere de frequente Communione.

Catalogus eorum qui in vetere Ecclesia excommunicabantur, et emittebantur ante celebrationem S. Sacrificii, secundum explicationem loci Dionysiani, quæ legitur in libro de F. C. Part. 1. *c.* 4.

1. Catechumeni nondum instituti, nec admissi ad participationem mysteriorum.

2. Lapsi ex vita sancta, et Christiana, hoc est, qui gratiam baptismi, admisso peccato mortali, amiserunt.

3. Energumeni, seu a cacodæmone obsessi.

4. Pœnitentes, qui reliquerunt quidem vitam contrariam virtuti, sed nondum sunt purgati imaginibus præteritorum vitiorum, habitu atque amore divino puro, et impermisto.

5. Qui, quamvis hæc sint assecuti, nondum sunt perfecte conjuncti cum Deo solo, neque prorsus perfecti, atque plane inculpati.

Hosce quinque ordines excommunicatorum sequebatur status perfectionis; in quo absoluti omni censura recipiebantur ad communionem, *perfecte conjuncti cum Deo solo, et plane inculpati.*

VIII. Constat igitur, ex sententia horum theologorum, docuisse S. Dionysium, homines fuisse excommunicatos, qui nondum tales erant; liquetque has locutiones, *prorsus perfecti, et plane inculpati*, significare exclusionem peccati, quod est animi macula; convenienter græco textui, qui habet ἄμωμοι καὶ ἀλώβητοι, hoc est, *sine macula ac vitio.* Non possunt autem hic intelligi maculæ lethales, quia ad quartum gradum pertinentes jam iis erant purgati, ac potiori jure ii, qui erant in quinto. Attamen qui nondum pervenerant ad tertium illum gradum, quo fuissent ἄμωμοι καὶ ἀλώβητοι, manebant excommunicati, nec liberabantur excommunicatione, donec immunes essent macularum, et vitiorum, quæ græce dicuntur μῶμοι καὶ λώβαι.

IX. Præterea absurdum esset ultimum gradum perfectionis, quæ postulatur ad communicandum, et quem vocat *perfectam conjunctionem cum Deo solo,* in sola immunitate a peccato mortali collocare, cum is sit infimus gradus sanctitatis. Induceretur S. Dionysius ridicula ac pugnantia dicens, duorum ultimorum graduum priorem (qui est quartus) situm esse in immunitate a peccato mortali; alterum (qui est quintus) non tantum in ea immunitate, sed etiam in eo statu, quo quis purgatus est omnibus ejus reliquiis, quæ sunt *imagines et phantasmata*, contraxitque habitum *amoris divini puri, et impermisti;* unde postea transit ad summam perfectionem sitam in immunitate a peccato mortali. Hinc sequerentur multi errores, hæresesque, præter manifestam repugnantiam. Exempli gratia, concedendum esset eumdem hominem *reliquisse vitam contrariam virtuti,* hoc est peccatum, qui est status quarti gradus, et tamen in peccato mortali vivere; quia nondum attigisset ultimam perfectionem, quæ sola purgat animum macula mortalis peccati secundum hanc interpretationem. Oporteret amorem divinum purum atque impermistum consistere posse cum peccato mortali; quandoquidem qui erat in quinto gradu excommunicatorum, pervenerat ad hunc amorem divinum, nec tamen erat plane ἄμωμος καὶ ἀλώβητος, hoc est immunis peccatorum mortalium.

X. Igitur cogetur Arnaldus intelligere μῶμον et λώβην de levibus ac venialibus delictis. Quo concesso, continuo incidet in alteram illam absurditatem, cujus eum convincere aggressus sum: ex sententia apostolorum, et totius veteris Ecclesiæ, cujus fidus interpres est S. Dionysius, eos excommunicatos fuisse, atque ecclesia expulsos, qui, cum sancti essent, arderentque amore divino puro, et impermisto, peccatis tamen venialibus labo-

rabant. Igitur, si excommunicatio erat pœna solorum peccatorum mortalium, necessario sequitur peccata illa venialia fuisse lethalia, et omnia delicta esse mortalia; quod dici non potest nisi ab iis, qui apostolos, universamque Ecclesiam una cum S. Dionysio, aliisque Patribus, insimularint erroris similis hæresi Calvini, et Lutheri.

XI. Denique, quod proposueram initio hujusce capitis, et quod aggressus eram probare, id manifesto demonstratum est ex sententia Arnaldi, ejusque magistri auctoris libri de frequente Communione, S. Ambrosium loqui de peccato mortali, cum dicit, *Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* Sic et in precibus, quas fundebat ante celebrationem Missæ : « Quia non sum dignus, *inquiebat,* accedere ad tantum mysterium, propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. » Quam orationem Ecclesia ab eo mutuam sumpsit, præscripsitque sacerdotibus formulam recitandam, antequam ad Altare accedant, et quidem divisam in septem partes, pro septem hebdomadis diebus. Sic et quando dicit S. Ambrosius in altera oratione : *O quam in multis offendi, atque offendo!* credendum erit ex doctrina Arnaldi, a sancto viro jugiter admissa esse peccata mortalia. Similiter cum in altera oratione, qua Ecclesia instruit suos ministros, ut se disponant ad Missam, dicunt *se cor, et corpus habere multis criminibus maculatum;* sunt hic vera crimina, hoc est peccata mortalia, et enormia ab Arnaldo intelligenda : quandoquidem omne delictum est crimen, et mortale, ex ejus doctrina, cum sit excommunicatione dignum.

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Examen, et confutatio dogmatum doctoris theologi *Du Bois*. Sine ratione eum contendere me subscripsisse doctrinæ Arnaldi. In opere de frequente Communione, esse veras enuntiationes falsis mistas. Repugnantiæ, quas perperam mihi objicit. Pœnitentiam Arnaldi esse novam.

I. Initio hujus libri mentionem fecimus nescio cujus spectri, quod apparuit insignitum nomine doctoris theologi *Du Bois*, cum animadversionibus, quibus defenditur opus de frequente Communione, resque ipsa tractatur. Credibile est, singulari permissione divina factum esse, ut verus auctor, qui cupiebat se occultare, nomenque dissimulare, id nominis elegerit, ut nobis in memoriam revocaret hominem irrequietum, qui eidem nomini addebat titulum abbatis. Is initio regni, et sub minoritate Ludovici XIII. felicis memoriæ, missus est Romam, ut rationem redderet sanctæ Sedi doctrinæ suæ, et novorum, scandalosorumque dogmatum, quæ protulerat in detrimentum Religionis catholicæ, regni Galliæ, et quietis publicæ. Hinc colligere possumus, ignotum theologum, qui posset quidem esse abbas, hæredem fore calamitatis, et funestæ mortis hominis, cujus, ut nomen sumpsit, ita cœptum imitatur.

II. Oro Deum, ut misericordia sua hanc calamitatem ab eo averruncet, aperiatque homini ingenium, quo prorsus atque ex animo agnoscat falsitatem suæ doctrinæ, quemadmodum fecit partim, nec magna cum laude, theologus ille, cujus potissimum causam suscepit.

Ut conferam, quod possum, ad eventum voti ex charitate suscepti, aliquot capita sunt tribuenda cogitationibus commentitii hujusce theologi; oportetque ostendam, veras esse *reflexiones*, quemadmodum eas vocavit, hoc est, non esse rectas, neque ad scopum tendere, sed obliquas, sine scientia, ac ratione. Breviter hoc faciam, dum potissimis capitibus ejus animadversionum aptabo, quod dixi initio hujus libri, de vitiis generalibus responsionum Arnaldi, aliorumque, quorum auxilium imploravit; quorum hic Bosius non est omnium doctissimus. Ejus auxilium vere dixeris, esse συκίνην ἐπικουρίαν, hominisque συκίνην γνώμην, cum sit *truncus ficulneus, inutile lignum.* Est enim profecto sterile lignum, et quod securim tantum expectat : *ut quid terram occupat?*

III. Totum hujus theologi consilium ad duo summa capita referri potest, quibus utitur ad oppugnanda loca operis mei, quæ ei visum est carpere. Unum est, a me doctrinam Arnaldi fuisse probatam; alterum, me a me ipso dissensisse. Duæ hæ objectiones a me repulsæ sunt, omniaque argumenta, quibus eas tuetur, falsitatis convicta summatim capitibus 2. et 3. hujus libri, et alibi, prout occasio se dedit. Facile idem singillatim fieri potest, excussisque subtilius animadversionibus, ostendi nihil eas complecti præter somnia, et ludificationes. Reipsa rem demonstrabimus, potissimis earum productis, ut tempori et operæ parcamus.

IV. Ait[1] me subscripsisse doctrinæ Arnaldi, cum dixi me fateri pœnitentiam *oportere esse veram, constantem, animosam, nec obnoxiam mutationi.* Absurda vero est hæc objectio. Æque verisimiliter dixeris Arium consensisse cum Ecclesia catholica, et concilio Nicæno, quia fassus est Christum esse Deum, et filium unicum Patris; Calvinumque, et Lutherum idem sensisse ac Ecclesiam Romanam de sacramento Altaris, quia dicunt esse sacramentum corporis, et sanguinis Christi, sumendum cum fide, et præparatione rei consentanea. Verum ut nullæ hæ sunt consequentiæ; sic nec recta est Bosii consequentia in eo, quod attinet ad novam pœnitentiam.

V. Optandum quidem est, pœnitentiam esse firmam, et constantem; sed non sequitur, non posse eam esse rectam, minime fictam, et Deo gratam per id tempus, quo durat, quamvis postea desinat, aut interrumpatur novo lapsu. Quemadmodum gratia est gratia, quamvis per breve tempus maneat in animo justi, qui paulo post recidit in peccatum, et ex amico ac filio Dei fit inimicus ejus, atque ira dignus; multo minus sequitur ex mea propositione, pœnitentiam ratam non esse, nisi satisfactio, pœnæque persolutio antecedant absolutionem: quæ propositio fundamentum est operis de frequente Communione, ut antea demonstravi[2].

VI. Sic ex eo, quod non diffitear SS. Patres, Doctores, et Concilia uno consensu docere, communicaturos debere se magna cura parare, ac præterea pœnitentiam oportere esse constantem, non mutabilem; theologus ille hanc collectionem deducit[3], sine forma et judicio, opus Arnaldi, quo exprimitur sententia Patrum et Conciliorum, *magni oportere fieri a religiosis animis, qui cupient sibi prodesse usum eorum Sacramentorum.*

Verum hoc esset, si una cum expositione verorum dogmatum antiquitatis id opus non esset refertum erroribus periculosis. Ratiocinatio hujusce theologi tam prava est, ut æque verisimiliter probaret, quosvis libros, et quamlibet malos debere magni fieri a bonis; quia iis inesse possunt dogmata laudanda, ac veritates consentaneæ rationi naturali, et Scripturæ sacræ.

VII. Inter vera dogmata, quæ sunt quasi partes sanæ corporis ægri et vitiati operis de frequente Communione, numerari possunt dicta, quæ in eo sunt intertexta de corruptione morum, et abusibus disciplinæ, una cum dolore, quo se propterea auctor affectum testatur, et studio emendationis vitiorum, et relaxationum pœnitentiæ, quod præ se fert.

Numero etiam propositionum verarum censeo locos communes, et testimonia Patrum, quibus describitur prisca severitas Ecclesiæ primitivæ, aut traduntur præcepta moralia, virtutem et sanctitatem commendantia, quorum usus semper est tempestivus, cognitioque et observatio non possunt esse nisi utiles.

VIII. Sed quod est tolerandum, aut, si libet, singulare atque eximium in eo libro, non excusat id, quod in eo est noxium atque exitiale. Imo vero hinc damnatur auctor, actioque ejus vitiosior fit, quod veritate sacrilege abusus sit, ut profanis mendaciis fidem faceret; et quod falsa testimonia elicere conatus sit ex sancto ore Patrum, qui fuere organa Spiritus sancti, ut eorum auctoritate Ecclesiæ catholicæ doctrinam oppugnaret, quam magni illi viri constituerunt laboribus, et scriptis, sanguineque suo, et vitæ jactura confirmarunt.

IX. Hoc responso firmo, et vero discutiuntur fictæ repugnantiæ, quas nobis homo contradicendi, et carpendi libidine percitus objicit. Ait enim[4], cum fassus essem « morem exequendæ pœnitentiæ injunctæ post confessionem, et abstinendi ad tempus reverentiæ causa a pane vitæ, esse formam antiquam Ecclesiæ, » non debuisse a me vocari hunc *novum morem.* Verum hominem oportuisset expendisse nonnulla eorum, quæ tam copiose persecuti sumus lib. 2. cap. 9. 13. et 16. de nova pœnitentia, quam scriptor operis de frequente Communione, imprudens aut data opera, venditavit pro pœnitentia antiqua Ec-

[1] Pag. 4. — [2] Lib. 7. cap. 14.

[3] Bosius pag. 6. — [4] Pag. 10.

clesiæ primitivæ. Quod ostendimus esse alienissimum a vero, cum dilatio sola communionis non esset pœnitentia publica, aut vetus, de quo agunt Concilia et Patres, et quam is scriptor simulat se sectari.

X. Quamobrem pœnitentia, quam reipsa vult intromittere, est nova, nec ex vetere quidquam habet, præter levem imitationem, fallacemque speciem; quod illi facile intelligunt, qui aliquantulam cognoscendæ antiquitati operam dederunt, canonesque et mores Ecclesiæ primitivæ nonnihil investigarunt. Consilium propterea non minus est novum, quod partes, quibus constat, sint antiquæ, quando inter se nova ratione coagmentantur, et contexuntur. Imo vero quamvis pœnitentia, quam directores reformati instituere conantur, esset antiqua, et primitiva integra, cum omnibus conditionibus, quas olim complectebatur, et de quibus egimus in secundo libro; attamen esset, et posset vere vocari nova, si respiciatur status hodiernus Ecclesiæ, consuetudoque, quæ a multis seculis ei successit, et derogavit.

XI. Constat communionem sub duabus speciebus esse antiquam rationem communicandi laicorum; attamen si quis eam hodie revocare aggrederetur in usum publicum, novitas esset, nec quisquam *novum morem* eam vocare vereretur. Quamobrem jure vocamus pœnitentiam nostrorum reformatorum *novam pœnitentiam*, *novum institutum;* præsertim cum non tantum dudum obsoleverit, sed cum sit novæ institutionis, multumque ab antiqua discrepet pœnitentia, ut libris 2. et 7. ostendimus.

XII. Si theologus noster [1] probe intellexisset hanc rationem, multam inanem disputationem compendii fecisset, ut et Arnaldus in præfatione libri de Traditione, et alibi. Neuter etiam abusus fuisset testimoniis veterum, quasi certis argumentis, quibus consilia sua defenderent, et suam confirmarent pœnitentiam. Multo minus me arguissent repugnantiæ, quod fassus dilationem communionis pœnitentiam olim usitatam fuisse in Ecclesia, vocarim eorum pœnitentiam *novum institutum*. Scirent ex eo, quod dixi, eam reipsa esse novam, et quidem duplici nomine; primum, ex illorum sententia, qui profitentur sibi animum esse renovare veterem pœnitentiam, quæ quingentis abhinc annis desiit esse in usu vulgari Ecclesiæ. Nihil autem potest renovari, nisi fiat novum.

XIII. Sic semet ipsi damnant eo ipso, quod dicunt pœnitentiam illam mutilam, ac adulteratam, esse antiquam et primitivam, quam restituere conantur. Quod a nobis confutatum est lib. 2. cap. 9. 13. et 15. tam evidentibus argumentis, ut sensu communi careat quisquis iis expensis rem ausit defendere.

Atque hæc est secunda ratio, ob quam contendi pœnitentiam hanc reformatorum doctorum esse novam: quia est plane diversa ab ea, quæ usitata fuit in antiqua Ecclesia; cujus pœnitentiæ speciem tantum externam ac rudem similitudinem gerit; estque commentum hominum judicii non satis subacti, qui non majorem eruditionem ad concipiendum hoc consilium attulerunt, quam candorem ad id in publicam lucem producendum.

CAPUT NONUMDECIMUM.

Variæ objectiones Bosii, totidemque calumniæ de inanibus contradictionibus nostræ doctrinæ. Ea nullo modo confirmari errorem novorum directorum. Satisfactiones laboriosas proprias non esse huic novo instituto. Hoc quasi necessarium ab iis intromitti.

I. Auctor anonymus scripti, in quem invectus est auctor operis de frequente Communione majore affectu, quam judicio aut eruditione; nec R. P. Molina carthusianus, quem Arnaldus pro solita sua modestia ac mansuetudine indignis modis habuit, in præfatione libri de Traditione, unquam existimarunt religiosis hominibus satis esse oportere infimum illum gradum dispositionis ad communionem, qui situs est in sola liberatione a peccato mor-

[1] Pag. 10. 24. et seq.

tali. Quod dixerunt, eo tantum spectabat, ut ostenderent, quæ præparatio prorsus necessaria esset ad communicandum, sine iræ divinæ provocatione, ac mortali delicto. Idem docui, et tam copiose explicui, nihil ut ea de re mihi dicendum supersit.

II. Itaque mera est calumnia Bosii [1], qua eos scriptores ejus rei insimulat. Alioqui vituperandi essent omnes canonistæ, et casuistæ, qui in responsionibus suis non semper id proferunt, quod est majoris perfectionis, sed quod licet, et bona cum Dei venia fieri potest.

Annon iniquus, aut potius stupidus esset, quisquis illos auctores carperet, quod in his responsionibus, judiciisque nimis deprimant perfectionem Christianismi; contenti præscripsisse rationem vitandi peccati, nec ulterius progressi ad sanctitatem absolutiorem docendam? Hoc tamen facit theologus noster pro indole sectæ illius jurgiosæ, atque inhumanæ.

III. Perperam dicit me *revera damnasse* scriptorem anonymum, quia ex vulgari doctrina duo genera dispositionis ad communionem distinxi; quorum unum est præcepti, et necessitatis, alterum vero consilii, et decori. Distinctionem illam adhibui, ut vitarem duo extrema vituperanda in eo, quod pertinet ad præparationem ad sacramentum Altaris. Prius est id, in quod Pœnitentiarii nostri inciderunt, qui quasi officium necessarium exigunt perfectissimam atque excellentissimam animi affectionem, quæ a creatura in hac vita attingi queat. Hisce opponenda sunt, quæ a scriptore anonymo, post R. P. Molinam ac multos alios, et a me etiam scripta sunt de præparatione plane necessaria.

IV. Alterum extremum est eorum, de quibus loquitur R. P. Salazar, ut ostendi in lib. 5. nec pluribus ea de re agam. Contra hosce egi de altera dispositione, quæ est excellentior, et de qua scriptor anonymus distincte non egit; cum hoc ad consilium ejus operis nequaquam pertineret, quod a me mei operis ratio postulabat, ut intelligunt lectores ex libris 4. et 5.

Itaque repugnantia doctrinæ, quam Bosius, et Arnaldus invenerunt inter scriptum anonymum, et meum, nullo nititur fundamento; nec usquam est, nisi in phantasia duorum Pœnitentiariorum, *quæ nondum est satis purgata phantasmatibus, et imaginibus* errorum, quibus laborant.

V. Bosius pergens [2] animum suum animadversionibus vexare, aliam approbationem consilii Arnaldi haurit ex eo, quod multum laudavi opera satisfactoria, et laboriosa, jejunia, eleemosynas, et similia. Qua in re, ut ille vult, consentio cum auctore operis de frequente Communione; cujus hoc unum fuit consilium, castigare nimirum prolapsionem morum ortam ex contemptu, ac remissione sancti illius instituti.

Hæc collectio est ejusdem generis, ac ceteræ. Jejunia, austeritates, operaque alia satisfactoria minime sunt propria novo huic instituto. Imo vero iis omnibus nuntium remisit, cum profiteatur Arnaldus se remittere « permulta, quæ in Ecclesia per tot secula usitata fuere; qualia sunt saccus, cinis, cilicium, jejunia, vigiliæ, omne austeritatum genus, gemitus, et lacrymæ perpetuæ. »

VI. Hæc sunt ipsa verba, quæ leguntur in præfatione libri de frequente Communione, quibus auctor eos, qui ad partes suas accedent, immunes pronuntiat « partium externarum pœnitentiæ antiquæ; ex qua nihil ferme retinet, præter separationem a corpore Filii Dei. » Quænam ergo est consequentia, in hac ratiocinatione, ex laude et commendatione operum laboriosorum sequi probari novam rationem pœnitentiæ Arnaldi, cum ea omnia recenset, nedum ut sibi quasi propria vindicet?

VII. Huic novo instituto propria duntaxat est dilatio ad tempus absolutionis, tum etiam communionis, post absolutionem sacramentalem; cum qua conjungendum est hoc fundamentale dogma: institutum hoc esse *juris divini*, *necessarii*, *immutabilis;* contra vero usum receptum, quamvis longa consuetudine inoleverit, probatusque fuerit auctoritate Ecclesiæ, et Conciliorum, esse abusum, corruptionem, prolapsionemque morum, quæ per totum Christianismum grassatur, et fideles omnes æternæ subjicit damnationi.

Hoc est arcanum dogma mysticæ hujusce factionis; quod quisquis probarit, is demum subscripserit doctrinæ Arnaldi, cum sit totius rei prora, et puppis, aut, ut philosophice loquar, *differentia specifica,* qua constituitur, et distinguitur ab omnibus aliis doctrinis.

VIII. Non verius est [3] a me probatum esse consilium Arnaldi, quia concessi dilationem communionis cum fructu posse adhiberi, prout sunt occasiones, animique ejus remedii capaces. Pueriliter argumentaris, Bosi, non

[1] Pag. 12. 30. et 31. — [2] Pag. 13. et seq.

[3] Bosius pag. 21. et seq.

ut doctorem Theologiæ decet, qui talia colligis, satisque ostendis, qua arte extorqueatis approbationes, et suffragia eorum, qui procul a dogmatibus vestris absunt, cum, larva vobis detracta, malitia vestra aperitur.

Ne dissimulate aut occultate doctrinæ vestræ penetralia, in quæ lucem intulimus superioris libri propositionibus; vosque pudebit et artis sophisticæ, qua erroribus vestris colorem obducitis, et nefandarum vestrarum calumniarum.

IX. Est quoque falsum, quod Bosius[1] profert post Arnaldum : auctoris nempe libri de frequente Communione animum non fuisse, ut intromitteret novam hanc præparationem quasi necessariam, et præceptam lege, qua teneamur. Argumentum, quo uterque utitur, ridiculum est, ut antea ostendimus. Nam sic demonstravimus novem propositionibus libri superioris, ita sensisse auctorem operis de frequente Communione, ut ligneum aut ferreum ei sit ingenium oporteat, qui rem non assequatur.

X. Quod vero attinet ad eorum argumentum, absurditatem ejus ostendimus cap. 1. hujus libri; unde liquet consequentiam ejus esse ei similem, quam quis deduceret ex eo, quod S. Petrus tam sæpe, et modo tam solemni professus sit Jesum esse Filium Dei, et summum Doctorem, ad probandum ab eo nunquam Dominum fuisse abnegatum. Eodem jure probabis, regem ac prophetam Davidem nunquam sese polluisse adulterio, atque homicidio, quod contraria omnia profiteretur cum divinis canticis, tum innumeris eximiis facinoribus, testimoniisque excellentis virtutis ac sanctitatis, quibus ejus vita cohonestata est. Expendat lector scripta a nobis de ratiocinatione duorum illorum Theologiæ doctorum; videbitque, non sine admiratione rationem colligendi, qua utuntur, simillimam esse huic, cujus absurditas intoleranda nobis videtur.

CAPUT VIGESIMUM.

Exemplo communionis sub utraque specie convinci Traditionarios. Objectio frivola Bosii. Hanc communionem semper fuisse usitatam in Ecclesia antiqua.

I. Exemplum communionis sub utraque specie, quod objicitur novæ Pœnitentiariorum sectæ, aptissimum est ad convincendam falsitatis enuntiationem, qua nititur eorum consilium; nimirum, non tantum laudabile esse, sed etiam necessarium, renovari priscas traditiones, et canones Ecclesiæ primitivæ, ut nos geramus secundum consilia Tridentinæ synodi, quæ hoc cupiit, imo etiam jussit. Quod manifesto falsum videtur, et contrarium decretis Ecclesiæ, quia inde sequeretur, usum calicis laicis restitui oportere.

II. Objectio Arnaldi, et post eum Bosii contra hoc argumentum, tantum abest, ut eis prosit, ut magis damnet. Contendunt non eamdem esse rationem pœnitentiæ, quæ est communionis sub utraque specie; quia hæc « abrogata est a concilio œcumenico Constantiensi, decreto solemni, quod instauravit concilium Tridentinum; cum Ecclesia non intromiserit remissionem salutaris usus pœnitentiæ antiquæ decretis, sed eam tantum passa sit, tulerit, toleraverit συγκαταβάσει, contra id, quod sentiebat, et cupiebat, nulla lege ea de re lata. » Verum hoc ipso Ecclesia, et Synodus œcumenica reæ sunt ex fundamentalibus eorum dogmatibus. Aiunt traditionem, *quam complectuntur Canones, et Concilia, esse normam veritatis catholicæ secundum Patres, et articulum fidei.* Varia similia dictitant, quæ protulimus libro superiore cap. 4.

III. Ex iis colligere licet directa, et clara consequentia, Ecclesiam non potuisse, nec debuisse abolere eum usum communionis, qui originem traxit ex traditione, ac proinde non minus immutabilis est, ac prisca pœnitentia. Itaque ex vestra, o Pœnitentiarii, sententia, atque ex vestris principiis colligendum est, ab Ecclesia, et a Conciliis violatum esse jus divinum, et horrendum admissum sacri-

[1] Pag. 29.

legium calicis sublatione, quam intromiserunt; quemadmodum etiam eodem crimine sese attaminarunt, quia saltem *concesserunt*, ut dicitis, usum pœnitentiæ ei contrarium, quem traditio, canones, Concilia, et universa Ecclesia probarant, constituerant, confirmarant per tot seculorum decursum.

IV. Quod vero profert Bosius, « Communionem sub utraque specie nunquam fuisse observatam in omnibus partibus Christianismi, ut observata fuit consuetudo aliquandiu ab Eucharistia secludendi pœnitentes, et in pœnitentia eos detinendi, antequam communicarent; » id temere profert, dicitque quod nescit, et se implicat mæandris ignorantiæ, et erroris, quibus expediri nisi longa disputatione, et justo volumine, hac de re, non posset. Ab eo labore nunc supersedebo, oraboque lectorem, ut interea, dum rem copiosius elucidem, satis habeat ea expendere, quæ diximus superioribus libris, et præsertim quidem lib. 2. c. 8. et seqq. de pœnitentia primitiva; quæ multum abest, ut tam antiqua, aut tam late recepta fuerit, quam communio sub duabus speciebus, ut ostendimus in lib. 2.

V. Quamvis hæc ratio communicandi non obtinuisset per omnes partes Christianismi, (quod falsum est, si rem ita intelligat, sicut debet, ut laici nunquam communicaverint sub duabus speciebus in aliqua parte Christianismi,) saltem dubitare non potest, si vel minima ei sit eruditio, licitum hoc fuisse per totam Ecclesiam; ac proinde vituperandam esse Ecclesiam pro essentiali axiomate hujus factionis, quod potestatis suæ limitibus excesserit, et aggressa sit mutare jus divinum, et caput fidei, cum fideles spoliavit jure et permissione, quæ illis erant concessa lege, traditioneque apostolica et divina.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Qua ratione obsoleverit pœnitentia vetus. Arnaldum dicta a se mala fide retractasse, et a se ipsum dissentire, ut et doctorem theologum Bosium. De lege, cujus natura sita est in eo, quod ea teneantur illi, quibus lata est. Vetere pœnitentia nos non amplius teneri. Qui possit esse utilis. Legem variis modis posse aboleri.

I. Bosius [1] immoratur adhuc exemplo communionis sub utraque specie; et eo quod dixi, pœnitentiam veterem *revera abrogatam fuisse constitutionibus contrariis*, contendit me mira repugnantia a me ipsum dissentire. Sed profecto oportet hominis mentem emotam fuisse nimia meditatione, vel festinatione, cum opusculum suum componebat. Hoc malo de eo judicium ferre, quam illum malitiæ insimulare, aut fraudis, aut alius delicti, quemadmodum videtur mereri hæc calumnia, ut paulo post ostendam. Prius enim oportet, pauca a me dici de abolitione veteris pœnitentiæ.

II. Inter argumenta, quibus indicatur falsitas novæ hujus doctrinæ, non minimum est timiditas, atque inconstantia eorum, a quibus inventa est vel defenditur, in ea in publicam lucem producenda. Arnaldus pro suo jure in responsione, quam Mileterio opposuit, qui eum insimulabat *damnatæ sententiæ suæ, quia verebatur prodere id, quod ipse sentiebat;* dicit, « Hanc gratiam se a Deo accepisse, ne tremat, cum putat sibi ab illo imponi defensionem veritatis catholicæ; ac sperare se ab infinita ejus misericordia, non passuram eam ne timore aut commodi alicujus causa contra animi sententiam loquatur, seu ad improbandam doctrinam, quam veram credit, seu ad probandam, quam falsam putat. » Certe si Deus hanc illi gratiam aliquando concessit, accepta gratia recte non est usus. Fuit illi *gratia sufficiens*, quam ejus factio adeo dversatur, et qualis nunquam ullum effectum gignit.

III. Quisquis leget in superiore libro propositiones collectas ex doctrina Arnaldi, ac præsertim repugnantes, nunquam illi honorem tribuet, quem sibi vindicat, et jactat. Contra judicabit homine nihil esse mutabilius, atque

inconstantius nova, quam profert, doctrina; eumque in posterioribus libris retractasse propositiones, quas ediderat in opere de frequente Communione; quamvis minime oblitus sit artium solemnium iis qui condunt novas opiniones, vel sectas, quæ oppugnant fidem, aut mores Ecclesiæ catholicæ, cum veritatem profiteri passim declinarit, et ambiguis locutionibus usus sit. Rem sat clare demonstravi ad memoratas propositiones; quod meminerint, qui hæc legent, ut sciant Arnaldum ejusque patronum hic bona fide non agere, et sēcum ipsos dissentire, dum nunc fatentur pœnitentiam antiquam abrogatam fuisse, atque apud fideles obsolevisse, nunc antiquatam negant. Vide quæ hac de re diximus lib. 7. c. 21. et seqq.

IV. Ne prorsus tamen hic omittam, quod ad rem facit, quomodo Arnaldus contendere potest antiquam pœnitentiam nunquam fuisse abrogatam, qui rem tam aperte affirmavit in omnibus libris, quos emisit post operis magistri sui editionem? Sed ante omnia sciendum est, quid sit abolere legem, vel consuetudinem receptam in quapiam societate.

Theologi, et jurisconsulti hac in re consentiunt, statuuntque, naturam legis sitam esse in eo, quod ea teneantur ii, apud quos fertur, cum possit obsequium extorquere. Sic Aristoteles Eth. lib. 10. cap. 10. Ὁ δὲ νόμος, inquit, ἀναγκαστικὴν ἔχει δύναμιν. *Lex potestatem habet cogendi.* Sic S. Thomas [1]: « Dicitur lex a ligando quia obligat ad agendum. »

V. Hoc S. Hieronymus exponit copiosius ad verba Pauli 1. Cor. ubi negat se præceptum accepisse a Domino nostro de virginitate, sed ait se hoc consilium proponere. « Quod enim præcipitur, *inquit* [2], imperatur; quod imperatur, necesse est fieri; nisi fiat, pœnam habet; frustra enim jubetur, quod in arbitrio ejus ponitur, cui jussum est. » Unde hoc colligitur: dempta necessitate parendi, legem aboleri; quod contingit per posteriorem legem, aut consuetudinem contrariam, ut probavimus lib. 2. c. 4.

VI. Arnaldus autem aperte fatetur [3], « Antiquis legibus de pœnitentia, etiam in eo quod pertinet ad dilationem absolutionis, et communionis, nos omnino non teneri, quemadmodum olim. » Alibi etiam non diffitetur [4], « Eam pœnitentiam antiquam sequentibus seculis non fuisse præceptam, ut fuerat in aliis. » Sed hoc potissimum urget, *quod tamen semper probata fuerit.*

Igitur lege antiqua de pœnitentia non amplius tenemur, nec habet illa ἀναγκαστικὴν δύναμιν, *virtutem coactivam;* sine qua lex stare non potest, ex doctrina Arnaldi. Qui tamen contrarium docet, ut superiore libro ostendimus, in quo hominis repugnantes propositiones contulimus.

VII. Quam in rem observandum est, legem posse extingui, et aboleri duplici ratione; primum directe, ita ut ejus observatio vetetur. Sic præceptio veteris Ecclesiæ, aut ejus certe permissio, de communione sub utraque specie erga laicos, ita fuit abrogata, ut eis illicita facta sit. Deinde abolitio legis pertinet tantum ad necessitatem parendi, quæ tollitur ita, ut impune postea liceat violare aut præceptum, aut prohibitionem legis.

VIII. Exemplum hujusce rei habemus in lege, quæ vetabat vesci sanguine bestiarum, aut carne earum, quæ suffocatæ fuerant, de qua diximus lib. 2. c. 1. § 6. ubi ostendimus diu eam viguisse, primum observatione Ecclesiæ universalis, deinde variarum peculiarium : nunc obsolevit, quod attinet ad necessitatem ei parendi, et ad pœnam. Nam si quis sponte sua vellet parere ei priscæ constitutioni, et abstinere a vetitis illis cibis, si modo nullum præberet scandalum, nec aliis eamdem legem imponere vellet, non posset reprehendi. Attamen solemus dicere, plane abrogatam eam esse legem. Usque adeo verum est, naturam legis sitam non esse in solo legislatoris præcepto, quo actio quædam præscribitur; sed oportere necessitatem parendi ac coactionem accedere, sancita pœna in eos, qui nollent parere.

IX. Præterea adhibenda est distinctio in legibus ecclesiasticis, ac, ut loquuntur, *positivis.* Aliæ enim præscribunt officia, quæ possunt privatim fieri, quale est abstinere ab esu sanguinis, et carnis suffocatæ. Aliæ vero ea jubent, quæ sunt palam facienda. Ad priores quod attinet, contingere facile potest, sublata necessitate parendi, actionem in se spectatam non prorsus vetari, si modo prudentia adhibeatur. Verum res, quæ fiunt coram omnibus, quamvis non sint malæ, imo etiam speciem quamdam utilitatis præ se ferant, si restituerentur, postquam diu abrogatæ fuerunt leges; non posset id fieri sine temeritate, nisi ab iis,

[1] 1. 2. q. 90. art. 1. — [2] 1. cont. Jovin. col. 465. [3] Præfat. Lib. de Trad. pag. 60. — [4] Præfat. Lib. de F. C. Vide l. 7. c. 29.

qui sunt legitima potestate instructi ad rem aggrediendam.

X. Hoc posito, possumus dicere pœnitentiam antiquam, quæ observabatur in Ecclesia primitiva, secundum canones fuisse abrogatam; legesque, et constitutiones, quibus imponebatur, antiquatas, quod attinet ad cæremonias externas, intacta pœnitentiæ essentia, et institutione divina. Præterea contendimus eam antiquationem factam esse partim sensim et intromissa consuetudine contraria, partim etiam disertis constitutionibus, et præsertim quidem ea, quam eruditi theologi collegerunt ex concilio Tridentino, prout antea animadvertimus.

XI. Itaque quoniam antiqua illa disciplina mutata est, neque amplius viget, non tantum nulla nobis est amplius ejus observandæ necessitas imposita; sed nec expedit, eam in usum revocare, nec tanta mutatio in regimine animorum fieri potest, nisi autoritate concilii œcumenici, aut summi Ecclesiæ Pastoris. Igitur multum abest, ut privatus sacerdos debeat simile quidpiam aggredi, aut eo audaciæ devenire, ut novas leges de pœnitentia pro arbitrio condat, resectis iis ex veteri pœnitentia, quæ resecari debere videntur, minimaque ejus parte conservata; qua mutatione fit, ut non possit amplius dici pœnitentia vetus, et publica, ac quam respiciunt Canones, Concilia, et scripta Patrum, apud quos servatæ sunt ejus leges, atque incolumis est memoria. Intelligo autem solam dilationem communionis, quam ostendi, perspicuis argumentis, non fuisse pœnitentiam antiquam, de qua loquimur, et quam vocamus canonicam, et publicam.

XII. Hoc probe observandum, ut intelligatur calumnia Bosii, et quam injuste me repugnantiæ insimulet; qua de re initio capitis acturum me promisi. Contendit me a me ipsum vehementer dissensisse, quod, cum dixissem, « divinam illam et adeo antiquam consuetudinem pœnitentiæ, explicatam in libro de frequente Communione, abrogatam fuisse constitutionibus contrariis totius Ecclesiæ, et Maximorum Pontificum; » postea fassus sum, « eam posse etiamnum observari cum laude, et merito, eamque esse utilem, imo necessariam pro occasionibus. » Hanc nobis calumniator repugnantiam objicit, quæ potest a lectore haberi exemplum insigne malæ ejus fidei, et admonitionis loco, ne ejus imposturis temere fidem habeat.

XIII. Prior harum propositionum est in epistola ad Reginam, pag. 3. ubi eam monui de consilio horumce Reformatorum, quale ipsi hoc describserunt in opere de frequente Communione; dixique « homines aggressos esse reformare consuetudinem receptam, et probatam usu Ecclesiæ, eamque revocare ad antiquos mores, olim quidem observatos, sed jam intempestivos, et qui revera aboliti sunt contrariis constitutionibus, etc. » Posterior vero, quam ex opere meo profert quasi repugnantem, petita est ex lib. 3. c. 8. § 3. et 6. ubi agens de dilatione communionis usitata in veteri Ecclesia erga pœnitentes, concessi, etiamnum hodie utile posse esse id institutum; ut si quis humilitate animi, aut consilio directoris abstineret a participatione mysteriorum, aut etiam jussu Ecclesiæ ita se gereret; quæ certis in delictis a canonibus signatis jubet reos a communione aliquandiu arceri.

XIV. Itaque de illa dilatione, ac separatione ad tempus a communione dixi, eam posse esse utilem, et cum merito conjunctam, (quod hujus libri cap. pluribus explicui,) non vero de *usu antiquæ pœnitentiæ*, ut falso habet Bosius; qui pro solemni malitia sua dissimulat id, quod sentire me dixi de duobus illis usibus; meque contendisse, separationem illam a communione non esse pœnitentiam antiquam, et canonicam, de qua agimus : quod sæpe testificatus sum, et præsertim quidem lib. 2. c. 11. ubi rem invictis argumentis demonstravi.

XV. Ad animum etiam minime revocavit, quod tam sæpe repetieram [1], scriptorem libri de frequente Communione contrarium fecisse ejus, quod pollicitus erat : cum enim, ut ostendi, animus ei fuisset restituere pœnitentiam antiquam, Cprout invenitur in anonibus, et in scriptis veterum Patrum; proptereaque ingentem copiam locorum collegisset ad eam confirmandam; attamen remisit quidquid habebat proprium, atque essentiale, nec quidquam ejus retinuit, præter unum ritum, qui non pertinebat proprie ad pœnitentiam canonicam, a qua sæpe erat sejunctus.

XVI. Profecto, si theologus noster paulo diutius rem pensitasset, attendissetque duo illa, quæ legerat in opere nostro, probe sibi cavisset, ne duplicem pœnitentiam misceret, nec repugnantiam mihi exprobraret, ubi nulla prorsus est, quemadmodum ostendi.

[1] Lib. 2 c. 9. 10. 11. 13. Lib. 7. c. 3.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Confutatur quod Bosius objicit de alia quadam repugnantia.

I. Nulla est amplius difficultas, neque repugnantiæ species in eo, quod Bosius nobis ultimo loco objicit. Ait me, cum scripsissem lib. 1. c. 6. « Ecclesiam nunquam fuisse sine aliqua pœnitentia, etiam publica, quod attinet ad atrociora quædam scelera, neque nunc ea plane esse destitutam; » dixisse tamen lib. 2. cap. 3. « Plane periisse pœnitentiam publicam, canonesque pœnitentiales vim omnem amisisse. » At facile est intellectu, hominem mala fide se gerere, et conari tantum fallere eos, qui non legent loca, quæ citat, in opere meo; quæ, si legantur integra, fraudem ejus, et calumniam aperiunt.

II. Eodem enim loco, quem profert ex lib. 1. c. 6. obviam ivi illi objectioni, mentemque meam explicui de vocibus *pœnitentiæ publicæ*, cum ostenderim, quodnam pœnitentiæ genus ex usu vulgari pulsum existimarem, et quinam canones pœnitentiales contrariis consuetudinibus abrogati fuerint. Diserte dixi pœnitentiam publicam, cujus extinctus est usus, eam fuisse, quæ variis canonibus constituta fuerat; quibus plures anni imponebantur pœnitentibus, antequam absolutionem consequerentur; et qui præscribebant quatuor illos ordines celebres in monumentis veterum, cum omnibus eorum circumstantiis, de quibus egi lib. 2. c. 13. Denique dixi pœnitentiam publicam, quæ obsolevit, eam esse, quæ observabatur temporibus SS. Basilii, Ambrosii, et Augustini, quam Arnaldus elegerat quasi suæ exemplar.

III. Quænam ergo potest esse in memorata oratione repugnantia? Auctor operis de frequente Communione annon ejusdem culpæ reus est, similique castigatione hujusce theologi dignus? Fatetur enim pœnitentiam publicam, qualis obtinebat Patrum illorum temporibus, desiisse usurpari, nec nos amplius legibus ejus teneri, ut ostendimus lib. 7. c. 23. Attamen idem contendit, pœnitentiam publicam aliqua ratione perseverare. Igitur illudit lectoribus, specie captiosa rationis, et sophistica; aut est summæ ignorantiæ, si putat repugnantias esse, quibus optime inter se convenit, et quorum est manifestus consensus.

IV. Hæc dicenda hic habebam de animadversionibus Bosii, repugnantiisque, quas in meo opere se invenisse existimavit. Cetera enim legentur in antecedentibus capitibus hujusce libri, prout occasio sese obtulit, explicata. Redibimus nunc ad Arnaldum, querelisque ejus satisfaciemus, quæ sunt ei communes cum patrono Bosio, aliisque minoribus ministris novæ hujusce pœnitentiariæ officinæ.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Arnaldum immerito dicere se alienum esse ab ira, et violentia. Contrarium probatur primum conviciis, maledictis, et aculeatis dictis operis de frequente Communione.

I. Inter alias egregias dotes, quas Arnaldus ingenue fatetur se a Deo accepisse, eminent maxime bonitas ac mansuetudo. De quibus scribens ad Reginam ita se jactat [1]: « Ad me quod attinet, Domina, fateor cum sim alienissimus ab ira ac violentia, quas P. Petavius in suo opere testatus est, etc. » Non exigua est virtus, neque parva laude digna ea animi

[1] Pag. 35.

moderatio, et æquanimitas, quæ nos immunes reddit iræ, etiam cum non sine ratione ei fræna laxare posse videmur.

Si hoc testimonium, quod de se fert Arnaldus, verum est, egregia pars ei obtigit, estque cur singulares gratias Deo agat, quod acceperit ab eo dotem eximiam, summique momenti, et necessariam officio directoris animarum, quod in se suscepit.

II. Non nostrum est judicare de animo, deque bonis aut pravis affectibus, qui ei insunt. Sed si ex monito, quod Christus nobis suppeditat in S. Evangelio Matth. 7. 16. intueamur fructus, quos protulit ejus ingenium; verendum est, ne aliud de eo judicium feratur, neve verba, quibus Arnaldus sibi blanditur, similia sint verbis jactatoris illius, qui Deo gratias agebat Luc. 18. 11. quod non esset similis aliis hominibus, ac nominatim publicano, quem præ oculis habebat, ex quo superbiendi occasionem arripiebat, sese arte rhetorica cum illo comparans; ut dum illum deprimebat, laudes suas extolleret, majoremque splendorem conciliaret magnifico virtutum suarum encomio, quod ipse pronuntiabat.

III. Ut ergo certo intelligamus, an Arnaldus *alienissimus sit ab ira, et violentia*, quas aliis exprobrat, ut nos vellet credere; lustrandi sunt libri, quos suo nomine edidit, atque ex iis proferenda indicia modestiæ, et mansuetudinis, quas sibi tribuit. Re ipsa comperiemus contrarium ejus, quod præ se fert, ac necesse esse, hominem summopere occæcatum esse φιλαυτίᾳ, si serio et re expensa sibi testimonium hoc exhibuit. Scripta enim ejus mordacissima sunt, plena felle, consita conviciis atrocibus, et calumniis plectendis ex legibus divinis, atque humanis; quibus mordet ac lædit existimationem, non tantum singularium virorum, sed etiam Ordinis religiosi integri. Rem ostendamus, incipiamusque a libro de frequente Communione, cui Arnaldus nomen suum mutuum dedit; quamvis non sit verus ejus auctor: quod patet testimoniis, argumentisque certis.

IV. Hæc convicia, quæ hic scriptor profudit contra scriptorem libri anonymi, adeo frequentia sunt, et abnormia, ut vel amicis Arnaldi improbata fuerint.

Eum vocat subinde *ignarum;* ait, « Esse hominem, qui testatur sibi nota tantum esse axiomata Patribus ignorata, et ignota quæ Patres norant. » Ei tribuit *ignorantiam portentosam.* Negat eum *intelligere Concilia aut Patres.* Contendit *exiguum homini inesse judicium, judiciaque ejus esse temeraria.* Vituperat ejus *aberrationes.* Objicit ei *imposturam ac calumniam odiosam.* Dicit, « Eum magna imprudentia ausum esse confirmare pravam suam doctrinam. » Alibi sic loquitur : « Quid potest dici de tuis calumniis, tuaque cæcitate? » Vituperat *pravam ejus rationem agendi.* « Affectus, *inquit*, quo cupis defensam pravam tuam agendi rationem præpedit tibi judicium, a tmemoriam a te retineri par est. » Ait, « Eum præcipites mittere animos, sine ulla prudentia, ad periculosam frequentationem Sacramentorum; » et quod plus æquo expectet a divina misericordia. « Referre eum imperitos illos empiricos, qui, nulla ratione habita variarum temperationum, affectionumque ægrorum, omnibus idem remedium præscribunt, et plures multo occidunt, quam curant. » Illum *abuti simplicitate viventium, et auctoritate mortuorum.*

V. Eum insimulat *aperti mendacii*, aitque, « Quidquid protulit ex Patribus, esse duntaxat collectionem citationum falsarum, aut contrario sensu intellectarum; summa audacia ausum esse corrumpere sacra verba Concilii. » Illum confert cum hæreticis; aitque : « Eum accurate imitari artes inimicorum Ecclesiæ : Ejus regulas contrarias esse sanctitati doctrinæ Jesu Christi : Eum evertere sanctissima axiomata religionis Christianæ : Alienum esse a Spiritu ac sensis Ecclesiæ : Ei esse contrarium : Meras hæreses eum docere : Non judicare nisi ex specie externa, ut faciebant Pharisæi : Nescire, cujus spiritus sit : Instar Pharisæi, agere de augustissimis Religionis nostræ mysteriis. »

VI. Contendit, « Eum abuti nomine sanctorum, ad constituendas pravas suas regulas; et consectaria, quæ ex iis ducit, tam esse aliena ab eorum doctrina, quam errorem a veritate. » Insimulat *eum temeritatis ac injustitiæ.* Dicit : « Sola ignorantia posse excusari ejus blasphemiam; sed non esse excusandam in eo, qui alios aggreditur docere : Omnem ejus orationem niti tantum perpetua ambiguitate, et eversione ordinis a Jesu Christo constituti, in rationibus consequendi salutem : Ejus doctrinam contrariam esse doctrinæ sanctorum, et periculosam animis, contrariam etiam primis motibus pietatis Christianæ, et complecti hæresim Lutheri, et Calvini. » Qualia habet integro cap. 4. partis 3. quod hoc elogio charitate, ac mansuetudine referto claudit : « Plura non dico. Frustra teret tempus, qui confutet, quæ sunt tantum propo-

nenda iis qui vel minima pietate tincti sunt, ut rejiciantur quasi impia. Sunt tantum proferenda hæc axiomata, ut destruantur. Blasphemia, quam complectuntur, adeo est manifesta, ut oculos illico percellat; impietasque adeo clara, et crassa, ut non indigeat convictione. »

VII. Hominem vocat *prædicatorem serpentis*, utque cumulum addat bene dictis, quibus mansuetus ac proximi amans director adversarium onerat, finem imponit operi hisce verbis : « Eum oppugnare aut veritatem erroribus manifestis, aut innocentiam calumniis apertis; atque in utroque non tam in homines eum invehi, quam in Jesum Christum ipsum; sive eversa ejus Evangelii doctrina, sive læsa existimatione servorum ejus. » « Eo periculosius, *inquit*, quod tegens maledicta tua obscuritate verborum, clamque illa serens, vis simul oppugnare veritatem, eique eripere rationem sese defendendi. »

VIII. Sic, ut recte observavit virtute ac eruditione insignis episcopus [1] in examine ejus operis, optime consentiunt ultima primis, eo quod « referta sint conviciis, et contumeliose dictis, non in singularem duntaxat virum, sed contra totam Societatem Ecclesiæ probatam. » Itaque « ex introitu atque exitu libri, qui sunt veluti duæ januæ, intra quos claditur, facile est intellectu, qui flores maledicæ rhetoricæ sint per totum opus sparsi. »

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Idem probatur aliis contumeliosis dictis ex Admonitione.

I. Scio posse pro Arnaldo responderi ad ea, quæ capite superiore dixi, de stylo mordace et maledico operis de frequente Communione, cum ejus scriptor non sit, non esse rationem libri ab eo repetendam, sed a magistro, qui eum composuit, et præscripto discipuli nomine edidit. Verum inanis est hæc defensio, quia Arnaldus non tantum passus est nomen suum ab alio sumi, sed pergit suum esse hoc opus dictitare; qua ratione omnium ejus erratorum rationem reddere necesse habet.

II. Sinamus eum frui gloriola, et existimatione, quam sibi eo opere supposititio comparatam censuit, transeamusque ad scripta, quæ post ejus editionem emisit; et videbimus, quod attinet ad convicia, maledicta, et mordacia verba, magistrum esse tironem, si cum discipulo conferatur.

Incipiam ab Admonitione, quam Arnaldus inseruit editionibus, quæ primam secutæ sunt, et quæ venenata est satira, quæ turget felle, ira, minis, et furore animi præter modum affectui indulgentis, qui ultionem sectatur, et bilem fundit in innocentes æque, ac in eos, a quibus se læsum putat.

Δεινὸς ἀνὴρ, τάχα κεν ἀναίτιον αἰτιόωτο.

III. Illustrissimus præsul [2], de quo superiore capite dixi, jam eum admonuit ea de re, questusque est, et quidem merito, « de horrendis Admonitionis objurgationibus, ubi singuli calami ductus sunt aculeatissimæ spinæ, quæ possent sanguinem elicere, et lethalia vulnera inferre iis, quos aggreditur, si eorum fama penderet ex ejus judicio; aut si sat magna polleret auctoritate, ut ejus maledicta pro veritate explorata haberentur. » Ægre fert virum, « qui est presbyter, doctor, director conscientiæ, reformatus, et reformator, credidisse sibi licere vomere tot convicia in integram Societatem, ut satisfaciat iræ, qua in unum virum incensus est, et quam nimium testatam fecit, quod dicat se ab eo nimis male habitum e suggestu. »

IV. Miratur hominem, qui tam multa profert exempla, et dicta perfectorum illorum exemplarium directorum animorum, S. Caroli, et episcopi Genevensis, totque aliorum omni virtutum genere insignium, et præsertim quidem iis, quæ egregium directorem

[1] Vauriensis in 2. P. Exam. c. 5.

[2] Vauriensis Ep. Exam. p. 46.

faciunt, quales sunt charitas, patientia in ferendis injuriis, mansuetudo, benignitas; miratur, inquam, Arnaldum, qui eorum vestigia sequi sese profitetur, in iis, quæ de vita spirituali docuerunt, tam barbare atque inhumane egisse cum Ordine religioso, ut ulciscerétur injuriam ab uno viro acceptam.

V. Quærit, an sequatur exempla ac præcepta episcopi Genevensis, aliorumque sanctorum, qui scribit [1], « Posse se facere, ut recidat in caput P. Jesuitæ, totiusque ejus Ordinis ignorantia conspicua, qua oppugnat mysteria, quæ ostendit a se nullo modo intelligi? » An fructus edat rhetoricæ Christianæ, qui scribit, « Satis esse, ut quis habeatur inimicus ejus Ordinis religiosi, qui se non profitetur ejus amicum; atque eum irritari ab iis, qui ei non adulantur. »

« An ea dicta, *inquit*, quibus conflata est ferme tota pagina decima Admonitionis tuæ, et quæ qui non legent in tuo libro, vix mihi credant proferenti; an ea dicta exacta sunt ad leges Christianismi? » Estne, inquis, pietas Christiani, prudentia presbyteri, gravitas concionatoris, modestia hominis religiosi, et perfectio ejus Ordinis, qui se omnes alios supereminere contendit, etc. An eo modo vovent se nullos accepturos episcopatus, ut postea spernant episcopos?

VI. Quærit [2], an hoc sit signum, ex quo constet esse imitatorem episcopi Genevensis, et aliorum SS. directorum, quod falso eos accuses « quasi credant esse Jesuitam perinde esse, ac dignitatem obtinere sublimem atque eminentem, qua attolluntur supra primores quosque Ecclesiæ. » Et paulo post: « Cum ea Societas, si ei credimus, tota sit erudita, ac Theologiæ cognitione imbuta, filios ejus natura esse theologos: Velle eam persuadere, id quod est in se infirmissimum, et imprudentissimum, superare maximam vim ac sapientiam aliorum. »

Cupit scire, ex qua vena profluxerit in calamum Arnaldi fel tam tetræ accusationis contra integram Societatem, qua insimulatur, quasi animus ei fuerit « profanare templum conviciis, cathedram veritatis mendaciis, et ministerium verbi pacis, objurgationibus scandalosis ac seditiosis. » « Hanc vero ostendunt, inquit Arnaldus in Admonitione, perfectionem illam, quam sibi tribui volunt, dum conantur aliquo modo consecrare affectus, ac commoda sua reverentia, quæ debetur loco, in quo ea tuentur. » Præterea ait, « Eam Societatem contendere se habere clavem scientiarum. »

VII. Quid dicemus de summa ira, qua director ille, adeo *alienus ab ira, et violentia*, invasit eum, quem putabat causam querendi sibi præbuisse? Incomparabilis præsul, quem memoravi, aliquot enumeravit, additque « sibi cor dolere, dum movet tot sordes, dumque animo observatur fel, et venenum quibus Admonitio Arnaldi redundat. » Talia omitto, quia pertinent tantum ad membrum unum hujus Corporis; quamvis scommata, verbaque ignita ac cruenta, quæ contra eum vomit, sint parum decora, et pudenda in animo, et in calamo ejusmodi viri.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Idem probatur ex eo, quod Arnaldus scripsit in epistola ad Reginam. De duabus dotibus necessariis bono directori, mansuetudine, et humilitate; quarum neutra cernitur in ea ratione, qua se gessit Arnaldus.

I. Tandem Arnaldus ne iram quidem compescens in epistola ad Reginam, in qua professus est *se esse alienissimum ab ira, et violentia;* et in qua, quamvis id non esset pollicitus, debuisset magis affectui suo moderari; invehitur more suo, et profundit innumera atrocia convicia, et calumnias contra eumdem Ordinem religiosum.

II. Ait [3], « Eos obsidere magnates, irritare parvos, hos aggredi, commodis alios capere, tentare omnes; ponere omnem spem suam de successu cœptorum suorum in numero

[1] Admon. p. 1. 2. — [2] Pag. 50.

[3] Pag. 31. et seq.

sociorum, fautorum, atque amicorum; qui plura habent brachia, quam gigas ille fabularum, ad movendas omnes machinas aptas ad efficiendum id, quod cupiunt, etc. qui conantur suffocare vocem publicam, quæ non multum iis favet, vagis rumoribus, quos quaquaversum spargunt, et qui libris eorum conciliant famam artificialem, quæ tota nititur ipsorum plausibus, et laudibus, quas mutuas accipiunt ab amicis, et quæ sponte sua cadit, instar domus in arena ædificatæ. »

III. Ait eosdem [1] *invenisse falsas accusationes*, adversatos esse episcopis [2]; et Jesuitam, qui contra ejus librum concionatus erat, *satisfecisse pro contumeliose dictis in eorum honorem*. Quod omnes norunt, manifesto falsum esse, atque ab illo maligne inventum.

Dicit [3], «Eosdem conari Reginæ animo inserere consilia plena violento affectu, quo aguntur. »

IV. Hoc est specimen charitatis, modestiæ, ac mansuetudinis directoris, qui immunis est *iræ ac violentiæ*, atque adeo omnis affectus; qui totus imbutus est traditione, Patribus, et Conciliis; qui doctrina sua, et moribus retulit seculo nostro perfectam imaginem veterum illorum doctorum, et patrum spiritualium, qui erant in Ecclesia primitiva; quorum zeli, et pietatis non minus, ac prudentiæ et scientiæ hæres est. « [4] Nam commotus mera charitate, et sua commoda minime spectante, cum videret tempore nostro, horrenda cæcitate, usque adeo remissum esse de disciplina apostolorum, et Jesu Christi, ut videatur opera data esse, ut vel ipsa ejus vestigia delerentur; conatur verbis, et scriptis revocare ejus usum, et excitare apud nos zelum primorum Christianorum. » Unde colligit, *non posse sat magnas gratias haberi ejus meritis*, ac factionis, quæ idem consilium de reformatione adjuvat.

V. Profecto solum discrimen, quod deprehenditur inter facta, et dicta novorum horumce Pœnitentiariorum; et repugnantia, quæ est inter testificationes mansuetudinis et charitatis, et inter facta plena hostili animo, et barbarie, quorum aliquot indicia ex illorum scriptis produximus, cum sint, ut veteres sapientes dixerunt, εἰκόνης τῆς ψυχῆς οἱ λόγοι, *sermones imagines animi;* omnia, inquam, hæc indicia, quæ oculis nostris, et manibus subjecta sunt, in animum nostrum revocant memoriam doctorum illorum ac, si ipsis crederetur, prophetarum, ad quos a veris doctoribus, ac prophetis dignoscendos hanc nobis summus Magister, et Director regulam dedit, [5] quam hisce hominibus applicuimus; unde intelleximus, quinam essent, non ex verbis et pollicitationibus, sed vere et rebus ipsis.

VI. Duæ sunt dotes prorsus necessariæ bono magistro, et directori, quas Dominus noster in Evangelio nos docuit; cum se *mitem, atque humilem corde* esse dixit Matth. 11. 28. quarum altera est mansuetudo, altera humilitas. Ad priorem quod attinet, vidimus, quantum agendi ratio Arnaldi ab ea sit aliena, quamvis humanum se fingat, actumque charitate mera, et commodorum suorum minime studiosa. Neque enim se continuit intra limites responsionis, si non mansuetæ, et benignæ, at certe Christianæ; quæ sic vehemens esset, ut minime perfringeret leges humanitatis, et charitatis, nimio affectu, conviciis, ac contumeliis, quibus insectatus est non doctrinam unius viri, aut ipsum hominem, sed integrum Corpus ordinis religiosi, et Societatem per universum terrarum orbem sparsam; in qua sunt multa millia servorum Dei, qui nunquam quidquam audiverunt de Arnaldo, neque de ejus utilitatibus, et rixis, nec ullum certamen cum eo habent. Attamen eadem continentur castigatione, et sententia damnationis, quam summus iste judex pronuntiavit in universam Societatem, in quam sunt adscripti.

VII. Humilitatis vero exiguam rationem habuit hic director, ut liquet, cum ex vindictæ cupiditate, nimioque affectu, quæ cum ea consistere nequeunt, tum etiam ex aliis indiciis. In hisce recenseo jactantiam, contemptumque arrogantem, ac superbum, quo excipit universam religiosam Societatem, quam aggreditur. Dixeris, si audias Admonitionis ejus verba, esse Herculem, qui concurrit cum exercitu Pygmæorum, usque adeo eos spernit, provocat, ac dejicit ad pedes suos. « Audacter, *inquit* [6], producant in arenam fortes illos athletas, quos minitantur nobis, etc. firmi stabimus contra omnes eorum impetus. »

VIII. Alibi scribit [7], « Theologos hujus Societatis non agnoscere Patres pro veris theologis, proque magistris morum et virtutis fidelium; eos uti exigua cognitione Antiquitatis, quam se habere ostendunt, ad eam obscurandam, oppugnandosque ejus defensores; profiteri se non agnoscere pro theologis eos, qui norunt doctrinam Patrum; et contendere suspectam esse oportere doctrinam, quia stabilitur antiquitate. »

[1] Pag. 33. — [2] Pag. 40. — [3] Pag. 42. — [4] Admon. p. 40. — [5] Matt. 7. 15. — [6] Pag. 42. — [7] Pag. 40. et 41.

Denique eximius hic doctor, invictusque athleta, agens de universo Ordine [1]. « In nos, *inquit,* insurrexerunt tanta violentia, ut moderatio ipsa nostra eos irritasse videatur. Conabimur, Deo juvante, omnes illorum conatus repellere, et bellum propulsare, quod nobis sponte sua denuntiarunt. »

IX. Judicet nunc lector, an illæ minæ consentiant cum humilitate, quæ postulatur a bono directore; anve ridenda ac stupenda simul non sint puerilia ista dicta, quibus videmus adolescentem, qui vix scamna, et scholam reliquit, tam magnifice de sua eruditione, suoque ingenio sentire, ut credat integram Societatem cum illo velle committi, ac bellum gerere; aut, si hoc fiat, se posse solum impressiones ejus sustinere ac propulsare. Nec satis illa habet, sed de ea erudienda loquitur, ignorantiæque accusat. Verum ubi, Arnalde, usque adeo doctus factus es? Quodnam specimen nobis dedisti tam raræ eruditionis? Quemnam ingenii tui fœtum emisisti, in quo eluceat tam omnibus numeris absoluta eruditio, et tam accurata antiquitatis notitia?

X. Quamvis opus de frequente Communione tuus esset fœtus, aliudque præter nomen ad id contulisses; nullam tamen rationem haberes intumescendi, neque tam magnifice de te sentiendi. Ne quid dicam de erroribus, deque erratis ingenii, et eruditionis, quibus refertus est is liber, et quæ per totum hoc opus referimus, et oppugnavimus; quod potest in eo laudari, non est magni momenti. Eruditio est vulgaris, nec quod docet de pœnitentia publica aut primitiva, admodum est exquisitum. Nihil habet novi, nihil rari; nihil, quod alii ante eum non pertractarint melius, accuratioreque et dilucidiore ordine. Non dicam, quid hac in re ignorarit, quod sine dubio multum superat id, quod intellexit; nec repetam hic hallucinationes erroresque crassos, quos admiscuit paucis illis, quæ intellexit.

XI. Si mihi objicias ingentem illam multitudinem auctoritatum, et testimoniorum, quæ fucum faciunt, laudemque et admirationem eliciunt ex ore, aut penna eorum, qui non satis periti sunt scientiæ SS. Patrum, et antiquitatis ecclesiasticæ, vel rem attente non excusserunt; pleraque jam collecta fuerant a recentioribus scriptoribus, qui de pœnitentia scripserant. Decretum etiam Gratiani magnam eorum partem suppeditavit. Denique nihil habet singulare is liber, quod attinet ad eruditionem, aut ad exquisitam illam et solidam Theologiam, quam novi pœnitentiarii sine fine jactant, et quam ejus operis auctor, et ejus discipulus Arnaldus sibi arrogant, exclusa Societate, cui usque adeo offensi sunt, et in quam tam superbe invehuntur. Rem hactenus demonstravimus, et pluribus etiam demonstrabimus, Deo juvante, in aliis operibus, quæ eadem de re paramus: ubi poterimus pluribus rem persequi, et magis dilucidare, quod spectat ad sacramentum Pœnitentiæ, et disciplinam, quæ in eo observabatur a prisca Ecclesia; expositis iis de rebus vera antiquorum sententia, discussisque mendaciis, et erroribus, quibus eam ignorantia ac superbia obscurare, ac corrumpere conatæ sunt.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Insigne exemplum calumniæ, qua usus est Arnaldus, et quod hausit ex infami libello de Theologia morali Jesuitarum. Damnati ejus libelli decreto supremi senatus Burdigalensis.

I. Alio præterea vitio laborat director noster, et quo liquet deesse illi virtutes duas necessarias ad feliciter sacrum id ministerium exercendum, quas memoravi superiore capite; hoc est, mansuetudinem, et humilitatem. Vitium illud est mentiendi libido, præsertim quando conjuncta est cum impostura, et calumnia; cum quis religioni non ducit lædere existimationem alienam, falsis accusationibus, et criminibus confictis, quorum eum, qui accusatur, reum non esse constat. Extremum est hoc vitium, quo creaturæ malitia pertin-

[1] Pag. 38.

gere queat, quod Deus potissimum abhorret, atque ex quo Scriptura sacra nomen fecit acerrimo, et maximo hosti humani generis : *Imitantur illum*, inquit eadem Scriptura [1], *qui sunt ex parte illius.*

II. Ejus vitii singulare specimen animadverto in epistolâ Arnaldi ad Reginam [2]; ubi director iste, et dux spiritualis, apostolus, et reformator Ecclesiæ sine ullo pudore affectui suo indulgens, utitur infamibus calumniis, et falsis maledictis, quæ leguntur in infami libello, cui titulus est *Theologia moralis Jesuitarum.* Ea fuit impudentia, tamque irreverenter habuit Regiam Majestatem, ut oculis, et auribus Reginæ obtulerit horrendas sordes, et fœditates abortivi illius fœtus ; cujus videtur esse pater, aut certe susceptor, quemadmodum etiam operis de frequente Communione.

III. Non immorabor confutandis calumniis, quas ex eo hausit; quia iis jam satisfactum est variis responsis, quæ objecta sunt libro de Theologia morali. Satis habebo hic subjicere, gallica lingua, judicium, quod de eo libro tulit nuper unum ex oraculis, ex quibus responsa Regiæ Majestatis prodire solent. Est augustus ille Burdigalensis senatus, cujus decretum dignum est, quod hic inseratur; ut desinamus in hoc testimonio authentico, quo purgabitur innocentia, damnabiturque, ac pudore suffundetur calumnia, quæ est unicum fulcrum, quo hodierni novatores nituntur.

[1] Sap. 2. 25.

[2] Pag. 21.

ARREST DE LA COUR DE PARLEMENT DE BORDEAUX

LA GRAND CHAMBRE ET TOURNELLE ASSEMBLÉES

Contre le libelle faussement intitulé : *La Theologie morale des Jesuites.*

Veu par la Cour, la Grand chambre et Tournelle assemblées, la requeste à elle présentée par le syndic de la Compagnie de Jésus de Bourdeaux, contenant que depuis negueres il court en la présente ville par les mains d'un si grand nombre de personnes qu'on n'en peut douter, et mesme, à ce qu'on dit, par la campagne, et par toute la province, un libelle diffamatoire faussement intitulé, *La Theologie morale des Jesuites*, plein d'impostures, calomnies, fourbes, impietez, et de propositions dangereuses, scandaleuses et detestables, au grand prejudice des bonnes mœurs et de la societé civile, sans nom, ny d'auteur, ny d'imprimeur, ny du lieu où il a esté imprimé, plein aussi d'injures les plus atroces, et calomnies les plus horribles et infamantes qu'on sçauroit s'imaginer, dont un recueil est fait en la présente requeste extrait dudit libelle, qui en charge tres-injustement et calomnieusement ladite Compagnie, qui en demande la reparation pour l'interest du service de Dieu et de l'Eglise; et afin qu'on ne croye pas que tant de personnes d'honneur, qui se servent d'eux pour leur conscience, ayent une si malheureuse conduite, comme on pourroit inferer de si meschantes maximes, que le libelle attribue ausdits Peres, desquels le nom pourroit donner quelque creance et cours à cette pernicieuse doctrine, au grand prejudice des ames, si on se persuadoit qu'elle est, comme dit faussement ledit libelle, enseignée par lesdits Peres. ATANT requiert ordonner conformément aux ordonnances royaux, que ledit libelle comme scandaleux et diffamatoire soit laceré, et bruslé, permettre au suppliant d'informer contre l'imprimeur qui l'a imprimé en la presente ville, et contre ceux qui l'ont porté et debité par les maisons; et faire defenses à tous les libraires, imprimeurs, et autres quelconques de vendre ny publier ou retenir ledit libelle calomnieusement appellé, *Theologie morale des Jesuites*, à telles peines que de raison : Ladite requeste repondue soit monstrée au procureur general du Roy, dattée du trente-uniéme d'aoust dernier, avec la reponse dudit procureur general, signée DE PONTAC. Veu aussi le livre ou libelle intitulé, *Theologie morale des Jesuites, contre la morale chrestienne en general,* duquel est question. Copie d'arrest cy-devant rendu à la requeste dudit procureur general contre un libelle intitulé, *Le Capucin traité*, du vingt-huitiéme may mil six cens quarante-deux. DIT A ESTÉ, ayant egard à ladite requeste, que la Cour ordonne que ledit livre sans autheur, intitulé, *Theologie morale des Jesuites, contre la morale chrestienne en general*, sera laceré et rompu dans l'audience de la Cour, comme scandaleux et diffamatoire contre l'honneur et reputation de la Compagnie desdits Jesuites, et que par le ministere du procureur general il sera informé dans le mois contre les imprimeurs, autheurs et compositeurs d'iceluy, et autres qui l'auront publié et publieront à l'advenir à la diffamation de ladite Compagnie : Pour ce fait, et pardevers la Cour rapporté y estre pourveu ainsi qu'il appartiendra. Faisant ladite Cour inhibitions et defenses ausdits imprimeurs et libraires d'imprimer ny vendre ledit livre, aux peines

portées par les ordonnances royaux. A permis audit syndic de faire publier le present arrest par tous les lieux du ressort d'icelle où bon luy semblera : Et à ces fins enjoint aux officiers du Roy de tenir la main à l'execution d'iceluy. Prononcé à Bourdeaux en Parlement, les Grand chambre et Tournelle assemblées, le deuxiéme de septembre mil six cens quarante-quatre. Ainsi signé,

DE PONTAC.

Messieurs DU BERNET, *premier président*,
DU DUC, *rapporteur*.

Pro Deo.

PUBLICATION.

Ce jour sixième septembre mil six cens quarante-quatre, le susdit arrest a esté leu et publié, et le livre mentionné dans iceluy rompu et laceré. A Bourdeaux en Parlement en l'audiance de la Grand chambre.

Signé, DE PONTAC.

FINIS TRACTATUS DE PŒNITENTIA PUBLICA.

DE PŒNITENTIA
ET RECONCILIATIONE VETERIS
ECCLESIÆ MORIBUS RECEPTA
DIATRIBA
EX NOTIS DIONYSII PETAVII

In Synesium pag. 60. ad 75. secundæ Parisiensis editionis Anni MDCXXXIII. nunc primum eruta.

CAPUT PRIMUM.

Nemini reconciliationem, apostolorum tempore, negatam fuisse demonstratur, ac de variis nominibus, quibus absolutio, ac reconciliatio ab antiquis exprimitur.

TRIA præcipue criminum genera ad summam severitatem excepta fuisse, *in Epiphan. Animad.* ostendimus, idolorum cultum, mœchiam, et homicidium; quibus admissis, omnem deinceps, saltem ante ultimum spiritum, veniæ spem, ac reconciliationis ereptam fuisse demonstravimus; sub mortem vero concessa, necne videatur, paulo post dicemus. Sed nonnulla prius a nobis constituenda sunt, quæ ad eam quæstionem necessaria putamus.

Primum, apostolorum temporibus nequaquam adeo rigidam Ecclesiæ disciplinam fuisse, ut in illa scelera prolapsis præclusus ad communionem vivis ac sanis aditus fuerit. Ut cetera desint argumenta; satis hoc Corinthii illius historia docet, qui cum patris uxore incestas nuptias contraxerat; quem a communione rejectum, et in potestatem Satanæ deditum, Paulus deinde restituit, ut *ex* 1. *Cor.* 5. *et* 2. *cap.* 2. colligitur.

Atqui genus illud fornicationis tale fuit, quale ne inter gentes quidem reperiretur, ut ibidem queritur apostolus. Proindeque omni majus adulterio fuit.

Eodem spectat quod de S. Joanne evangelista memoriæ proditum est a Clemente Alexandrino apud Euseb. *lib.* 3. *Hist. eccl. cap.* 23. qui adolescentem illum episcopo cuidam in disciplinam traditum, et Christianis initiatum sacris, ac postea depravatum, et in latrociniis, ac parricidiis, atque omni flagitiorum genere volutatum, revocavit ad Ecclesiam, κατέστησε τῇ ἐκλησίᾳ.

Quin etiam per eadem tempora, nec ille severior usus obtinebat, uti semel duntaxat publicæ pœnitentiæ copia fieret, adeo ut qui ea functus esset, si ad pristina delicta reverteretur, pœnitendi nullum amplius haberet locum. Etenim de Cerdone, qui sub Hygino papa vixit, et Antonino pio, refert Irenæus *lib.* 3. *cap.* 4. eum sæpius ad Ecclesiam venientem exhomologesim fecisse: ac demum abstentum fuisse. Est autem exhomologesis publica pœnitentia, vel ejus pars præcipua. Hoc ipsum et Eusebius testatur *lib.* 4. *cap.* 11. Quocirca ubi acrius in Christianos sævire persecutio cœpit, « ne communionis concepta facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, » (ut ait Innocent. *epist.* 3.) eam sibi severitatem indixisse videtur Ecclesia, ut et certa criminum genera ab omni spe pacis, et communionis excluderet, et semel duntaxat pœnitentiam ceteris ac pacem tribueret.

Secundo nominum illa notanda varietas, quibus pœnitentium in integrum restitutio, ac redintegratio ab antiquis Patribus, et Conciliis exprimitur. Primum, et usitatissimum est *communionis* vocabulum, quod pœnitentiæ passim ex adverso respondet. Ut apud Ambrosium 1. *de Pœnit. cap.* 1. « Sed negant his oportere reddi communionem, qui prævaricatione lapsi sunt. » Ubi *communio*

manifeste *reconciliationem*, et *absolutionem* significat; non autem, ut vulgus existimat, solam Dominici corporis participationem. Nam idipsum ea voce Ambrosius intellexit, quod Novatiani pœnitentibus denegabant. Id autem peccatorum fuit absolutio. Tum id expressit, quo pœnitentia relaxatur, ut eodem loco his verbis indicat : « Quid autem durius, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent? » Relaxatur autem absolutione pœnitentia, per quam ab reatu, et sordibus eximuntur. Proinde et *in lib.* 2. *cap.* 9. cum ita scribit : « Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint ; » communio nihil aliud est, quam absolutio, et in integrum restitutio. Sic in Eliberitano concilio passim *communionis* vox usurpatur ex multorum sententia : cum certis peccatis ne in fine quidem conceditur. Ita Bellarminus *lib.* 2. *de Imag. cap.* 2. qui concilium istud propterea non approbat, quod absolutionem etiam in vitæ periculo denegandam censeat. Tametsi quidam jus Eucharistiæ sumendæ *communionis* nomine interpretandum censeant. Bellarmino adstipulatur Baronius *ad A. Christi* 305. ubi et concilii decretum illud excusat : « Cum multa, *inquit*, accidere potuerint, quæ nobis sunt penitus incomperta, in quibus austeriora illa lapsis medicamenta oportuerit adhibere. » Qua de re paulo post dicetur.

Sane canon 47. istius concilii, cum mœchis, qui in fine communione accepta, iterum mœchati sunt, ne in fine quidem vitæ communionem deinceps dandam esse decernat, videtur aliquid amplius significasse, quam usum Eucharistiæ. Nam ista subjicit : « Placuit ulterius non ludere eum de communione pacis. » At *communio pacis*, non solam Eucharistiam, sed absolutionem, ac peccatorum relaxationem ostendit.

Præterea *communicatio* nominatur, ut ab Cypriano *ep.* 12. vel *jus communicationis*, ab eodem *epist.* 10. Item *pax*, ut apud Cypr. *epist.* 13. *et* 23. nec non *in tract. de Lapsis.* Et *communio pacis* in Eliberit. *Canone cit.* Tum *arrha pacis* apud Aug. *lib.* 1. *de adulter. conjug. in fine.*

Ad hæc *reconciliationis* voce sæpius exprimitur, ut in Carthag. 2. *can.* 3. *et in can.* 32. In 2. vero, can. 4. *reconciliari sacris altaribus* idipsum vocatur : unde Augustinus *epist.* 54. *altaris reconciliationem* appellat. Innocentius I. *epist.* 3. *cap.* 2. *reconciliationem communionis*; Eligius, *medicinam reconciliationis, Sermone* 4.

Appellatur et *remissio* ab eodem Innoc. *epist.* 1. *cap.* 7. et Cypriano *lib. de Lap.*

Absolutio quoque *peccatorum* ab Eligio *sermone* 11. et *absoluti* dicuntur in Carth. 4. *can.* 78. *Veniam* Cyprianus vocat *epist.* 52. *Viaticum* Agath. *can.* 15. et Felix papa *epist.* 7.

Græci porro ἐφόδιον nominant : ut Nic. *can.* 13. et τὸ τέλειον : ut Ancyranum sæpius, vel τοῦ τελείου μέθεξιν, ut idem *can.* 9. *et* 23. Item δεχθῆναι dicuntur, id est *admitti*, qui reconciliantur, ut in eodem Ancyr. *can.* 6. et δεκτοὶ, qui communicandi jus habent, quibus oppositi sunt ἄδεκτοι. De qua voce observatione dignus est Canon apostol. 13. qui vulgo mendosus legitur. Εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς ἀφωρισμένος, ἤτοι ἄδεκτος ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δέχθῃ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθω, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ δεχθείς. Εἰ δὲ ἀφωρισμένος εἴη, ἐπιτεινέσθω αὐτῷ ὁ ἀφορισμὸς, etc. Quæ sic vertit Dionysius exiguus : « Si quis clericus, aut laicus a communione suspensus, seu communicans, ad aliam properet civitatem, et suscipiatur præter commendatitias litteras; et qui susceperunt, et qui susceptus, communione priventur. Excommunicato vero proteletur ipsa correptio. » Perspicuum est Dionysium legisse, ἤτοι δεκτὸς, non ἄδεκτος. Quod et sententia requirit. Vetat enim quemquam aut a communione suspensum, aut communionis jus habentem, tam e clericis, quam e laicis, sine commendatitiis ad communionem recipi. Alioqui communione privari jubet, si nondum excommunicatus sit; aut si jam excommunicatus sit, longius illi pœnæ tempus procedere. At Zonaras, et Balzamo in vulgata lectione misere conflictantur, deque differentia τοῦ ἀφωρισμένου, et ἀδέκτου absurda quædam proferunt. Sed omnino legendum est δεκτός. Quippe neminem prorsus ad communionem sine commendatitiis admitti vult, non solum excommunicatum, sed etiam integræ dignitatis, ac status. Ineptum quippe foret in solum excommunicatum hanc ferri sententiam : præsertim cum reliqua καθόλου de utrisque pronuntientur. Ita δεκτὸς est communionis particeps.

Præter illa nomina, reliqua sunt ad significandam absolutionem, reconciliationemque duo : pœnitentia, et προσφορὰ, quæ est oblatio, sive jus oblationis, quæ accuratiori tractatione opus habent.

CAPUT SECUNDUM.

Quemadmodum gradatim pœnitentibus reconciliatio data fuerit, ac de duplici illius genere, perfectæ scilicet, et imperfectæ. Explicatur insignis Cypriani locus. Pœnitentia interdum absolutionem significat. Nicænus canon 13. exponitur.

Quemadmodum communionis ecclesiasticæ multiplex fructus erat : ita qui illa privabantur, non ab omnium commodis semper arcebantur; neque qui reconciliatione ac pace restituebantur Ecclesiæ, amissa semper jura omnia recuperabant. Communionis hæc præmia fuere præcipua : immunitas a peccatorum gravium labe; publicarum precum participatio; interesse synaxibus; jus habere oblationis, sive προσφορᾶς. Item ut eo mortuo publicæ pro ipso fierent oblationes, ac preces cum illius mentione nominis : ac demum, quod caput omnium et finis fuit, uti Sacramentorum, et imprimis Eucharistiæ participes essent. Jam qui ob delicta sua ab communione præcidebantur eo genere excommunicationis, quod maximum habebatur, cujusmodi erat anathema; omnibus illis carebant : imo vero non aditu solum ecclesiæ, sed etiam convictu fidelium, ac colloquio, et salutatione ceterisque vitæ communis officiis excludebantur. Quippe τὸ ἀνάθεμα παντελῶς ἀποκόπτειν τοῦ Θεοῦ, ait Chrysostomus hom. de Anathemate. Eam ἀκοινωνησίαν παντελῆ vocat Balsamo ad Can. 70. apost. Quibus autem communio repræsentabatur, ii gradatim ad summum, perfectumque veniebant. Siquidem in primo gradu, et προσκλαύσει, limen ecclesiæ terere, ac se fidelium pedibus advolvere permittebantur. In secundo, paulo interius admissi sunt, ac nonnullarum precum erant participes. Itidemque in tertio. In quarto omnium erant compotes, præterquam Eucharistiæ. Sed de hac communionis varietate, ac differentia non hic agere constitui; quæ est notissima, et plurimorum illustrata commentariis. Verum aliud quoddam discriminis caput explicandum est, quod nec adeo vulgare est, et ad propositam disputationem usum habet egregium.

Hoc igitur veterum ex lectione didicisse videor, duplex *reconciliationis*, vel *absolutionis*, aut *communionis* fuisse genus : quorum alterum merum, ac perfectum fuit; quod quisquis impetrabat, eo jure inter fideles adscribebatur, quo qui optimo; nulla ut ab arte communionis esset exceptus : alterum inchoatum erat, et mancum; in quo vel sola peccati relaxatio, et absolutio, sine oblationis et Eucharistiæ jure; vel sine peccatorum absolutione, Eucharistia, ceteraque sunt omnia concessa. Ex quo duæ imperfectæ communionis formæ proficiscuntur. Prima est, cum a peccatorum reatu, atque noxa nondum liberati pœnitentes, oblationis et Eucharistiæ, adeoque ceterorum compotes fiebant. Quod tum usuveniebat, cum necessariis temporibus nullius episcopi, vel presbyteri pœnitentes copiam haberent, sed diaconi duntaxat : qui cum remittendorum delictorum potestate careat; quod unum poterat, ex episcopi mandato tribuebat, ut ad oblationis et Eucharistiæ participandæ jus admitteret.

Hujus insigne testimonium extat apud Cyprianum *Epist.* 13. in qua lapsis et sacrificatis, qui commendatitios libellos a martyribus acceperant, si in vitæ periculum incidant, ac nullus in promptu sit presbyter, exhomologesin delicti sui jubet apud diaconum facere, ut pacem accipiant. « Ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt; si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exhomologesin facere delicti sui possint, ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. » Etenim reconciliatio pœnitentium uni episcopo reservata fuit; presbytero vero nonnisi absente illo, et urgente necessitate concessa, ut antiqui canones edicunt : maxime Carthag. 2. *can.* 3. *et* 4. et Carth. 3. *can.* 32.

Quamobrem episcopo absente Cyprianus præcipit absolvi pœnitentes a presbytero; aut, si nullus adsit presbyter, a diacono : qui quidem peccata remittere cum non posset, hoc saltem tribueret, ut communicandi offerendique potestatem haberent. Ita nos Cypriani locum illum interpretati sumus *in Animad. ad Epiph. Hær.* 59. et in appendice ad easdem Animad. *cap.* 2. Neque nos conjecturæ illi assentiri possumus, quæ lapsos istos a sacerdote aliquo, qui inter martyres erat, prius a peccatis fingit absolutos. Nam et mera illa divinatio est nulla idonea auctoritate, argumentove nixa; et ex Cypriani epistolis liquet, martyres reconciliationem non dedisse lapsis, sed dari petiisse. Denique si id factum foret, de hoc Cyprianus multo vehementius cum ipsis martyribus expostulasset, qui præposterum quorumdam ex illis ardorem in commendandis lapsis, extorquendaque in eorum gratiam ab episcopis pace, acerrime castigat. Atqui ne litteram quidem de ea re facit ullam, nec absolutos a martyribus lapsos usquam queritur.

At enim si exhomologesis illa Cypriani ad solam excommunicationis, pœnæque remissionem, non culpæ, respicit, non satis provisum saluti lapsorum videtur, si ea tantum illis manuum impositio conceditur, quæ a peccati labe vacuos non faceret. Ita enim vir eruditus objicit. Verum quod in hac argumentatione sumitur, id

falsum est, absolutionem illam, quam lapsis Cyprianus indulsit, solius pœnæ, vel excommunicationis relaxationem fuisse. Nam ut a culpa non minus, quam a pœna liceret eximi, potestatem facit; si quidem non deest presbyter, qui id solus impertiri posset: alioqui ut saltem ab excommunicatione, pœnisque ceteris extricarentur, vel a diacono jussit absolvi. Quod nec absurdum, nec illis temporibus, imo ne hodiernis quidem, inusitatum videtur. Neque vero mediocri id erat solatio morituris; primum qui nihil aliud consequi possent; deinde qui jus Eucharistiæ participandæ, ac publicarum precum, et oblationum, aliaque quamplurima eo beneficio recuperabant. Postremo qui tantum in Ecclesia veteri severitatis extitisse putat, ut et quibusdam criminibus negata etiam in vitæ discrimine peccatorum absolutio, simplexque communio sit, et universe gravioribus delictis omnibus non plus quam semel, etiam sub mortem, concessa fuerit; quid est quod in lapsos istos durius a Cypriano fore consultum existimet, si iis, ut a sacerdote plene sub exitum vitæ possent absolvi, sin minus, saltem ut a diacono idipsum impetrarent aliqua ex parte, tribuisset?

Altera non perfectæ reconciliationis species fuit ejusmodi, in qua peccatorum remissionem ab episcopo, vel presbytero pœnitentes obtinebant, sine jure oblationis, et Eucharistiæ. Quam communionis reconciliationisque formam *pœnitentiam* interdum nominari puto, vel *pœnitentiæ benedictionem*, aut *viaticum*. Cujus nos ex Arausicano 1. Gerundensi, ac deinde Nicæno, aliisque conjecturam cepimus. Arausicani quippe canon 3. ita sciscit: « Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, et ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant. » Et Can. 12. « Subito obmutescens, prout status est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. » Gerundense porro can. 9. ita statuit: « Ut qui in ægritudine pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, et postmodum reconvalescens caput pœnitentiæ in Ecclesia non subdiderit, si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum. »

In primo canone Arausicana synodus duplicem communionem indicat; alteram, quam vocat *legitimam*, quæ *per reconciliatoriam manus impositionem* dabatur; alteram, quam simpliciter vocat *pœnitentiam*. Nec me præterit certum in Ecclesia veteri fuisse ritum, quo ad pœnitentiam admitti solebant, etiam moribundi; quod per manus impositionem fieri consueverat. Atque hanc pœnitentiam non præcise absolutionem fuisse, sed exteriorem quamdam doloris professionem, ac satisfactionem, idque esse nonnunquam, quod antiqua concilia vocant, *dare pœnitentiam*, vel *pœnitentiæ benedictionem*. Sic apud S. Leonem *Epist.* 92. *inquis.* 9. « De his, qui dolore nimio perurgente dari sibi pœnitentiam petunt, et cum venerit presbyter daturus, quod petebant, si dolor parum perquieverit, excusant, et nolunt accipere quod offertur; respondet, Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedii, sed de metu gravius delinquendi. Unde pœnitentia, quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur. » Hic pœnitentia non est absolutio, sed status quidam, ac professio laboriosæ ac luctuosæ vitæ, ad quam certis ritibus admittebantur: in eaque, si vivi et integri essent, præscripto tempore versabantur: moribundi vero dum illam acciperent, ea se legitime perfuncturos esse spondebant; si quidem convalescerent, ac statim reconciliationem, absolutionemque merebantur. Quoniam autem durissima illius status, et pœnitentiæ lex erat atque conditio: ideo plerique, etiam in mortis periculo, si qua vitæ spes interim adesset, eam suscipere detrectabant. Si quidem non modo pœnitentiæ tempore, sed ea quoque functis multa alioqui licita minime permittebantur, aut ægre admodum, magnaque cautione; velut litigare, negotiari, redire ad secularem militiam: ut ex eadem Leonis epistola constat, *Inquis.* 9. 11. 12. Et *Inquis.* 13. vix adolescentes post obitam pœnitentiam uxorem ducere patitur. « Nam secundum veram cognitionem, *inquit*, nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans et mentis, et corporis. » Sed et concilium Aurelian. 3. *canone* 24. « Si quis, *inquit*, pœnitentiæ benedictione suscepta, ad secularem habitum, militiamque reverti præsumpserit, viatico accepto, usque ad exitum excommunicatione plectatur. » Ideo canone antecedenti vetat, « Ut ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus personis credere præsumat; certe conjugatis nisi ex consensu partium, et ætate jam plena, eam dare non audeat. » Quocirca non dubito, quin *pœnitentiæ* vocabulo sæpius pœnalis ille luctus, et professio significetur, ritusve, quo hæc imponi solebat. Sed hoc tamen affirmare possum, sæpe etiam pro *absolutione* sumi, vel ejusmodi ritu, quem dixi, cui e vestigio subjuncta erat absolutio, præsertim cum data moribundis pœnitentia dicitur. Quod ex Arausicano et Gerundensi superius citatis ostenditur. Etenim Arausicanum pœnitentiam illam, quam de corpore recedentes accipiunt, quæque sine *reconciliatoria manus impositione*, hoc est, ut paulo post interpretatur, *legitima communione*, tribuitur, « sufficere *ait* consolationi morientis secundum definitiones Patrum, ab iisque viaticum appellari. » Non potest sola hic doloris, luctusque professio citra absolutionem pœnitentiæ significari nomine. Nam nec ejusmodi pœnitentia morientibus solatium posset afferre; neque viaticum eam Patres appellavere, sed eam prorsus, quacum reconciliatio cum Deo, pax, et peccatorum absolutio conjungitur. Quippe *viatici* hæc appellatio ab Nicæno *canone*. 13. manavit, deque eo concilio loqui voluisse Patres Arausica-

nos, nemo, ut opinor, negaverit. Atqui *viaticum*, sive græce ἐφόδιον, non ibi Patres nominant solas illas luctuosas pœnitentiæ sordes, ad doloris professionem, sed absolutionem, atque veniam : ut subinde docebitur. Præterea cum Arausicana synodus eadem canone 12. præcipit, moribundis, et subito obmutescentibus, si ante voluntatis suæ indicium aliquod ediderint, vel baptismum, si nondum fideles essent, vel pœnitentiam, si jam baptizati essent, tribui ; non aliud intelligi potest, pœnitentiæ voce, quam absolutio si non sola, certe ritibus illis adjuncta, quos supra memoravi. Proinde utrumque potius intelligeretur. Atque hoc Carthaginensis 4. canon 76. aperte demonstrat, qui idem penitus cum Arausicano illo continet, sic ut ejus expositio sit. « Is, *inquit*, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur, per manus impositionem. Et infundatur ori ejus Eucharistia ; si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfacere, et subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit. » Hic duo illa distincta sunt, *pœnitentia*, et *reconciliatio per manus impositionem*, quæ Arausicanus canon 12. unico *pœnitentiæ* vocabulo complexus est. Quare *pœnitentia* nonnunquam ex usu veterum canonum *absolutionem sacramentalem* significat. Sed nonus ille Gerundensis concilii canon tergiversationem omnem eximit. Neque enim pœnitentiæ benedictio, quam viaticum nominari asserit, professio illa pœnalium sordium interpretari potest, primum quoniam illam ipsam per communionem ait accipi. Deinde quod illa accepta, non impediri ait, quominus ad clerum admittatur. Atqui nemo pœnitentiam professus in clerum cooptari poterat, ut supra demonstravimus. Est igitur pœnitentia plerumque idem ac reconciliatio, vel peccatorum absolutio, certis tamen, ut sæpe dixi, ritibus annexa. Sane Arausicanus canon 12. nec non Carthag. 76. jam citati decreverunt, ut qui, accepta pœnitentia in vitæ periculo, supervixerint, in pœnitentium ordinem relegentur. Tales autem nunquam in clerum adscitos fuisse vix ullus ignorat, qui antiquos canones utcumque tractaverit. Igitur *pœnitentia* in Gerundensi canone *absolutionem* significat.

Equidem eadem voce *pœnitentiæ*, vel *impositionis manus in pœnitentiam*, quæ passim Cyprianus usurpat, *absolutionem* exprimi facile mihi persuadeo, idque ex contextu ipso verborum probari potest. Epistola quippe 10. de lapsis loquens, qui martyrum freti commendatione contra disciplinam Ecclesiæ pœnas illas compendi faciebant, sic expostulat : « Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exhomologesin veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum, et nondum pœnitentia acta, et nondum exhomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur. » Ceterum impositionem hanc manus epistola sequenti ita describit : « Ante actam pœnitentiam, ante exhomologesin gravissimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo, et clero in pœnitentiam impositam. » Ubi *pœnitentiæ* nomen, cum ita dicitur, *ante manum in pœnitentiam impositam*, non potest de luctus et squaloris professione accipi, ad quam impositione illa manuum admittantur : si quidem ambo ista discernit, et post *actam pœnitentiam*, post *exhomologesin*, demum *in pœnitentiam impositam* fuisse *manum* demonstrat. At pœnitentia illa, quæ acta dicitur, et exhomologesis, quid aliud est quam luctus ac doloris illa professio ; hoc est ut Tertullianus ait *lib.* 9. *de Pœnit., cap.* 9. « prosternendi, et humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ ilicem ? » Quare *imponere manum in pœnitentiam*, non est ad eam professionem admittere, quæ jam expleta fuerat ; sed *pœnitentia* ibi pro *reconciliatione* sumitur. Ut sit idem *impositio manus in pœnitentiam*, ac *reconciliatoria manus impositio*, ut Arausicanus canon loquitur. Præterea *in libro de Lapsis* ; « Ante expiata, *inquit*, delicta ; ante exhomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam Sacrificio, et manu sacerdotis ante offensam placatam indignantis Domini, et minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. » Ubi sine ulla ambiguitate declarat, manuum *impositionem* istam, de qua identidem verba facit, *ad purgandam conscientiam* pertinere, quoniam illis temporibus cum manus impositione *sacramentalis*, ut vocant, *absolutio* jungebatur. Unde in loco illo Epistolæ 13. quam supra retulimus, et expendimus, in quo a presbytero lapsos Ecclesiæ restitui jubet ; aut, si nullus adsit presbyter, a diacono ; cum addit, « ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace : » eadem est notio vocabuli *pœnitentiæ*, ac *reconciliationem* significat ; sive *absolutissimam*, (ut loquitur Vasense 1. *can.* 2.) si quidem a sacerdote præstaretur ; sive minus perfectam, si a diacono daretur.

Ex quo liquet manuum impositionem fuisse duplicem ; unam antecedentem, qua ad profitendam pœnitentiam admittebantur, ac deinceps sæpius ab episcopo velut cæremonia quadam expiabantur ; alteram posteriorem, quæ velut clausula pœnitentiæ esset, et annexam haberet absolutionem peccati atque pœnæ. Prior pœnitentibus cum catechumenis communis erat, de qua Carthag. 4. *can.* 80. « Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdotibus imponantur. » De catechumenis vero Can. 85. « Baptizandi nomen suum dent, ut diu sub abstinentia vini, et carnium, ac manus impositione, crebra examinatione, baptismum percipiant. » Vide et Agath. *can.* 15. et Laodic. *can.* 19. Ea porro manus impositio potissimum in tertio gradu pœnitentiæ, quam ὑπόπτωσιν nominant, fieri consueverat, ut

in *Animadver. ad Hæres.* 59. *Epiph. pag.* 252. docuimus. Cælestinus quoque papa *Epistola* 2. *cap.* 2. pœnite ntiam accepit non dissimili sensu, cum queritur in Galliis *pœnitentiam denegari morientibus, ac morientis mortem addi.* Quod de absolutione perinde oportet intelligere.

Venio nunc ad Nicæni concilii Canonem 13. in quo genus utrumque reconciliationis, quod hactenus exposui, disertis verbis asseritur. Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων, αἴ!, ὁ παλαιὸς, καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου, καὶ ἀναγκαιστάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι. Εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω. Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς ἐξοδεύοντος, καὶ αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς. Quæ sic vertit Dionysius. « De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur, ita ut, si quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus, et consecutus communionem, oblationisque particeps factus iterum convaluerit; sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. » Vel, ut alia habet editio : *episcopus cum examinatione oblationem impertiat.* In prima canonis parte præscribit, uti moribundis *ultimum maximeque necessarium viaticum* non negetur. In posteriori, ut oblationem non temere, neque sine probatione, cuivis etiam morituro concedat. Est igitur diversa illa communio, et reconciliatio, quæ promiscue, ac citra majorem delectum indulgetur omnibus, ab altera, cui tanta cautio, animadversioque præfinitur. Nimirum prior solam peccati remissionem, et absolute necessarium moribundis viaticum ostendit : posterior, oblationis jus, et Eucharistiæ. Unde colligas, quod hactenus contendimus, solam nonnunquam absolutionem peccatorum morituris etiam fuisse concessam, Eucharistiam vero denegatam.

CAPUT TERTIUM.

De utraque communione, ac secunda præsertim, deque oblationibus fidelium. Explicatur obscurus Tertulliani locus ex libro *De Exhort. castit.* ostenditurque, nunquam laicos ex ejus opinione sacrificasse. Quod oblationis genus usurpaverint laici.

Utriusque communionis, quam hucusque descripsimuus, usum, exemplumque suppeditat vetus Ecclesiæ mos, quo gradatim pœnitentes pristinum ad statum evehi solebant. Etenim quartus pœnitentiæ gradus σύστασις dicebatur, in quo omnium rerum facultas dabatur, præterquam oblationis, et Eucharistiæ. Siquidem interioribus fidelium cœtibus, ac precibus, et synaxibus intererant; et quæ in liturgiis fiebant, coram ipsi videbant : non tamen vel offerre poterant, vel pro ipsis sacerdotes offerebant, vel Eucharistiam sumebant. Fuit enim, quod alibi demonstravimus, in Ecclesia vetere solemnis ille mos, uti fideles, quoties ad synaxim accedebant, suas secum oblationes deferrent, hoc est panem et vinum, quæ ante divina mysteria repræsentarent : quas oblationes, etiam quatenus a laicis exhibentur, sacrificia Cyprianus vocat, abusione quadam nominis, libro *de Opere et eleemos.* « Locuples, et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis : quæ in Dominicum sine SACRIFICIO venis : quæ in partem de SACRIFICIO, quod pauper obtulit, sumis? » Erat autem jus illud oblationis duplex. Primum enim pro se offerebant fideles ipsi, non solum panem, et vinum, ex quibus Eucharistia conficiebatur; sed etiam alia munera, quæ in clericorum usus cederent : ac tum offerentium nomina recitabantur. De quo Innocentius papa *epist.* 1. *ad Decentium capite.* 2. ita sanxit : « Prius oblationes sunt commendandæ, ac eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus. » Hieron. *in caput* 18. *Ezechielis* seculi sui ambitionem, ac pompam in istis arguit. « Publiceque diaconus in Ecclesia recitat offerentium nomina : Tantum dedit illa; tantum ille pollicitus est. Placentque sibi ad plausum populi, torquente eos conscientia. » Deinde pro ipsis offerebatur, seu vivis, seu vita perfunctis. Hinc apud Cyprianum in epistola 10. *offerri* dicitur *nomen eorum*, qui communioni restituebantur. Et epist. 12. *offerri pro illis, et Eucharistiam dari.* Neutrum pœnitentibus vivis ante reconciliationem contigit. Nam neque præsentes offerre poterant, cum nondum communicarent Dominico corpori : nec eorum oblationes adhibebantur.

Mortuorum tamen, etiam citra reconciliationem, memoria celebrabatur, et oblationes recipiebantur ex indulgentia, ac benignitate quadam Ecclesiæ. Ideo Vasense 1. *can.* 2. de pœnitentibus statuit, « Ut si absque communione in ipso cursu satisfactionis prævenli fuerint, eorum oblatio recipiatur, et eorum funera, ac deinceps memoria ecclesiastico affectu prosequenda sit; quia iis

fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset. » Idem et Arelat. 2. *can.* 12. constituit.

De hoc oblationis genere, quo fideles panem præsertim ac vinum repræsentabant, intelligendi sunt græci, latinique canones, cum perfectissimam ultimamque communionem vocant κοινωνίας μετὰ προσφορᾶς : inchoatam vero ac minorem, χωρὶς προσφορᾶς, ut in Nicæno *can.* 11. et in Ancyrano passim occurrit. Interdum perfectam communionem, hoc est τὸ τέλειον, ut Ancyrana synodus loquitur *can.* 4. absolute nominant προσφορὰν. In eadem Ancyrana *can.* 16. τυγχανέτωσαν τῆς προσφορᾶς. Quod subinde alia formula declarat : Τυγχανέτωσαν τῆς κοινωνίας ; *oblationem* vel *communionem* assequantur. Itaque in Nicæno canone 13. Μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς, melius in altera editione redditur, *oblationem impertiat* ; id est jus oblationis, quam in Dionysii authentica, *ex oblatione dare debebit.* Hoc enim posterius est, Eucharistiæ participem facere, illud vero *offerendi potestatem facere.* In Ilerdensi *can.* 9. sic illud exprimitur : *Fidelibus in oblatione Eucharistiæ communicent* ; ubi de pœnitentia functis, et a συστάσει εἰς τὸ τέλειον translatis ex Nicæni canonis 11. præscripto statuit, videturque κοινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς sic interpretari, quasi sit *participem Eucharistiæ* esse. Alia porro lectio multo commodius ita concipitur, *in oblatione, et Eucharistia.*

Cum igitur fideles quique laici panem, ac vinum in synaxibus offerrent, eaque illorum oblatio *sacrificium* appellaretur late sumpto vocabulo, mirum videri nemini debet, si Tertullianus lib. *de Exhort. castit.* laicum quemlibet, qui quidem digamus non sit, jus ait habere sacerdotio, eo quod, ubi sacerdos non est, et offert, et tinguit. Nam si minus Eucharistiam consecrare in synaxibus suis, absente sacerdote, poterant, mysteriorum quamdam adumbrabant imaginem, dum panem et vinum offerrent, ac Deo certis precibus, ac cæremoniis sua munera commendarent, quod unus e laicis ad id delectus præstare poterat. Quin etiam potest fieri, ut si nullus sacerdos, vel diaconus esset, quod in persecutionibus frequenter accidebat, præsertim ejusmodi, in quibus solos in clericos tyrannorum edicta sæviebant, ἐκ τῶν προηγιασμένων, id est, ex anteconsecratis synaxes et fidelium conventus instituti sint, in quibus unus quispiam e laicorum numero præficiebatur, qui consecratum jam ab sacerdote Dominicum corpus, et asservatum in altari sisteret, et offerret, ac fidelibus porrigeret : quod genus oblationis neque sacerdotale, neque Sacrificii proprium fuit ; sed meris precibus, vel gratiarum actione, vel ejusmodi alia re constabat. Hoc vero laicos fecisse non magis admirabimur, quam Eucharistiam domi, et in arca condidisse, ac privatim sibi quemque sumpsisse. Ab hoc porro ministerio non solum mulieres arcebantur, sed etiam digami. Nam quod ad hos pertinet, constat usu sacrorum, et communione interdictos fuisse, atque in pœnitentium ordinem relegatos ; quare jure προσφορᾶς carebant, quod alibi docuimus.

Aut hæc, aut ejusdemmodi aliqua Tertulliani verbis accommodanda sententia est : minime omnium illa, quæ laicos ullo tempore vel necessitate aliqua censet sacerdotalis muneris, et oblationis, hoc est consecrationis jus habuisse ex opinione Tertulliani ; hoc esset laicos omnes sacerdotes facere. Quod tantum abest, ut ille persuasum habuerit, hæreticorum ut propterea conventicula traducat, *quod laicis sacerdotalia munera injungant,* lib. de *Præscript. cap.* 41. Itaque « alius, *inquit,* hodie episcopus, cras alius : hodie diaconus, qui cras lector : hodie presbyter, qui cras laicus. » Non est verisimile ad idem, quod ipsis impingit, portentum erroris offendisse Tertullianum ; neque vero cur id suspicemur, causa ulla est idonea.

Ut ad duplicem reconciliationem, gradusque pœnitentium revertar, in quibus ambæ cernuntur, in *Animadversionibus ad Epiphanii Hær.* 59. inquisitum a nobis est, quonam in gradu pœnitentiæ absolutio de duabus prior, minorque concessa sit, in ὑποπτώσει, an in συστάσει : ac re in medio relicta, quid utrinque movere posset adduximus. Nunc ita definiendum putamus, post ὑπόπτωσιν obitam, pœnitentes per manus impositionem, absolutionemque translatos esse quartum in gradum, et σύστασιν. Erat enim ὑπόπτωσις laboriosissima, durissimaque pœnitentiæ pars, quæque κατ' ἐξοχὴν *pœnitentia* vocabatur. Quam qui emensi fuerant, et ad σύστασιν pervenerant, pœnitentes fere dici desinebant, ut in *Animadvers. pag.* 251. demonstravimus. Quocirca probabile est, *malo* isto, ac *miseria,* ut Tertulliani voces usurpem, *per reconciliationem,* ac *veniam* exsolutos fuisse : neque tamen adhuc Eucharistiæ, et oblationis compotes esse factos, quod per secundam manus impositionem, ac reconciliationem impetrabant in συστάσει. Quam propterea *absolutissimam reconciliationem* Vasensis canon 2. appellat ; *viaticum Eucharistiæ* Carth. 4. *can.* 78. Μέθεξιν τῶν ἁγιασμάτων Gregorius thaumat. *can* 11. *reconciliationem altaris* Carth. 2. *canon.* 4. et August. *epist* 54. *legitimam communionem, et reconciliatoriam manus impositionem* Arausicani 1. canon 3.

CAPUT QUARTUM.

Quatenus antiquissimis temporibus certis peccatorum generibus reconciliatio, et communio denegata fuerit. Ostenditur nunquam in periculo vitæ negatam esse sacramentalem absolutionem, maxime universalis Ecclesiæ consuetudine. Explicantur veterum testimonia, quibus illud effici putatur. Communionis nomine plerumque sola perfecta continetur.

Reliquum est, ut totius antecedentis disputationis eum fructum colligamus modo, cujus gratia paulo illam longiorem, ac diligentiorem instituimus. Id enim propositum fuerat, videre ecquid aliquando peccatorum certis generibus ab Ecclesia in totum negata communio sit; præsertim urgente mortis periculo: et ut factum hoc interdum esse constet, quænam ista communio fuerit. Hoc est an prima illa, maximeque necessaria reconciliatio, sive sacramentalis absolutio negaretur.

Quatuor sunt potissimum argumenta, quibus summa Ecclesiæ illa severitas approbatur. Primum ex Tertulliano petitur, qui libro de Pudicitia significat, olim, ante decretum Zephyrini papæ, mœchos ad pœnitentiam, et communionem nunquam admissos fuisse: idololatriæ vero, et homicidii reos etiam post Zephyrinum esse rejectos. Nam Zephyrinum ideo Tertullianus arguit, quod idololatram, et homicidam semel damnaret, mœchum vero exciperet ad veniam. Quod et Cyprianus commemorat epistola 52. ad Antonianum. Secundo idem ex S. Cypriano conficitur epist. 13. Cum enim lapsi in persecutione ab communione essent exclusi, et a martyribus, hoc est confessoribus Christi, qui in metallis et carceribus attinebantur, libellos commendatitios impetrassent, quibus communionem illis reddendam ab Ecclesia postularent, Cyprianus disciplinæ severitatem ita temperavit, « ut qui libellos a martyribus accepissent, si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati essent, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque facere exhomologesin delicti possint, » etc. quæ nos supra retulimus. Ceteros porro, qui libellis carerent, etiam urgente necessitate, repudiari jussit. Tertio Eliberitanum concilium multis canonibus quibusdam peccatorum generibus, ne in fine quidem dari communionem jubet. Quarto, Innocentius I. *epist. 3. ad Exuperium*, interrogatus quid iis faciendum esset, « qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul, et reconciliationem communionis exposcunt; » respondet consuetudinem olim fuisse, « ut concederetur eis pœnitentia, communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia. Pace vero reddita, communionem dari abeuntibus placuit, quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem, et duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. » Hæc sunt præcipua capita, ex quibus feralis illa consuetudo antiquioris Ecclesiæ colligitur. Quæ nos in *Animadvers.* plenius exposuimus. At ex adverso Nicænus can. 13. opponitur, qui παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον, *antiquam, et canonicam legem* esse dicit, quæ moribundis *necessarium viaticum* dari præcipit, hoc est peccatorum absolutionem, ut superius ostendimus.

Nos re altius accuratiusque perspecta, primum asserimus nullam unquam totius Ecclesiæ catholicæ usu vel sanctione receptam fuisse consuetudinem, quæ moribundis *peccatorum absolutionem*, hoc est ἀναγκαιότατον, illud ἐφόδιον negaret. Etenim neque apostolorum tempore usitatum hoc fuisse, superius animadvertimus: neque postea, saltem tota in Ecclesia, servatum esse, Nicæni canonis convincit auctoritas. Quippe verba ea, παλαιὸς, καὶ κανονικὸς νόμος, nonnisi de lege vel scripta, vel tacita, jampridem, et ab apostolicis usque temporibus edita, posse accipi videntur, nec ad particularis alicujus Ecclesiæ decretum ante annos 60. circiter natum restringi se patiuntur. Quo minus audiendi sunt, qui ad S. Cypriani ætatem respexisse volunt Nicænam synodum: qua ætate remitti primum ille rigor veteris disciplinæ cœperit, quæ hactenus a pace reconciliationeque graviorum criminum reos etiam moribundos excluderat. Ac Nicæna illa sanctio ad generalem totius Ecclesiæ colligendam consuetudinem eo momenti plus habet, quod œcumenica Synodus fuerit, in quam ex omni catholico orbe episcopi convenerunt. Quamobrem nemini arbitror extremo vitæ tempore denegatam fuisse peccatorum absolutionem ex instituto, ac ritu generali totius Ecclesiæ, sed perfectam duntaxat, ac posteriorem communionis formam, qua jus oblationis, et Eucharistiæ concessum fuit, quibusdam negari placuisse, quod diserte Nicænus canon ostendit.

Qua in re magnopere illud observandum est, perfectam illam communionem, et reconciliationem tanti momenti habitam esse, ut sola nonnunquam *communionis*, *reconciliationis*, vel *pacis* nomen obtineret, atque ejus unius expressa fieret in Canonibus mentio. Nam qui priorem duntaxat impetrarant, nondum ii perfecte pœnitentes esse desierant; neque aliter, quam velut alieni, ac peregrini, inter fideles habebantur. Non pro iis,

saltem vivis, publice ac nominatim preces in Ecclesia fiebant. Sed neque mortuis forsitan in antiquiori Ecclesia. Alioqui nihil admodum erat, quod recentiora illa in Galliis concilia, Vasense, et Arelatense 2. de ea re decernerent. Tum haud scio, an alibi eadem illis humanitas impensa fuerit. Denique qui Eucharistiæ, ac summi illius, præstantissimique viatici dignitatem, necessitatemque cogitet, Christi Domini voce ac sententia constitutam, acerbissimam hanc moribundis Christianis conditionem fuisse fatebitur, quæ illos tanto præsidio, beneficioque privaret. Quare pleraque testimoniorum eorum, quæ ex veteribus conciliis, ac Patribus afferuntur ad illam in morituros Ecclesiæ severitatem adstruendam, præter id, quod diximus, non ad universam pertinere, sed loci ac provinciæ alicujus Ecclesiam; possunt etiam ad perfectam, et ultimam communionem referri. Primus ille Tertulliani locus nullam de mortis periculo mentionem continet. Ideo nihil adversus conjecturam nostram facit.

De Cypriano respondendum aliquis fortasse censeat, peculiarem illius Ecclesiæ constitutionem fuisse gravissimis de causis ab eo tunc editam; quod de Eliberitano concilio Baronius dicendum existimat. Sed nos ea præscriptione non utemur. Quin potius de perfecta reconciliatione loqui Cyprianum credimus; cujus beneficio lapsi in integrum restituti communitati fidelium adjungebantur, ac pristinam dignitatem, et oblationis, Eucharistiæque jura recipiebant : non autem de simplici peccatorum remissione, qua verisimile est ipsos in mortis periculo, si quidem adesset presbyter, minime caruisse. Hanc nostram justissimam esse suspicionem duo facile persuadent.

Primum talem iis, qui libellos a martyribus acceperant, reconciliationem ac pacem, in vitæ duntaxat exitu, quoad fieri poterat, offerri jubet, qualem sibi vivi, et incolumes iidem dari cupiebant. Atqui dubitari non potest, quin integram, perfectamque communionem obtinere cuperent, ejusque præcipue partem illam, cujus, absente sacerdote, vel a diacono fieri participes poterant. Non est autem hæc absolutio peccatorum; sed jus oblationis, et Eucharistiæ, ceterorumque præmiorum; quæ supra descripsimus.

Quod si præcise peccatorum relaxationem, et sacramentalem absolutionem eripere voluisset, nunquam diacono potestatem fecisset, ut quod ab illis in vita postulabatur, id in vitæ fine concederet. Satis enim habuisset decernere, ut hoc prorsus a presbytero, si possent, assequerentur Quocirca cum tam lapsorum, quam martyrum desideriis Cypriani indulgentia ista consentiat; debet ex eo, quod petitum est, de eo quod est concessum conjectura fieri. Ex eo vero, quod illis tributum est, quid sit negatum ceteris, facilis est interpretatio.

Deinde Cyprianus cum de pacis, ac reconciliationis eo genere, quod ambiebant lapsi, sermonem instituit, satis ostendit, plenam eos, et perfectam pacem studuisse consequi. Nam Eucharistiæ, et oblationis semper meminit Epist. 10. et sequentibus. Ubi queritur, a nonnullis sacerdotibus præter fas id quod cupiebant expressisse lapsos. « Nunc crudo, *inquit*, tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum; et, nondum pœnitentia acta, nondum exhomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur, etc. » Eamdem itaque reconciliationem, in periculo vitæ ceteris dandam non censuit, non illam simplicem, et extremam.

Quod ad concilium Eliberitanum pertinet; quanquam plerique ne absolutionem quidem sacramentalem vel in fine concessam illius decreto putent, et hanc privatam unius provinciæ severitatem nihil communi Ecclesiæ præjudicare censeant, (a qua opinione neque aliquando nos abhorruimus :) non minus tamen probabile videtur, de perfecta illos communione, non altera sim plici, penitusque necessaria loqui voluisse; quæ sola persæpe nomine communionis intelligitur. Hoc ne temere suspicari nosaliquis existimet, ex ejusdem provinciæ longe posteriori concilio non leve argumentum ducitur.

Extat Ilerdensis canon ex vetusto codice descriptus, in quo ita statuitur : « Episcopi, presbyteri, diaconi relicta, si maritum acceperit, in fine non communicet. » Hic *communionis* vox solam perfectam significat; non absolutionem sacramentalem. Non enim quo tempore celebrata est ista synodus, hoc est Theodorico regnante, ejusque an. 15. qui est annus Christi 524. prisca illa vigebat severitas, tot secundum Nicænum concilium jugulata decretis. Proinde communicationis genus illud est absolutum, et τὸ τέλειον.

Superest Innocentii papæ locus, qui ad interpretandum ideo reliquis difficilior videtur, quod eam communionem pacatis Ecclesiæ temporibus in morte redditam asseverat, quam Novatiani denegabant : hi porro peccatorum remissionem potissimum negabant; deinde quod extremam *vel in supremis* tribuendam idcirco moribundis, ait, *ut* communionem *suis a perpetuo exitio vindicentur*; quod in sacramentalem absolutionem maxime convenit.

Nihilominus existimo *communionem* ab Innocentio majorem illam, ac plenam intelligi, quam *reconciliationem communionis* appellat. Eam vero dicit in morte iis ademptam, qui pœnitentiam in id usque tempus differrent. Postea pace Ecclesiæ constituta, eamdem dari omnibus morituris placuit; quod nisi facerent, Novatianam crudelitatem imitarentur, non quod idem prorsus, quod hæretici isti, agerent ; sed quod eorum instituta quodammodo sequerentur, dum absolutam, integramque communionem nullo unquam tempore permitterent : quæ res plerosque in desperationem impellere potuisset, præsertim si sine viatico Eucharistiæ decederent; sine quo vitam haberi non posse Christus ipse *Joan.* capite 6. pronuntiat. Itaque *pœnitentiæ* nomen apud Innocentium absolutionem una cum dolore, ac peccati detestatione significat; sed non perfectam, et obla-

tionis, atque Eucharistiæ conciliatricem : de qua *pœnitentiæ* notione supra disputavimus. Ex iis omnibus hæc demum summa conficitur ; nullum satis expressum videri testimonium antiquorum Patrum, vel Canonum, quod moribundis negatam aliquando sacramentalem absolutionem demonstret, non solum in universa, sed ne particulari quidem in Ecclesia, quod cum in *Animadvers. ad Epiphan.* odorati essemus, præsertim *pag.* 252. hic paulo uberius, ac firmius asseverari oportuit.

Unum restat, quod in iisdem *Animadversionibus* ostensum est, publicam pœnitentiam semel duntaxat indultam fuisse ; qui vero in eadem rursus incidissent crimina, eos perpetuo ab Ecclesia repudiatos esse. De his enim sciscitari posset quispiam, utrum in vitæ fine absolutionem sacramentalem adepti sint, an ab ea penitus exclusi : quod posterius *epist.* 54. vindicare videtur Augustinus ; cujus illic verba pag. 237. descripsimus. Verum nostra hæc opinio est, iis in vitæ periculo sola *sacramentali absolutione* consultum ; perfectam vero negatam esse communionem : quod profecto S. Augustini locus ille affirmare nos cogit, dum hominem illum, qui pœnitentia functus semel, in eadem scelera relapsus est, ita loquentem introducit, *Aut date mihi eumdem iterum pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, etc.* Hæc enim ideo dicit, quod post actam pœnitentiam, reliquo vitæ tempore, si in eadem gravia delicta laberentur, ab spe pacis, et reconciliationis exciderent ; licet, instante obitu, peccatorum veniam impetrarent.

FINIS TOMI OCTAVI ET ULTIMI.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

DE POTESTATE CONSECRANDI ET SACRIFICANDI

SACERDOTIBUS A DEO CONCESSA; DEQUE COMMUNIONE USURPANDA DIATRIBA.

Monitum editoris. 1
Illustrissimo amplissimoque viro Petro Seguierio Franciæ cancellario. 5
Approbatio Doctorum sacræ Theologiæ Parisiensis. 6

CAPUT PRIMUM.

Occasio disputationis ex loco quodam Tertulliani; qui Christianos omnes sacerdotes facere videtur. Præstruuntur nonnulla ad illam necessaria; quatenus oblatio sine consecratione facta est. De oblatione laicorum. 7

CAPUT SECUNDUM.

Tertulliani locus explicatur adversus anonymum; quomodo laici obtulerint citra consecrationem; exponitur institutio sacerdotum ex evangelistis petita. 10

CAPUT TERTIUM.

Cetera Dissertationis argumenta, ac loca veterum explicantur. De historia Frumentii, in qua multum lapsa Dissertatio est. Neque fœminas, neque inferiores sacerdote clericos, consecrasse unquam. Nicænus, Laodicenus, et Ancyranus canones expositi. 13

CAPUT QUARTUM.

De altera quæstione, quam Dissertatio continet: An semper communicandum per symbola. Ubi de communione, et usu Sacramentorum agitur. Non licere cuiquam ab Ecclesiæ communione discedere. Expenduntur causæ, propter quas interdum fas illud esse Dissertationis auctor existimat. 17

CAPUT QUINTUM.

De duplici Scripturæ loco: altero Joannis sexto, in quo usus Eucharistiæ præcipitur: altero Joannis tertio, ex quo baptismi necessitas adstruitur. Uterque falso ab Dissertationis auctore acceptus. Sine baptismo parvulos in æternum perire. 22

DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM

LIBER PRIMUS.

Qui est de episcopis, et eorum jurisdictione, ac dignitate.

Armando Joanni eminentissimo S. R. E. principi cardinali, duci de Richelieu, Franciæ pari. 27
Ad catholicum et eruditum lectorem. — Proœmium. 29

CAPUT PRIMUM.

In quo status quæstionis exponitur. Pauli apostoli loca

quædam, ex quibus inter episcopos et presbyteros nullum fuisse discrimen videtur. Variæ antiquorum in illis interpretandis sententiæ, Chrysostomi, Theodoreti, Epiphanii expenduntur : ac præsertim Hieronymi ; qui omnium difficillimam habet rationem. 31

CAPUT SECUNDUM.

Explicantur loca illa antecedenti proposita capite. Presbyteros initio eosdem episcopali dignitate præditos fuisse ; sed perbrevi tempore : idque cur factum sit. Episcopos eodem intervallo, itidem ut deinceps, in singulis civitatibus singulos præfuisse. 35

CAPUT TERTIUM.

Conciliatur Hieronymi sententia cum catholico dogmate. Multum ab Aerianis, et hæreticis aliis illum abfuisse. Michaelis Medinæ falsa opinio tam ipsum, quam plerosque alios veteres fœdissimi erroris insimulantis. 37

CAPUT QUARTUM.

Refellitur Trapezitica dissertatio, quatenus episcopum olim existimat nomen dignitatis non fuisse, sed curationis. Quid sit dignitas, et quemadmodum semper episcopatui convenerit. Hieronymi locus perperam acceptus a Trapezita. Nova illius de episcoporum duplici genere opinio confutatur. Cujus ex Clemente irritum argumentum diluitur. Episcopos prædicandi munus obiisse semper, necnon jus rerum ecclesiasticarum administrandarum habuisse. 39

CAPUT QUINTUM.

Alia Trapezitæ argumenta de duplici episcoporum genere discussa. Pauli apostoli declaratus locus. Quid sint apud illum *opitulationes*, et *curationes*. 43

CAPUT SEXTUM.

Trapeziticæ dissertationis incondita ratio ad certa capita revocatur, et excutitur. Ejus repugnantia, et absurditas. Refelluntur varii ab illo temere constituti gradus episcoporum. Ostenditur ex antiquorum testimonio episcopos plenum jus semper in ecclesiasticas res habuisse ; ac tam in prædicationem incubuisse, quam ecclesiasticis bonis præfuisse. Summa illorum potestas adversus Trapeziticas nænias defenditur. 45

CAPUT SEPTIMUM.

Pergitur in refellenda Trapezitæ sententia ; quæ episcopatum negat dignitatem fuisse, sed solam facit curationem. Ostenditur e contrario episcopos potestatem, ac jurisdictionem habuisse ; tum longe Judaicis sacerdotibus ampliorem. Quid sit potestas clavium, de qua Trapezitæ falsa opinio notatur. 52

CAPUT OCTAVUM.

Prædicandi jus ac functionem penes episcopos fuisse demonstratur adversus indoctum Trapezitæ commentum ; idque variis Patrum, ac Conciliorum testimoniis asseritur. 55

LIBER SECUNDUS.

In quo certæ fidei, vel rerum ecclesiasticarum quæstiones disputantur.

CAPUT PRIMUM.

De diaconis, quos profanos mensarum administros fuisse Trapezita contendit : quæ opinio refutatur ; ac docetur tum septem illos primos diaconos Actorum 6. tum ceteros deinceps sacrum, et hierarchicum gradum habuisse ; idemque locus Actorum illustratur. Trullana pseudo Synodus notata. 60

CAPUT SECUNDUM.

Socratis locus ab Trapezitæ falsa interpretatione vindicatur super pœnitentiario presbytero ; κανόνα ibi legem esse, non corpus clericorum. De canone Nicæno 12. accurata disquisitio ; cujus absurda interpretatio ab Trapezita conficta discutitur. Militiam universe Christianis interdictam non fuisse illo canone ; uti nec a Lactantio, cujus illustratur locus : ὑπόπτωσις pœnitentiæ gradus omnium laboriosissimus. 63

CAPUT TERTIUM.

De Epiphanii loco falsa Trapezitæ conjectura refellitur, idemque declaratur. Negotiatores haud recte dici ab eodem damnatos ab Ecclesia. Βίος *matrimonium* interdum significat, contra quam Trapezita credidit. Ejusdem impudens calumnia in Romanam et catholicam Ecclesiam conjecta. Tum alius error aientis minima peccata pœnitentia publica olim mulctata fuisse. 69

CAPUT QUARTUM.

Trapezitæ in fidei, aut Theologiæ tractandis quæstionibus temeritas. Bonorum operum ab eo negata merita ; quæ et omnium universe aliqua, et majorum præstantiora esse monstratur. De duplici vitæ instituto, communi, atque perfecto. Hujus sublatum ab Trapezita meritum defenditur. 71

CAPUT QUINTUM.

De Christi præceptis ac monitis in Monte editis ; deque iis absurda, et secum repugnans Trapezitæ sententia. Consilia de rebus esse difficilioribus ; falso ab eodem putari, omnia, quæ illic præscripta sunt a Christo, esse præcepta, ita ut nullum sit consilium. Gravis ejusdem error asserentis, solis apostolis data illa esse, non Christianis ceteris ; tum inconstans opinio, solos perfectæ vitæ professores illis obligari. Consilia funditus ab eodem tolli. Ostenditur demum Christum in Monte partim præcepta, partim consilia dedisse. 74

CAPUT SEXTUM.

De consiliis evangelicis, et operibus supererogationis ; quæ vox primum ab Trapezitæ obtrectatione, tum res ipsa vindicatur. Demonstratur e Scriptura, et antiquis Patribus, opera quædam esse, quæ lege nulla jubentur, et sponte præstita supererogari dicuntur. 77

CAPUT SEPTIMUM.

Trapezitæ impia quædam et hæretica dogmata. Divinum charisma etiam reprobis tribui in hac vita, adeoque Spiritus S. gratiam. De parabola operariorum Matthæi 20. quam perperam explicat Trapezita. Nullum esse peccatum nisi voluntarium, etiam in reprobis, contra eumdem asseritur. 80

CAPUT OCTAVUM.

De Christi præcepto, quo Matthæi 5. vetat uxorem nisi ob adulterium dimittere. Romani Pontifices, et juris canonici consulti ab Trapezitæ calumnia purgati. Etiam ob adulterium dimissa conjuge, non licere alteram ducere; eamque vetustissimam Ecclesiæ sententiam fuisse, quamvis Christiani principes secus facere permiserint. 83

CAPUT NONUM.

De petitione quarta Orationis Dominicæ. Quid sit ἄρτος ἐπιούσιος, eaque vox diligenter exposita. Quæ sit βαττολογία ibidem a Christo notata Non interdici a Christo cibi, ac rerum ad victum necessariarum postulationem; deque ea re Trapezitæ maximus error. 86

CAPUT DECIMUM.

Nonnulla Scripturæ loca perperam ab Trapezita vel correcta, vel exposita, vindicantur; atque interpretis vulgati contra illius novitatem et calumniam patrocinium suscipitur. 92

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

LIBER PRIMUS.

In quo de episcopis, qui sub apostolorum tempus extiterunt, et eorum successionibus agitur.

PRÆFATIO.

Disputationis causæ, et institutum De Puritanæ sectæ conatu, et studio ad omnem sacrum ac civilem principatum abolendum. 97

CAPUT PRIMUM.

De apostolica traditione, ejusque varia distinctione. Memorabilis de illis Basilii locus illustratur. Traditiones hujusmodi partim immobiles esse, partim mutabiles. Utriusque generis exempla varia. Quæ sit nota, et proprietas apostolicæ traditionis. 103

CAPUT SECUNDUM.

Presbyteri vocabulum explicatur, quod modo dignitatis est nomen, modo ordinis. Aliud esse, episcopatum et presbyteratum in unam convenire personam; aliud, unicum esse ordinem. Ostenditur, utroque modo ex apostolica traditione discerni. Episcoporum singularium successiones Romæ, et in aliis urbibus ex veteribus adstruuntur. Irenæi locus insignis. Illustratur Apocalypsis locus, ubi angelorum nomine singulares urbium episcopi significantur. 109

CAPUT TERTIUM.

Colligitur ex antecedentium doctrina capitum, distinctos esse ordines duos, episcopatum, et presbyteratum, divina, et apostolica traditione. Et agitur de divina traditione, cujusmodi ea sit. Commemorantur hujus aliquot exempla. Sacramentorum institutionem divini esse juris, et inter hæc Ordinationem, maxime ex Augustino probatur. Nulli unquam presbytero licuisse sacramentum Ordinis conferre. Sed nec posse. Quid vox δυνατικῶς significet, deque ea inscitia Salmasii. 115

CAPUT QUARTUM.

Quatenus in unam, eamdemque personam ordines duo, episcopatus et presbyteratus, concurrerint; nihilominus ex se distingui. Quid sit ratione, et subjecto differre. Cathari Trapezitæ inscitia; qui ista capere non potuit. Ejusdem inepta calumnia. 120

CAPUT QUINTUM.

Salmasii contra singularium episcoporum successiones ab antiquis memoriæ proditas falsa, et absurda præscriptio. Absurde illum argumentari contra sanctorum Patrum auctoritatem. Apostolorum duo genera ab illo tradita: et apostolatus perperam explicata ratio. Falso ab eo dici, majores apostolos immediate missos a Christo. Marci Antonii de Dominis, et Casauboni itidem de apostolis confutatæ sententiæ. 123

CAPUT SEXTUM.

De falsa apostolatus nota ab Salmasio tradita; ut nusquam certo in loco pedem figerent apostoli. Ea multis argumentis refellitur. Neque apostolos ex vi nominis, et officii sui necessario vagari; neque episcopos una in urbe defixos teneri. De apostolis secundi generis ab eodem Salmasio allata confutantur. De Jacobi apostolatu, et episcopatu obiter actum. 127

CAPUT SEPTIMUM.

De Jacobo apostolo accuratius disputatur. Utrum apostolus fuerit unus e majoribus; an, ut Catharo Trapezitæ visum est, e minoribus. Variæ Pauli profectiones Hierosolymam, ex quibus liquido probatur, Jacobum unum e summis, et quidem duodecim apostolis fuisse. Eumdem primum fuisse Hierosolymorum episcopum. 132

CAPUT OCTAVUM.

Rursus de episcopatu Hierosolymitano Jacobi. Æstus in eo, et inconstantia Salmasii. Ridicula ejusdem ex pseudo Clemente disputatio. Refelluntur illius argumenta omnia. Jacobum fuisse episcopum, e Scripturis ostenditur. In quo repugnat sibi ipse Salmasius. Ordinatio, et χειροτονία varie accepta. Hegesippus illustratur. 134

CAPUT NONUM.

De Marco evangelista, et episcopo Alexandrino. Refelluntur inanes de eo Cathari Salmasii conjecturæ. Fuisse singulares in multis Ecclesiis episcopos. Hieronymi de Marco testimonium. Non esse consequens, ordinandi jus penes simplices fuisse presbyteros, etsi Confirmationis sacramentum administrare permissum illis fuerit. Evodium Antiochiæ episcopum fuisse, nequidquam obstrepente Catharo : cujus fœdæ secum velitationes excutiuntur. 141

CAPUT DECIMUM.

De Romana sede, et episcopis illius, quos a Petro singulares in ea præfuisse probatur. Variæ sententiæ veterum de Petri successore. Fuisse tamen unum certum, et singularem. Irenæi de eo testimonium, et aliorum antiquorum. Salmasii quoque consentiens de eo sententia; et mira ejus inconstantia, et implicata insciti. Excutitur Clementis locus ex epistola ad Corinthios. 145

CAPUT UNDECIMUM.

Salmasii de singularibus per Ecclesias præfectis, et episcopis apostolorum ætate, accuratius explicatur opinio; ac mirifica secum illius repugnantia convincitur. Dici ab illo fuisse per singulas Ecclesias singulares episcopos, presbyterii primates, qui nomine, dignitate, jurisdictione antecellebant ceteris; quod in eodem libro rursus negat. De apostolis minoribus, et majorum adjutoribus fœda illius conflictio. Jacobum, Marcum, ac ceteros apostolorum ætate veros certarum sedium episcopos fuisse, eodem adstipulante Salmasio. 148

CAPUT DUODECIMUM.

Reliqua de eodem argumento Salmasianæ conflictionis monstra procurantur, nempe de Marco, et Alexandrina Ecclesia. Ridicula illius argumentatio, qua probat, presbyteros eumdem cum episcopis ordinem constituisse; quæ ex Hieronymo, et Ambrosio refellitur. Ejusdem æstus et contradictio. De pseudo Ambrosio, qui commentarios ad Paulum scripsit. Non eum esse Hilarium Luciferianum, ut plures existimant. Salmasii ἀκριβεῖα in deligendis auctoribus, et repugnantia. De vocis *presbyteri* significatione, necnon *sacerdotis*. *Senior* pro domino, et potestatem habente. 154

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De primatu, et πρωτοκαθεδρίᾳ in ecclesiasticis ordinibus, quæ inter presbyteros fuit. Episcoporum electio, cleri ac populi suffragiis permissa. Cypriani locus insignis; in occidentalibus Ecclesiis præsertim populi consensum intervenisse. Utrum idem in orientalibus observatum sit, quæritur. Videri illam ibi consuetudinem valuisse, maxime in Ægypto, et Alexandriæ. Synesii locus insignis, necnon Leonis. Explicatur pseudo Ambrosii locus a Salmasio perperam acceptus; ex quo illustratur Hieronymus, et ambo inter se conciliantur. Προεδρία inter episcopos, maxime Africanos; ubi ex ætate primates constituti. Eutychii cujusdam Alexandrini locus expensus de duodecim presbyteris, a quibus patriarcha constitutus. 163

LIBER SECUNDUS.

In quo Theodoreti, Chrysostomi, Hieronymi, et aliorum Patrum sententiæ ac testimonia de episcopo, et presbytero declarantur, illustrantur, et ab Catharorum calumnia vindicantur.

CAPUT PRIMUM.

De Theodoreti sententia, et interpretatione Pauli. Illum videri non satis constare sibi. Ejus opinio perperam ab Salmasio accepta, et tricis atque involucris obducta panditur. Ejusdem Salmasii pugna secum. Episcopatum includere sacerdotium, sive presbyteratum : non tamen vicissim omnem presbyterum esse episcopum. 171

CAPUT SECUNDUM.

De episcopo rursus, ac presbytero; quomodo hic in illo contineatur, et quatenus invicem distent. Salmasii in eo falsa ratio. De Theodoreto rursus agitur; quem iste explicare studens intricat. De apostolis judaicis, et secundi ordinis post majores ab Christo institutos. Epaphroditus quo sensu apostolus dicatur a Paulo. 176

CAPUT TERTIUM.

De Chrysostomo propugnantur illa, quæ in Dissertationibus scripta sunt. Pessime ab Salmasio mens illius accepta. Presbyteros et episcopos apud Paulum interpretari ab eo de secundi ordinis sacerdotibus. Salmasii calumnia, et ἀπροσεξία. De Epiphanio ejusdem hallucinatio. Recte illius a nobis explicatam esse sententiam. Salmasium vero a seipso dissentire. 183

CAPUT QUARTUM.

De Hieronymo : cujus sententiam depravat Salmasius. Quatenus idem cum Chrysostomo sentiat, aut ab eo dissideat. Duo illius loca proponuntur et explicantur. Salmasii abnormis a seipso dissensio. Hieronymi sententia plenius excussa in epistola ad Evagrium : et in commentariis ad epistolam Pauli ad Titum. 187

CAPUT QUINTUM.

Explicatur Hieronymi sententia de episcopis, et presbyteris. Episcopi nomen, et hujus origo diligentius exponitur. Certus Athenis magistratus ea voce designatus. Hieronymus cum episcopum, ac presbyterum eumdem dicit, solam externam Ecclesiæ gubernationem respicere. Multum ab hæreticorum opinione distare ipsum. Duplex ratio interpretandi Apostoli probabilis. Ridicula Salmasii quiritatio de institutione episcoporum ex Hieronymi sententia. Res interdum optimæ ex malorum occasione ortum accipiunt. 192

CAPUT SEXTUM.

Aerii hæretici opinio declaratur : quæ Puritanorum prælusit hæresi. Salmasius pessime illam interpretatur. Ostenditur Aerium penes simplicem presbyterum exi-

stimasse ordinandi esse potestatem : tametsi injuste usu illius interdiceretur ab episcopis. De manuum impositione. Quid differant inter se χειροθεσία, et χειροτονία. Variæ manuum impositiones. Salmasii error, qui impositionem manuum in Confirmatione putavit a presbyteris usurpatam. De alia impositione manuum presbyterali in occidentali Ecclesia instituta. 200

CAPUT SEPTIMUM.

Ex iis, quæ de Aerii opinione disputata sunt, ostenditur, multum ab illo distare Hieronymi sententiam : nec obstare quod iisdem Scripturæ testimoniis utuntur; deque eo Salmasii præposterum judicium. Ejusdem stupenda calumnia. Epiphanii et Hieronymi mira consensio. Qua ratione in multis Ecclesiis apostolorum tempore, non unum episcopum præfuisse dicatur ab utroque; sed presbyterorum simplicium collegium : idque esse probabile. Salmasii stupida conflictio secum, ac repugnantia. Presbyteros simplices nunquam ordinandi jus habuisse. Epiphanius perperam a Salmasio reprehensus defenditur. Hujus etiam frivola de Timothei episcopatu conjectatio. De Theodoreti vero loco horrenda judicii, verborumque conflictio. Qui quidem locus nova interpretatione, et aliis Patribus consentanea declaratur. 205

CAPUT OCTAVUM.

Quorumdam Catholicorum de Hieronymo et aliorum Patrum dictis, ac sententiis judicium ; præsertim Michaelis Medinæ : qui perperam illos in invidiam Arianæ hæresis adduxit, a qua alienos esse illos ostenditur. Salmasii falsa criminatio diluitur. Exponitur iterum Hieronymus, quem externæ functionis ratione exæquasse presbyteros episcopis demonstratur. 212

CAPUT NONUM.

De presbyteris simplicibus rursus agitur : ac refellitur Salmasii opinio asseverantis olim eumdem ordinem fuisse cum episcopis, postea vero duos ex uno factos ordines ; quod non posse fieri monstratur. Sacramenta divini juris, et institutionis esse : ideoque nec ab hominibus imminui, ac mutari posse. Ex quo probatur, nunquam presbyteratui simplici ordinationem esse permissam. Salmasii non una labes. Presbyteri vox explicata. Sacramenti ratio, ac definitio : ex qua Ordinis esse sacramentum probatur. Divini juris esse institutionem Sacramentorum. 215

CAPUT DECIMUM.

Salmasii a seipso fœda dissensio idem asseverantis ac negantis. Non omnia quæ re idem sunt, idem esse ratione. Episcopatus eminenter inferiores continet ordines. Non esse proprium presbyteri, qua presbyter est, ordinare. Nullum exemplum extare ordinationis a simplici factæ presbytero. Imo nullam et irritam prorsus habitam fuisse. Quod Ischyræ exemplo probatur. Μυστικωτέρα χειροτονία irrisa ab ridiculo Catharo, defenditur. 219

CAPUT UNDECIMUM.

Diluuntur ea, quæ passim objici solent, ut probetur simplices sacerdotes aliquando impositione manuum ordinasse. De Ancyrani concilii canone 12. Salmasii in hoc opponendo ἀλογιστία. Non potuisse provincialem synodum in re tanta aliquid innovare. Quod in rebaptizandi negotio demonstratur. Declaratur canon ille, e variæ de eo sententiæ. De chorepiscopis. Solis episcopali præditis charactere tribui ab illo canone ordinationem clericorum. Nova et probabilis ejusdem canonis interpretatio ex canone 18. ipsius synodi. Episcopi interdum in ordinem coacti presbyterorum simplicium. Alter locus ex Leone M. objectus exponitur. Non licuisse ordinare clericum sine certa sede. 225

CAPUT DUODECIMUM.

De chorepiscopis rursum agitur. Parœciarum origo quomodo ab rusticanis ecclesiis ad urbanas transitum fecit. Explicatur quid sit παροικία, sive parochia. Duplex ejus notio : una qua totam diœcesim significat : altera qua partem illius. Χώρα quid sit. In magnis urbibus plures erant parœciæ, in aliis una tantum. Insignis Innocentii primi locus illustratus. Salmasii repugnantia secum dicta. Περιοδευταί, deque iis Laodicenus canon expositus : Περιοδεύειν, mederi. Ridicula Salmasii opinio *curatos* dici περιοδευτάς, id est medicos. 232

LIBER TERTIUS.

Qui Salmasii falsa, et imperita dogmata potissimum refellit

CAPUT PRIMUM.

Salmasii variæ hæreses, præsertim de sacris Ordinibus. Tam hos, quam horum differentiam juris esse divini. Quod ipsum ex ipsiusmet confessione Salmasii probatur; et prodigii similis illius decretorum inconstantia castigatur. Ex Tridentini concilii decreto jure divino distinctos esse contra eumdem ostenditur. 238

CAPUT SECUNDUM.

Confutantur Salmasii hæretica dogmata : ac primum, quod laicos omnes sacerdotes facit; ac reipsa sacramentum Eucharistiæ confecisse olim asserit. Baptismi, et Eucharistiæ non eamdem esse rationem, et administrationem. Falsa illius opinio refellitur asserentis, olim promiscue patres omnes familias Eucharistiam consecrasse post cœnam; postea id presbyteris attributum. Cypriani locus ex epistola 63. declaratur. Morem illum bis celebrandi sacrificii, mane et post cœnam, non fuisse totius Ecclesiæ. Eucharistiam a jejunis sumi, morem esse vetustissimum ; etsi certis diebus aliter in quibusdam locis usurparetur. Augustinus illustratus. Salmasius perperam Eucharistiæ confectionem laicis a Christo mandatam ait. 243

CAPUT TERTIUM.

Explicantur argumenta, quibus Salmasius probat, laicos omnes esse sacerdotes. Ac primum Tertulliani locus expenditur. Tertullianum hyperbolice multa dixisse; inter quæ istud est, laicos esse sacerdotes. Ejusdem ante hæresim sanum, et probum de eadem re judicium. Aliud esse absolutam in ordinibus sacris functionis potestatem, aliud fungendi modum ; adeoque extraordinariam, et ordinariam potestatem differre. Explicatur, quo sensu Tertullianus, et Hieronymus ordinum discrimen juris humani esse dixerint; idque ipsum ex Salmasio convincitur. Ejusdem error apostolica decreta omnia divini esse juris asseverantis. Calvinus refellitur. 248

CAPUT QUARTUM.

De Sacrificio novæ legis eucharistico disputatum obiter, ex Cypriano præcipue, cujus insignia loca de hac re proponuntur. Tum idem ex Irenæo, Justino, aliisque Patribus efficitur, qui peculiare quoddam, et proprium institutum a Christo sacrificium esse magno consensu docent. 254

CAPUT QUINTUM.

Puritani dogmatis vesania et furor, quo sacrificium et altare tollitur. Arianorum, ac Donatistarum esse similes. Salmasii inanes et frivolæ argumentationes elisæ. Non eamdem rationem esse Judaicarum cæremoniarum, et Christianarum; maxime impositiones manuum. Altaria in Christiana Ecclesia veterum testimonio celebrari; idque extare in Scripturis. Eadem mensas vocari; et qua de causa. 260

CAPUT SEXTUM.

Confutatur impium Salmasii decretum, presbyteros olim fuisse laicos. Semper Ecclesiam ex pastore, ac grege fuisse compositam. Plebes cur sæpe vocantur laici. Ridicula Salmasii ratiocinatio, episcopos et presbyteros esse laicos, quia fiunt ex laicis. Qui ex laicis eligebantur, antequam episcopi fierent, minores ordines capessebant. Neophytos, et laicos episcopos ordinari vetitum fuisse. Laicos ordinandi jus nunquam habuisse; et quo sensu Christiani, sacerdotes dicantur. 265

CAPUT SEPTIMUM.

Nugæ, et ἀντιμαχίαι Salmasii. Impositio manuum, quæ fit a presbyteris in ordinandis presbyteris, non est ordinatrix. Episcopi prærogativa supra presbyteros major, quam metropolitani supra episcopos : illa juris divini est; hæc institutionis ecclesiasticæ. Petri ac Sedis apostolicæ primatus contra Salmasium propugnatur. Petrum caput, et principem apostolorum fuisse. Sed et Romanum Pontificem episcopis omnibus præstitisse, etiam ex adversariorum testimonio probatur. Non repugnare dignitati Christi, si qui in Ecclesia principes, et capita vocentur. 270

CAPUT OCTAVUM.

De episcopali dignitate, et potestate agitur. Non esse simplex onus, aut curationem. Quid curationis vox significet; tum quid munus sit, et quotuplex, ex jurisconsultis explicatur. Refellitur Salmasii error episcopatum asserentis non esse dignitatem, ac potestatem; sed nihil præter munus, et curationem. Nomina certis ex functionibus rebus imposita, quæ totam earum naturam non exprimunt. In episcopis, ut et in regibus, aliisque dignitatibus, præcipuum esse finem, utilitatem subjectorum; indeque peti nominum originem. Hinc Salmasii nugæ discussæ. Humanum quid significet. Cur Paulus episcopi dotes adeo vulgares præscribat. Hieronymi locus illustratur. Quid meritum vocet; et quo sensu dicat, episcopatus nomen non esse meriti. 277

CAPUT NONUM.

De episcopatu agitur : et ostenditur, non eum simplex esse munus, ac curationem solam; sed adjunctam habere potestatem, et esse magistratum ecclesiasticum. Quod primum in apostolis ostenditur, penes quos utraque potestas fuisse monstratur, jubendi, et coercendi. Idque ex canonibus, sive legibus ab illis editis, et traditionibus probatur. Ac leges esse demonstratur, cujusmodi sine potestate ferri nequeunt. Non solos apostolos eam potestatem habuisse; sed episcopos in illam successisse : et episcopatum ἀρχήν esse, et imperium. Usitata loquendi ratio Scripturis et Patribus, id in totum negandi, quod altero adjuncto minus est; cujus inscitia fœde lapsus est Salmasius. 287

CAPUT DECIMUM.

De jurisdictione episcopali. Ostenditur eam apostolorum ætate penes episcopos fuisse; deque eo Salmasii absurdum commentum refellitur. Episcopalem dignitatem et potestatem quantopere commendant Patres. Chrysostomi de illa insignis locus. Eadem populum maxime respicit. Ideoque tam in multis eamdem Ecclesiam regentibus, quam in uno episcopo resedit. 295

CAPUT UNDECIMUM.

Retractantur ea, quæ de episcopali dignitate, auctoritate, ac magistratu in opere Trapezitico scripta sunt. Ea recte in Dissertationibus ecclesiasticis reprehensa fuisse. Quid sit dignitas, et quomodo ab imperio, et magistratu differat. Item de auctoritate agitur. Ex privata civium in familias suas potestate orti magistratuum potestatem. Ostenditur episcopos judiciariam habuisse potestatem a prima sua institutione, et pœnarum infligendarum jus, ex epistolis Pauli. 299

CAPUT DUODECIMUM.

Expenduntur argumenta, quibus Salmasius probare nititur, nullam penes episcopos esse potestatem, ac jurisdictionem. Imprimis de Tertulliano, quem testem adducit, fuse agitur. De Montani erroribus, ac Novatiani, qui potestatem illam impugnarunt. Ridiculum Salmasii factum; qui ex auctoritate hæretici Tertulliani illud ipsum dogma, cujus gratia dissensit a catholica Ecclesia, labefactare nititur. Tertullianum alio in loco contra, ac postea fecit, de ea re judicasse. 303

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De jurisdictione ecclesiastica, præsertim episcopali : quæ contra Salmasium adstruitur; cujus frivolæ argumentationes eliduntur. Episcopos pœnæ infligendæ jus habere, etiam invitis. Excommunicationem pœnam esse gravissimam; mulctare aliquem communione probe dici. Utrum pœna sit, quam volens subit quispiam. An volenti fiat injuria; velut cum Christo mors est illata. Rursus ecclesiasticas animadversiones veras esse pœnas. Explicata obiter potestas ecclesiastica; ejusque species. Potestas Ordinis et Jurisdictionis; et quatenus differant. Tum jurisdictionis in foro interno, et externo. 308

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Excursio contra Edmundi Richerii librum de Ecclesiastica et politica potestate, ejusque dogma : quod primum summatim exponitur; tum ejus vitia castigantur. Quo sensu ecclesiastica potestas communitati ipsi conveniat. Cujuscumque reipublicæ potestatem, ac magistratum ad commune bonum tanquam finem ordinari. Potestatem ecclesiasticam in communitate fidelium *formaliter*, ut vocant, ac *subjective* non inesse; idque ex ejus institutione, et Scriptura probatur; maximeque ex iis similitudinibus, quibus Ecclesiæ conditio describitur, velut domus, ac familiæ. 313

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Richerii declaratur opinio. Putasse hunc in Ecclesia ipsa, tanquam in subjecto inesse potestatem, non in summo Pontifice, et episcopis ceteris. In quo repugnare sibimet ipsum, et incondite loqui monstratur. Explicantur reipublicæ genera tria ab Aristotele, aliisque vulgo tradita. Eorum natura, et distinctio. Gersonii, Almaini, et aliorum Parisiensium theologorum a Richerio dissensio. De ministeriali et instrumentali potestate, quam Romano Pontifici vindicat Richerius idem. Eam absurdam, et

ejus assertioni contrariam esse. Illius argumenta diluuntur. Perperam ab eodem dici, individue, et *collective* inesse potestatem in Ecclesia. 320

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Falso monarchicum statum Ecclesiæ dici ab Richerio, cum aliter revera sentiat. De clavibus Ecclesiæ perplexa illius assertio. Potestatem earum perperam ab eo statui datam esse *individue*, *immediate*, *et collective* omnibus Ecclesiæ administris. Eamdem potestatem Petro, et suo modo apostolis tributam esse reliquis. Quo sensu toti Ecclesiæ concessam velint aliqui veteres. Explicantur illa Christi verba, quibus peccantis in nos fratris delictum deferri ad Ecclesiam præcipit. Nullam ex illis demonstrari penes totam Ecclesiam esse potestatem. 326

LIBER QUARTUS.

Qui Salmasii falsa, et imperita dogmata potissimum refellit.

CAPUT PRIMUM.

1. Status quæstionis, ac disputationis argumentum. — 2. Episcopatum, et presbyteratum ordines esse, ac semper fuisse duos, et in quo sita est amborum differentia. — 3. Difficilis ex Apostolo contra discrimen illorum ordinum objectio proposita. — 4. Quæ duplici ratione dissolvitur, et utraque comprobatur. 333

CAPUT SECUNDUM.

Quæ antecedenti capite proposita sunt, explicantur, et confirmantur. 1. Ordinationis verum sacramentum esse, ut et baptismi. — 2. Ex Augustino probatum; quod et iterari nefas asserit, et characterem imprimere. — 3. Item ex Joanne Chrysostomo probatur. — 4. Triplex gradus hierarchiæ ecclesiasticæ. — 5. Distingui presbyteratum ab episcopatu ex eo demonstratur, quod ordinare soli isti licet, nefas est illi. — 6. Idque uberius ostenditur. — 7. Nulli constitutam a Deo sacramento Ordinis substantiam abrogare, aut mutare licere. 335

CAPUT TERTIUM.

Duplex Apostoli locorum interpretatio primo exposita capite defenditur, et illustratur; atque ex antiquorum dictis colligitur: — 1. Chrysostomo, et Græcis aliis, et Hieronymo; — 2. Theodoreto. — Epiphanii quæ sit opinio. — 4. Et nonnulla ex ea consectaria; — 5. velut non eodem modo semper formam Ecclesiæ administrandæ constitutam fuisse. — 6. Magna concordia docere veteres, ordinandi jus penes solos episcopos fuisse. — 7. Tum adversus Leidensem professorem probatur ordinum amborum distinctio; — 8. maxime ex episcoporum singulorum per Ecclesias serie, ac successione memoriæ prodita. 338

CAPUT QUARTUM.

1. Salmasii de episcopis et presbyteris opinio proponitur. — 2. Duo ab illo intervalla temporum constituta. Primum, quo primatus ex antiquitate, non ex merito, et electione concessus; alterum, quo ex electione. — 3. In Alexandrina tamen Ecclesia morem istum variasse. — 5. Explicantur opinionis illius firmamenta. 343

CAPUT QUINTUM.

Evertuntur firmamenta Salmasiani commenti. 1. Quorum primum ex communione nominis petitum refellitur. Irenæus singulares in Ecclesiis episcopos agnoscit. — 2. Idem ex epistola Lugdunensis Ecclesiæ, et hujus urbis martyrum ostenditur. — 3. 4. Irenæum, cum epistolam illam Romam pertulit, fuisse tantum presbyterum, non episcopum. — 5. Quod ex Hieronymo probatur. — 6. Refellitur Salmasius, qui illos martyres episcopos ait fuisse; — 7. ejusque ratio funditus evertitur. — 8. Sacerdotum nomine tam presbyteros, quam episcopos comprehendi. — 9. Ex Pii, et Victoris epistolis ab Salmasio deductum argumentum dissolvitur. 346

CAPUT SEXTUM.

1. Salmasii mira a seipso dissensio. — 2. Qui primum asserit, a pluribus presbyteris initio gubernatam esse Ecclesiam ita, ut nullum inter eos aut dignitatis, aut nominis discrimen esset. — 3. Idem vero mox contrarium docet, initio et dignitate et nomine fuisse discretos. — 4. Κρύψις ejusdem, et excusatio falsa erroris, et frivola. — 5. Utcumque vero decreta illius se habeant, refellitur commentum primatus inter presbyteros ex ordinationis tempore ab eo confictum. — 6. Cujus firmamenta convelluntur. — 7. Maxime ex Hieronymi auctoritate. 350

CAPUT SEPTIMUM.

1. De loco quodam commentarii ad epistolas Pauli ab Amalario citato, quem Salmasius ad causæ suæ patrocinium attulit. — 3. Tria ex eodem loco colliguntur. — 4. Ex quibus intelligitur, commentarii illius auctorem idem cum Theodoreto sensisse, cujus opinio supra est exposita capite tertio; quid in eodem improbetur. — 5. Ex quo Salmasii falsa divinatio refellitur, et ejusdem stupor arguitur. 353

CAPUT OCTAVUM.

1. Præmunitio quædam ad insequentem disputationem. — 2. Falsa Leidensis professoris criminatio discutitur: quid de Ordinibus Tridentina synodus decreverit. — 3. Solido et invicto argumento probatur, ex institutione Christi ordines duos, quorum alter episcopatus, alter presbyteratus simplex vocatus est, esse distinctos. — 4. Contra quod fractus, et enervis Salmasii impetus retunditur. — 5. Ejusdem impedita, et incondita ratio. — 6. Unde obortus illi error in ejusmodi; ac de diaconatu ejusdem hallucinatio. 356

CAPUT NONUM.

Leidensis professoris tarditas, et ἀλογία. — 2. Quomodo tres hierarchici ordines distinguantur, ratione, vel subjecto; — 3. quod fusius declaratur. — 4. Apostolos fuisse episcopos, et quatenus ab illis discrepent hodierni episcopi, sintque successores ipsorum. — 5. Itaque triplex hierarchicus gradus constitit Ecclesiæ veteri: indidemque Salmasii calumniæ refutantur. — 7. Ordinis vox ambigua; et modo Sacramentum, modo βαθμὸν, sive gradum significat. 360

CAPUT DECIMUM.

Aliæ Salmasii cavillationes. 1. Sed ante fœdissima secum illius conflictio proponitur. — 3. Qui diaconatum et presbyteratum alias unum ordinem initio Ecclesiæ fuisse scribit ; alias duos et distinctos institutos a Christo, et ab apostolis constitutos. — 5. Ejusdem Salmasii frigida cavillatio. — 6. Quæ in eum retorquetur. 364

CAPUT UNDECIMUM.

Solvuntur argumenta Salmasii contra Ordinum discrimen adducta. 1. Ac primum duplex interpretatio locorum Apostoli, unde orta controversia est, repetitur. — 2. Tum presbyteri et episcopi vocabula promiscue olim usurpata. — 4. Quomodo intelligendum sit, quod græci quidam Patres asserunt, initio fundatarum Ecclesiarum aliam gubernandi formam institutam fuisse, quam postea. — 5. Refellitur μικρολογία Salmasii in putando tempore, quo quæque ab apostolo Paulo scripta est epistola, et argumentum, quod inde conficit. 367

CAPUT DUODECIMUM.

1. Joannes apostolus cur se presbyterum nominet, ex quo Salmasii deducta ratio discutitur. — 2. Ejusdem secum pugna, et hallucinatio. — 3. Item aliud argumentum ex Clementis epistola ad Corinthios dissolvitur. — 4. Quid in ea vox πρεσβυτέρου significet. — 5. Explicatur causa, quam Clemens habuit scribendi ad Corinthios. — 6. Senatum, et consilium ecclesiasticum vocari ab eodem ἐπισκοπήν. Falli Salmasium, dum a Clemente putat duos tantum ordines numerari. Ibidem διακόνους appellative sumi. — 7. Idem etiam de ἐπισκόπου nomine probatur. Isaiæ locus illustratur. 369

LIBER QUINTUS.

In quo contra Apologiam pro sententia Hieronymi nuper editam potissimum disputatur

ΠΡΟΘΕΩΡΊΑ. 373

CAPUT PRIMUM.

1. Exponitur opinio Blondelli de episcopali, et presbyterali ordine in antiquiori Ecclesia. — 2. Hujus opinio minus a veritate recedit, quam Salmasii. — 3. Nec tamen vera. Falsam esse primatus rationem illam, quam introducit, et successionis in episcopatum. — 4. Auctor commentarii in epistolas Pauli, qui inscribitur Ambrosio, excutitur. — 5. Hieronymi sententia proponitur de controversia nostra ; — 6. quæ pseudo Ambrosii interpres est ; et adversariorum indidem opinio confutatur. Episcopatus qualem hominem requirat. — 7. Blondelli sententia ex ipsomet auctore confutatur. — Cujusmodi successio fuerit episcoporum prioribus mortuis. — 9. Quid vox *sequens* significet. — 10. Explicatur pseudo Ambrosii locus. 374

CAPUT SECUNDUM.

Expenduntur argumenta Blondelli contra nostram sententiam ; 1. ac primum illud, quod ex successione Hierosolymitanorum episcoporum ducitur. — 2. Paucis annis sedisse illic episcopos primo seculo. — 3. De Alexandrinis patriarchis Eutychii locus excutitur. — 4. Male ex eo argumentationem ab illo confici. — 5. Opponuntur Eutychio alii similes historici. — 7. Refellitur novum commentum Salmasii, et ceterorum. 379

CAPUT TERTIUM.

1. Falsa Leidensis Trapezitæ opinio de Ægypti presbyteris. — 2. Illustratur Epiphanii locus de parœciis Alexandrinis. — 3. Fœda Salmasii secum ipsius conflictio. — 4. Nicænæ synodi decretum de Meletio schismatico. — 5. Quod explicatur. — 6. Et ex Socrate, ac Theodoreto diversus sensus illius exponitur. — 7. Mira hallucinatio Salmasii in Nicæno illo decreto declarando refellitur. — 9. Alexandrinæ Ecclesiæ presbyteros ordinandi jus non habuisse probatur ex Athanasio. 384

CAPUT QUARTUM.

De Hieronymo Blondelli sententia deinceps excutitur. — 1. Nihil ab illius auctoritate discrepare sententiam nostram. — 2. Primus ex commentariis in epistolam Pauli ad Titum locus expenditur ; quo sensu episcopus et presbyter συνονύμως usurpentur. — 3. Ex quo illius, et Salmasii opinio refutatur ; — 4. ac Blondellus præsertim ex positis a se principiis oppugnatur. — 5. Explicatur Hieronymi locus ; quomodo presbyteri ad gubernationem Ecclesiæ fuerint adhibiti. — 6. Populi suffragia olim ad clericorum ordinationem adhibita. — 7. Ex quo Blondellus, et Salmasius refelluntur. — 8. Salmasii castigatur error. 389

CAPUT QUINTUM.

1 Locus alter Hieronymi ex epistola ad Evagrium exponitur. — 2. Diluitur Blondelli objectio. De vocabulo diaconi. — 3. Ex Hieronymi duobus locis Blondelli et Salmasii opinio discutitur. 393

CAPUT SEXTUM.

Expenduntur veterum testimonia, quæ ad opinionem suam approbandam Blondellus accumulavit. 1. Frustra Hieronymi ab eo susceptam apologiam ; quem quidem in eo ipso, quo utitur, testimonio falsitatis accusat ; quod ejus opinioni contradicat. — 2. De turba testium, quos idem Blondellus citat, generatim disseritur ; ac primum ostenditur, nihil illos eorum affirmare, quæ Salmasius et Blondellus commenti sunt. — 3. Rediguntur illa testimonia ad summam quamdam, quæ nihil illos adjuvet. — 5. Argumentis aliis ostenditur, nihil ad sublevandam Salmasii, et Blondelli fabulam testimonia ista prodesse. 395

CAPUT SEPTIMUM.

Expenduntur testimonia veterum, quæ eumdem ordinem esse presbyteri et episcopi, probare videntur ; 1. ex Polycarpi epistola, 2. libro Pastoris, Justino, etc. — 3. De Lugdunensibus martyribus. — 4. Eusebii intempore illorum martyrii constituendo minime constans opinio. — 5. Certa illius ratio definitur. Irenæus ad Eleutherum missus a martyribus adhuc presbyter. — 6. Pseudo Damasi improbata descriptio. 398

CAPUT OCTAVUM.

De Ignatio martyre, et ejus epistolis, quarum fides, in dubium vocata ab nonnullis, asseritur. 1. Germanum ea-

rum exemplar in Florentina bibliotheca, ex quo nuper editæ sunt. — 2. Ostenditur, veras illas esse, non supposititias, ex veterum auctoritate. — 3. Salmasii contra illas argumenta duo; — 4. quæ diluuntur. Quid sit νεωτερικὴ τάξις apud eumdem Ignatium; et falsa de illa Salmasii opinio refellitur; — 5. ac vera penitus adstruitur. — 7. Altera objectio de σιγῇ, et λόγῳ, a Valentinianis accepto dissolvitur : et quorsum λόγος ex silentio prodiisse dicatur, exponitur. — 8. Alia contra epistolas easdem objecta refelluntur. 401

DE PŒNITENTIÆ VETERE IN ECCLESIA

RATIONE DIATRIBA.

§ I.

Quæ fuerit Novatianorum hæresis. 407

§ II.

Quibusdam peccatorum generibus, et quatenus negata communio sit in Ecclesia veteri. 408

§ III.

Pœnitentiam ac pacem semel an sæpius Ecclesia vetus indulserit. 413

§ IV.

De memorabili Nectarii Constantinopolitani præsulis historia; et utrum ille confessionem sustulerit. 415

§ V.

Fueritne quondam publica peccatorum confessio Ecclesiæ moribus recepta. 418

§ VI.

Quonam in pœnitentiæ gradu sacramentalis absolutio concessa fuerit. 422

DE PŒNITENTIA PUBLICA ET PRÆPARATIONE

AD COMMUNIONEM.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO. 427

CAPUT PRIMUM.

Nihil facile novandum in legibus, et præsertim ecclesiasticis. De consilio Antonii Arnaldi, in libro de frequente Communione. Vehementer esse suspectum, nec secum satis consentire. 429

CAPUT SECUNDUM.

Librum de frequente Communione plenum esse fuco atque malis artibus, in doctrinæ propositione : quæ semper observata sunt in iis, qui novi quidpiam in Ecclesiam intromittere conati sunt. Quod confirmatur exemplis ex historia ecclesiastica, ut Marcelli Ancyrani, Pelagii et aliorum. 432

CAPUT TERTIUM.

Accuratior expositio consilii Arnaldi in libro de frequente Communione. Periculosum esse, atque ad schisma spectare. Ecclesiam non posse falli in iis, quæ spectant ad fidem, et bonos mores. 435

CAPUT QUARTUM.

Falli Arnaldum, qui usum Ecclesiæ censet esse perturbationem disciplinæ ac corruptionem morum; quod ex ejus tota disputatione probatur. De ambiguitate vocum *Disciplina* et *Mores*. Doctrinam ejus contumeliosam esse Ecclesiæ. Praxim vulgarem pœnitentiæ non esse abusum. In vitio solo sitam esse morum corruptionem. A concilio Tridentino probatam præparationem ad communionem, qualis nunc in Ecclesia obtinet. Duæ rationes præparationis. 437

CAPUT QUINTUM.

Librum de frequente Communione secum pugnare in descriptione consilii Operis. Maxima Religionis dogmata notissima esse necesse est. Vituperandum esse, quod tribuat Ecclesiæ licentiam, ac prolapsionem morum, dum mores vocat instituta publice recepta. Relaxationem disciplinæ non esse corruptionem morum, sed solum vitium; quod non attigit hic Arnaldus, qui nihil carpsit, præter publicum Ecclesiæ institutum. Hoc esse potissimum delictorum, et errorum ejus caput. 442

CAPUT SEXTUM.

Absurda subterfugia operis de frequente Communione, circa auctoritatem Concilii. Rationes absurdæ restituendæ pœnitentiæ publicæ, quas propositas a Concilio contendit. Consectaria periculosa indidem deducta. Pœnitentiam publicam non esse traditionis apostolicæ. Quid sit traditio apostolica, et quid in ea postuletur : quorum potissimum est, ut usitata fuerit tempore apostolorum. 446

CAPUT SEPTIMUM.

Examen quatuor priorum indicationum, quas opus de frequente Communione tribuit concilio Tridentino. A Concilio non esse instauratas omnes traditiones veteres; sed tantum eas, quæ ad fidem pertinent, aut quæ contrariis consuetudinibus, vel disertis constitutionibus abrogatæ non fuerant. Arnaldus abutitur voce *traditio*. Multi canones nunc sunt obsoleti. Absurda, quæ sequuntur ex ratiocinatione Arnaldi. Animus Concilii circa pœnitentiam. Magni facienda opera pœnitentiæ, sed quomodo. 452

CAPUT OCTAVUM.

Examen quatuor posteriorum indicationum, quas Arnaldus concilio Tridentino tribuit, circa pœnitentiam publicam. De potestate ligandi et solvendi, quam perperam sitam potissimum esse vult in impositione pœnarum satisfactoriarum, cum primo loco ad peccatum referatur. Quod probatur testimonio Scripturæ, et Patrum. Quid sit retinere peccata, et quomodo hoc fiat a sacerdotibus. Arnaldus verba Concilii in sensum alienum torquet. Ei Concilio nequaquam animum fuisse restituendæ pœnitentiæ publicæ. 456

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Enumeratio aliquot consuetudinum, quæ obtinebant in Ecclesia primitiva, et in ea fuerunt mutatæ. Notæ veræ Ecclesiæ, ejusque ἀναμαρτησίας. De consuetudine prisca Christianorum abstinendi a sanguine, et rebus suffocatis. Constitutio Ecclesiæ de secundis nuptiis. Ejusdem consuetudo antiqua circa baptismum. 462

CAPUT SECUNDUM.

Nonnullæ aliæ veteres consuetudines obsoletæ. De pœnitentia publica, quæ seculo præsertim tertio constituta fuit. Tria genera peccatorum sine remissione. Locus Joannis explicatus. Sanctus Cyprianus severus in disciplina ecclesiastica. Pœnitentia publica Constantinopoli sublata. 464

CAPUT TERTIUM.

Consectaria antecedentis disputationis. Antiquas consuetudines ab Ecclesia posse mutari. Exemplum memorabile Augustini de jejunio diei sabbati. 467

CAPUT QUARTUM.

Leges positivas contraria consuetudine obsolescere. Ratio ejus rei ex S. Thoma. Exemplum jejunii. Error Arnaldi, malaque ejus fides in vertendo Bellarmini loco, cujus auctoritate abutitur. Idem Arnaldus convictus exemplo jejunii, et auctoritate S. Augustini. 469

CAPUT QUINTUM.

Librum de frequente Communione favere hæreticis, adeoque nocere Ecclesiæ catholicæ, quæ ex ejus libri doctrina illis respondere nequit. Ea everti firmitatem fidei et Ecclesiæ. Noxiam etiam esse Reipublicæ, et potestati Regum, ac præsertim quidem Christianissimorum. 471

CAPUT SEXTUM.

Brevis repetitio eorum, quæ dicta sunt de consilio libri de frequente Communione, ejusque erroribus. Eo spectare, ut corrigat consuetudinem universalem Ecclesiæ probatam a concilio Tridentino, eamque vocare abusum, ac licentiam. Quod ejus verbis demonstratur, et copiose refellitur; dum interea opus crassorum errorum, ac repugnantiarum arguitur. 474

CAPUT SEPTIMUM.

De Ecclesia primitiva, ejusque auctoritate in rebus ad fidem pertinentibus et consuetudinibus Ecclesiæ. Nos revereri oportere, non imitari priscos omnes ritus. Error operis de frequente Communione de tempore primitivæ Ecclesiæ constituendo. 479

CAPUT OCTAVUM.

Error Arnaldi de tempore pœnitentiæ publicæ Quinam ei leges tulerint. De canonibus ad eam pertinentibus. Eum nescire quid petat, et male ab eo definitum tempus primitivæ Ecclesiæ. Pœnitentiam, qualis nunc viget, esse magis consentaneam temporibus apostolicis, quam pœnitentiam, quam inducere vellet Arnaldus. Tunc temporis homines neque in perpetuum, neque in longum tempus communione exclusos fuisse. Quod confirmatur aliquot exemplis. 482

CAPUT NONUM.

De varietate Arnaldi in institutione pœnitentiæ. Jugiter eum queri ob pœnitentiæ remissionem. Descriptio publicæ pœnitentiæ, secundum Tertullianum, quam nobis Arnaldus promiserat. Idem negat illum usum fuisse abrogatum; deinde retractat, quod dixit. Cum simulasset, se velle restituere illam pœnitentiam, ei aliam substituit, quæ vetus non est. 486

CAPUT DECIMUM.

Quam parum constans sit Arnaldus in suo consilio, deque repugnantia, in quam delabitur. Vituperando regimen Ecclesiæ, eum semetipsum damnare. Mutari ab eo, et corrumpi consuetudinem priscam pœnitentiæ publicæ, et potestatem sibi adrogari, quam negat Ecclesiæ. 489

CAPUT UNDECIMUM.

De pœnitentia publica, ejusque gradibus. Dilationem communionis non fuisse proprie pœnitentiam publicam; et quanam in re sita esset. Consuetudo antiquæ Ecclesiæ, ex qua clerici erant immunes pœnitentiæ publicæ. 493

CAPUT DUODECIMUM.

Rationes, et exempla ridicula prolata ab Arnaldo ad defendendum suum consilium, duorum Principum apostolorum. Quare S. Paulus iverit in Arabiam. Pœnitentiam publicam non posse coerceri intra solam prohibitionem Eucharistiæ. Absurda enuntiatio Arnaldi. 497

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Rationem pœnitentiæ, quæ intromittenda proponitur, non esse pœnitentiam Ecclesiæ primitivæ, ac multis incommodis laborare. Causæ, quæ impulerunt Ecclesiam ad instituendam pœnitentiam publicam, a quibus Arnaldi usus multum abest. 500

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Consilium hujus libri, et ratio, cur in hoc opere pergat auctor. Tres potissimi fontes errorum libri de frequente Communione. Primus est, quod ex indefinitis propositionibus consectaria practica deducat. Alter, quod consectaria ad extrema quæque urgeat. Tertius, quod misceat ea quæ sunt præcepta, cum iis, quæ ad decorum tantum pertinent. 505

CAPUT SECUNDUM.

Ab Arnaldo sæpe laudari anonymum parum candide, et malo consilio. Quare velit traditiones antiquas normæ instar haberi. Ratio commoda secernendi rectas consuetudines a pravis. 507

CAPUT TERTIUM.

Antiquam esse controversiam de frequentia communionis: non posse illam generaliter definiri sine multis exceptionibus in usu quotidiano; nec eo secius frequentem communionem, si summatim loquaris, præferendam esse rariori. 508

CAPUT QUARTUM.

Quæstionem practicam tribus modis posse dirimi, et quando oporteat addere circumstantias in responsi applicatione. Hanc rem esse summi momenti, ut satisfiat objectionibus Arnaldi. De formula, vel actione, quam jurisconsulti vocant doli mali. 510

CAPUT QUINTUM.

Novam rationem pœnitentiæ ab Arnaldo propositam differre a communi Ecclesiæ, duntaxat dilatione absolutionis et communionis. Voluisse eum, hanc pœnitentiam imponi tantum peccatis mortalibus, pro more antiquæ Ecclesiæ. Inde sequi ab eo revelari arcana conscientiæ. Vera narratio occasionis, qua scriptum, quod oppugnat Arnaldus, compositum est. Scandalosam esse Arnaldi doctrinam. 511

CAPUT SEXTUM.

Argumentum et occasio scripti, quod Arnaldus oppugnavit. Desumptum fuisse ex libro de Institutione sacerdotum, scripto a P. Antonio Molina carthusiano, quem immerito indignis modis laceravit Arnaldus. Id scriptum ad omnes promiscue non spectasse, sed ad certum hominem; ac proinde necesse non fuisse, ut distingueret varias affectiones eorum, qui ad communionem acceduut. Arnaldum ex ipsius confessione, perpetuæ calumniæ in toto suo opere convinci. 514

CAPUT SEPTIMUM.

Arnaldum sine ratione litem intendisse auctori scripti. Usus superioris disputationis in confutandis iis, quæ ei objecit Arnaldus. 517

CAPUT OCTAVUM.

Responsio Arnaldi ad loca Patrum, frequentem communionem probantium. Eam non esse firmam. Pœnitentiam ab eo intromissam non esse veterem. Confusionem, et absurditates ejus doctrinæ. 518

CAPUT NONUM.

Opinio S. Bonaventuræ de frequente communione. Eum nullo modo favere doctrinæ Arnaldi. Duo genera præparationis ad communionem. Alterum necessarium, et quod satis esse potest; alterum decori et consilii. Quod probatur auctoritate theologorum. Præparationem necessariam ad communionem secundum concilium Tridentinum esse sacramentum Pœnitentiæ. 520

CAPUT DECIMUM.

Sententiæ quorumdam aliorum Scholasticorum de eo, quod pertinet ad dispositionem ad communionem; Alexandri Alensis, S. Bonaventuræ, et Dominici Soto. 521

CAPUT UNDECIMUM.

Arnaldum frustra niti oppugnare vulgarem doctrinam. Rationes, ob quas SS. Patres aliquando postulent eximiam quamdam dispositionem ad communicandum. Doctrinam Arnaldi esse absurdam, et Ecclesiæ contumeliosam. Ex ejus opinione universum Christianismum a communione esse arcendum: omnesque episcopos et sacerdotes, qui sæpe Missam celebrant, sacrilegia committere; quandoquidem ex ejus doctrina sequitur a nullo id oportere fieri, nisi apostolos perfectione æquet. 522

CAPUT DUODECIMUM.

Arnaldum docuisse, non esse, ne semel quidem, communicandum iis, qui non pervenerunt ad sublimem pror-

sus, et rarum perfectionis gradum, et ne ipsum quidem S. Paulum potuisse communicare. Unde doctrinæ ejus absurditas intelligitur. 525

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Semper redeundum esse ad doctrinam Ecclesiæ. Eximius locus doctoris Theologiæ de tribus generibus præparationis ad communionem, deque ea, quæ necessaria est. Cur Patres tam eximiam dispositionem postularint ad communicandum. Arnaldum abuti auctoritate Patrum. Ejus paralogismus. 526

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Hallucinationes aliquot Arnaldi. Omnem errorem non esse hæresim. Locus Tertulliani suspectus propter ejus hæresim, qui oppugnat consuetudinem Ecclesiæ; qua in re eum sequitur Arnaldus. Ejusdem Arnaldi falsa enuntiatio, et error in interpretatione loci S. Bonaventuræ, qui suspectum eum facit gravioris erroris contra auctoritatem Ecclesiæ. 528

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De loco S. Dionysii, quem maxime jactat Arnaldus, quamvis eum nullo modo intellexerit. Primo absurdum esse consectarium, quod ex eo deducit. Deinde nullum unquam adfuturum Missæ, aut communicaturum fuisse, si verum esset, quod vult Arnaldus. 531

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Enarratio loci S. Dionysii e cap. 3. de Hierarchia ecclesiastica, male intellecti ab Arnaldo, et a Georgio Pachymere. Variæ significationes vocis Pœnitentia. Quis ordo servaretur in exclusione eorum, qui non aderant Missæ. 532

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Librum de frequente Communione plenum esse jactantia, et indecoris dictis. Tribuere eum Carthusiano, et auctori anonymo, quæ minime senserunt. Infirma conjectura Arnaldi de communione per decem dies, ab ascensione Domini nostri. 534

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Mira absurditas ratiocinationis Arnaldi, in quam delapsus est, dum vult castigare auctorem scripti anonymi, æstu nimium præcipiti. Quod illustratur variis exemplis. 535

CAPUT NONUMDECIMUM.

Objectiones Arnaldi ambiguitatibus, aut fraudibus nixæ. Duo esse genera frigoris in pietate, duo item fervoris; alterum rationale, alterum sensile. Duo esse genera gratiæ, et quid vulgo soleat nomine gratiæ intelligi. Auctorem anonymum perperam reprehensum fuisse. 536

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De dispositione necessaria ad communionem, et de eo, quod judicandum de frigore. Doctrina oppugnata ab Arnaldo est catholica. Quod probatur auctoritate magistrorum Theologiæ mysticæ, et primum quidem Joannis Gersonis, tum S. Laurentii Justiniani, Thomæ a Kempis, Thauleri, et Ludovici Blesensis abbatis Lætitiæ. 538

CAPUT SECUNDUM.

Sententiæ sanctorum aliquot hominum de frequente communione, S. Gertrudis, et S. Caroli Borromæi, ex quibus proferuntur multa eximia loca, quibus probatur frequens communio. 540

CAPUT TERTIUM.

Sententia S. Francisci de Sales episcopi Genevensis de frequente communione. 541

CAPUT QUARTUM.

Quæ fuerit sententia R. P. Ludovici Granatensis de frequente communione. 542

CAPUT QUINTUM.

Animadversiones in antecedentem disputationem, et loca allata. Expedire homines adhortari ad frequentem communionem, non vero eos ab ea avocare. Arnaldum infensum esse sanctis illis viris, et præsertim S. Carolo, vituperareque ejus institutum de frequente communione. Absurditas doctrinæ Arnaldi. 544

CAPUT SEXTUM.

Locus Ambrosii de frequente Communione male intellectus ab Arnaldo. Repugnantia ejus manifesta. 546

CAPUT SEPTIMUM.

Frustra Arnaldum uti auctoritate S. Caroli, et episcopi Genevensis ad confirmandum consilium suum. Cur nonnullis præscripserint dispositiones perfectiores ad communicandum. Eos semper Ecclesiam reverenter habuisse. 547

CAPUT OCTAVUM.

Arnaldum, quamvis dissimulet, et secum ipse pugnet, contendere eximiam dispositionem, quam Patres communionis causa postulabant, non solum esse consilii, et decori, sed etiam præcepti, quo tenentur Christiani. Animum illi esse carpere consuetudinem receptam, et comprobatam ab Ecclesia; quem in finem laudat sæpe traditiones et Patres. 549

CAPUT NONUM.

Hanc esse sententiam Arnaldi, liquere ex ejus ratiocinatione super loco S. Justini martyris. 551

CAPUT DECIMUM.

Duo esse genera mandatorum evangelicorum, alia præcepti, alia consilii. Quod probatur nonnullis Patrum testimoniis. Hæc misceri ab Arnaldo. Regula ad ea secernenda. Quantæ absurditates nascantur ex eorum confusione. 553

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Tria esse genera præparationis ad Cœnam, quorum duo sunt necessaria, non tertium. Quanam in re sita sint, et quid a nobis postulent. 555

CAPUT SECUNDUM.

Declaratio doctrinæ concilii Tridentini de præparatione ad communionem. Qua ratione sacramentum Pœnitentiæ vel confessio sit sola præparatio necessaria ad communionem. Explicatio loci Pauli hac de re. 557

CAPUT TERTIUM.

Explicatio animi Concilii de dispositione necessaria ad communionem, propugnata ab erudito theologo Facultatis Parisiensis. Attamen, propter solam hanc dispositionem, non oportere frequentius ad communionem accedere. Levium peccatorum, imperfectionumque, in nonnullis, deteriora esse consectaria, quam peccata mortalia. 559

CAPUT QUARTUM.

Duo errores oppositi de præparatione ad communionem; quorum alter nimium remittit, alter rigore nimio peccat. Falsum rumorem sparsum esse : doctrinam, quam tuetur Arnaldus, eamdem esse, quam propugnavit Hernandus Salazar. 560

CAPUT QUINTUM.

Summa doctrinæ P. Hernandi Salazaris de frequente communione. Eum universim probare usum frequentem communionis. Ex ejus sententia puritatem quidem animi, qui sibi peccati mortalis conscius non est, esse solam dispositionem necessariam ad communionem; attamen ad quotidianam communionem opus esse majore præparatione. Denique eum nolle eam in longum tempus differri, et communionem singularum hebdomadum omnibus optimam censere. 562

CAPUT SEXTUM.

Comparatio doctrinæ Arnaldi cum doctrina P. Salazaris de frequente communione; ex qua comparatione liquet, quantopere differant. Arnaldus miscet consilium cum præcepto. P. Salazari non probari diuturnam dilationem communionis, eumque auctorem esse imperfectis, ut singulis hebdomadibus communicent. 563

CAPUT SEPTIMUM.

Dolus auctoris operis de frequente Communione, qui novæ suæ reformationi prætexit consuetudinem priscam pœnitentiæ publicæ. Hoc esse captiosum argumentum; auctoremque a seipso dissentire. 566

CAPUT OCTAVUM.

Repugnantiæ Arnaldi demonstrantur. Sacramento Pœnitentiæ contineri solam præparationem necessariam, quod attinet ad externam et cæremonialem, ut e statu peccati ad communionem transeamus; nec ullam aliam a concilio Tridentino esse præscriptam. Verba Arnaldi non satis considerata, et postea ab ipso retractata, sed dimidia ex parte. Multum tamen errorem in ejus doctrina superesse. 568

CAPUT NONUM.

De præparatione necessaria ad communionem, sita, ex consensu doctorum, in puritate conscientiæ confessione purgatæ. 570

CAPUT DECIMUM.

Contraria consuetudine obsoletam esse pœnitentiam publicam. Eximium dictum S. Pauli de consuetudine. Locus insignis Joan. Fischeri Roffensis episcopi, de consuetudine per universam Ecclesiam recepta, quo damnatur novum Arnaldi institutum. 571

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Potissimum fulcrum consilii Arnaldi eversum esse. Male ab eo probari, quod suscepit probandum; et aperte pugnantia dici. 574

CAPUT SECUNDUM.

Fuisse duo genera peccatorum mortalium, quorum alterum obnoxium fuit pœnitentiæ publicæ, alterum non item. Quod probatur ex S. Augustino et S. Eligio. 575

CAPUT TERTIUM.

De tribus generibus pœnitentiæ, ubi auctoritate Augustini ostenduntur quævis peccata mortalia non fuisse subjecta satisfactioni publicæ, neque excommunicationi, ut credidit Arnaldus. 577

CAPUT QUARTUM.

Idem probatur aliis locis S. Leonis, S. Eligii, et Conciliorum gallicanorum, 578

CAPUT QUINTUM.

Aliud argumentum, ex quo liquet fuisse pœnitentiam non tantum publicam, sed etiam arcanam; ex eo ductum, quod clerici essent immunes pœnitentiæ publicæ : qui tamen, si gravius delinquerent, pœnitentiæ subjiciebantur; quam proinde privatam esse oportebat. Pœnitentes proprie dictos fuisse eos, qui pœnitentiam publicam subibant. 580

CAPUT SEXTUM.

Tempore S. Augustini omnia peccata mortalia expiata non fuisse pœnitentia publica. Argumenta Arnaldi explicata, et repulsa; et primum quidem id, quod deducit ex duobus generibus, et nominibus peccatorum mortalium, et venialium. Nomen mortalis peccati varie sumi. Quænam sint peccata mortalia, de quibus agit S. Pacianus. 581

CAPUT SEPTIMUM.

mplior declaratio loci Paciani, capite superiore prolati;

quo videtur omnis spes veniæ præcidi iis, qui certis criminibus capita sua obstrinxerint. Quod ut melius intelligatur, hæresis Montanistarum, et Novatianorum explicatur. Duo genera peccatorum secundum Tertullianum, quorum alia sunt mortalia, alia secus. Quare priora mortalia dicantur. 583

CAPUT OCTAVUM.

Absurditas sententiæ Arnaldi. Quid sit crimen. A Gabriele Albaspinæo Aurelianensi episcopo damnatam sententiam Arnaldi, atque aguita duo genera pœnitentiæ peccatis mortalibus impositæ. Locus Tertulliani male intellectus ab eodem Arnaldo, et explicatus. Quid sit exomologesis. 586

CAPUT NONUM.

Locus Origenis perperam ab Arnaldo intellectus. Ab Origene duo genera peccatorum mortalium constitui. Summa absurditas, quæ ex opinione Arnaldi sequitur. 588

CAPUT DECIMUM.

Locus S. Cæsarii male intellectus ab Arnaldo. Alterum argumentum, quo Arnaldus nititur probare omne peccatum mortale satisfactionem publicam Ecclesiæ debuisse. Duo genera communionis, et excommunicationis. Ecclesiam varia instituta secutam in reconciliatione delinquentium. Exemplum memorabile reconciliationis hæreticorum, eorumque, qui in peccatum carnis delapsi erant. 590

CAPUT UNDECIMUM.

Quodvis peccatum excommunicationis pœnam non dedisse, ut credidit Arnaldus. Pœnitentiam publicam, quam idem restituere conatur, non fuisse observatam per duodecim secula. Loca Fulberti, et Ivonis Carnotensis explicata contra sententiam Arnaldi, cujus profertur oratio suspecta erroris. 592

CAPUT DUODECIMUM.

Examen nonnullarum enuntiationum operis de frequente Communione, et primum quidem ejus, quod dicit Arnaldus, populum Judæum nihil commeruisse a Deo observatione legis. Fons ejus erroris. 594

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Arnaldus sine ratione carpit scriptum anonymi, eademque opera P. Salazarem. Quid sentiat de gratia sufficiente. 596

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Mira enuntiatio libri de frequente Communione : Nullum honorem communione Deo exhiberi. 597

LIBER SEPTIMUS.

PROOEMIUM. 599

CAPUT PRIMUM.

Prima propositio. *Arnaldus agnoscit duo genera pœnitentiæ, et dispositionis ad communicandum : alterum, quod olim usitatum in Ecclesia, nunc obsolevit : alterum, quod nunc ei successit, vulgoque est apud fideles receptum.* Quam propositionem Arnaldinam esse sequentia demonstrant. 600

CAPUT SECUNDUM.

Secunda propositio. *Arnaldum docere restituendam esse veterem pœnitentiam, substituendamque quæ nunc vulgo recepta est in Ecclesia.* Quam propositionem ejus esse ostendunt sequentia. 601

CAPUT TERTIUM.

Tertia propositio. *Pœnitentia vetus, de qua agit opus de frequente Communione, ut restituatur, ea est, quæ dicitur pœnitentia publica, quia palam fiebat ex certis institutis, et gradibus canonicis.* Quam propositionem esse Arnaldi sequentia demonstrant. 602

CAPUT QUARTUM.

Quarta propositio. *Arnaldus docet pœnitentiam antiquam esse juris divini, necessarii, et immutabilis, cujus mutandi, aut abrogandi nullam potestatem habet Ecclesia.* Quod probatur. 603

CAPUT QUINTUM.

Digressio, in qua monetur lector de fraude novorum Pœnitentiariorum, qua conantur excusare quod docuerunt, instituta veteris pœnitentiæ fuisse immutabilia ; ubi omnia earum subterfugia refelluntur, ac confutantur. 604

CAPUT SEXTUM.

Quinta propositio. *Arnaldus docet nos non minus hodie teneri prisca ratione pœnitentiæ, quam Ecclesiam primitivam.* Quod probatur sequentibus. 606

CAPUT SEPTIMUM.

Sexta propositio. *Arnaldum censere jure divino atque immutabili oportere, ut peccatores, qui sacramentaliter confessi sunt peccata, arceantur aliquandiu ab absolutione, et a communione ; usum vero contrarium esse abusum, qui sit corrigendus.* Quam esse Arnaldi sequentia ostendunt. 608

CAPUT OCTAVUM.

Septima propositio. *Non tantum capite de dilatione absolutionis, et communionis iis, qui peccatum mortale admiserunt, quodcumque tandem esset, seu arcanum seu publicum, secundum doctrinam operis de frequente Communione ; sed etiam tota lege de pœnitentia publica, quæ vigebat in Ecclesia primitiva, nos etiamnum hodie teneri.* Quam Arnaldi esse sententiam sequentia ostendunt. 609

CAPUT NONUM.

Octava propositio. *Ratio pœnitentiæ, quæ ab aliquot seculis usitata est in Ecclesia, et successit veteri, et publicæ, est abusus, licentia, prolapsioque ac corruptio morum, quæ homines ad damnationem æternam ducit.* Quod probatur. 610

CAPUT DECIMUM.

Nona propositio. *Opus de frequente Communione damnat Ecclesiam erroris, eamque insimulat facinoris*

æterna damnatione digni. Eadem sententia involvit etiam omnes Christianos, qui nunc vivunt, et qui a quingentis annis in ejus communione vixerunt. Quod probatur. 612

CAPUT UNDECIMUM.

Decima propositio. *Auctorem libri de frequente Communione semetipsum damnare sacrilegi facinoris, dum tyranni more invadit summam potestatem mutandi, atque abrogandi leges divinas, quæ sunt immutabiles, et quibus nemo solvi potest; qua in re se præfert Ecclesiæ.* Quod probatur. 613

CAPUT DUODECIMUM.

Undecima propositio. *Potestas, quam exercent sacerdotes in delinquentes, habet hunc potissimum finem, ut imponat pœnam, non vero conferat remissionem peccati, ejusque abolitionem, infusione gratiæ sanctificantis.* Quam Arnaldi esse ostendunt sequentia. 614

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Duodecima propositio. *Potestas sacerdotis remittendi peccata, et absolutio, quam largitur, statuit antecessisse veniam, et abolitionem culpæ, nec in eam agit, sed tantum in pœnam, imposita satisfactione consentanea delicto.* Quam esse Arnaldi sequentia probant. 614

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Decimatertia propositio. *Opus de frequente Communione docet sola opera charitatis, a pœnitente edita, eum in gratiam cum Deo restituere, ac justificare; non absolutionem sacramentalem, neque solam contritionem internam, quam non comitatur ipsa observatio præceptorum divinorum.* Quod probatur. 615

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Decimaquarta propositio. *Auctorem operis de frequente Communione vehementer errasse, cum temere negavit hanc sententiam,* Quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit, *nusquam in Scriptura extare, aut secundum Textum hebræum, aut secundum LXX. interpretes.* Quod probatur. 617

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Decimaquinta propositio. *Scriptor libri de frequente Communione damnatus est, atque obnoxius censuræ concilii Tridentini, propter capita doctrinæ exposita ad propositionem* 13 Quod probatur. 619

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Decimasexta propositio. *Arnaldum incurrisse in censuram editam a Sixto IV. papa contra Petrum Oxomensem, ejusque sectatores, de dilatione absolutionis post confessionem, donec absoluta sit pœnitentia, et satisfactio.* Quod probatur. 620

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Decimaseptima propositio. *Auctorem libri de frequente Communione fuisse censura notatum a Facultate theologica Parisiensi; et nonnullas opiniones, quas opus illud complectitur, judicatas hæreticas.* Quod probatur sequentibus. 621

CAPUT NONUMDECIMUM.

Decimaoctava propositio. *In opere de frequente Communione esse alias propositiones temerarias vel falsas.* 623

CAPUT VIGESIMUM.

Proœmium in collectionem repugnantiarum operis de frequente Communione. 624

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Collectio aliquot repugnantiarum doctrinæ Arnaldi. — I. Propositio Arnaldi. *Ecclesia est immunis erroris in eo, quod pertinet ad mores, non secus ac in eo, quod pertinet ad fidem.* 625

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

II. Propositio Arnaldi. *Pœnitentia antiqua, et publica, qualem eam describunt traditio, canones, et Patres, est juris divini, et immutabilis, ac necessario conjuncta cum sacramento Altaris, quod est immutabile; eaque pœnitentia pertinet ad omnia peccata, et publica et arcana.* 626

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

III. Propositio Arnaldi. *Ecclesia semper exegit observationem pœnitentiæ veteris, et publicæ, nec unquam Christianos ea lege solvit.* 626

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

IV. Propositio Arnaldi. *Concilium Tridentinum restituit pœnitentiam veterem, qualis est in traditione, et canonibus antiquis.* 627

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

V. Propositio Arnaldi. *Arnaldus censet, necessario nunc observandam esse priscam pœnitentiam, prout præscribitur a traditione, canonibus, et doctrina Patrum, et pro tota ejus amplitudine.* 628

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

VI. Propositio Arnaldi. *Dilatio absolutionis, et communionis, postquam quispiam confessus est peccatum mortale, non tantum est utilis, sed etiam necessaria, et præcepta hoc tempore non minus, ac in Ecclesia primitiva; nec quisquam ejus rei immunis esse debet.* 629

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

VII. Propositio Arnaldi. *Ut quis digne communicet, non satis est eum esse immunem omnis peccati mortalis, et venialis; sed oportet eum attigisse summum gradum perfectionis, qui sublimior est sanctitate apostolorum, aut quorumvis aliorum sanctorum nisi velit Deum offendere, atque excommunicationem subire.* 629

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

VIII. Propositio Arnaldi. *Usus, qui est hodie frequentissimus in Ecclesia, ex quo absolutio conceditur statim post confessionem, nec subjiciuntur pœnitentiæ publicæ omnia peccata, est manifestus abusus.* 630

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Ubi responsa, et subterfugia Arnaldi summatim considerantur, et ad duo capita referuntur. 631

CAPUT SECUNDUM.

Refutatio ejus, quod Arnaldus et ejus asseclæ affirmant, doctrinam operis nostri esse eorum doctrinæ consentaneam. Discrimen in multis demonstratum. 632

CAPUT TERTIUM.

Repugnantiæ doctrinæ nostræ falso objectæ confutantur. 634

CAPUT QUARTUM.

Calumnia Arnaldi, ejusque sociorum confutata, inde petita, quod hortatus sim summas Potestates ad nova dogmata coercenda. 636

CAPUT QUINTUM.

Examen rationis, qua Arnaldus retractavit scandalosam propositionem libri de frequente Communione. 638

CAPUT SEXTUM.

De usibus, et consuetudinibus cæremonialibus Ecclesiæ Christianæ, deque captiosa eorum interpretatione ab Arnaldo excogitata. 639

CAPUT SEPTIMUM.

De dispositione, quam Patres postularunt a digne communicaturis, ubi agitur de sensu eximii loci S. Dionysii. 640

CAPUT OCTAVUM.

Amplior enarratio loci S. Dionysii, et dispositionis ad communionem in ea præscriptæ. Axiomata generalia de fine cujusvis legis. 642

CAPUT NONUM.

Eximia disputatio S. Thomæ, quæ quæstionem dirimit. Duo genera præparationis, internum, atque externum. 644

CAPUT DECIMUM.

Idem locus S. Dionysii dilucidatus, confutatione falsarum animadversionum Arnaldi. Errata ejus in interpretatione ejus loci, et in sui ipsius defensione. 646

CAPUT UNDECIMUM.

Examen loci S. Basilii male ab Arnaldo intellecti. 648

CAPUT DUODECIMUM.

Sententia erronea Arnaldi, de dispositione perfectissima, quam Patres communicaturis præscripsisse videntur. 649

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

S. Thomam male intellectum ab Arnaldo, qui pravum consectarium ex eo deduxit. Error Arnaldi credentis summam perfectionem charitatis esse præcepti. Præcepto variis modis pareri, et quomodo lege teneamur. 650

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Quo sensu perfectio in præcepto sita esse dicatur. Varii modi implendi legem, et quonam teneamur. Qua ratione consilium præcepto interveniat. Arnaldi error. Qua ratione charitas utatur aliis virtutibus. 652

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Mira calumnia, quam commentus est Arnaldus de loco S. Ambrosii, qui ejus doctrinam evertit. 654

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Aliæ animadversiones in locum S. Ambrosii. Auctorem libri de frequente Communione errasse, cum dixit, S. Ambrosium in libris de Sacramentis nihil habere, nisi quod pertinet ad neophytos; quod ex iisdem libris confutatur. 655

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Arnaldum incidisse in errorem, quem nobis falso tribuerat de loco S. Ambrosii. Multa absurda, in quæ delabitur. 657

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Examen, et confutatio dogmatum doctoris theologi *Du Bois*. Sine ratione eum contendere me subscripsisse doctrinæ Arnaldi. In opere de frequente Communione, esse veras enuntiationes falsis mistas. Repugnantiæ, quas perperam mihi objicit. Pœnitentiam Arnaldi esse novam. 659

CAPUT NONUMDECIMUM.

Variæ objectiones Bosii, totidemque calumniæ de inanibus contradictionibus nostræ doctrinæ. Ea nullo modo confirmari errorem novorum directorum. Satisfactiones laboriosas proprias non esse huic novo instituto. Hoc quasi necessarium ab iis intromitti. 661

CAPUT VIGESIMUM.

Exemplo communionis sub utraque specie convinci Traditionarios. Objectio frivola Bosii. Hanc communionem semper fuisse usitatam in Ecclesia antiqua. 663

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Qua ratione obsoleverit pœnitentia vetus. Arnaldum dicta a se mala fide retractasse, et a se ipsum dissentire, ut et doctorem theologum Bosium. De lege, cujus natura sita est in eo, quod ea teneantur illi quibus lata est. Vetere pœnitentia nos non amplius teneri. Qui possit esse utilis. Legem variis modis posse aboleri. 664

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Confutatur quod Bosius objicit de alia quadam repugnantia. 667

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Arnaldum immerito dicere se alienum esse ab ira, et violentia. Contrarium probatur primum conviciis, maledictis, et aculeatis dictis operis de frequente Communione. 667

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Idem probatur aliis contumeliosis dictis ex Admonitione. 669

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

dem probatur ex eo, quod Arnaldus scripsit in epistola ad Reginam. De duabus dotibus necessariis bono directori, mansuetudine, et humilitate ; quarum neutra cernitur in ea ratione, qua se gessit Arnaldus. 670

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Insigne exemplum calumniæ, qua usus est Arnaldus, et quod hausit ex infami libello de Theologia morali Jesuitarum. Damnatio ejus libelli decreto supremi senatus Burdigalensis. 672

DE PŒNITENTIA ET RECONCILIATIONE VETERIS ECCLESIÆ MORIBUS RECEPTA, DIATRIBA.

CAPUT PRIMUM.

Nemini reconciliationem apostolorum tempore negatam fuisse demonstratur, ac de variis nominibus, quibus absolutio, ac reconciliatio ab antiquis exprimitur. 677

CAPUT SECUNDUM.

Quemadmodum gradatim pœnitentibus reconciliatio data fuerit, ac de duplici illius genere, perfectæ scilicet, et imperfectæ. Explicatur insignis Cypriani locus. Pœnitentia interdum absolutionem significat. Nicænus canon 13. exponitur. 679

CAPUT TERTIUM.

De utraque communione, et secunda præsertim, deque oblationibus fidelium. Explicatur obscurus Tertulliani locus ex libro de Exhortatione castitatis, ostenditurque, nunquam laicos ex ejus opinione sacrificasse : quod oblationis genus usurpaverint laici. 682

CAPUT QUARTUM.

Quatenus antiquissimis temporibus certis peccatorum generibus reconciliatio, et communicatio denegata fuerit. Ostenditur nunquam in periculo vitæ negatam esse sacramentalem absolutionem, maxime universalis Ecclesiæ consuetudine Explicantur veterum testimonia, quibus illud effici putatur. Communionis nomine plerumque sola perfecta continetur. 684

FINIS INDICIS LIBRORUM ET CAPITUM.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

—

LITTERA H. LIBROS DE HIERARCHIA; D. DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM; C. DIATRIBAM DE CONSECRANDI POTESTATE; P. LIBROS DE PŒNITENTIA SIGNIFICAT.

NUMERORUM ROMANORUM PRIOR, LIBRUM; POSTERIOR CAPUT INDICAT; TERTIUS, SARACENIS NOTIS, PARAGRAPHUM INDICAT.

A.

Aaron et filii ejus quid denotent, H. II. VII. 2.
Absolvendi potestas quomodo agat in pœnam peccati, P. I. VIII. 5. eam non agere in pœnam, nec in delictum, secundum Arnaldum, P. VII. XIV.
Absolutionem esse sententiam juridicam, P. I. VIII. 17. VIII. III. 4. a solo sacerdote posse concedi, *ibid.* non auferre omnem pœnam peccati, *ibid.*
Absolutionem eamdem esse ac reconciliationem, P. VII. XIV. 2.
Absolutio dilata olim in pœnitentia publica, P. VII. IV. 2.
Absolutionis dilatio non est præparatio ad communionem, P. I. VI. 5. 6.
Absolutionem negare esse occidere, P. I. VIII. 10.
Absolutio negata sceleribus in hora mortis, P. II. VI. 16. item relapsis, *ibid.* VIII. 7.
Absolutio sacramentalis necessaria, jure divino, ad communionem, P. III. X. 4.
Absolutionis suspensio permissa prudentiæ confessarii, P. III. V. 2.
Acacius quomodo, cur, et a quo fuerit episcopali dignitate privatus, et inter Christianos indignus haberi judicatus, H. II. IX. 2.
Actio dicta a jurisconsultis *doli mali*, P. III. IV. 5.
Adultera dimissa, non licere aliam ducere, D. II. c. 8. *per totum.*
Adulteri admissi ad pœnitentiam a papa Zephyrino, P. II. II. 3.
Aerii opinio de episcopatu et presbyteratu, H. II. VI. 1. *et seq.* quomodo ab Epiphanio appelletur, *ibid.* 2. quis eam pessime interpretetur, *ibid.* 3.
Alensis (*Alexandri*) sententia de præparatione ad communionem, P. III. X. 1.
Alexandriæ a S. Marci tempore, unum semper fuisse episcopum, H. II. IV. 1.
Alexandrinus patriarcha totius diœceseos metropolitanus, H. V. III. 6.
Altare in cujus honorem possit constitui, H. III. IV. 9. ab hæreticis tollitur, H. III 5. *per totum.*
Altare et mensa in quo differant, H. III. V. 10.
Altaria frangere quale sit malum, H. III. IV. 11. illorum nomen non esse auditum in primitiva Ecclesia quis dicat, H. III. V. 6. ea fuisse apostolorum tempore probatur, H. III. V. 6. *et seq.*
S. Ambrosii locus de communione male intellectus ab Arnaldo, P. III. c. 18. IV. VI. 2. VIII. XV. 2. et cap. 16. et 17.
Ancyranus canon de consecratione explicatus, C. III.
Anglorum quis fuerit primus apostolus, H. II. II. 12.
Anthimus Constantinopolitanam in sedem intrusus, a quo fuerit omni episcopali dignitate et orthodoxia spoliatus, H. II. IX. 2.
Antiqui ritus, usus, mores non sunt divinandi, sed idoneis testimoniis probandi, H. IV. VI. 5.
Apollinarii duo clerici reconciliati Ecclesiæ, P. VI. V. 2.
Apostoli quando acceperint potestatem ligandi et solvendi, P. I. VIII. 3.
Apostolatus quid sit secundum M. Antonium de Dominis, et Casaubonum, et quot sint ejus

notæ, H. I. v. 6. ejus notam a Salmasio traditam falsam esse probatur, H. I. vi. 1. *et seq.* quale sit ejus officium secundum eumdem, *ibid.* 3. *et seq.*

Apostoli personam duplicem sustinuerunt ut Ecclesiæ totum per orbem principes essent; quam potestatem solus in successores Petrus transmisit : et certis præessent locis, quod in episcopos singulos cessit, H. IV. vii. 3. Apostoli de rebus sibi commissis soli nonnunquam statuebant; alios quandoque apostolos, discipulos interdum; plebem etiam in consilium adhibebant, H. V. iv. 5.

Apostoli quinam primarii dicendi, et quot veri apostoli sint notæ, H. I. v. 8.

Apostoli primarii in quo differebant ab apostolis secundariis, seu septuaginta discipulis, H. I. v. 9.

Apostoli secundi ordinis unde nomen apostoli habeant, H. II. ii. 11. ad quid missi sint in mundum universum, H. I. vi. 3. et 4.

Apostoli secundi ordinis quinam sint secundum Salmasium, H. I. vi. 7.

Apostoli officio quænam contineantur, H. I. vi. 3.

Apostolorum genera quot sint secundum Salmasium, H. I. v. 4. et H. II. ii. 7. quomodo metienda sit eorum dignitas, *ibid.* 1. illorum successores quinam dicendi, H. II. ii. 11. eorum princeps et caput quis fuerit, H. III. vii. 10. eos non solos habuisse potestatem jubendi et coercendi, H. III. ix. eos non fuisse necessarium a Christo immediate eligi, H. I. v. 5.

Approbatorum multitudo doctrinam suspectam facit, P. I. i. 7.

Ariminense concilium hæresim deceptum probavit, P. I. ii. 6.

Arii vultus severus fallit Alexandrinos, P. I. i. 4.

Ἁρμεσταί cum quali potestate curationem habuerint, H. II. v. 3.

Arnaldus (Antonius) vocat licentiam et abusum consuetudinem Ecclesiæ, P. I. iv. 3. ambiguitate animum Patrum alio detorquet, *ibid.* iv. 7. abutitur vocibus *mores et disciplina*, *ibid.* iv. 10. auctoritatem Ecclesiæ invadit. *ibid* v. 4. Ecclesiam universam vituperat, *ibid. et seq.*

Arnaldus pœnitentiam cæremonialem restitutam vult, P. I. v. 12. abutitur voce Traditio, *ibid.* vii. 4. Pœnitentiæ publicæ essentiam resecat, *ibid.* II. xii. 12. Ecclesiam errori obnoxiam facit, *ibid.* v. 2. nescit quid petat, *ibid.* vi. 1.

Arnaldus ad extrema dilabitur, P. III. i. 4. præceptum cum consilio miscet, *ibid.* xii. 2. Solvit legibus canonicis, *ibid.* viii. 5. ex ejus sententia ne semel quidem Christiani debent communicare, *ibid.* xii. 4.

Arnaldus nimiam sibi auctoritatem sumit, P. I. vi. 7. V. ii. 1. nimium petit a communicaturis, *ibid.* iv. 3. avertit homines a frequente communione, *ibid.* vii. 3. *et seq.*

Arnaldus non probat nos pœnitentia publica teneri, P. VI. i. 2. 3.

Arnaldi errorum epitome, P. VII, *a cap.* 1. *ad cap.* 19. ejus repugnantiæ, *ibid. a cap.* 20. *ad finem.*

Arnaldi paralogismi, P. VIII. iii. 7. Calumnia ejus, *ibid.* xv. 4. *et seq.* acerbitas, *ibid.* 23. *per totum.*

Arnaldi opus de frequente Communione. Scopus ejus, P. I. iii. 1. 2. III. v. 1. *et seq.* plenum calumniis, *ibid.* III. vi. 6. Monitum ne ejus lectio fallat, III. xiii. 7. fontes errorum qui in eo sunt, *ibid.* I. ii. 3. judicium de eo libro, *ibid.* VIII. xxv. 11. *et seq.*

Athenienses quomodo suos magistratus vocabant, H. I. xi. 7.

Audius antiquarum consuetudinum defensor, P. I. iii. 3.

Augustini sententia de pœnitentia, P. I. viii. 20. VI. cap. ii. et 3.

B.

Baptismus an conferri possit in nomine solo Christi, H. I. i. 10. an ita fuerit ab apostolis collatus, *ibid.* in quo discrepet ab ordinatione, H. II. x. 12.

Baptismi et Eucharistiæ non eamdem esse rationem contra Salmasium, H. III. ii. 3. ejus forma, quæ, et a quo tradita, H. I. i. 9.

Baptismi infantium consuetudo unde manarit, H. I. i. 6.

Baptismum esse necessarium infantibus, C. c. 5.

Baptismus immersione collatus abrogatus, P. I. i. 11. a muliere administratus nullus habitus, P. II. v. 9.

Baptizati sine immersione aut in lecto irregulares erant, P. II. i. 11.

Basilius cur scripserit librum de Spiritu sancto, H. I. i. 3.

S. Basilii locus male intellectus ab Arnaldo, P. VIII. xi. *per totum.*

Βαττολογία quid sit, D. II. ix. 2. *et seq.*

Bellarminus male intellectus ab Arnaldo, P. II. iv. 4.

Βίος matrimonium interdum sonat, D. II. iii. 1.

Blesensis (*Ludovici*) sententia de frequente communione, P. IV. ix. *et seq.*

Blondellus episcopos primis Ecclesiæ annis 136. pari cum presbyteris ordine, potestate, et honore fuisse censet, soloque antiquitatis jure primatum tenuisse qui primus in clerum fuisset cooptatus, H. V. i. 1. *et seq.* Ab anno 136. primates electione creatos, quorum nomina in episcoporum successionibus scriberentur, *ibid.* Præter ordinandi potestatem, cetera concedit episcopis, quæ ab Catholicis tribuuntur, H. V. i. 2. Singulares Ecclesiarum episcopos agnoscit angelorum nomine in Apocalypsi censeri, *ib.* Episcoporum successiones non electione cleri; sed antiquitatis jure factas initio, eodem, quo Salmasius, teste probat pseudo Ambrosio : qui ne littera quidem istorum opinioni favet, H. V. i. 3. neque nova manuum impositione opus fuisse negat, H. V. i. 4. Quem hujus causæ arbitrum Blondellus deposcit. Hieronymus diserte affirmat episcoporum successores ab initio presbyterorum electione creatos, H. V. i. 5. Eoque distare presbyterum ab episcopo censet, quod hic ordinandi potestate sit præ-

ditus, ille careat, H. V. I. 5. In Catholicorum sententia istud reprehendit Blondellus, quod ad episcopum creandum plus aliquid requirat, quam ad presbyterum : cui satis Hilarius, et Nazianzenus faciunt, H. V. I. 6. Neque ipse vitat illud incommodum, quod in catholica sententia reprehendit, H. V. I. 7. Pseudo Ambrosius Blondelli commentum damnat, H. V. I. 8. *et seq.* Ex Hierosolymitanorum episcoporum successione Blondellus auguratur, non illos electione, sed antiquitatis jure creatos, H. V. II. 1. Ejus conjecturæ vanitas, H. V. II. 2. Eutychium patriarcham Alexandrinum testem appellat qui pro Catholicis testimonium dicit, H. V. II. 3. et tria novi commenti elidit capita, H. V. II. 4. Huic fidem Blondellus, Salmasiusque derogant, H. V. II. 4. *et seq.* Unum istud uterque libenter arripit, quod in provinciis Alexandrinis episcopos diu fuisse ullos negat, contra antiquorum fidem, H. V. II. 6. *et seq.* Hieronymianum illud, Idem est presbyter qui et episcopus, a Blondello perperam intellectum explicatur, H. V. IV. 2. *et seq.* Quinque syllogismis probare nisus, unum esse presbyteri et episcopi ordinem, essentialem utriusque differentiam labefactare Blondellus non potuit, H. V. IV. 9. Hieronymum frustra vexare pergit, H. V. V. 1. qui totam ejus disturbat fabulam, H. V. V. 2. *et seq.* Apologiam pro eo scribere professus, stilum in eum vertit; et presbyteralium falsum patronum appellat, H. V. VI. 1. Alios sibi patronos turmatim evocat, H. V. VI. 2. qui causam ejus evertunt, et episcopo excipiunt ordinandi potestatem, presbytero negant, H. V. VI. 3. Episcopi, et presbyteri in administrandis rebus Ecclesiæ veteribus testata æqualitas catholicæ causæ non officit, H. V. VI. 4. Clarissimæ veterum testificationi, nubem testium Blondellus objicit minus diserte loquentium, H. V. VI. 5. In recensendis testibus, eos Blondellus prætermittit, qui pro catholica veritate diserte loquuntur : reliquorum detruncat sententias, H. V. VI. 7. Polycarpum suas in partes invitum trahit, H. V. VII. 1. Hermæ librum sibi fatetur esse contrarium : eodemque nomine Pii papæ epistolam rejicit, H. V. VII. 2. frustra sibi clerum Romanum, Justinumque vindicat, H. V. VII. 2. *et seq.* Eusebium, Hieronymum, ipsosque de se scribentes Lugdunenses martyres hallucinatos esse censet, quod ab ejus commento dissideant, H. V. VII. 4. In digerendis Rom. Pont. annis parum fidum ducem sequitur pseudo Damasum, H. V. VII. 5. Cui merito præferuntur antiqui Patres novo commento securim infligentes, H. V. VII. 6. Multus est in eo probando, quod nemo Catholicus negat, presbyteros ecclesiastici regiminis cum episcopis fuisse participes, H. V. VII. 7. Epistolas Ignatii, quia cum catholica sententia apprime conveniunt, suppositias esse pronuntiat, H. V. VIII. 1. Multaque in iis temere reprehendit, H. V. VIII. 8.

S. Bonaventuræ mens de communione, P. III. XI. 1 2.

C.

Cæremoniæ obnoxiæ mutationi, P. VIII. VI. 3. II. VII. 2.

Cæremoniæ Judæorum in manducatione agni Paschalis, H. III. V. 4.

Cæremoniæ novæ legis, H. I. XIII. 19.

S. Cæsarius male intellectus ab Arnaldo, P. VI. XII. 2.

Calvinus quibus locis S. Hieronymi utatur, ad ostendendam æqualitatem episcopi et presbyteri, H. II. IV. 7. *et seq.*

Calumniæ contra liberum arbitrium proponuntur et refutantur, H. III. VIII. 13.

Canones scribere quid sit, H. III. VIII. 13.

Canones antiqui ecclesiastici quid de clericorum ordinatione jubeant, H. II. X. 8.

Canones ecclesiastici veteres multi obsoleti, P. I. VII. 5. *et seq.* pœnitentiales olim obligabant, P. III. XIII. 7. nunc obsoleti, *ibid.* V. X. 5. *et seq.*

Carnis interitus quotuplici modo explicitur, H. III. XI. 8.

S. Caroli Borromæi sententia de frequente communione, P. IV. II. 3. *et seq. ibid.* V. 5.

S. Carolus Borromæus contrarius Arnaldo, P. IV. V. 3. 5. 6.

Catechumenorum pœnitentia ante baptismum, P. II. XIV. 8.

Cathari ex quo contendant presbyteros simplices potestatem habuisse manus imponendi, H. II. XI. 6.

Censura episcopalis qualis sit, H. III. XIII. 1. veram esse pœnam, *ibid.* 7.

Censuræ Doctorum et Papæ quam differant, P. II. X. 4.

Cerdon ad pœnitentiam admissus, P. II. VIII. 15.

Χειροθεσία cujus juris sit, et quo vocabulo exprimebatur a Judæis, H. III. V. 4. in quo differat a χειροτονία, H. II. VI. 8. *et seq.*

Charitas est bona voluntas, P. VII. XIV. 4. gradualem habet extensionem, *ibid.* III. IX. 4. ejus perfectio quomodo cadat sub legem, *ibid.* VIII. XII. perfectionis ejus tres rationes, *ibid.* IV. 9.

Charitate non deleri peccatum ex sententia Arnaldi, P. VII. XIV. 5. *et seq.*

Christi prædicatio in Monte summatim explicata, contra Salmasium, D. II. 5. *per totum.*

Christianos omnes esse sacerdotes quis dixerit, H. III. III. 3.

Christianos Petrus apostolus regale sacerdotium vocat, quod non unius tribus, ut in veteri lege : sed ex omni ordine creari proxime sacerdotes possint, H. V. I. 10.

Christianos primævos non fuisse omnes perfectos, P. III. XI. 7.

Χώρα quid sit, H. II. XII. 2. *et seq.*

Chorepiscopi quinam, et quos haberent administros, H. II. XI. 3. unde dicti, *ibid.* XII. 4. *et seq.*

S. Chrysostomi sententia de episcopis et presbyteris apud Paulum, H. II. III. D. I. 1. 3. 4.

S. Chrysostomus male versus ab Arnaldo, P. III. XIX. 14.

Circumstantiis vitiari actionem bonam, P. V. II. 6. 7.
Claves Ecclesiæ seu jurisdictio an a Christo fuerint prius et immediatius datæ toti Ecclesiæ quam Petro, H. III. XIV. 2. *et seq.*
Clavium potestas ordinaria præcipue data Petro probatur, H. III. XVI. 2.
Clemens cur quartus fuerit summus Pontifex, cum a Petro sit ordinatus et consecratus, H. I. X. 2. *et seq.*
Clericorum ordinatio quotupliciter intelligenda rata vel irrita, H. II. XI. 13.
Clerici olim manibus victum quærere debebant, P. I. VII. 8.
Clerici non obnoxii pœnitentiæ publicæ, P. VI. V. 1.
Clerici vestiti secularium more pœnas dabant, P. VI. V. 3.
Clerus in Ecclesiis, ad quas misit Apostolus epistolas, qualis erat, H. II. III. 2.
Communicantium tria genera, P. III. IX. 1. qui sint nec digni nec indigni, *ibid.* X. 1.
Communicare sine oblatione quid sit, P. II. XI. 3.
Communionem Ecclesiæ an fas sit deserere, C. C. 4.
Communio frequens melior quam rara, P. III. III. 3. *et seq.*
Communio frequens qui possit nocere, P. V. III. 6.
Communionis duo genera, P. IV. XI. 4.
Communio sub specie vini laicis adempta quare, P. II. II. 1.
Communio sub utraque specie non est juris divini, P. II. V. 4. attamen ab omnibus observata, P. VIII. XIX. 4.
Communione abstinere, reverentiæ causa, laudabile, P. III. VIII. 3. et X. 4.
Communionis dilationem non fuisse partem pœnitentiæ, P. I. VII. 9.
Communio puritatem legalem postulat, P. III. XVI. 8.
Communionis suspensio potest esse utilis, P. III. I. 5. *ibid.* I. VII. 12. diuturna periculosa, *ibid.* III. I. 6.
Communicatio per symbola an semper necessaria, C. C. 4.
Concilium Nicænum quid sanciverit de hæreticis et schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus, H. II. XI. 11.
Concilium Trid. quid decernat contra negantes hierarchiam in Ecclesia esse constantem ex episcopis, presbyteris, etc. H. III. I. 12.
Confessionis finis proximus quis sit, P. I. VIII. 13.
Confessionem sufficere, ut quis sit paratus ad communionem, P. I. IV. 15. et VI. 5. III. VIII. 6. et IX. 3.
Confirmationis sacramentum quomodo Græci administrabant, H. I. I. 5.
Consecratio Eucharistiæ solorum sacerdotum, C. C. 1. *et seq per totum opusculum.*
Consilium quid sit, P. VIII. XIV. 11.
Consilia ac præcepta Christi distincta contra Salmasium, D. II. V. 4. *et seq.* et VI. 10.
Consilii actiones dictæ supererogatoriæ, P. IV. X. 3.
Consilia non obligare, P. IV. IX. 7. eorum discrimen a præceptis, *ibid.* X. 2.
Consuetudines quas ab apostolis habemus, quænam sint, H. I. I. 3.
Consuetudinem Ecclesiæ oppugnavit S. Cyprianus, P. III. XIV. 3. et Tertullianus, P. III. XIV. 2.
Consuetudines ecclesiasticæ duplices, P. II. VII. 5.
Consuetudines Ecclesiæ reverendæ, P. II. X. 8. 9.
Consuetudines Ecclesiæ non dictas esse licentiam a Patribus, P. I. V. 6. ut ab Arnaldo, *ibid.* I. I. 9.
Consuetudines indifferentes, P. I. VII. 5. et II. IV. 9. divinæ immutabiles, *ibid.* II. VII. 5. humanæ veræ, *ibid.* 6.
Consuetudo quando sit instar legis, P. II. III. 5. a doctis observatur, P. III. II. 3.
Consuetudo legem abrogare non potest, secundum Arnaldum, P. VII. VII. 3.
Consuetudines obsoletæ, P. II. I. 12. *ibid.* II. I. 10. non amplius obligant, *ibid.* V. VIII. 2. 3. sunt tamen venerandæ, *ibid.* II. VII. 6.
Consuetudines rituales mutabiles, P. II. I. 5. III. II. 2.
Consuetudines sanctæ non sunt omnes in usum revocandæ, P. II. VII. 7.
Consuetudines variæ non nocent fidei communi, P. II. III. 6. et IV. 9.
Consuetudines veteres anteferendæ hodiernis ex sententia Arnaldi, P. II. V. 2.
Consuetudinis vis, P. V. XI. 2. 3. probata a S. Ambrosio et Augustino, *ibid.* II. III. 5. 6.
Consuetudo ut ad unum potestas redigeretur, unde orta sit, H. II. V. 15.
Contritione sola non deleri peccatum ex sententia Arnaldi, P. VII. XIV. 9.
Contritionem justificare extra Sacramentum, P. VII. XVI. 3.
Conversio ab initio perfecta esse potest, P. III. XVI. 8.
Crimen quid sit, P. VI. VIII. 1.
Crimina scandalosa obnoxia pœnitentiæ, P. VI. XII. 4.
Curare cujusnam sit proprium, H. III. VIII. 2.
Curati quinam dicendi, quando instituti, et eorum potestas et officium, H. II. V. 8. *ibid.* VII. 5.
S. Cyprianus baptismum hæreticorum oppugnat, P. I. VI. 17.

D.

Democratia quid posset apud Romanos, H. III. V. 3.
Devotionis duo genera, P. III. XIX. 2. sensilis defectus non impedit communionem, *ibid.* IV. I. 1. interna excellentior externa, *ibid.* III. XIX. 3.
Devotio sensilis conjuncta interdum cum peccato mortali, P. III. XIX. 3.
Devotio sensilis non necessaria communioni, P. V. I. 11.
Deus patiendo malum id non probat, P. II. VI. 13.
Diaconatus quale sit nomen secundum hæreticos, H. III. VIII. 18.
Diaconos non fuisse profanos mensarum administros, D. II. I. *per totum.*

Diaconos aut subdiaconos nunquam consecrasse, C. c. 3. munus eorum in distribuenda Eucharistia, *ibidem.*

Diaconi sunt in tertio gradu ecclesiasticæ hierarchiæ, H. IV. II. 4. Nullam sine diaconis Ecclesiam constare posse Epiphanius censet, H. IV. III. 3. *et seq.* Diaconum ab episcopo, aut presbytero distingui negat Salmasius, institutione Christi, sed apostolica; solique profanarum mensarum ministerio deputatum censet, H. IV. VIII. 6. In quo sibi non constat, H. IV. X. 3. Primi et secundi ordinis clerici nonnunquam diaconi nominantur, H. IV. XII. 4. Interdum etiam civiles administri, H. I. XII. 6. *et seq.* V. V. 2. Diaconos Falcidus presbyteris antetulit, H. V. V. 1. In majoribus Ecclesiis diaconos septem esse oportuit, H. V. VI. 3. In ecclesiasticis ordinibus nunquam diaconos Apostolus prætermittit, H. V. VII. 2.

Differentia qualis constituatur a Tertulliano inter ordinem et plebem, H. III. III. 6. et 10.

Differre ratione et subjecto quid sit? H. I. IV. 2.

Digamum olim non potuisse baptizare, P. II. V. 9. Pœnitentiæ subjectum, *ibid.* et VIII. 19.

Dignitas quid sit, et quomodo ab imperio et magistratu differat, H. III. XI. 4.

S. Dionysii de excommunicatorum numero locus explicatus contra Arnaldum, P. III. V. 2. VIII. *cap.* VII. VIII. IX. X.

Directoris dotes quænam sint, P. VIII. XXV. 6.

Dispositionis ad communionem tria genera, P. III. X. 1. quæ necessaria, *ibid.* V. I. 3.

Dispositio necessaria ad bene communicandum, P. IV. VIII. 2.

Dispositionem plane necessariam ad communionem esse sacramentum Pœnitentiæ, P. III. X. 4. V. X.

Diospolitano concilio absolvitur Pelagius, P. I. II. 4.

Doctrinæ falsæ indicium, P. V. VII. 2. IV. VIII. 1. veræ, P. I. II. 8.

Dogmata quædam, contra catholicam fidem a Salmasio in Dissertatione nupera propugnata, H. *in prologo.*

Du Bois doctor Theologiæ confutatus, P. VIII. XVIII. *et seqq.*

E.

Ecclesiæ auctoritas a quo, H. III. XI. 8.

Ecclesia catholica quid tempore Tertulliani de potestate remittendorum qualiumcumque criminum crediderit, H. III. XII. 4. num jus habeat in functiones Sacramenta administrandi, et an efficere possit quo minus illa censeantur rata, H. III. III. 9. quodnam jus exerceat in sacris administrationibus, *ibid.* quomodo definiatur a Richerio, H. III. XV. 6. et 10. Hierosolymitana a quo fundata sit, H. I. VII. 1. Alexandrina a quo fuerit fundata, H. I. IX. 2.

Ecclesia expers erroris in moribus, ut in fide, P. I. III. 6. II. I. 3. corrupta tamen in moribus ab Arnaldo censetur, P. I. V. 7. VII. IX. et X.

Ecclesia finem habet, secundum Arnaldum, P. III. XIV. 6. *finalis* quæ dicatur, P. III. XIV. 5.

Ecclesia quibus hominibus constet, P. III. VIII. 3. et IX. 1. degeneravit a pristino fervore, P. III. XI. 8.

Ecclesia quinque hominum genera, ante celebrationem mysteriorum emissa, P. III. XVI. 3. 10.

Ecclesiam semper pastore, ac grege fuisse compositam, H. III. VI 2.

Ecclesiæ potestas cujus auctoritate niti debeat, H. III. IV. 6. quo sensu communitati ipsi conveniat, *ibid.* XIV. 7. *et seqq.* Ecclesiastica et episcopalis qualis sit, et ad quid pertineat, H. III. XIII. 1. in quot partes dividatur, *ibid.* 9.

Ecclesiæ potestas judiciaria in quo luceat H. III. XI. 6.

Ecclesia primitiva Arnaldi quænam, P. I. VI. 3. 14. nunquam fuit sine pœnitentia publica, P. I. VI. 14. quænam sit, II. VII. 2.

Ecclesiæ quinam fuerint principes et magistratus, H. III. IX. 9. quænam dicantur apostolicæ, H. I. I. 8. Rusticanæ quomodo vocentur, et quomodo urbanæ, H. II. XII. 5.

Ecclesia probat varia quæ non jubet, ut remissionem jejunii, P. II. IV. 4. 5. abolere potest ritus, P. II. III. 1.

Ecclesiæ statum a Richerio dictum monarchicum, H. III. XVI. 1. *et seq.*

Ecclesiæ συγκατάβασις non favet peccato, P. V. IX. 5. nec impœnitentiæ, P. V. IX. 4.

Ecclesiæ Alexandrinæ mos quis olim fuerit in electione episcopi, H. I. XIII. 9. quamdiu durarit, *ibid.* 11.

Electio episcoporum an cleri et populi suffragiis sit permissa, H. I. XIII. *per totum.* Eam consuetudinem ex traditione esse divina, et apostolica, Cyprianus ait, H. V. IV. 6. Usu tamen contrario abrogari potuit; ut et alia quædam ab Christo D. instituta, quorum Ecclesia legitima est interpres, H. V. IV. 7. *et seq.*

Electi episcopi nova ordinatione consecrabantur, H. I. II. 3. H. V. VI. 2. *et seq.*

Electio episcopi a populo, traditio apostolica, P. I. VII. 7.

Electis solis non dari in hac vita gratias cœlestes, D. II. VII. 2. *et seq.*

Eliberitani concilii severitas, P. VI. VII. 9.

S. Elgii locus de pœnitentia explicatus, P. VI. II. 6.

Epaphroditus cur apostolus fuerit nominatus, H. II. II. 14. Cur dictus necessitatis minister, *ibid.* 15.

Ἐπιούσιος quid sit in Oratione Dominica, D. II. IX. *per totum.*

Epiphanius quid censeat de iis quos Apostolus vocat episcopos et presbyteros, H. II. III. 8.

S. Epiphanii sententia de episcopis et presbyteris apud Paulum, D. I. I. 5.

S. Epiphanii locus de negotiatoribus explicatus contra Salmasium, D. II. III. 1.

Episcopatus ex Christi D. institutione ordo est a presbyteratu diversus, H. IV. I. 2. H. IV. II. 7. Essentialis differentia est potestas ordinandi soli concessa episcopo, H. IV. I. 2. H. IV. II. 5. *et seq.* Illud inter utrumque ordinem discrimen fuit apostolicis temporibus, H. IV. II. 6. Neque

induci ab Ecclesia potuit, neque tolli, H. IV. II. 7. H. IV. VIII. 4.
Episcopatus cum presbyteratu genere convenit, specie differt, H. IV. II. 5.
Eam differentiam ex institutione esse Christi, unanimi Patres consensu docent, H. IV. III. 6. *et seq.* H. IV. VIII. 3. Etiam illi, quos novi presbyteratium patroni laudant, H. V. VI. 3.
Est apostolica traditio, H. V. X. 2. Tridentini decreto sancita, H. IV. II. 4.
Aerius pro hæretico damnatus est, quod ordinum episcopatus et presbyteratus distinctionem tolleret, H. V. VI. 6.
Æqualitas, aut inæqualitas in ecclesiasticarum rerum administratione, et gubernatione ad essentialem ordinum distinctionem non pertinet, H. V. IV. 5. V. VI. 4.
Episcopatus et presbyteratus discrimen quomodo ab Epiphanio definiatur, H. II. V. 2. quo sensu idem erant, *ibid.* 4. quomodo a se invicem in eadem persona distinguantur, H. I. IV. 2. eumdem esse ordinem quinam dicant, *ibid.* 4. *et seq.*
Episcopatus olim et a prima sua institutione quid erat secundum Salmasium, H. III. VIII. 4. quid vero secundum veritatem, *ibid.* 5. Illa dignitas propter quid sit, *ibid.* H. III. VIII. 10. quale sit nomen, *ibid.* 14. et 17. quid proprie significet, *ibid.* 19. *et seq.* Quid sit secundum hæreticos, H. II. II. 4. an sit idem ordo cum presbyteratu, H. I. I. 2. in quo a presbyteratu distet secundum Salmasium, H. I. XII. 2. quo jure distinguatur a presbyteratu, H. I. II. 1. *et seq.* quomodo, H. I. IV. 2. quomodo contineat inferiores ordines, H. II. X. 4. an sit simplex munus, necne, H. III. IX. 1. *et seq.* quid sit secundum Gregorium Nazian. *ibid.* 11.
Episcopi quinam minime episcopi dicendi, H. II. XI. 12. suffraganei quo jure manuum impositione cleros consecrent, H. II. XI. 9. in quorum sede fuerint constituti, et quorum successores sint, H. III. IX. 10. quales erant apostolorum tempore, H. III. X. 7. quomodo et ex quibus fiebant in primitiva Ecclesia, secundum Salmasium, H. III. VI. 1. cur laici ab eo dicuntur, *ibid.* quomodo appellentur in Ecclesia, H. I. II. 15. eorum electio cleri ac populi suffragiis permissa, H. I. XIII. 3. *et seq.* in occidentalibus præsertim Ecclesiis, *ibid.* 4. an idem observatum sit in orientalibus Ecclesiis, *ibid.* 6. *et seq.* eorum successiones probantur, H. I. II. 7. a quo negentur, H. I. V. 1. *et seq.*
Episcopos singulis Ecclesiis semper præfuisse, suæ Ecclesiæ tanquam pastores et capita, H. III. VII. 13. eos pœnæ infligendæ jus habere, etiam invitis, H. III. XIII. 2. eos singulares a Petro in Ecclesia Romana præfuisse probatur, H. I. X. *per totum.* Ab apostolis institutos fuisse probatur, H. I. II. 6. an eos pares fecerit presbyteris Theodoretus, H. II. II. 13.
Episcopus et presbyter quousque fuerint idem in Ecclesia, H. II. V. 15. quomodo vocentur a Gregorio Nazianzeno, H. III. IX. 12. quis fuerit Antiochiæ primus post Petrum, H. I. IX. 6.
Episcopus Alexandrinus a quibus eligebatur, H. H. II. IV. 1.
Episcopus hæreticus factus si ad Ecclesiam redeat, cur non iterum sit ordinandus, H. I. III. 8.
Episcopi notio qualis erat ætate Theodoreti, H. II. I. 6. *et seq.* eos pro sacerdotibus secundi ordinis habitos quis asserat, *ibid.* 7. qualis sit ejus potestas et qualis dignitas, H. III. VIII. *per totum.*
Episcopi et presbyteri promiscue ab Apostolo appellati, H. II. I. 9. in quo distinguantur, H. II. IV. 3. eorum discrimen secundum Hieronymum, H. II. VIII. 7. in quo potissimum situm sit, H. II. IX. 1. Illud discrimen cujusnam sit juris, H. II. III. 6. eorum prærogativa supra presbyteros an major sit, quam metropolitani: supra episcopos sit, et cur, H. III. VII. 4. *et seq.*
Episcopum singularem præsedisse Ecclesiæ Alexandrinæ apostolorum tempore probatur, H. I. XII. 9.
Episcopum singularem fuisse in singulis Ecclesiis apostolorum ætate probatur, H. I. XI. 5.
Episcopo mortuo quomodo in primitiva Ecclesia sese gerebant, H. II. VII. 13.
Episcopi nomen ab inspectione, et curatione ductum, primi, et secundi ordinis sacerdotibus commune primum; post, primo ordini proprium factum est, H. IV. I. 4. Primi ordinis sacerdotes apostoli dicti sunt: quamdiu commune nomen episcopi fuit utriusque ordinis, H. IV. II. 6. IV. III. 3. IV. VII. 2. *et seq.* A secundi ordinis presbytero differt episcopus ordinandi potestate, H. IV. I. 2. H. IV. III. 6. *et seq.* H. IV. VIII. 3. Omnis episcopus est presbyter, non vice versa, H. IV. I. 2. H. IV. II. 7. H. IV. III. 4. H. IV. VI. 3. Presbyteri nomen diutius commune fuit primo, et secundo ordini: posteaque sacerdotis nomen, H. IV. V. 2. *et seq.* Primariarum Ecclesiarum singulares præsules episcopi fuerunt ab apostolorum temporibus, H. I. III. 2. *et seq.* H. V. V. 3. Quod ex perpetua episcoporum serie in Ecclesiarum archivis descripta Patres asserunt, H. IV. III. 8. H. IV. X. 4. Quod temere Salmasius, nullo teste, negat, H. V. X. 4.
In Ecclesiis Ægypti duo aliquandiu tolerati sunt episcopi, occasione schismatis Meletiani, H. V. III. 5.
Ecclesiæ quoque Antiochenæ quatuor simul episcopi numerati sunt, H. IV. VI. 11.
In quibusdam etiam Ecclesiis presbyteros omnes ab apostolis episcopos ordinatos ferunt; quos instituendis deinceps Ecclesiis præsides in promptu haberent, H. IV. I. 4.
Episcopi successerunt apostolis non in apostolatum, sed in singularum Ecclesiarum præfecturam, H. IV. VII. 3. H. IV. IX. 5.
Solos episcopos apostolorum esse successores, et presbyterii primates, etc. Patres illi docent, quos ad ordinum confusionem et æqualitatem Ecclesiæ hostes appellant, H. IV. VII. 3.
Episcopum reliquis ordinibus multum eminere docet Ignatius, H. II. VIII. 9. Unde major in eo virtus requiritur, H. V. I. 6.

Episcopus Catholicis apostolorum loco est, Montanistis tertio censebatur loco, H. IV. 9. 5.
Episcopi nomen interdum pro curatore, gubernatore, et functionis administro sumitur : qua ratione episcopi etiam diaconi appellantur, H. IV. XII. 6. *et seq.*
Episcoporum successio non antiquitatis prærogativa, sed electione fiebat, etiam apostolorum temporibus, H. V. VIII. 4. *et seq.* Quod eo magis Blondellus probat, quo convellere nititur, H. V. VI. 2.
Primis temporibus episcopi successor ab ejus clero, vicinisque episcopis deligebatur, H. I. V. 4.
Episcopi electio in Oriente quomodo fieret, H. I. XIII. *per totum.* In Gallia, *ibid.* 10.
Episcopi nomen, dignitatisne, an curationis, D. I. IV. *per totum.* An duplex fuerit episcoporum genus, ut putabat Salmasius, D. I. V. *per totum* et C. IV.
Episcopi jus et munus temporibus apostolicis, D. I. VI. 5. *et seq. et cap.* 7. *per totum.* Concionandi jus penes eos fuisse, D. I. C. VIII. *per totum.*
Episcopum potuisse mutare pœnitentiam publicam, P. I. VIII. 19. a populo electum fuisse, P. II. V. 11. et VII. 8.
Episcopi et presbyteri antiquis temporibus quomodo misti et distincti, D. I. I. 8. *et cap.* II. *per totum.*
Error omnis non trahit aliquid ex hæresi, P. III. XIV. 4. ad extrema semper progreditur, P. IV. VI. 1.
Εὐχαριστία *gratiarum actio* apud Paulum, D. II. X. 5.
Eucharistia an necessario celebranda, C. V.
Eucharistiam consecrare quibus solis concedatur, H. III. III. 9. eam olim confecisse laicos quis asserat, H. III. II. 1. et 4. eam ante omnes cibum sumere quam vetusta sit in Ecclesia traditio, H. III. II.
Eucharistia post alios cibos olim sumebatur, nunc tantum a jejunis, H. V. IV. 7. *et seq.*
Eucharistia, quibus nominibus vocetur a Patribus, P. III. III. 4. V. I. 2.
Eucharistiæ servandæ consuetudo, P. II. VII. 8.
Euchitæ orationi præter modum addicti, P. II. XIV. 10.
Evodius cui successerit in episcopatu Antiocheno, H. I. IX. 6.
Excommunicati in perpetuum qui, P. II. II. 3. *et seq.* Nulli tempore apostolorum, P. II. VIII. 12.
Excommunicatus ab uno episcopo, non debet ab alio in communionem admitti, nisi priori satisfecerit, H. V. VII. 2.
Excommunicationis duo genera, P. VI. XI. 4. Alterum juris divini, alterum canonici, P. VI. XI. 5. 7.
Excommunicatio num sit pœna omnium gravissima, quæ infliguntur ab Ecclesia, H. III. XIII. 3. an ab episcopo infligatur, vel ab Ecclesia, H. III. XIV. 1. *et seq.*
Exilium qualis sit pœna in civili republica, H. III. XIII. 8.
Exomologesis quid sit, P. II. III. 9. Sic dictum tertium gradum pœnitentiæ, P. II. XIII. 9.

F.

Fides disciplinis illustrata, P. II. VII. 2. 3.
Fischeri (*Joannis*) sententia de consuetudinibus ecclesiasticis, P. V. X. 4.
S. Franciscus de Sales quid de frequenti communione senserit, P. IV. III. 1. *et seq.* Invitat imperfectos ad communionem, P. IV. VII. 2. 3. adversatur Arnaldo, *ibid* IV. VII. nunquam damnavit consuetudinem Ecclesiæ, *ibid.* 4. male intellectus ab Arnaldo, P. IV. III. 2. *ibid.* VII. 1.
Frigoris spiritualis duo genera, P. III. XI. 9. id non impedit communionem, P. IV. I. 5.
Frumentii historia explicata contra Grotium, C. III.
S. Fulberti locus de pœnitentia explicatus, P. VI. XI. 4. 5.

G.

Gallicanorum conciliorum decreta de pœnitentia, P. VI. IV. 5. 6.
Gamachius Arnaldo adversatur, P. V. X. 5.
Germaniæ quis primus fuerit antistes et apostolus, H. II. II. 12.
Gersonis (*Joannis*) sententia de impositione pœnitentiæ, P. V. X. 6. de frequente communione, P. IV. I. 4. 5.
S. Gertrudis quid senserit de frequente communione, P. IV. II. 2.
Gladius Ecclesiæ qualis sit, H. III. XIII. 4.
Græci quid de primi et secundi ordinis sacerdotibus censeant, H. II. VII. 8.
Granatensis (*Ludovicus*) suadet frequentem communionem, P. IV. IV. 1. *et seq.*

H.

Hæreses variæ Salmasii, et præsertim de sacris ordinibus, H. III. I. *per totum.*
Hæreticorum et Catholicorum in eodem usu discrimen, P. I. VII. 12.
Hæretici sine pœnitentia publica ad communionem admissi, P. VI. XI. 8.
Hierarchia quæ in Ecclesia est, cujus ordinatione instituta, et quibus constet, H. I. III. 3.
Hierarchiam esse in Ecclesia divina ordinatione constitutam, constareque episcopis, presbyteris, et diaconis, sive ministris, Patres docent, et Tridentina synodus confirmat, H. IV. II. 4. *et seq.* Integram hierarchiam tribus distinctam ordinibus instituebant apostoli, cum ad eas functiones idoneos nacti erant: qui si deessent, contenti erant duobus ordinum gradibus, H. IV. III. 3. *et seq.* H. IV. XI. 4. H. IV. XI. 1. Imperfecta hierarchiæ forma in quibusdam Ecclesiis initio constituta perpetua non fuit ; sed ad perfectam adducta, cum opportunum visum est, H. IV. III. 5. H. IV. XI. 1. 3. *et seq.* Hierarchiam ab Christo D. fuisse institutam, constareque triplici illo ordinum gradu, apud Catholicos indubitatum est : utrum in omnibus Ecclesiis ut ordinum, sic personarum fuerit ab initio servata discretio, controversum est, H. IV. VIII. 2. Hierarchici ordines inferiores in superioribus continentur : non

vice versa, H. IV. VIII. 6. H. IV. IX. 2. et 4. Apostolis mandavit Christus, ut in universo Ecclesiæ corpore servaretur perfecta hierarchiæ forma, non ut in singulis id observaretur Ecclesiis, H. IV. IX. 4. Eadem, quæ nunc est, hierarchiæ forma, fuit in Ecclesia apostolicis temporibus, H. IV. IX. 6. H. IV. X. 5. Episcopus in primo locatus hierarchiæ gradu, triplici ordine sacramentali pollet, et functiones exercet: presbyter in secundo hierarchiæ, in duplici Sacramenti; diaconus in unico, et postremo utriusque, H. IV. IX. 8. Tres Ecclesiæ memorantur, in quibus hierarchicos ordines duntaxat duos initio constituerint apostoli, H. IV. XI. 6.

Hieronymus; qui episcopatum, et presbyteratum unum eumdemque ordinem a Christo D. institutum esse pugnant, Hieronymum sibi patronum asciscunt, H. V. II. 5. Eo argumento scriptum a se librum Apologiam Hieronymi Blondellus nuncupat, *ibid.* Non eget apologista Hieronymus, sed fideli interprete, H. V. I. 5. V. VI. 1. Neque a communi Catholicorum sententia distat, H. V. 4. I. Essentialem presbyteri ab episcopo differentiam agnoscit, H. IV. II. 6. H. IV. III. 1. H. V. IV. 1. et 4. Neque solo antiquitatis jure, sed electione successisse episcopis presbyteros affirmat, *ibid.* distinctosque esse ordines diserte ait, H. V. V. 1.

Hieronymus quo sensu dixerit episcopum et presbyterum idem esse, H. II. V. 4. ejus sententia et testimonia de episcopo et presbytero, H. II. IV. et V. in quibus potissimum locis de eis disserat, H. II. IV. 6.

Historia ex qua patet soli episcopatui jus ordinandi competere, H. II. X. 10.

S. Hieronymi sententia de episcopis et presbyteris, D. I. I. 6. *et seq.* cap. III *per totum.*

Honor quid sit secundum jurisconsultos, H. III. VIII. 3.

Honorius papa deceptus a patriarcha Sergio, P. I. II. 6.

I.

Idololatria expiabatur pœnitentia publica, P. VI. IV. 1.

Idolothytorum comestio arcana pœnitentia expiabatur, P. VI. IV. 1.

Ignatius martyr quoto Christi sit passus anno, H. I. II. 14. Ignatii germanæ, H. V. VIII. 1. quarum Polycarpus, Irenæus, et alii antiqui Patres mentionem faciunt, H. V. VIII. 2. Locus ex epistola ad Magnesios explicatur, H. V. IV. *et seq.* alii ejusdem loci illustrantur, H. V. XI. 8. H. V. VIII. 7.

Ignatius vinculis, quibus pro Christo constrictus erat, gloriatur, H. V. VIII. 8. episcopatum supra reliquos ordines commendat, H. V. VIII. 9.

Interdictio aquæ et ignis qualis pœna erat Romæ, H. III. XIII. 8.

Irenæus presbyter, ac deinde episcopus Lugdunensis, ab martyribus Lugdunensibus ad Eleutherum papam missus insigni commendatur elogio, H. IV. V. 2. Nondum erat episcopus, cum ea legatione functus est, H. IV. V. 2. et 4. Quod ex martyrum litteris ab Eusebio, et Hieronymo testatum, nullo teste Blondellus negat, H. V. VII. 4.

S. Irenæi locus insignis de traditione, P. I. VI. 19.

Ischyras a Collutho Alexandrinæ Ecclesiæ presbytero presbyter ordinatus, Alexandrinæ synodi decreto laicus est judicatus, quod qui eum ordinarat, non esset episcopus, H. V. III. 9.

Ivo Carnotensis de pœnitentia explicatus, P. VI. XI. 7.

J.

Jacobus minor apostolus quomodo vocetur a Salmasio, H. I. VI. 8. *et seq.* an quod vocatus sit Jerosolymorum episcopus, ideo non debeat dici apostolus, *ibid.* 11. An fuerit unus ex apostolis majoribus, an e minoribus, H. I. VII. *per totum.* Fuisse ex majoribus, *ibid.* 2. *et seq.* eum fuisse episcopum probatur, *ibid.* 6. quinam id negent, H. I. VIII. *per totum.*

Jejunia Montanistarum quare damnata, P. II. XIV. 11.

Jejunii die cœnulam sumere peccatum non est, P. II. IV. 6. 7.

Jejuniorum duo genera, P. II. IV. 2.

S. Joannes apostolus cur se presbyterum vocarit, H. I. VI. 6.

S. Joannes magno peccatori sine pœnitentia publica ignovit, P. II. VIII. 15.

Judæos potuisse apud Deum mereri, P. VI. XIII. 1. 2.

Jurisconsulti quomodo dicere soleant *habere actionem,* H. II. VI. 5.

Jurisdictio ecclesiastica cujus auctoritate niti debeat, H. III. XIV. 6. Episcopalis qualis sit, H. III. X. 1. *et seq.* Illius origo, *ibid.* 4. quosnam respiciat, *ibid.* 8. *et cap.* XIII. *per totum.* Nullam esse penes episcopos et sacerdotes remittendorum peccatorum quis dicat, H. III. XII. 8.

S. Justini locus explicatus, P. IV. IX. 7. 8.

L.

Lactantii loca de militia contra Salmasium explicata, D. II. II. 8. *et seq.*

Laici quomodo fiebant presbyteri et episcopi, secundum Salmasium, H. III. VI. 1. num contineantur in hierarchia, H. III. II. 6. quo jure concedatur eis baptizare, H. III. III. 9. eos in primitiva Ecclesia episcopos ordinari vetitum fuisse, H. III. VI. 6. *et seq.* eos ordinandi jus nunquam habuisse, *ibid.* 9. eos sacerdotio præditos quis asserat, H. III. II. 1. *et seq.* quibus argumentis, H. III. III. *per totum.*

Laicos nunquam consecrasse, C. c. III.

Laicorum oblatio quæ, C. I.

Laodicenus Canon 25. explicatus, C. III.

S. Leonis sententia de pœnitentia, P. VI. IV. 1.

Lex cur data Judæis, secundum Arnaldum, P. VI. XIII. 6. 7.

Lex quomodo definiatur a Demosthene, H. III. IX. 6. cur nulla Romæ, nisi jubente populo, recipi poterat, H. III. XV. 3.

Leges divinæ et ecclesiasticæ quomodo differant, P. I. I. 2.
Lex norma actionum, P. II. VI. 18. abrogata non amplius obligat, P. II. VI. 18. obligatio est ex ejus essentia, P. VII. V. 7. et cap. XXI. 4. tacite abrogata neglectu, P. II. IV. 2. consuetudine contraria, *ibid.* 1.
Leges sine potestate ferri nequeunt, H. III. IX. 6. quales ab apostolis conditæ, *ibid.*
Legis finis non obligat, P. VIII. VIII. 1. non est limitibus constrictus, *ibid.* VIII. 2.
Lex humana obligat tantum ad actiones externas, P. VIII. IX. 1.
Legis observandæ rationes quæ et quomodo ad legem pertineant, P. VIII, IX. 6. *et seq.*
Leges scribere quid sit, H. III. VIII. 13.
Lege tacente, consuetudo sequenda, C. V.
Legislator quænam præcipere soleat, H. III. VIII. 13.
Libri hæretici aliquando a præsulibus deceptis approbati, P. I. II. 2.
Ligandi et solvendi potestas ad reatum etiam pertinet, P. I. VIII. 2.
Lucas an existimarit episcopatum et presbyteratum unum et idem esse, H. II. II. 5.
Lucifer nimio zelo periit, P. I. III. 4.
Lugdunenses martyres sub M. Aurelio passi, H. IV. V. 2. *et seq.* V. VII. 3.

M.

Magistratus in quo differat ab episcopatu, H. III. XI. 2. ad quid institutus, H. III. VIII. 7. quæ in se contineat consideranda, *ibid.* IX.
Magistratus civilis ad quid ordinatus sit, et in quo differat ab ecclesiastico, H. III. XIV. unde ita dictus, H. III. XV. 5.
Magistratu carere, et ei non obtemperare quantum sit malum, H. III. X. 6.
Majoris (*Joannis*) sententia de præparatione ad communionem, P. III. X. 5.
Manus imponere ad ordinandos clericos cuinam sit proprium, H. II. X. 6.
Manuum impositio quæ fit a presbyteris in ordinandis presbyteris, an sit ordinatrix, H. III. VII. 2.
Manuum impositiones variæ, H. II. VI. 9. *et seq.*
Marcellus Ancyranus fallit Papam et Concilium, P. I. II. 2. 3.
Marcellus Ancyranus, S. Athanasii de eo judicium, P. I. XVIII.
Marcion ad pœnitentiam admissus, P. II. VIII. 14.
Marcus evangelista cur dicatur a Salmasio non potuisse fieri episcopus Alexandriæ, H. I. IX. 1. cum quo fuerit peregrinatus, *ibid.* 2. a quo missus Alexandriam, *ibid.* 3.
Marcus evangelista præfecisse fertur Alexandrinæ Ecclesiæ Hananiam, sive Anianum; præcepisseque ut ejus successores ex collegio presbyterorum deligerentur, et manuum impositione crearentur, H. V. II. 3. Forma illius Ecclesiæ ab antiquis scriptoribus tradita, H. V. II. 4. et 6. Plures a Marco creati per illam provinciam episcopi, H. V. II. 5. et 6. Unum in Alexandrina provincia episcopum fuisse tradit Eutychius, H. V. II. 6. Constituta Alexandrina Ecclesia, Pentapolim Marcus adiit, ibique prædicavit Evangelium, H. V. II. 5. et 6.
Martyres quo cultu possint a nobis coli, H. III. IV 9.
Martyrum causa remissa pœnitentia, P. II. II. 7. 8.
Mediatoris dignitas an fuerit meriti vel officii, H. III. VIII. 20.
Medina (*Michael*) castigatus, H. II. VIII. 2. *et seq.* D. I. III. 3.
Melchisedech cujusnam imago, H. III. IV. 3.
Meletius Lycopolitanus episcopus ob quædam delicta exauctoratus ab Alexandrino patriarcha Petro, pro episcopo se nihilominus gessit, et in sua, alienisque per Ægyptum, et Thebaidem diœcesibus episcopos, aliosque clericos ordinavit, H. V. III. 4.
Meletium episcopali honore contentum esse jussit Nicæna synodus; omni episcopali functione interdixit, H. V. III. 4. Episcopos a Meletio in schismate creatos ordinare quemquam eadem Synodus prohibuit, nisi ordinati ab Alexandrino patriarcha auctores fierent, *ibid.* Reliquos clericos ab Meletio schismatico ordinatos suis quemque in Ecclesiis communione, et ordinis sui functione gaudere jussit; sed secundo esse loco post eos, qui ab Alexandrino, aut in ejus communione, in clerum essent allecti, *ibid.* Jussus ab Alexandrino patriarcha Meletius indiculum eorum dedit, quos episcopos, presbyteros, et diaconos ordinasset, H. V. III. 5. Morientibus catholicis episcopis, et clericis, permisit Nicæna synodus schismatice ordinatos a Meletio subrogari, si digni viderentur, populo probarentur, et Alexandrinus patriarcha annueret, H. V. III. 4. et 5. Populi electio nonnisi ad episcopatum promovendis schismatice ordinatis a Meletio, in demortuorum Catholicorum locum, requirebatur ex Nicæni conc. decreto, H. V. III. 6. Petro Alexandrino patriarcha in Maximini persecutione fuga dilapso, Meletius schismatis auctor ordinationes ad Petrum pertinentes sibi præsumpsit, et in ipsa Alexandrina Ecclesia clericos ordinavit, H. V. III. 8.
Mensæ nomen an sumatur pro altari, H. III. V. 9. *et seq.*
Meritum quid sit et quæ significet, H. III. VIII. 15. *et seq.*
Merita operum confirmata contra Salmasium, D. II. IV. 3. *et seq.*
Mileterius (*Theophilus*) idem dixit ac Arnaldus, P. VII. V. 6. damnatus, *ibid.* VII. XVIII.
Militiam universe Christianis interdictam non fuisse, D. II. II. 6. *et seq.*
Missa perfectis et imperfectis constituta, P. III. XV. 3. 4. qui digne celebrari queat secundum Gersonem, P. IV. I. 5.
Montanistarum hæresis qualis, H. III. XII. 7.
Monarchia quid, H. III. XV. 9.
Molinæ (*Antonii*) sententia de præparatione ad communionem, P. IV. V. 8.
Molinæ (*Antonii*) opus de instructione sacerdotum, P. III. VI. 1.

Monachi semel quotannis communicantes, P. IV. IV.
Montanistæ negabant ab Ecclesia peccata posse ignosci, P. II. VIII. 13.
Mores ambigue intellecti ab Arnaldo, P. I. IV. 9. VII. IX. 5.
Mors canonica quid sit, P. VI. VI. 67. quibus peccatis infligeretur, P. II. II. 4. 5. VI. VI. 6.

N.

Nectarius pœnitentiam publicam Constantinopoli abolevit, P. II. IX. 4.
Negotiatores nunquam ab Ecclesia damnatos, D. II. III. 1.
Neophytos ordinari episcopos, in Ecclesia vetitum fuisse, H. III. VI. 6. *et seq.*
Nicæni concilii canon 12. contra Salmasium explicatus, D. II. II. 4. *et seq.*
Nicænus canon 18. explicatus, C. III.
Novatianorum hæresis in quo potissimum fuerit posita, H. III. XII. 7.
Novatiani negabant sacramentum Pœnitentiæ, P. I. VIII. 9. abhorrebant a digamis, P. II. I. 8. negabant quædam peccata posse remitti, P. VI. VI. 5. omnia peccata paria esse dicebant, P. VI. VII. 3.

O.

Oblatio quam varie sumatur, C. I.
Oblationis jus habere quid sit, P. II. XIII. 3.
Ὁδὸς καθ' ὑπερβολὴν quid apud Paulum, D. II. X. 1. *et seq.*
Œcumenius quid de episcopis et presbyteris censeat, H. II. III. 3.
Offerre quam varie sumatur, C. I.
Operariorum parabola Matt. 20. explicata, D. II. VII. 7. *et seq.*
Ordinatos in schismate Meletiano episcopos, aliosque clericos in Ecclesiis suis manere permisit Nicæna synodus; ordinare tamen, aut alias ordinum functiones exercere prohibuit, nisi de consensu episcopi ab Alexandrino patriarcha legitime ordinati, H. V. III. 4. et 5. Synodicam Nicæni concilii alio modo Theodoretus, alio Socrates refert, et ab utroque dissidet Epiphanius Scholasticus, H. V. III. 6.
Ordinatio an sit sacramentum in Ecclesia a Christo institutum, H. III. I. 2. quomodo una et quomodo multiplex, *ibid.* 3.
Ordinatio episcopalis quot in se contineat distinguenda, H. II. VI. 5. et VII. 5.
Ordinatio clericorum quotupliciter intelligenda rata, vel irrita, H. II. XI. 13.
Ordinationis et baptismi in quo sit discrimen, H. II. X. 12.
Ordinationis nullum extare exemplum a simplici factæ presbytero, H. II. X. 6. *et seq.*
Ordinare quibus solis liceat, H. III. III. 9.
Ordinandi potestatem penes simplicem presbyterum esse quis dicat, H. II. VI. 4.
Ordinandi potestas unde manarit, H. I. III. 11.
Ordines quot fuerint in Ecclesia apostolorum tempore, H. I. II. 5.
Ordines ecclesiastici ex cujus institutione manarint, H. I. III. 7 quomodo in eadem persona a se invicem distinguantur, H. I. IV. 2.
Ordines seu gradus in Ecclesia quot a Christo fuerint instituti et apostolis traditi, H. II. V. 18. sub qua parabola delineantur, H. III. XIV. 12. quo jure sint inter se distincti, H. III. I. 4.
Ordinum status in Ecclesia quotuplex sit, H. III. VII. 3.
Sacrorum Ecclesiæ ministrorum ordinatio est proprie dictum novæ legis Sacramentum, H. IV. II. 1. Græcis χειροτονία, et χειροθεσία dicitur, *ibid.*
Ordinationem esse verum novæ legis Sacramentum, consecrationeque perfici; unde iterari non potest; testis est Augustinus, H. IV. II. 2.
Ordinationis sacramenta non tolluntur ab exauctoratis ministris, sed manent super eos, *ibid.* Duplicem ordinationis effectum Augustinus idem agnoscit, gratiam sanctificantem, et characterem, *ibid.* Sacramentum Ordinis non ecclesiastici juris, ac potestatis est, sed institutionis divinæ, *ibid.* Contra Donatistas, baptismi et Ordinis sacramenta iterantes, acre certamen Ecclesia suscepit, eosque pro hæreticis habuit, *ibid.*
Ordinis sacramentum divinæ esse institutionis, Chrysostomus, et Ambrosius asserunt, H. IV. II. 3. Tres sacros ordines Optatus enumerat, et post eum Tridentina synodus; episcopatum, presbyteratum, et diaconatum, H. IV. II. 4. In presbyteratu potestas ordinis ad consecrandum Christi corpus jurisdictionem non requirit, potestque valide ab interdicto, ac deposito exerceri : potestas vero remittendi peccata jurisdictionem requirit, H. IV. VIII. 3.
Ordinis potestas ab ordinato non potest tolli; executio tolli potest, H. IV. VIII. 5.
Ecclesiasticos ordines in Sacramentorum numero non habent Calvinistæ, H. IV. VIII. 6.
In ordinandis clericis populi totius olim consensus et judicium intercessit, H. V. IV. 6. Neque tamen semper, neque necessario, *ibid.*
Ordo quotuplex sit in Ecclesia ex institutione Christi, H. III. III. 11.
Ordinis sacramentum cum baptismo comparatur, H. I. III. 5. quotuplici dote censeatur, et quot habeat effectus, H. III. III. 8.
Ordinem episcopalem nihilo majorem esse presbyteratu quis dicat, H. II. V. 1.
Origenis locus male intellectus ab Arnaldo, P. VI. IX. 1. *et seq.*
Osculandi se, per Missam, consuetudo, P. II. VII. 7.

P.

Paciani locus de pœnitentia explicatus, P. VI. I. 2.
Panis quotidianus quid in Oratione Dominica, contra Salmasium, D. II. IX. *per totum.*
Parœcia quid sit, illius origo, et quomodo a rusticanis ecclesiis ad urbanas transitum fecerit, H. II. XII. 1. *et seq.* quotuplicem habeat notionem, *ibid.* 2. *et seq.*
Parœciis Alexandrinis et Constantinopolitanis singuli præfecti presbyteri, H. V. III. 2.

Parochi quinam dicendi, quando instituti, et eorum potestas ac officium, H. II. v. 8.
Parochos in partem sollicitudinis assumptos, et non in plenitudinem potestatis, H. II. VII. 5.
Paschalis agni comedendi ritus, H. III. v. 4.
Pastores Ecclesiæ Romanæ ab apostolis institutos probatur, H. I. II. 6. *et seq.*
Pastores jure censentur in Ecclesia parochi, H. II. v. 10.
Pastores singulos in Ecclesiis singulis præesse quam sit antiquum, H. I. II. 12.
Patriarcha Alexandrinus quomodo eligebatur præcedente mortuo, H. I. XIII. 18.
Patriarchæ unde ita dicti, H. I. VI. 2.
S. Paulus apostolus factus, et a quo missus, H. I. IV. 4. quoties profectus sit Hierosolymam, H. I. VII. 3. *et seq.* describens episcopi formam et exemplar, cur mediocria quædam ab illo et vulgaria exigat officia, H. III. VIII. 12. cur mentionem faciat episcoporum et diaconorum duntaxat, et non presbyterorum, H. II. IV. 4.
Peccata et crimina quomodo differant, P. VI. VI. 5.
Peccatum ad mortem quale, P. II. VIII. 16.
Peccatum mortale duplex, P. I. II. 1. *et seq.* triplex, secundum S. Pacianum, P. VI. VI. 6.
Peccata mortalia levia dicta a Tertulliano, P. VI. VII. 4. communia ab Origene, *ibid.* VI. X. 2. *et seq.*
Peccata mortalia sola pœnitentia publica expiata, P. III. V. 4. 5.
Peccatum mortale scandalosum solum pœnitentiæ publicæ obnoxium, P. VI. II. 2. 3.
Peccatis mortalibus purgatus potest, secundum S. Thomam, communicare, P. III. IX. 5.
Peccatum mortale solum impedimentum communionis, P. IV. I. 3. non veniale, *ibid.* IV. V. 8. V. VIII. 5.
Peccata remissibilia et irremissibilia, P. VI. VII. 4. *et seq.*
Peccata venialia aliquando impediunt effectum Sacramenti, P. III. IX. 5. V. III. 6.
Pelagius et Cœlestinus fefellerunt Papam et Concilium, P. I. II. 4. 5.
Perfectionem maximam non esse præcepti, P. II. VI. 21.
Petri ac Sedis apostolicæ primatus contra Salmasium propugnatur, H. III. VII. 8. *et seq.* illum caput et principem fuisse apostolorum probatur, H. III. VII. 10.
Petri successorem quem censuerint veteres, H. I. X. *per totum.*
Petrus Oxumensis damnatus a Sixto IV. P. VII. XVII.
Plebes cur sæpe vocentur laici, H. III. VI. 1. *et seq.*
Pœna quid sit secundum jurisconsultos, H. III. XIII. 8.
Pœna quænam sit omnium maxima quæ infliguntur ab Ecclesia, H. III. XIII. 3.
Pœna num ea dicenda quam volens subit quispiam, H. III. XIII. 5.
Pœnæ, quas passi sunt Christus et martyres, an pœnæ dicendæ, H. III. XIII. 5. *et seq.*
Pœnæ modus, quo ecclesiasticorum præsidum auctoritate delicta coercentur, H. III. XI. 6. *et seq.*
Pœnitentes distincti in Remensi synodo, P. VI. IV. 6.
Pœnitentes primi gradus non ingrediebantur ecclesiam, P. III. XVI. 6. Secundi et tertii ea ejiciebantur, *ibid.*
Pœnitentes fuisse irregulares, P. I. VI. 15.
Pœnitentibus locus attributus, P. II. XIII. 6.
Pœnitentia non habebatur mera exclusio a Sacramento, P. II. XIII. 11.
Pœnitentia non dicebatur quartus ejus gradus, P. II. XIII. 4.
Pœnitentia præsertim vocabatur tertius ejus gradus, P. II. XIII. 5.
Pœnitentia antiqua non amplius obligat, P. VIII. 21.
Pœnitentia ante baptismum, P. VI. III. 1.
Pœnitentia arcana peccatis arcanis, P. III. IV. 12. 3. publica publicis imponebatur, P. VI. IV. 5.
Pœnitentia complectitur essentiam, et id quod ad eam accedit, P. I. VIII. 11. VIII. VI. 2.
Pœnitentias duas fuisse, arcanam et publicam, P. VI. IV. 5.
Pœnitentiæ duo genera admissa ab Aurelianensi episcopo, P. VI. VIII. 2.
Pœnitentiæ tria genera, secundum S. Augustinum, P. VI. III. 1.
Pœnitentia cæremonialis, ante communionem obsoleta, P. I. IV. 12. semel tantum subibatur, P. I. VI. 15. II. II. 9.
Pœnitentia condigna cui imponenda, P. V. X. 6.
Pœnitentia hodierna favet impœnitentiæ publicæ, secundum Arnaldum, P. V. IX. 8. Quod dolose retractavit, P. VIII. 5.
Pœnitentia hodierna similis primævæ, P. II. VIII. 11. 17.
Pœnitentiæ publicæ descriptio, P. II. X. 11. *ibid.* XI. 2.
Pœnitentia publica quæ, secundum Arnaldum, P. I. VI. 15. non est antiqua, II. X. 14. et XV. 11. est immutabilis, VII. IV. et 22. quod tamen negat, VII. V. 2. et cap. 22. sita est in dilatione communionis, P. II. IX. 15.
Pœnitentia publica quando maxime viguerit, P. II. VIII. 3. qualis ante S. Augustinum, *ibid.* 2. descripta a Tertulliano, II. IX. 3. abrogata quando, II. VIII. 3. quando instituta, II. II. 2. quare, II. XV. 4.
Pœnitentia publica nonnullis tantum peccatis imposita, D. II. III. 1.
Pœnitentiam publicam subire nemo cogebatur nisi juridice convictus, ut docet S. Augustinus, P. VI. III. 4.
Pœnitentiam publicam non fuisse traditionis apostolicæ, P. I. VI. 16. 17. II. VIII. 12.
Pœnitentiam qui subirent sine spe communionis, P. II. II. 6.
Pœnitentia peccatis levibus quæ, P. VI. III. 1. VIII. III. 4.
Pœnitentiæ sacramentum præparatio necessaria ad communionem, P. V. IX. 2.
Pœnitentiarius sacerdos Constantinopoli sublatus, P. II. XIII. 6.

Polycarpus ab apostolo Joanne Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit, H. V. VII. 1. Passus est sub M. Aurelio persecutione quarta, H. V. VII. 3.
Pontifex Romanus quam potestatem habeat, H. II. II. 11. episcopis eum omnibus semper præstitisse, *ibid.* III. VII. 11.
Potestas, si summa sit in Ecclesia, in quo resideat, H. III. XV. 12.
Potestates cur a populis constitutæ, H. III. VIII. 7.
Potestas civilis atque regia quem habeat finem, H. III. VIII. 7.
Potestas cujuscumque Reipublicæ ad quid ordinata sit, et in quo differat ab ecclesiastica, H. III. XIV. 10.
Practicæ quæstiones generales, quomodo solvantur, P. III. III. 1. *et seq.*
Præcepta et consilia distincta, D. II. VI. *per totum.*
Præfectura ad quid instituta, H. III. VIII. 7.
Præfectura quid in se considerandum includat, H. III. VIII. 9.
Præparatio ad communionem duorum generum, P. I. IV. 16. III. IX. 3. trium, *ibid.* XIII. 2. *et seq.* V. I. 9.
Præparatio consilii et decori qualis, III. IX. 3. non habet limites, V. I. 12.
Præparatio præcepti et consilii, P. IV. VII. 6.
Præparatio necessaria sola sufficit ad sæpe communicandum, P. V. III. 4. qua in re sita, *ibid.* I. 9. V. II. 3.
Præparatio cæremonialis ad communionem non necessaria, P. V. II. 2.
Præparatio vulgaris ad communionem non est abusus, P. I. IV. 12.
Præsides in Ecclesiis singulares fuisse apostolorum tempore, H. I. X. 1.
Prætor Romæ quale fuerit olim nomen, H. II. III. 5.
Presbyteratus quale sit nomen secundum hæreticos, H. III. VIII. 18. num sit idem ordo cum episcopatu, H. I. I. 2. an ab episcopatu sit ordo diversus, H. II. IX. 5. quid sit secundum hæreticos, H. II. II. 4. quo jure distinguatur ab episcopatu, H. I. II. *per totum*, et III. 7. quomodo, H. I. IV. 2.
Presbyter quotuplici modo sumatur, H. II. IV. 5. quot illius sint genera secundum Salmasium, *ibid.* 7. in quo sit unum cum episcopo, et in quo minime, H. II. V. 6. cur non possit ordinare presbyteros, H. I. III. 9. et 11. an aliquando potestate ordinandi præditus sit, H. II. IX. 4. *et seq.*
Presbyter inferiores comprehendens quid sit, H. II. II. 1.
Presbyter ut quis legitime ordinetur quid necessarium sit, H. II. XI. 13.
Πρεσβύτερος quorum fuerit olim communis appellatio in Ecclesia, H. I. XII. 16. *et seq.* aliquando pro singulari usurpatur episcopo, *Ibid.* 20.
Presbyteri vocabulum explicatur, quod modo dignitatis est nomen, modo ordinis, H. I. II. 1. *et seq.*
Πρεσβυτέρου notio quotuplex sit, H. II. IX. 4.
Presbyterum nulla re distare ab episcopo quis dicat, H. I. XII. 4. eum habere potestatem ordinandi alium presbyterum quis dicat, H. II. VII. 10.
Presbyteri qualem habeant in Ecclesia secundum Salmasium potestatem, H. II. VII. 15. Cur a Græcis eadem cum episcopis appellatione censeri apud Apostolum credantur, H. I. III. 10. quomodo et ex quibus fiebant in primitiva Ecclesia secundum Salmasium, H. III. VI. 1. cur vocet eos laicos, *ibid.* simplices quo jure diversi ab episcopis, H. III. III. 11. cur non presbyteros possint ordinare, H. II. VI. 11. quali manuum impositione nunc utantur, *ibid.* 13. qualem habeant potestatem, H. II. VII. 11. ab apostolis ordinati quomodo vocabantur, H. II. VII. 11. simplices nihil ab episcopis differre, unde inferat Salmasius, H. III. XVI. 3. Quos Apostolus commemorat, non primi, sed secundi ordinis fuisse, H. II. V. 8.
Presbyteri a senili potius gravitate, quam ab ætate dicti sunt, H. IV. I. 4. H. IV. XI. 1. Eo nomine primi, et secundi ordinis sacerdotes appellati sunt, H. IV. I. 4. H. IV. II. 6. H. IV. XI. 2.
Presbyteri secundi ordinis quarumdam Ecclesiarum regimen ab apostolis acceperunt, H. IV. I. 5. Neque primi tamen ordinis functiones obibant, H. IV. I. 5. et 6. Ordine distincti sunt, et inferiores episcopis, H. IV. II. 4. Ordinandi potestate carent, H. IV. II. 5. *et seq.* H. IV. VIII. 4. Pene pares sunt episcopis, H. IV. II. 6. H. IV. III. 1. episcopi ab apostolis nominantur, H. IV. III. 2.
Ecclesiæ sine episcopis esse possunt : sine presbyteris non possunt, H. IV. III. 4.
Presbyteri ab diaconis distinguuntur potestate consecrandi corporis Christi, et remittendi peccata, H. IV. I. 2. Illa ordinum distinctio ex institutione Christi est, neque induci ab Ecclesia, tollive potuit, H. IV. VIII. 4. In iis Ecclesiis, ubi erat episcopus, plures esse presbyteros oportuit, H. V. VI. 3.
Presbyteri apud antiquos non solum ordinis nomen est, sed ætatis quoque, et dignitatis, H. IV. XII. 4. Joannes apostolus presbyterum se nominat in Epistolis, H. IV. XII. 1.
Presbyteros non fuisse admissos ad pœnitentiam publicam, P. III. V. 3. secundum Arnaldum, sacrilegos esse dicentes Missam, P. III. XI. 10. secundum eumdem, potestatem eorum ad pœnam tantum pertinere, P. VII. XII. et 13. declarare eos satisfactum esse, *ibid.* XIII. 2.
Primatus unde dicatur, et quid sit primatum habere, H. I. XI. 4.
Primatus qui in ecclesiasticis ordinibus inter presbyteros fuit, H. I. XIII. 1. *et seq.*
Primatus Petri, ac Sedis apostolicæ contra Salmasium propugnatur, H. III. VII. 8. *et seq.*
Πρωτοκαθεδρία quid erat, H. I. XIII. 1. *et seq.* cuinam Ecclesiæ maxime propria, *ibid.* I. 16.

R.

Redemptoris dignitas an fuerit, vel officii, H. III. VIII. 20.

Regimen quid sit, et quid in se continere possit, H. III. XV. 6.
Reformatio Arnaldina quæ, P. II. VI. 1. *et seq.* inconstantia ejus, *ib.* c. IX. 1. et X. 23. quam sit incerta et confusa, P. II. VIII. 5. 6. 17.
Regula generalis tacitas conditiones complectitur, P. V. I. 4.
Religio quibus constet, H. III. VI. 2.
Remissio pœnitentia non est corruptio morum, P. I. IV. 7. prudentia est, P. I. V. 9. erat tempore Augustini, P. II. VIII. 14.
Remissio rigoris non est licentia, P. I. V. 9.
Reprobis in hac vita gratias cœlestes dari, D. II. VII. 2. *et seq.*
Rex in quo differat a tyranno, H. III. VIII. 7.
Regis dignitas et sacerdotium quomodo distinguebantur in eadem persona, H. I. IV. 5.
Reges protectores Religionis, P. VIII. IV.
Richerius quid censeat de statu Ecclesiæ, et ejus clavibus, H. III. XVI. 1. *et seq.* ejus mens de potestate Ecclesiæ declaratur, H. III. XV. 1. *et seq.*
Ritus quivis a quo sit instituendus, H. I. III. 6.
Ritus, quem Græci χειροτονίαν vocant, inter novæ legis Sacramenta numerandus, H. I. III. 5.
Ritus Græcorum in collatione sacramenti Confirmationis, H. I. I. 5.
Ritus imponendi manus, quo utantur presbyteri, ubinam minime receptus, H. II. VI. 13.
Ritus benedicendi aquam baptismi, et ungendi chrismate, etc. unde manarit, H. III. III. 14.

S.

Sacerdotis nomen episcopis, et presbyteris commune, H. IV. V. 7. Sæpius simplicibus presbyteris tribuitur, *ib.* 8.
Sacerdotes Christiani quid in offerendo sibi proponant imitandum, H. III. IV. 3.
Sacerdotum veteris et novæ legis discrimen, P. I. VIII. 6.
Sacerdotes conferunt gratiam peccatori, per absolutionem, P. I. VIII. 8.
Sacerdotes primi ordinis in quo differant a sacerdotibus secundi ordinis, H. II. IV. 3. *et seq.*
Sacerdotium aliquando diaconis tributum, H. I. XII. 15.
Sacerdotium et regia dignitas quomodo a se invicem distinguantur in eadem persona, H. I. IV. 5.
Sacramentum novæ legis a quo institutum, H. III. I. 2. quomodo definiatur, *ibid.*
Sacramentum corporis Christi sacrificium esse, H. III. IV. 12.
Sacramentum dandi baptismi quodnam sit, H. III. III 8.
Sacramentum Confirmationis quomodo ab antiquis administrabatur, H. I. I. 5.
Sacramentum quomodo definiatur ab hæreticis, H. II. IX. 6.
Sacramentum ordinationis quale sit, et an mutari possit ab hominibus, H. II. IX. 7.
Sacramenti corporis Christi dos quotuplex, H. III. V. 10.
Sacramenta novæ legis a quo fuerint instituta, H. I. III. 4.
Sacramenta a Christo instituta cur ab hominibus imminui et immutari non possint, H. II. IX. 1. et 6.
Sacramentum novæ legis est signum efficax gratiæ divinitus institutum, H. IV. II. 1. Quæ ad essentiam Sacramentorum pertinent, divinæ sunt institutionis; neque ab Ecclesia mutari possunt, H. IV. II. 7. quia signum est efficax gratiæ, H. IV. VIII. 4. Unum Sacramentum in duo dividi ab Ecclesia non potest, H. IV. VIII. 5. Ritus essentiales Sacramentorum divini juris sunt, immutabiles : accidentales, juris ecclesiastici, et mutabiles, H. IV. VIII. 5. A malis ministris Sacramenta novæ legis, quæ consecratione perficiuntur, indelebilem characterem imprimunt; nec possunt iterari, H. IV. II. 2. Illa nota ministri Christi, tanquam militari charactere signantur, *ibid.*
Sacrificium corporis Christi cur ab eodem fuerit institutum, H. III. IV. 12.
Sacrificium et sacerdotium in Ecclesia esse probatur adversus Salmasium, H. III. IV. 1. *et seq.* Illius typus, *ib.* 2. Illius auctor. *ib.* 3. passionem repræsentare Domini, *ib.* 4. a quo prædictum, *ib.* 6. non sanctis offertur, *ib.* 9. oblatum fugavit dæmones, *ib.* non a Christo fuisse institutum quibus probare conentur hæretici, H. III. V. *per tot.*
Salazaris liber et doctrina, P. V. *cap.* IV. et V. *integris* Probari ei frequentem communionem, *ib.* V. V. 1. et VII. 3. collatio ejus doctrinæ cum Arnaldina, P. V. VI. 1.
Salazar (*Hernandus*) Arnaldo contrarius, P. V. VII. 4.
Salmasius qualis et quem teneat in scribendo, legendo, etc. morem. H. II. III. 1. quibus argumentis probare tentet laicos omnes esse sacerdotes, H. III. III. *per tot.* quibus argumentis probare nitatur nullam penes episcopos esse potestatem, ac jurisdictionem, H. III. XII. *per tot.* quomodo concludat episcopatum et presbyteratum unum et eumdem esse ordinem ex institutione Christi, H. III. I. 8. Illius hæreses variæ præsertim de sacris ordinibus, H. III. I. *per totum.* Ejus contra singularium episcoporum successiones ab antiquis memoriæ proditas falsa et absurda præscriptio, H. I. V. *per totum.* Illius opinio de singularibus per Ecclesias præfectis, et episcopis apostolorum tempore, H. I. XI. *per totum.* Ejus a seipso fœda dissensio idem asseverantis ac negantis, H. II. X. 2. *et seq.* episcopatum, et presbyteratum unum ordinem fuisse ait primis Ecclesiæ temporibus; sed humano consilio ab Ecclesia esse distinctos, H. IV. IV. 1. *et seq.* Singulares Ecclesiis episcopos præfuisse negat; primates suo cudit arbitratu, H. IV. IV. 2. 4. H. IV. VI. 3. Producti ab eo testes contra ipsum testimonium dicunt, H. IV. V. 1. *et seq. toto capite.* In catholicam sententiam inscius delabitur, H. IV. VI. 3. Ejus æstus in ea explicanda, H. IV. VI. 4. Contra catholicam sententiam uno teste nititur pseudo Am-

orosio, nec eo satis diserto, H. IV. VI. 6. Cui Hieronymus opponitur, H. IV. VI. 7. Nihil ad Salmasii mentem pseudo Ambrosius dicit, H. IV. VII. 1. *et seq.* Alterum testem appellat Eutychium Alexandrinum, cui se fidem habere negat, H. V. II. 7. Stare ordinum discrimen non opinatur, si plures in unam personam conferantur, H. IV. VIII. 2. H. IV. X. 1. et 2. Novæ legis Sacramenta parte sui aliqua truncari; et unum in duo dividi posse censet, H. IV. VIII. 5. Ex suæ sectæ disciplina, H. IV. VIII. 6. Diaconatum unum esse ordinem existimat cum presbyteratu a Christo institutum, sed ab apostolis divisum, H. IV. VIII. 6. Dialectica rudis, H. IV. IX. 1. Quæ subjecto sunt unum, essentia, et definitione diversa esse non existimat, H. IV. IX. 2. et 3. Nullos a Christo institutos esse presbyteros, aut episcopos censet; sed apostolos, quos episcopos, aut presbyteros fuisse non vult, H. IV. IX. 5. Totus illius apparatus, et disputatio falso nititur fundamento, H. IV. IX. 6. Ordines non distinguit, qua Sacramenta sunt, et qua gradus hierarchicos constituunt, H. IV. IX. 7. et 8. Sua ipse firmamenta convellit, H. IV. X. 1. et sibi ipsi obstrepit, H. IV. X. 3. *et seq.* H. IV. XII. 1. et 2. De tempore scriptarum ab apostolis epistolarum inutilem movet quæstionem, H. IV. XI. 5. Futilis ejus conjectura ex epistola Clementis ad Ecclesiam Corinthiorum, H. IV. XII. 3. *et seq.* ex synodicæ Nicænæ inscriptione, H. V. III. 7. Ex eadem, aliisque refellitur, H. V. III. 7. et 8. Alexandrinis presbyteris jus ordinandi arrogat, H. V. III. 7. *et seq.* Ab Athanasio, et Alexandrina synodo rejicitur, H. V. III. 9. A jejunis Eucharistiam sumi non probat, H. V. IV. 8. Ignatii epistolas pro supposititiis haberi jubet, H. V. VIII. 3. vanis ex conjecturis, H. V. VIII. 4. *et seq.*

Sanctitas externa hæreticorum nocuit Ecclesiæ, P. I. I. 4.

Sanguinis abstinentia obsoleta, P. II. I. 6. 7.

Satanæ in interitum carnis tradere quid sit, H. III. XI. 7.

Satisfactiones prudenter imponendæ, P. I. VII. 14.

Socratis locus de pœnitentiario presbytero, contra Salmasium explicatus, D. II. II. 1. *et seq.*

Sorbona adversatur doctrinæ Arnaldi, P. V. X. 2.

Soto (*Dominici*) doctrina de Pœnitentia, P. III. X. 3.

Supererogationis opera contra Salmasium defensa, D. II. VI. *per totum.*

Synaxis quare dicatur communio, P. II. V. 1.

T.

Temere quid sonet, P. III. XIX. 4.

Tertullianus Ecclesiam oppugnat quare, P. II. II. 3.

Tertullianus multa hyperbolice dixit, inter quæ istud est, laicos esse sacerdotes, H. III. III. *per totum.* Quibus hæreticorum dogmatibus fuerit irretitus, H. III. XII. 6.

Tertulliani locus de sacerdotio laicorum explicatus contra Grotium, C. cap. I. et II.

Thauleri (*Joannis*) sententia de frequente communione, P. IV. I. 9.

Theodoreti sententia de episcoporum et presbyterorum nominibus apud Paulum, D. I. I. 2.

Theodoreti sententia et testimonia de episcopo et presbytero, H. II. I. et II.

Theophylactus de episcopis et presbyteris quid censuerit, H. II. III. 3.

S. Thomæ locus de charitate male ab Arnaldo intellectus, P. VIII. XIII. *per totum.*

Tormenta quænam non noverint fora ecclesiastica, H. III. XI. 6.

Traditio norma Arnaldi quare, P. III. II. 1. VI. I. 1. VII. IV. 6.

Traditio de baptizandis parvulis a quo manarit, II. I. I. 6.

Traditionis apostolicæ nota et proprietas quæ sit, H. I. I. 12.

Traditiones apostolicæ scripto non commistæ quotuplices sint, et in quo differant, H. I. I. 4. cur ad fidei normam adhibeantur, *ibid.* 7. quotuplices ab apostolis manarint, H. III. III. 12. quænam sint quæ ab apostolis traditæ dicuntur, H. I. I. 8. Illarum genera quot sint, *ibid.* 9. quænam dicantur divinæ, *ibid.* 13.

Traditionem apostolicam consuetudine aboleri, P. I. VI. 11.

Traditionis apostolicæ ratio et natura, P. I. VI. *per totum.*

Traditiones in rebus fidei vel morum perpetuæ, P. I. VII. 1. in ritualibus sæpe mutatæ, *ibid.* 2. *et seq.*

Tridentinum concilium adversari Arnaldo, P. I. VI. 2. noluisse instaurari pœnitentiam, quam instaurat Arnaldus, *ibid.* ab hoc male intellectum, *ibid.* 8. *et seq.* non restitutam a Concilio pœnitentiam publicam, *ibid.* I. VII. 9. *et seq.* ejus constitutiones de pœnitentia, P. II. VIII. 10. quid senserit de præparatione ad communionem, P. V. II. 2.

Trullanus canon 58. explicatus, C. III.

Tyrannus in quo differat a Rege, H. II. VIII. 7.

V.

Veritas duplicis generis, theoretica et practica, P. I. III. 6. *ibid.* V. 2. VII. IV. 3.

Veritas mendacio interdum mista, P. III. VIII. 7.

Viaticum pœnitentibus concessum, P. II. II. 9.

Visitatores quodnam habeant munus, H. II. XII. 8.

Vitæ necessaria licere a Deo petere, D. II. IX. 8. *et seq.*

Viventium species quot sint, et quoties inter se comparantur quid efficiant, H. II. II. 2.

Vivendi præcepta dare quid sit, H. III. VIII. 13.

Urbicus improbator consuetudinum receptarum, P. II. III. 5. 6.

Y.

Ysamberti sententia de præparatione ad communionem, P. V. III. 2.

FINIS INDICIS RERUM MEMORABILIUM.

INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC TOMO ILLUSTRANTUR ET EXPLICANTUR.

—

LITTERA H. LIBROS DE HIERARCHIA; D. DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM; C. DIATRIBAM DE CONSECRANDI POTESTATE; P. LIBROS DE PŒNITENTIA SIGNIFICAT.

NUMERORUM ROMANORUM PRIOR, LIBRUM; POSTERIOR CAPUT INDICAT; TERTIUS, SARACENIS NOTIS, PARAGRAPHUM INDICAT.

EX VETERE TESTAMENTO.

GENESI.

Gen. 14. 18. Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham, H. III. VI. 2.

NUMERIS.

Num. 12. 7. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, H. III. XIV. 11.

LIBRIS REGUM.

1 Reg. 8. 5. Constitue nobis regem, ut judicet nos: sicut et universæ habent nationes, etc. H. III. VIII. 7.

1 Reg. 15. 22. Numquid vult Dominus holocausta et victimas, H. III. IX. 13.

PSALMIS.

Psal. 8. 6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, etc. H. II. VIII. 2.

Psal. 143. 4. Domine quid est homo, quia innotuisti ei, etc. H. II. VIII. 2.

ECCLESIASTE.

Eccles. 10. 3. In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat, H. III. III. 5.

ISAIA.

Isa. 30. 15. Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, P. VII. XV. 2.

Isa. 53. 8. Propter scelus populi mei percussi eum, H. II. V. 16.

Isa. 60. 21. Ponam visitationem tuam pacem et præpositos tuos justitiam, H. IV. XII. 7.

JEREMIA.

Jerem. 7. 22. Non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum et victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, H. III. IX. 13.

OSEE.

Osee. 6. 6. Misericordiam volo, et non sacrificium, H. III. IX. 13.

MALACHIA.

Malach. 1. 3. Dilexi Jacob, Esau autem odio habui, H. III. IX. 13.

ECCLESIASTICO.

Eccles. 32. 1. Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis, H. I. XII. 21.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆO.

Matt. 1. 21. Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, H. I. VIII. 7.
Matt. 5. 2. Aperiens os suum docebat eos; etc. D. II. cap. V. integro.
Matt. 5. 19. Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum, H. II. IX. 1.
Matt. 5. 32. Omnis qui dimiscrit uxorem, excepta fornicationis causa, D. II. cap. VIII. integro.
Matt. 6. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, D. II. cap. IX. integro.
Matt. 7. 17. Omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque, etc. H. II. V. 17.
Matt. 16. 19. Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, etc. H. III. XII. 7.
Matt. 18. 17. Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, H. III. XVI. 10.
Matt. 20. 23. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt, H. III. XII. 7.
Matt. 23. 2. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite, H. III. X. 6.
Matt. 24. 45. Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? H. III. XIV. 11.

MARCO.

Marc. 14. 72. Cœpit flere, D. II. X. 8.
Marc. 16. 15. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, H. I. V. 8.

LUCA.

Luc. 10. 16. Qui enim vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, H. III. X. 3.
Luc. 12. 42. Fidelis et prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, H. III. XIV. 11.
Luc. 12. 58. Da operam liberari ab illo, D. II. X. 7.
Luc. 14. 33. Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, P. II. XII. 2.
Luc. 22. 19. Hoc facite in meam commemorationem, C. II.

JOANNE.

Joan. 2. 11. In tenebris sunt et in tenebris ambulant, et nesciunt quo eant : quia tenebræ occæcaverunt oculos eorum, H. III. III. 9.
Joan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, H. I. I. 4. et III. 3. C. V.
Joan. 6. 53. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, etc. C. V.
Joan. 18. 36. Regnum meum non est de hoc mundo, etc. H. III. VII. 15.
Joan. 20. 21. Sicut misit me Pater et ego mitto vos, H. I. V. 8.

ACTIS.

Act. 2. 46. Quotidie frangentes circa domos panem, P. V. VI. 4.
Act. 6. 5. Elegerunt Stephanum, etc. D. II. cap. I. integro.
Act. 8. 5. Philippus descendens prædicabat. D. II. cap. I. integro.
Act. 8. 14. Apostoli qui erant miserunt ad eos Petrum et Joannem, H. II. V. 9.
Act. 13. 2. Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus, ad quod assumpsi eos, H. I. V. 4.
Act. 15. 6. Convenerunt apostoli et seniores videre de verbo hoc, H. III. IX, 2.
Act. 20. 17. Vocavit majores natu Ecclesiæ, D. I. cap. I. et II.
Act. 20. 28. Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, H. II. IX. 8. et III. VI. 2. et XIV. 9. D. I. cap. I. et II. integris.

EPISTOLA AD ROMANOS.

Rom. 3. 8. Faciamus bona, ut inde veniant mala, H. II. III. 6.
Rom. 4. 25. Traditus est propter delicta nostra, H. II. V. 16.
Rom. 7. 3. Vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, D. II. VIII. 8.
Rom. 9. 13. Jacob dilexi, Esau autem odio habui, H. III. IX. 13.
Rom. 13. 4. Dei enim minister est, H. IV. XII. 16.

AD CORINTHIOS.

1. Cor. 1. 14. Neminem vestrum baptizavi, H. I. XII. 7.
1. Cor. 3. 5. Qui est igitur Apollo? Quid vero Paulus, etc. H. I. VI. 7.
1. Cor. 3. 10. Ego fundamentum posui, etc. H. III. IX. 9.
1. Cor. 5. 5. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini Jesu Christi, etc. H. III. XI. 6.
1. Cor. 5. 12. Quid enim mihi est de his, qui foris sunt, judicare? H. III. IX. 11.
1. Cor. 5. 22. Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, etc. H. III. XIV. 3.
1. Cor. 7. 25. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, D. II. VI. 1.
1. Cor. 10. 21. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum, H. III. V. 9.
1. Cor. 9. 13. Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, D. II. VI. 7.
1. Cor. 11. 16. Si quis autem videtur inter vos con-

tentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei, P. V. x. 2.
1. Cor. 11. 26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, etc. C. II.
1. Cor. 11. 28. Probet se ipsum homo, P. II. VIII. 11.
1. Cor, 11. 29. Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, P. V. x. 5.
1. Cor. 12. 4. Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, D. II. VII. 2. H. III. XIV. 8.
1. Cor. 12. 17. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro, H. III. XIV. 8.
1. Cor. 12. 28. Quosdam Deus posuit in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, etc. D. I. V. 3. 4.
1. Cor. 12. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, H. I. V. 9.
1. Cor. 12. 31. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, D. II. X. 1.
1. Cor. 15. 10. Abundantius illis omnibus laboravi, D. I. V. 2.
1. Cor. 16. 12. De Apollo autem fratre, multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus : et utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret, veniet, etc. H. I. VI. 8.
2. Cor. 2. 6. Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio, quæ fit a pluribus, etc. P. II. VIII. 11.
2. Cor. 3. 10. Nam nec glorificatum est, quod claruit, in hac parte, propter excellentem gloriam, H. III. IX. 13.
2. Cor. 8. 23. Sive pro Tito, qui est socius meus, et adjutor : sive fratres nostri apostoli Ecclesiarum, gloria Christi, H. II. II. 11.
2. Cor. 10. 8. Nam si et amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam, H. III. IX. 3.
2. Cor. 11. Nihil enim minus fui ab iis, qui erant supra modum apostoli, H. I. V. 4.

AD GALATAS.

Gal. 1. 18. Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini, H. I. VII. 2.
Gal. 2. 9. Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis, H. I. VI. 8.
Gal. 5. 19. Manifesta sunt enim opera carnis, quæ sunt inimicitiæ, contentiones, æmulationes, etc. H. II. V. 15.

AD EPHESIOS.

Ephes. 4. 11. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, etc. H. III. XIV. 9.
Ephes. 5. 4. Sed magis gratiarum actio, D. II. X. 4.

AD COLOSSENSES.

Coloss. 1. 23. Cujus ego Paulus factus sum minister, H. IV. XII. 6.

AD TIMOTHEUM.

1. Tim. 2. 2. Precari jubetur pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et sanctitate, H. III. VIII. 9.
1. Tim. 3. 14. Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, etc. H. I. XII. 7.
1. Tim. 4. 14. Quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii, D. I c. I. et II. integris. H. I. III. 5.
1. Tim. 5. 19. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, etc. H. II. I. 5.
2. Tim. 1. 6. Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum, H. I. III. 5. H IV. II. 1.

AD HEBRÆOS.

Hebr. 13. 10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt, H. III. V. 6.
Hebr. 13. 17. Obedite præpositis vestris, et subjacete illis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, H. III. X. 3.
Hebr. 13. 20. Qui eduxit de mortuis pastorem ovium magnum, H. III. VII. 12.

JACOBI.

Jacob. 3. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, et amaram aquam ? H. I. VIII. 15.

PETRI.

1. Pet. 2. 25. Conversi nunc estis ad Pastorem et Episcopum, etc. H. III. VII. 12.

JOANNIS.

1. Joan. 5. 16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, etc. P. II. II. 4. et VIII. 16.
2. Joan. vers. 1. Senior Electæ Dominæ, etc. H. IV. XII. 1.

JUDÆ.

Judæ, 6. 8. Qui dominationem spernunt, majestatem autem blasphemant, H. Præf. 3.

APOCALYPSI.

Apoc. 20. 4. Et vidi sedes et sedentes super eas, H. III. IX. 10.

FINIS INDICIS LOCORUM SCRIPTURÆ.

Barri-Ducis. — Typis Ludovici GUERIN, via nominata de la Rochelle, 49, 51.

208.8
P 441

39177

PETAVIUS, DIONYSIUS
AUTHOR

Opus de Theologicis Dogmatibus
TITLE

Tomus 8

DATE LOANED | BORROWER'S NAME

[redacted]

39177